COLLECTIO SS. PATRUM
ECCLESIÆ TOLETANÆ.

SS. PP. TOLETANORUM

QUOTQUOT EXTANT

OPERA

NUNC PRIMUM SIMUL EDITA, AD CODICES MSS. RECOGNITA,
NONNULLIS NOTIS ILLUSTRATA,
ATQUE IN DUOS TOMOS DISTRIBUTA.

TOMUS SECUNDUS.

SANCTI IULIANI TOLETANI ANTISTITIS,

ET SANCTI EULOGII CORDUBENSIS MARTYRIS,
ELECTI ARCHIEPISCOPI TOLETANI,
OPUSCULA, EPISTOLAS, FRAGMENTAQUE COMPLECTENS.

OPERA, AUCTORITATE, ET EXPENSIS EXCELLENTISSIMI DOMINI

FRANCISCI DE LORENZANA,

ARCHIEPISCOPI TOLETANI, HISPANIARUM PRIMATIS.

MATRITI MDCCLXXXV.
APUD IOACHIMUM IBARRA S. C. R. M. ET DIGNITATIS ARCHIEP. TOLET. TYPOG.
REGIO PERMISSU.


REGIA LUSITANORUM

PRÆFATIO.

PRodit tandem in publicam lucem aliud volumen collectionis operum SS. PP. Toletanorum, in quo omnia quæ supersunt scripta Sancti Iuliani Archiepiscopi Toletani, unâ cum S. Eulogii Cordubensis operibus continentur: quem nemo mirabitur, quòd Toletanis Patribus annumeraverimus, quorum in Toletana Ecclesia propter singularem doctrinæ et virtutis opinionem communibus Episcoporum eiusdem Provinciæ suffragiis successor iam designatus fuerat, cum in dira illa Christianorum persequutione Cordubæ excitata gloriosissimus Martyr occubuit. Utriusque autem Doctoris scripta nulli vel minus erudito non nota, ab omnibus hodie quæri, atque efflagitari intelligimus. Et meritò id quidem. Sunt etenim sive ad sacrorum Dogmatum confirmationem, sive ad historiæ nostræ cognitionem quàm aptissima, præclaraque monumenta; quibus de antiqua simul Hispanorum doctrina opinio mirificè sustentatur. Cum enim non uno eodemque tempore vixerint, sed alter alterum duobus ferme sæculis antecesserit, facilè ex amborum scriptis demonstratur, ad quantum sapientiæ cumulum sub Gothis Principibus Patres nostri pervenerint, quorum postremus habetur Iulianus; neque minus evincitur quàm non multa (si temporum ratio habeatur) doctrinæ diminutio facta fuerit in teterrima illa et litterarum et virtutum omnium clade, sub qua Eulogius, et cum eo non pauci virtutis et doctrinæ cultores extiterunt. Doctrinæ, inquam, non profanæ illius politioris, atque elegantioris ex Græcorum Romanorumque libris petitæ (quam-

quam

quam ab illorum lectione omnino alienos non fuisse ipsa eorum scripta testantur, ut mirandi potius ad instar prodigii sint, quòd talibus temporibus veterum Oratorum et Poëtarum libros evolverint, quàm contemnendi quòd illorum sermonem in tanta loquendi barbarie minime sint assequuti) non profanæ, inquam, doctrinæ, sed sacræ, ex purissimis Scripturæ, sanctorumque Patrum fontibus manantis, quorum lectioni, et meditationi dies noctesque toti incumbebant.

Itaque in Iuliano maximum adhuc eruditionis, ac reconditæ doctrinæ lumen, et sermonis quædam venustas resplendent, tamquam in germano Eugenii et Ildephonsi discipulo, quorum doctrinam altè ebibitam, suomet ingenio expolivit, auxitque, nedum sanctissimè tuitus est. Ingenio siquidem facili, copioso, suavique præditus, fuit ad suorum prædecessorum exemplum Philosophus, Orator, Poëta, Historicus, imprimis verò Theologus, siquis alius, eo nomine dignus. Quarum omnium nobilissimarum artium cùm in nullo genere non monumenta reliquerit litteris consignata, (ut erat in scribendo assiduus) quibus superiorum laudem coëquavit, in Theologica disciplina nescio an suos superasse magistros dicendus sit. In Eulogio autem et commendanda multò doctrina, admirabilisque ad instar prodigii, ut paulo antea dicebamus, in densissimis ignorantiæ tenebris sapientia, et suspicienda simul pietas summa est, quæ in eius scriptis ex omni parte resplendet, nec resplendet tantùm, sed ardet etiam, ignitas scintillas undique in lectorum animos emittens.

Atque hæc in universum de utroque sapientissimo viro dicta sint; quæ enim singularem uniuscuiusque laudem spectant, fusius in proprio cuiusque elogio, tum in Monitis ad unumquodque opusculum præmissis, persequuti sumus.

Ergo quod superest, huius nostræ editionis rationem reddamus. Ac primùm monemus lectores, codici-

cibus veteribus MSS. ferè nullis adiutos fuisse. Duos enim codices membranaceos Conciliorum Hispaniæ si excipias, ad quos *Apologeticum* Iuliani *de tribus capitulis* exegimus, ut suo loco dicimus, et apographum Perezianum historiam rebellionis Pauli adversus Wambam continentem, cuius similiter in Monito prævio mentionem fecimus, reliquorum sive Iuliani, sive Eulogii operum in Toletanæ Ecclesiæ Bibliotheca ne vestigium quidem reperimus. Tanta itaque MSS. penuria laborantes ad anteriores utriusque editiones, quotquot potuimus ad manus habere, confugimus. Evolvimus, inter se contulimus, si quando apertè peccare deprehensæ sunt, emendavimus, iisdem prorsus, quæ in superiori volumine, labore, diligentiaque adhibitis, in exigendis præsertim ad proprios fontes sententiis SS. Patrum, quæ in quibusdam Iuliani opusculis frequentes occurrunt, absque ulla locorum, unde desumptæ sunt, significatione. Notas, seu animadversiones quibusdam locis paulò obscurioribus adiecimus, parcè tamen, ac moderatè, memores scilicet editorum nos partes, non commentatorum suscepisse. Atque hæc in toto hoc negotio opera nostra extitit: quam si graves sapientesque lectores boni consulant, ad alia huius generis deinceps in lucem proferenda nos quodammodo provocabunt, atque sponte iam incitatos alacriores multò efficient. VALE.

IN-

INDEX GENERALIS
OPERUM SS. PP. TOLETANORUM
QUÆ IN HOC SECUNDO TOMO CONTINENTUR.

SANCTI IULIANI ARCHIEPISCOPI TOLETANI
OPERA OMNIA.

PROGNOSTICON FUTURI SÆCULI libri tres.
Liber primus. 10.
Liber secundus. 25.
Liber tertius. 47.
LIBER APOLOGETICUS DE TRIBUS CAPITULIS. 77.
DE COMPROBATIONE SEXTÆ ÆTATIS libri tres.
Liber primus. 92.
Liber secundus. 112.
Liber tertius. 123.
ANTIKEIMENON libri duo.
Primus. 153.
Secundus. 224.
COMMENTARIUS IN NAHUM PROPHETAM. 268.
ORATIONES, sive collectæ. 326.
HISTORIA REBELLIONIS PAULI ADVERSUS WAMBAM. 330.

APPENDIX OPERUM SUPPOSITORUM.

Chronica Regum Wisigothorum. 385.
Carmina quædam Iuliano attributa. 389.

S. EULOGII MARTYRIS ELECTI ARCHIEPISCOPI TOLETANI
OPERA OMNIA.

MEMORIALIS SANCTORUM libri tres.
Primus. 426.
Secundus. 453.
Tertius. 489.
DOCUMENTUM MARTYRIALE. 509.
EPISTOLÆ ALIQUOT. 533.
APOLOGETICUS MARTYRUM. 542.
Sequuntur Scholia omnia in hæc opera Ambrosii Morales.

APPENDIX AD OPERA S. EULOGII.

De translatione SS. Martyrum Georgii Monachi, Aurelii, et Nathaliæ ex urbe Corduba Parisios libri duo, auctore Aimoino Monacho. 620.
Epistolæ duæ: Alvari Cordubensis una ad Abbatem Speraindeo; huius item ad Alvarum responsio dogmatica. 638.

IN-

INDEX SINGULORUM CAPITUM OMNIUM OPUSCULORUM, QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

Admonitio in sequentem tractatum, Fol. 1.

SANCTI IULIANI TOLETANI ANTISTITIS *PROGNOSTICON FUTURI SÆCULI LIBRI TRES.*

Auctoris epistola ad Idalium Barcinonensem Episcopum, 3.
Idalii responsio, 6.
Eiusdem Iuliani oratio ad Deum, 9.

PROGNOSTICON IULIANI LIBER PRIMUS.

De origine humanæ mortis.

CAP. I. *Quomodo primùm mors in mundum intraverit.* 10.
II. *Quòd Deus immortales Angelos creaverit, peccantibus autem hominibus mortem sit comminatus.* Ibid.
III. *De qualitate primi hominis, vel de pœna mortis, qua post peccatum iustè damnatus sit.* 11.
IV. *Unde dicta sit mors.* Ibid.
V. *Tria esse genera mortis.* Ibid.
VI. *Quàm aspera sit mors carnis, et quòd plerumque molestiam eius non sentiant morientes.* Ibid.
VII. *Quòd plerumque contingat, ut per asperam mortem liberetur anima a peccatis.* 12.
VIII. *Quòd mors bonum aliquod non sit, et tamen bonis bona sit.* Ibid.
IX. *Contra eos qui dicunt, si in baptismo peccatum primi hominis solvitur, quare mors baptizatos homines subsequitur?* 13.
X. *Quòd præsiò sint Angeli, quando homines moriuntur.* 14.
XI. *De timore mortis corporeæ.* Ibid.
XII. *De differentia timoris, quare unusquisque exploret, utrum tolerabilius sit plura genera mortium vivendo formidare, an unam ex his, quæ contigerit, sustinere.* 15.
XIII. *De non timenda christianis morte corporis, propterea quòd iustus ex fide vivit.* 16.
XIV. *Quibus ex causis timor mortis humanæ valet temperari: et ut diem mortis potius amplecti quàm timere debeamus: et quòd magnus illic carorum numerus nos expectet.* 17.
XV. *Quàm contraria sit Dominicæ orationi nostra voluntas, quando et quotidie ut fiat voluntas Dei oramus, et transire ad eum insistente mortis metu nolumus, cum exemplo cuiusdam fratris, cui timenti exire de sæculo, increpans apparuit Christus.* 20.
XVI. *Ne desperatione frangamur, cum imminente morte turbamur.* 21.
XVII. *Quòd orationi in fine insistere debemus, et commendare nos fratrum precibus.* 22.
XVIII. *Quòd conditiones sepulturæ, et curationes funerum debitè fidelibus impendantur.* Ibid.
XIX. *Utrum prosit defunctis, si corpora eorum in Ecclesiis tumulentur.* 23.
XX. *Quòd multum prosit mortuo in Ecclesia tumulato fides, qua creditur, martyris apud quem conditur, patrocinio adiuvari.* Ibid.
XXI. *De oblationibus, quæ pro fidelibus defunctis offeruntur.* 24.

PROGNOSTICON LIBER SECUNDUS.

Quomodo se animæ defunctorum habeant ante resurrectionem corporum.

CAP. I. *De differentia paradisorum.* 25.
II. *Ubi sit paradisus, in quo beatorum animæ exutæ corporibus requiescunt.* Ibid.
III. *Quid significet sinus Abrahæ, in quo*

quo beatorum animæ recipiuntur. 26.
IV. *De differentia infernorum.* Ibid.
V. *Unde dictus sit infernus.* 27.
VI. *Quales sint inferi, vel si sint corporei.* Ibid.
VII. *Qua ratione inferi sub terris esse credantur.* Ibid.
VIII. *Quòd animæ beatorum statim ut a corpore exeunt, ad Christum in cælum vadunt.* Ibid.
IX. *Quòd nunc animæ defunctorum in quibusdam receptaculis teneantur.* 28.
X. *Quòd animæ, quæ aliquid minus de perfecta sanctitate habuerint, exeuntes de corpore, non statim collocentur in cælestibus regnis.* Ibid.
XI. *Quòd ante resurrectionem corporum non sic videatur Deus a sanctis spiritibus defunctorum, sicut post resurrectionem videbitur: et qualiter nunc defunctorum animæ corpora sua desiderent recipere.* Ibid.
XII. *Quòd post descensum Christi ad inferos, animæ electorum non locis illis tenentur, ubi Patriarcharum animæ tentæ sunt, sed statim eant ad cælum.* 29.
XIII. *Quòd sicut animæ sanctorum post transitum ad cælum vadunt, ita peccatorum animæ in infernum trudantur.* Ibid.
XIV. *Quòd hi qui semel fuerint in infernum proiecti, ibidem erunt in perpetuum permansuri.* 30.
XV. *Quòd non sit anima privata sensibus suis post mortem corporis.* Ibid.
XVI. *Quòd anima similitudinem corporis habeat, et in ea de corporali similitudine requiem sentiat, perferatque tormenta.* 31.
XVII. *An anima, cum incorporea sit, igne credatur corporeo cruciari.* Ibid.
XVIII. *Quòd unus sit gehennæ ignis, et non uno modo cruciet peccatores.* 32.
XIX. *Quòd post mortem purgatorius ignis esse credatur.* Ibid.
XX. *Quòd alius sit ignis purgatorius, quo plerique salvandi esse creduntur, alius ille, in quo impii, Christo iudicante, mergendi sunt.* 33.
XXI. *Quòd ignem purgatorium non post ultimum iudicium, sed ante perferant animæ.* 34.
XXII. *Utrum hi qui in purgatorio igne salvandi sunt, usque ad tempus resurrectionis, an infra cauciari credantur.* 35.
XXIII. *Quòd ad tribulationem purgatorii ignis mors ista pertineat carnis.* Ibid.
XXIV. *Utrum animæ mortuorum se invicem, et quos nusquam viderunt, agnoscant.* Ibid.
XXV. *Utrum animæ beatorum orare videantur pro his quos in inferno sentiunt.* 36.
XXVI. *Utrum animæ mortuorum orent pro salute carorum viventium.* 37.
XXVII. *Utrum contristari vel lætari possint animæ defunctorum pro viventium carorum salute: seu tristitia, aut qualibet cura vivorum moveantur.* 38.
XXVIII. *Quòd Patriarchæ, Prophetæ, et Apostoli, omnesque beatorum spiritus nos ardenter secum gavisuros expectent: et quòd non sit illis perfecta lætitia, donec pro nostris erroribus dolent.* 39.
XXIX. *Utrum scire possint mortui quid agant vivi.* 40.
XXX. *Utrum possint mortui viventium oculis apparere.* 41.
XXXI. *Quòd non impiorum, sed sanctorum animæ tantum sciant, quid possit a viventibus agi.* Ibid.
XXXII. *Utrum post adventum Christi ad inferos, ex quo sanctis reseratum est iter ad cælos, aspicere valeant aut boni malos in dolore, aut mali bonos in requie constitutos.* 42.
XXXIII. *Contra eos qui dicunt, quòd nulla sit animæ vita post mortem.* 43.
XXXIV. *Contra eos quibus parum videtur, quòd anima post mortem carnis in quadam corporali similitudine læta quædam videat, vel tristia sentiat. Et quòd expressiora sint ibi læta vel tristia, quam hic videri possunt per somnium ab animo.* 44.
XXXV. *Quid remunerationis habere credantur animæ defunctorum, ante resurrectionis illius ultimum tempus.* 45.
XXXVI. *Quòd post depositionem corporis huius statim videatur a sanctis spiritibus Deus.* Ibid.

XXXVII. *Quòd etiam modò sanctorum animæ iam cum Christo in cælis regnent.* 46.

PROGNOSTICON LIBER TERTIUS.

De ipsa resurrectione.

CAP. I. *Quòd tempus et diem iudicii nullus hominum noverit.* 47.
II. *Utrum specialis locus esse credatur, ubi iudicium a Domino agetur.* Ibid.
III. *Quòd nullus noverit hominum, per quot dies futurum illud iudicium extendatur.* 48.
IV. *De terrore adventus Christi, et quòd in ea forma qua iudicatus est, in ipsa ad iudicium veniet, et iudicium agitabit.* Ibid.
V. *Quòd præeunte cruce Christus ad iudicium veniet, et quòd eadem crux Angelorum humeris, de cælo Christo descendente, portabitur.* 49.
VI. *De terrore visionis diaboli, cùm sublatus fuerit, ut ad iudicium adducatur.* 50.
VII. *Quòd Christus ad iudicium veniens, mitis iustis, et terribilis apparebit iniustis.* Ibid.
VIII. *Quòd Christum in carne ad iudicium venientem iusti et iniusti carneis oculis sint visuri.* 51.
IX. *Quòd non Pater, sed tantùm Filius ad iudicium faciendum venturus esse credatur.* Ibid.
X. *Quòd non pertineat ad hanc vitam, cùm Christus vivos et mortuos iudicaturus de cælo descenderit.* Ibid.
XI. *De sedibus iudicantium.* 52.
XII. *De his qui cum Domino ad iudicandum sessuri sunt.* Ibid.
XIII. *Quòd in prænominatis a Christo duodecim sedibus non solùm duodecim Apostoli sessuri sint, sed omnis perfectorum numerus, qui in duodenarium numerum partiuntur.* Ibid.
XIV. *De ultima resurrectione corporum humanorum.* 53.
XV. *Quòd septimo Angelo, tuba canente in ictu oculi erit resurrectio mortuorum.* Ibid.
XVI. *Quòd ad omnes homines pertineat resurrectio, immutatio verò tantùm ad sanctos.* 54.
XVII. *Quòd non aerium corpus, sed caro quam gerimus, sine ulla corruptione resurget.* Ibid.
XVIII. *Quomodo spiritualia corpora tunc habere credantur, cum futura corpora non spiritus, sed corpora verissimè approbentur.* Ibid.
XIX. *De qualitate corporum quæ in resurrectione futura sum.* Ibid.
XX. *In qua ætate, vel statura futuri sunt resurgentes, sive sint senes, sive iuvenes, vel infantes.* 55.
XXI. *Utrum æquales an diversæ futuræ sint staturæ, vel figuræ surgentium corporum, et utrum macri cum eamdem macie, pingues cum eadem pinguedine in resurrectione futuri sint.* 56.
XXII. *Quòd sine aliqua deformitate sanctorum corpora resurrectura sint.* 57.
XXIII. *Quòd superfluum sit quærere de reproborum corporibus, in qua ætate vel mensura resurgant.* Ibid.
XXIV. *Quòd viri et feminæ in proprio sexu resurgent.* Ibid.
XXV. *Quòd nulla resurgentes cibi ac potus cura sollicitet.* 58.
XXVI. *Quòd carnalibus indumentis natura nostra non egeat.* Ibid.
XXVII. *De abortivis fœtibus: et quia homo ex quo incipit in matris utero vivere, ex tunc credatur ad resurrectionem ultima pertinere.* 59.
XXVIII. *De his qui cum maiore vel minore membrorum numero, vel qui cum duobus capitibus, et uno corpore, aut duobus corporibus, et uno capite, vel cetero genere monstruoso nascuntur, qualiter resurrecturi credantur.* 60.
XXIX. *Quòd hi qui nunc a bestiis comeduntur, aut diversa laniatione truncantur, resurgentes integritatem sui corporis obtinebunt.* 61.
XXX. *Quòd hi qui de hac vita debiles exierunt, cum suis integris membris in resurrectione futuri sint.* 62.
XXXI. *Utrum in resurrectione quicquid unguibus vel capillis nostris per tonsuram vel sectionem de-*

tractum est, redintegrari credatur. Ibid.
XXXII. *Qualiter hi qui de massa perditionis discreti non sunt resurrecturi sint.* 63.
XXXIII. *De ordine futuri iudicii.* 64.
XXXIV. *De bonorum malorumque discretione.* Ibid.
XXXV. *Quòd ipsa separatio bonorum a malis per Angelica ministeria fiet.* Ibid.
XXXVI. *Quòd separatis in dexteram partem bonis, in sinistram verò malis, libri aperti erunt, id est, conscientiæ singulorum.* 65.
XXXVII. *De auditu malo quem iusti non timebunt.* 66.
XXXVIII. *De præcipitatione diaboli, et perditione impiorum.* Ibid.
XXXIX. *Qualis est liber ille, de quo Ioannes Apostolus dicit quòd omnes qui tunc non fuerint inventi scripti in libro vitæ, in stagnum ignis mittantur.* Ibid.
XL. *Quòd in igne impiorum corpora durent absque sui consumptione.* 67.
XLI. *Quomodo dæmones futurus ille ignis exuret.* Ibid.
XLII. *De diversitate pœnarum, pro diversitate meritorum.* Ibid.
XLIII. *Contra illos qui scrupulosissimè quærunt, qualis sit ille ignis futurus, vel in qua mundi parte haberi possit.* 68.
XLIV. *Quòd post damnationem impiorum sequatur remuneratio electorum.* Ibid.
XLV. *Quòd peracto iudicio, transiet forma servi in qua iudicium Christus agitabit, et sic tradet Christus regnum Deo et Patri.* Ibid.
XLVI. *De conflagratione ignis, qua mundus hic dicitur interire.* 69.
XLVII. *Quòd finito iudicio incipiat esse cælum novum, et terra nova.* Ibid.
XLVIII. *Quòd in cælo novo, et terra nova non omnes resurgentes, sed sanctis futuri sunt.* Ibid.
XLIX. *Contra eos qui dicunt, si post factum iudicium erit conflagratio mundi, ubi tunc esse poterunt sancti, qui non contingantur flamma incendii.* 70.
L. *De remuneratione sanctorum, et regno, cum Christus præcinget se, et transiens ministrabit suis.* Ibid.
LI. *Quòd mali tunc nesciant quid agatur in gaudio beatorum, boni tamen sciant quid agatur in suppliciis miserorum.* 71.
LII. *Quòd in isto corpore in quo modo sumus, in cælis tunc et portari et habitare possimus.* Ibid.
LIII. *Utrum subtiliores tunc motus corporis habeamus, an tales erunt, sicut modò haberi videntur.* Ibid.
LIV. *Utrum per corporeos oculos istos quibus nunc cernimus solem et lunam, videatur tunc Deus.* Ibid.
LV. *Quòd ea visione tunc Deum videbimus, qua nunc eum Angeli vident.* 73.
LVI. *Quòd arbitrii libertate multo plus firmiori quàm in hac vita omnes sancti usuri sunt, in qua tamen peccare non poterunt.* Ibid.
LVII. *Quòd ibi oblivionem pariter et recordationem habebimus.* 74.
LVIII. *De diversitate meritorum, et præmiorum, in qua tamen nullus sit alii invisurus.* Ibid.
LIX. *Quòd infatigabiliter Deum laudabunt sancti.* 75.
LX. *Quòd sine fine Dominum videbimus, et quòd ipse sit finis desideriorum nostrorum.* Ibid.
LXI. *Quòd ipse Dominus tunc nobis erit in præmium, et quòd tunc honesta nostra desideria mirificè impleantur.* Ibid.
LXII. *De fine sine fine in quo infinitè Dominum laudabimus.* Ibid.

Monitum in Apologeticum. 76.

SANCTI IULIANI
ARCHIEPISCOPI TOLETANI

Liber Apologeticus de tribus capitulis. 77.

Monitum in Libros de Comprobatione ætatis sextæ. 88.

SANCTI IULIANI
ARCHIEPISCOPI TOLETANI

DE COMPROBATIONE ÆTATIS SEXTÆ
Libri 3.

Oratio. 88.
Ervigio regi Iulianus. 89.

De

De Comprobatione sextæ ætatis
Liber primus. 92.
Liber secundus. 112.
Liber tertius. 123.
Prima ætas. 135.
Secunda ætas. 136.
Tertia ætas. Ibid.
Quarta ætas. 137.
Quinta ætas. Ibid.
Sexta ætas. 138.

SANCTI IULIANI
EPISCOPI TOLETANI
ANTIKEIMENON LIBRI DUO.

In sequens opusculum Andreæ Scoti Præfatio. 139.
In præsentem editionem monitum nostrum. 140.
Locorum in speciem pugnantium Index Alphabeticus. a fol. 142. usq. 153.

ANTIKEIMENON LIBER PRIMUS.

Quæstiones ex veteri Testamento in speciem pugnantes.

EX LIBRO GENESEOS.

Ex cap. 1. *v.* 14. *Interrogatio* 1. *cum responsione.* 153.
v. 24. *Interrogatio* 2. 154.
v. 25. *Interrogatio* 3. Ibid.
v. 26. *et* 27. *Interr.* 4. 155.
v. 31. *Interrogatio* 5. 156.
v. 31. *Interrogatio* 6. Ibid.
v. 31. *Interrogatio* 7. Ibid.
Ex cap. 2. *v.* 2. *Interrogatio* 8. 157.
v. 2. *Interrogatio* 9. 158.
v. 5. *Interrogatio* 10. Ibid.
v. 7. *Interrogatio* 11. Ibid.
v. 21. *et* 22. *Interr.* 12. 159.
Ex cap. 3. *v.* 16. *Interrogat.* 13. Ibid.
Ex cap. 6. *v.* 3. *Interrogat.* 14. Ibid.
Ex cap. 7. *v.* 2. *Interrogat.* 15. 160.
Ex cap. 9. *v.* 4. *Interrogat.* 16. Ibid.
Ex cap. 15. *v.* 13. *Interrog.* 17. Ibid.
v. 16. *Interrog.* 18. 162.
Ex cap. 25. *v.* 23. *Interrog.* 19. Ibid.
Ex cap. 32. *v.* 30. *Interrog.* 20. Ibid.
Ex cap. 46. *v.* 27. *Interrog.* 21. 163.
Ex cap. 49. *v.* 10. *Interrog.* 22. 164.

EX LIBRO EXODO.

Exod. 3. 5. *Interrogatio* 23. Ibid.
Exod. 3. 14. *Interrogatio* 24. 165.
20. 8. *&c. Interrog.* 25. 166.
20. 22. *Interrogatio* 26. Ibid.
20. 12. *Interrogatio* 27. 167.
34. 7. *Interrogatio* 28. Ibid.

EX LIBRO LEVITICO.

Levit. 1. 2. *Interrogatio* 29. 168.
2. 11. *Interrogatio* 30. Ibid.
8. 7. *Interrogatio* 31. Ibid.
21. 1. *Interrogatio* 32. 169.
19. 18. *Interrogatio* 33. 170.

EX LIBRO NUMERI.

Num. 23. 19. *Interrogatio* 34. Ibid.

EX LIBRO DEUTERONOMII.

Deut. 6. 13. *Interrogatio* 35. 172.
6. 13. *Interrogatio* 36. Ibid.
7. 14. *in cod. Græcis Interrogatio* 37. 173.
13. 3. *Interrogatio* 38. Ibid.

EX LIBRIS REGUM.

1. *Reg.* 2. 30. *Interrogatio* 39. 174.
4. *Reg.* 2. 11. *Interrogatio* 40. Ibid.

EX ISAIA.

Isai. 19. 20. *Interrogatio* 41. 175.
53. 2. 3. *Interrogatio* 42. Ibid.
53. 8. *Interrogatio* 43. Ibid.
53. 9. *Interrogatio* 44. Ibid.
58. 1. *Interrogatio* 45. 176.
61. 1. *Interrogatio* 46. Ibid.

EX IEREMIA.

Ier. 7. 18. 19. *Interrogatio* 47. Ibid.
20. 9. *Interrogatio* 48. 177.
17. 1. *Interrogatio* 49. Ibid.

EX EZECHIELE.

Ezech. 1. 9. 14. *Interrogat.* 50. Ibid.
3. 3. *Interrogat.* 51. 178.
18. 24. *et* 33. 12. 13. *Interrogat.* 52. Ibid.
20. 25. *Interrogat.* 53. 179.
40. 44. *Interrogat.* 54. Ibid.

EX DANIELE.

Dan. 1.	5.18.	*Interrogatio* 55.	180.
	1. 21.	*Interrogatio* 56.	Ibid.
	4. 22.	*Interrogatio* 57.	181.
	8. 15.16.	*Interrogatio* 58.	Ibid.

EX PROPHETIS MINORIBUS.

Oseæ	8. 4.	*Interrogatio* 59.	181.
Amos	7. 14.	*Interrogatio* 60.	182.
Zach.	12. 10.	*Interrogatio* 61.	Ibid.

EX LIBRO PSALMORUM.

Psalm.	4. 5.	*Interrogat.*62.	183.
	15. 9. 10.	*Interrogat.*63.	Ibid.
	17. 6.	*Interrogat.*64.	Ibid.
	21. 3.	*Interrogat.*65.	184.
	24. 10.	*Interrogat.*66.	Ibid.
	29. 7.8.	*Interrogat.*67.	Ibid.
	31. 5.	*Interrogat.*68.	185.
	33. 2.	*Interrogat.*69.	Ibid.
	33. 7.	*Interrogat.*70.	Ibid.
	37. 13.	*Interrogat.*71.	187.
	43. 23.	*Interrogat.*72.	Ibid.
	44. 11.	*Interrogat.*73.	Ibid.
	49. 14.	*Interrogat.*74.	188.
	49. 16.	*Interrogat.*75.	Ibid.
	52. 4 5.	*Inter. Aug.*76.	189.
	54. 16.	*Interrogat.*77.	Ibid.
	61. 12.	*Interrogat.*78.	190.
	68. 4.	*Interrogat.*79.	Ibid.
	68. 3.	*Interrogat.*80.	191.
	71. 18.	*Interrogat.*81.	Ibid.
	74. 9.	*Interrogat.*82.	192.
	84. 2.*&c.*	*Interrog.*83.	193.
	85. 15.	*Interrogat.*84.	Ibid.
	85. 11.	*Interrog.*85.	Ibid.
	88. 36.37.*&c.*	*Interr.*86.	194.
	88. 49.	*Interrog.*87.	196.
	88. 7.	*Interrog.*88.	197.
	109. 5.	*Interrog.*89.	Ibid.
	100. 5.	*Interrog.*90.	Ibid.
	106. 38.39.	*Interrog.*91.	198.
	113. 17.	*Interrog.*92.	Ibid.
	115. 11.	*Interrog.*93.	199.
	118. 3.	*Interrog.*94.	Ibid.
	118. 11.12.	*Interrog.*95.	201.
	118. 13.	*Interrog.*96.	202.
	118. 102.	*Interrog.*97.	203.
	118. 96.	*Interrog.*98.	Ibid.
	135. 6.	*Interrog.*99.	204.
	142. 2.	*Interrog.*100.	Ibid.
	144. 3.	*Interrog.*101.	205.
	144. 18.	*Interrog.*102.	Ibid.

EX LIBRIS SAPIENTIÆ.

Prov. 1.	28.	*Interrogat.*103.	206.
	2. 19.	*Interrogat.*104.	Ibid.
	5. 16.17.	*Interrogat.*105.	207.
	7. 2.*sec.*70.	*Interrogat.*106.	Ibid.
	13. 21.	*Interrogat.*107.	208.
	13. 25.	*Interrogat.*108.	Ibid.
	21. 1.	*Interrogat.*109.	Ibid.
	27. 2.	*Interrogat.*110.	209.
Eccl. 1.	4.	*Interrogat.*111.	Ibid.
	8. 3.	*Interrogat.*112.	210.
Cant. 6.	8.	*Interrogat.*113.	210.
Sap. 1.	7.	*Interrogat.*114.	211.
		*Interrogat.*115.	Ibid.
Sap. 12.	15.	*Interrogat.*116.	212.
Eccli. 4.	25.	*Interrogat.*117.	Ibid.
	7. 15.	*Interrogat.*118.	Ibid.
	10. 15.	*Interrogat.*119.	213.
	12. 1.	*Interrogat.*120.	214.
	12. 5.6.	*Interrogat.*121.	215.
	12. 10.	*Interrogat.*122.	216.
	14. 1.	*Interrogat.*123.	Ibid.

EX LIBRO IOB.

Iob 1.	6.	*Interrogat.*124.	Ibid.
	7. 20.	*Interrogat.*125.	217.
	7. 16.	*Interrogat.*126.	Ibid.
	9. 28.*&c.*	*Interrogat.*127.	218.
	5. 6.	*Interrogat.*128.	Ibid.
	12. 16.	*Interrogat.*129.	219.
	13. 16.	*Interrogat.*130.	220.
	13. 15.	*Interrogat.*131.	Ibid.
	14. 12.	*Interrogat.*132.	Ibid.
	19. 25.26.	*Interrogat.*133.	221.
	24. 12.	*Interrogat.*134.	Ibid.
	25. 2.	*Interrogat.*135.	222.
	25. 3.	*Interrogat.*136.	223.
	40. 10.	*Interrogat.*137.	223.
	42. 6. 7.	*Interrogat.*138.	224.

ANTIKEIMENON LIBER SECUNDUS.

Quæstiones ex novo Testamento.

EX EVANG. SECUNDUM MATTHÆUM.

Matth. 6.	1.	*Interrog.* 1.	224.
	6. 13.	*Interrog.* 2.	225.
	7. 21.	*Interrog.* 3.	Ibid.
	10. 28.	*Interrog.* 4.	226.
	10. 23.	*Interrog.* 5.	Ibid.
	10. 10.	*Interrog.* 6.	228.
	12. 35.	*Interrog.* 7.	Ibid.

In-

8. 29. *Interrog.* 8. 229.
18. 10. *Interrog.* 9. Ibid.
19. 16. 17. *Interrog.* 10. 230.
23. 9. *Interrog.* 11. Ibid.
26. 43. *Interrog.* 12. 231.
27. 34. 48. *Interrog.* 13. Ibid.
28. 20. *Interrog.* 14. 232.
28. 19. *Interrog.* 15. Ibid.
ubi supr. *Interrog.* 16. 233.

EX EVANG. SECUNDUM MARCUM.

Marc. 1. 6. *Interrogat.* 17. Ibid.
16. 19. *Interrogat.* 18. 234.

EX EVANG. SECUNDUM LUCAM.

Luc. 1. 32. *Interrogat.* 19. Ibid.
14. 26. *Interrogat.* 20. Ibid.

EX EVANG. SECUNDUM IOANNEM.

Ioan. 1. 21. *Interrogat.* 21. 235.
1. 29. *Interrogat.* 22. Ibid.
3. 13. *Interrogat.* 23. 236.
6. 64. *Interrogat.* 24. Ibid.
8. 50. *Interrogat.* 25. 237.
8. 37. 44. *Interrogat.* 26. Ibid.
9. 39. *Interrogat.* 27. Ibid.
9. 41. *Interrogat.* 28. 238.
10. 16. *Interrogat.* 29. Ibid.
10. 30. *Interrogat.* 30. Ibid.
12. 39. 40. *Interrogat.* 31. Ibid.
14. 27. *Interrogat.* 32. 239.
15. 15. *Interrogat.* 33. 240.
16. 16. *Interrogat.* 34. Ibid.
18. 20. *Interrogat.* 35. 241.

EX EPISTOLIS B. PAULI APOSTOLI.

Ex Epistol. ad Romanos.
1. 3. *Interrog.*36. Ibid.
3. 9. *Interrog.*37. 242.
3. 9. *Interrog.*38. 243.
3. 31. *Interrog.*39. Ibid.
4. 15. *Interrog.*40. 244.
7. 9. *Interrog.*41. Ibid.
7. 12. *Interrog.*42. 245.
5. 13. *Interrog.*43. Ibid.
7. 15. *Interrog.*44. Ibid.
8. 15. *Interrog.*45. 246.
8. 23. *Interrog.*46. Ibid.
8. 31. *Interrog.*47. Ibid.
13. 1. *Interrog.*48. 247.
15. 2. *Interrog.*49. Ibid.

Ex Epist. 1. *ad Corinth.*
1. 4. *Interrog.*50. Ibid.
6. 10. *Interrog.*51. 248.
12. 4. 11. *Interrog.*52. 249.
15. 10. *Interrog.*53. Ibid.
Ex Epist. 2. *ad Corint.*
10. 3. *Interrog.*54. 250.
5. 19. *Interrog.*55. Ibid.
Ex Epist. ad Galat.
1. 10. *Interrog.*56. 251.
1. 17. *Interrog.*57. Ibid.
2. 20. *Interrog.*58. 252.
v. 2. *Interrog.*59. 253.
5. 2. *Interrog.*60. 254.
6. 1. *Interrog.*61. 255.
6. 2. 5. *Interrog.*62. Ibid.
6. 14. *Interrog.*63. Ibid.
Ex Epist. ad Ephes.
1. 22. *Interrog.*64. Ibid.
5. 1. *Interrog.*65. 256.
6. 11. *Interrog.*66. Ibid.
Ex Epist. ad Philip.
1. 21. 23. *Interrog.*67. 257.
3. 22. 15. *Interrog.*68. Ibid.
Ex Epist. 1. *ad Thessal.*
4. 15. 16. *Interrog.*69. 258.
Ex Epist. 1. *ad Timoth.*
1. 9. *Interrog.*70. 259.
2. 4. *Interrog.*71. Ibid.
2. 12. *Interrog.*72. 260.
6. 16. *Interrog.*73. Ibid.
Ex Epist. 2. *ad Timoth.*
2. 14. *Interrog.*74. 261.
4. 2. *Interrog.*75. Ibid.
Ex Epist. ad Hebr.
4. 13. *Interrog.*76. 262.
Ex Epist. Cathol. B. Iacobi Ap.
2. 17. 20. 26. *Interrog.*77. Ibid.
Ex Epist. 1. *B. Petri Ap.*
1. 12. *Interrog.*78. 263.
Ex Epist. 1. *B. Ioan. Ap.*
2. 7. *Interrog.*79. 264.
3. 9. *Interrog.*80. Ibid.
4. 18. *Interrog.*81. 265.
3. 9. *Interrog.*82. Ibid.
Ex Actibus Apost.
1. 3. *Interrog.*83. Ibid.

Monitum in Comment. Nahum. 266.

COMMENTARIUS IN NAHUM PROPHETAM.

Præfatio. 268.
Incipit expositio. 272.
Monitum in vitam S. Ildephonsi. 322.
Vita S. Ildephonsi. 323.

Mo-

Monitum in Orationes. 325.
Orationes a S. Iuliano compositæ. 326.
Monitum in Historiam rebellionis Pauli. 327.

HISTORIA REBELLIONIS PAULI ADVERSUS WAMBAM.

Epistola Pauli Wambano Principi. 330.
Incipit historia rebellionis. Ibid.
Incipit insultatio vilis Storici in tyrannidem Galliæ. 372.
Iudicium in tyrannorum perfidia promulgatum. 375.

APPENDIX OPERUM SUPPOSITORUM SANCTO IULIANO.

Monitum. 385.
Chronica Regum Wisigothorum. Ibid.
Monitum in Carmina. 387.
Carmina B. Iuliano tributa. Ibid.
Epitaphia S. Iuliano tributa. 389.
Monitum. Ibid.
Epitaphia. Ibid.

D. EULOGII MARTYRIS ELECTI ARCHIEPISCOPI TOLETANI *OPERA OMNIA.*

Monitum. 391.
Monitum Ambrosii Moralis editioni Complutensi præfixum. 393.

VITA VEL PASSIO BEATISSIMI MARTYRIS EULOGII Auctore Alvaro Cordubensi.

Præfatio. 394.
CAP. I. *S. Eulogii pia educatio, studia, sacerdotium, titulus Doctoris, notitia cum Alvaro vitæ scriptore.* 395.
II. *S. Eulogii captivitas, liberatio, Martyribus constantia data: acta conscripta.* 397.
III. *S. Eulogii doctrina, et virtus, peregrinatio, electio in Archiepiscopum Toletanum.* 399.
IV. *Nova in christianos sub rege Mahomete persecutio. S. Leocritia ab Eulogio eiusque sorore instructa et adiuta.* 401.
V. *Martyrium S. Eulogii, et Leocritiæ. Corporum sepultura.* 403.
VI. *Alvari Scriptoris erga S. Eulogium affectus et invocatio.* 406.
Hymnus in diem S. Eulogii. 408.
Translatio corporis S. Eulogii. 410.
Epitaphium S. Eulogii. 411.
Oratio Alvari. Ibid.
Scholia Ambrosii Moralis in Divi Eulogii vitam. Ibid.
Scholia in Hymnum et Epitaphia. 415.

DIVI EULOGII MARTYRIS MEMORIALIS SANCTORUM Libri 3.

Epist. D. Eulogii ad Alvarum Cordubensem. 419.
Rescriptum Alvari ad Eulogium. 421.
Præfatio in primum librum Memorialis Sanctorum. 423.
Liber primus Memor. Sanctorum. 426.

LIBER SECUNDUS MEMORIALIS SANCTORUM.

Præfatio in librum secundum. 453.
CAP. I. *De Perfecto Presbytero Cordubensi martyre.* 454.
II. *De Isaac Monacho martyre.* 458.
III. *De Sanctio martyre.* 459.
IV. *De Petro, Walabonso, Sabiniano, Wistremundo, Habentio, et Hieremia martyribus.* Ibid.
V. *De Sisenando Levita martyre.* 460.
VI. *Pauli Diaconi Cordubensis, et Theodemiri Monachi martyrium.* 461.
VII. *Nunilo et Alodia virgines et martyres.* 462.
VIII. *Vitam continet et passionem Sanctarum Virginum Floræ et Mariæ.* 525.
IX. *Gumesindus Toletanus, et Servus Dei Cordubæ passi.* 465.
X. *De Sanctis Martyribus Aurelio, Felice, Georgio, Sabigothone, et Liliosa.* 465.

X. *Christophorus, et Leovigildus Monachi martyres.* 481.
XI. *Emila, et Hieremias martyres.* 482.
XII. *De Rogello, et Servio-Deo martyribus.* Ibid.
XIII. *Consilium Christianos dispersendi, quòd Rex cum proceribus iniit.* 484.
XIV. *Christianorum perturbatio, et eorumdem variæ sententiæ in Concilio Episcoporum Cordubæ congregato.* Ibid.
XV. *Habdarrahgman rex subitò moritur, filius eius Mahomad in regno succedit.* 486.
Obsecratio ad Christum eiusdem Eulogii in complementum libelli. 487.

LIBER TERTIUS
MEMORIALIS SANCTORUM.

Præfatio. 489.
CAP. I. *Initium regni Mahomad regis.* 490.
II. *Prævaricatio illius Exceptoris, qui pridem sanctos anathematizari compulerat.* Ibid.
III. *Destructio Basilicarum.* 491.
IV. *De seditione provinciarum.* Ibid.
V. *De odio suorum adversum regem, et de ipsius avaritia, et de tributis christianis impositis.* Ibid.
VI. *De insultatione procerum contra martyres.* 493.
VII. *De Fandila martyre.* Ibid.
VIII. *Gesta Anastasii, Felicis, et Dignæ martyrum.* 494.
IX. *Benildis matrona martyr.* 496.
X. *Sancta Columba martyr.* Ibid.
XI. *Pomposa virgo et martyr.* 501.
XII. *Abundius presbyter, et martyr.* 503.
XIII. *Martyrium Sanctorum Amatoris, Petri, et Hludovici.* 504.
XIV. *De Witesindo martyre.* Ibid.
XV. *Heliæ Presbyteri, Pauli et Isidori monachorum martyrum.* Ibid.
XVI. *De Argimiro monacho et martyre.* Ibid.
XVII. *De Aurea virgine et martyre.* 505.

DOCUMENTUM MARTYRIALE.

Epistola Eulogii ad Alvarum. 509.
Alvari ad Eulogium. Ibid.
Proœmium. 511.
Documentum martyrii Floræ, et Mariæ dicatum. 512.
Oratio Eulogii ad supradictas Virgines. 524.
Vita, et passio Sanctarum Virginum Floræ et Mariæ. 525.

S. EULOGII EPISTOLÆ.

Ad Alvarum. 533.
Ad Baldegothonem. 535.
Ad Wiliesindum. Ibid.

APOLOGETICUS MARTYRUM.

Argumentum Operis. 542.
Prologus. 543.
Textus Opusculi. 544.

SCHOLIA AMBROSII MORALIS
IN OMNIA DIVI EULOGII OPERA.

In præfationem Memorialis Sanctorum. 561.
Scholia in librum primum. 562.
Scholia in librum secundum. 568.
Scholia in librum tertium. 582.

Scholia in Documentum Martyriale.

Scholia in Epistolam ad Alvarum. 586.
Scholia in Epistolam Alvari ad Eulogium. 587.
Scholia in Documentum. Ibid.
Scholia in Vitam et Passionem Sanctarum Virginum Floræ et Mariæ. 588.
Scholia in Epistolam ad Alvarum de martyrio earumdem Virginum. Ibid.
Scholia in Epistolam ad Episcopum Pampilonensem. 589.
Scholia in Apologeticum. 594.

Epistolæ Dedicatoriæ editioni Ambrosii Morales præfixæ.

Ad Philippum Secundum. 596.
Ad Ecclesiam civitatemque Cordubensem. 597.
Ad Petrum Pontium Leonis. 599.
De vocabulis fictis et novatis, et toto D. Eulogii sermone. 600.
Qui status christianæ religionis Cordubæ sub Arabum imperio Divi Eulogii tempore fuerit. 601.

Chro-

Chronologiæ ratio in his annis continuata, qui in Divi Eulogii vita, historia, et epistolis continentur. 604.
De Cordubæ urbis origine, situ, et antiquitate. 607.

APPENDIX AD OPERA S. EULOGII.

In sequentem Appendicem Monitum. 619.

De translatione Sanctorum Martyrum Georgii Monachi, Aurelii, et Nathaliæ, ex urbe Corduba Parisios.

Observationes præviæ Mabillonii. 620.
Præfatio translationis. 621.
Translatio Sanctorum Martyrum Cordubensium, seu liber primus translationis. Ibid.
Incipit liber primus de miraculis Sanctorum Martyrum, qui est translationis secundus. 626.
Incipit prologus libri secundi miraculorum. 628.
Incipit liber secundus miraculorum, qui est translationis tertius. Ibid.

EPISTOLÆ DUÆ.

Epistola Alvari Abbati Speraindeo directa. 638.
Responsio Abbatis Alvaro directa. 638.
Respondet ad primam partem interrogationis Alvari. 639.
Respondet ad secundam partem interrogationis Alvari. 641.

SAN-

SANCTI IULIANI TOLETANI ANTISTITIS *OPERA OMNIA.*

IULIANI TOLETANI VITA SEU ELOGIUM

FELICE TOLETANO ETIAM ANTISTITE AUCTORE.

MONITUM.

Quod nos aliquando facturos promisimus in prioris Tomi præfatione, et verò fecimus in S. Ildephonsi vita, ut PP. Toletanorum gesta, vitæque historiam non proprio stilo persequeremur, sed nonnumquam vetustiora aliorum de illis testimonia produceremus, quæ firmiorem facerent fidem, id ipsum in præsentiarum efficimus, S. Iuliani Toletani vitam ex Felice Archiepiscopo item Toletano transcribentes, qui elogium eius adiecit ad S. Ildephonsi librum de Viris illustribus, *iam sæpius laudatum. Neque enim erat, cur nostram huius narrationi præferremus, quæ cætera omnia testimonia et antiquitate, et auctoritate longe superat. Habet enim antiquitatis, quantum desiderari potest, cum a Felice conscriptum sit, Iuliani coëtaneo, omniumque fere, quæ narrat, oculato teste, atque callente adhuc memoria hæc de Iuliano scribenti. Auctoritatis verò habet non minus, cùm ab eo viro testimonium proficiscitur, qui Iuliano ipsi post Sisbertum in Episcopatu successit, Ecclesiamque Toletanam septem annos summa cum laude gubernavit, mortuus anno 700. aut circiter. Accedit etiam, quod in huiuscemodi monumentis multùm valet, non ad unum, sed ad quamplurimos MSS. codices exactum hoc elogium a nobis in lucem proferri, mirè inter se consentientes, in designanda præsertim eius vitæ Chronologia, ut optimè animadvertit P. Florez tom. V. Hispaniæ sacræ de Iuliano agens, cuius editionem repræsentamus. Nos ergo in eo non tantùm quod*

corrigeremus, non vidimus, sed eius potius verbis nonnullos errores de Iuliani rebus profligavimus, atque quasi adhibita luce dissipavimus in notis adiectis, quæ in eo fere versantur omnes. VALE.

Iulianus (1) discipulus Eugenii (2) secundi, Carthaginis Provinciæ Metropolitanus, post beatæ memoriæ Quiricum quarto in loco præceptorem suum sequens, urbis regiæ pontificale culmen adeptus est: cuius videlicet civitatis proprius civis extitit (3), atque in eiusdem urbis principali Ecclesia sacrosancti baptismatis fluentis est lotus, et illic ab ipsis rudimentis infantiæ enutritus.

2 Denique dum ad puerilis formæ devenisset ætatem, sanctæ memoriæ collegæ sui Gudilanis Levitæ ita sociali vinculo est innexus, et individuæ caritatis unione coniunctus, ut et ambos inviolabilis caritas unum esse ostenderet, et unitas in ambobus præfixa non duas animas, sed unam his inesse monstraret. Tanta itaque erat inter eos adeptæ unanimitatis communio, ut secundùm Actuum Apostolorum historiam in duobus corporibus unum cor tantùm putaretur, et anima una: sistebant quippe in consilio providi, et in definitione uni, in laudabili operatione concordes: quique divino afflante Spiritu theoreticæ, id est, contemplativæ

(1) In ipso vestibulo multorum error occurrit, qui Iulianum nostrum *Pomerium* appellatum, eumdemque cum Iuliano Africano fuisse putaverunt, nominis similitudine decepti. De quo vix iam hoc tempore monendus est lector vel minimus eruditus, qui quantum inter utrumque distet non ignorabit. Iulianus siquidem Pomerius e Mauritania Africæ provincia oriundus, sub Marciano Imperatore floruit medio sæculo V. scilicet duobus ante Iulianum nostrum sæclis: itaque non semel ab hoc laudatur ille in libro *Prognosticon*, cuius libri similem alium sub eodem titulo conscripsisse Africanum dicitur: unde error de utriusque indistinctione mirificè confirmatus est. Lector itaque, si sapit, utrumque distinguet, atque a S. Iuliano Toletano cognomen *Pomerii* falsò illi adscriptum avertet, quod in MSS. sæculo XII. antiquioribus frustra requiret.

(2) Sanctum Eugenium, quem nos tertium computamus, præceptorem S. Iuliani fuisse, testatur ipse non semel in opere *Prognosticon* pag. 58. et 59. his verbis: *Præceptor noster sacer Eugenius.* Quare verò eum secundum appellet Felix, vix erit quem lateat. Nempe Gothis hominibus ignotus fuit S. Eugenius primus Ecclesiæ Toletanæ Parens, atque Fundator, quem Galli a decem fere sæculis, nos verò sexcentis et amplius abhinc annis colimus, quemadmodum ex Ioanne Bapt. Perez adnotavimus in superiori volumine ad librum *de Viris illustribus*, pag. 289. Qua de re plura verba faciemus, cum in lucem proferemus catalogum Præsulum Toletanorum, quem promisimus tomo primo ad vitam Montani: opportunaque occasione arrepta, tres Eugenios Ecclesiæ Toletanæ vindicabimus adversus Bolandianos, Tillemontium, aliosque immeritò repugnantes.

(3) Præter Iuliani patriam, quam Toletum apertissimè hoc loco dicit Felix, de eius genere, parentibusque, nihil omnino commemorat. Caveat itaque Lector, ut facilè Isidoro Pacensi credat scribenti Iulianum e Iudæa gente, quasi rosam inter spinas, ortum fuisse: e quibus enim monumentis illud acceperit, adhuc ignoramus. Forsan autem Pacensis in hoc offendit, uti in multis aliis, quæ de S. Ildephonso scribit, Historicus ceteroqui veritatis studiosus. Nisi illud credere malimus fuisse nonnullos, qui quòd extiterit in Hispania Rabbi quidam Pomerius, sive Pomarius dictus, quo cognomine Iulianum nostrum falsò ab aliquibus appellatum superius diximus, nunc propter huius cognominis cum Iudæi nomine affinitatem, Iudæum etiam Iulianum nostrum crediderint, ex turpi errore, ut fit, turpiorem alium elicientes.

væ quietis, delectati sunt perfrui bono, et monasticæ institutionis constringi repagulo.

3 Sed quia aliter in superni numinis fuit iudicio, eorum est nihilominus frustrata devotio. Quamquam tamen minimè peregissent desiderati itineris cursum (4), non tamen desierunt a piæ devotionis studio. Et dum sibi mallent tantum prodesse per fugam, cœperunt postmodum proximorum salute votis gliscentibus niti. Erant enim in subditis docendis operosæ virtutis, in profectu eorum desiderabiles, in servirtute Dei ferventes, in desiderio decoris domus Domini strenui, in seniorum obedientia præsto, atque si fieri posset, ut omnium emolumentorum obtinerent virtutum, animis ferventioribus studebant. Igitur divinorum iudiciorum dispensatione, sanctæ recordationis Gudila Diaconus sexto idus Septembris funestæ mortis eventu, anno octavo Wambanis Principis sub digna confessione Dei clausit supremum curriculum, cuius corpusculum in Monasterio S. Felicis, quod est (5) Cabensi in villula dedicatum, dilectissimi socii sui exhibitione honorificè requiescit humatum.

4 Post eius itaque discessum aliquantula intercapedine temporum, post sanctæ memoriæ Quiricum idem egregius Iulianus præfatæ urbis est unctus primatu, tanto laudis titulo prædicandus, quanto diversarum virtutum ope suffultus, suis temporibus mirificè composuit Ecclesiam Dei. Quinimmo ut ex quo tempore clarescere cœperit, per hunc textrinum, et telam stamine piæ relationis pandam. Post decessoris sui obitum divinæ memoriæ Ildefonsi, a decimo septimo fermè anno Reccesvinthi Principis, necnon et per omne Wambanis Imperii tempus usque ad tertium regni gloriosissimi Egicanis Regis annum, in Levitici, Presbyterii, ac Pontificatus honore consistens, celebre nomen obtinuit. (6)

(4) Qui S. Iulianum Monachis adnumerarunt, ut Arnoldus Wion in *Ligno vitæ*, et Hugo Menardus in *Menologio Benedictino*, fortè in hæc Felicis verba numquam intenderunt animum, quibus apertissimè testatur, monasticam vivendi rationem in votis habuisse; repugnante tamen Deo, atque ad aliud vitæ, et conversationis genus evocante, votorum suorum numquam compotem factum fuisse.

(5) Octavo (non decimo, ut ait Papebrochius) ab urbe Toletana milliario ad Australem Tagi ripam, locus est *Valdecaba* nominatus, quem hìc a Felice significari, arbitratur idem Papebrochius. Sed in tanta temporum longinquitate, simul et locorum, nominumque perturbatione, sicut non est difficile mille coniecturas facere, ita pronum est decipi.

(6) Si lector expendat tempus a Iuliano in inferiorum ordinum gradibus exactum secundùm Felicis testimonium, ante quàm ad Episcopatum assumptus fuerit, deprehendet profectò ante annum 667. quo supremum diem obiit S. Ildephonsus, Iulianum in Diaconatus gradu constitisse, quippe qui ab eo tempore *in Levitici, Presbyterii, ac Pontificatus honore* clarere cœpit. Quo magis mirabitur, qui scribi potuerint, quæ in Breviario Ecclesiæ Bracharensis, novissimè aucto anno 1708. leguntur ad diem 8. Martii, in lectionibus secundi Nocturni, quibus vita S. Iuliani Toletani continetur. Dicitur enim, Iulianum antequam ad Ecclesiam Toletanam accerseretur in Quirici locum, Bracharensi totos 13. annos præfuisse: ipsumque eumdem esse Iulianum, qui Concilio III. Bracharensi subscripsit his verbis: *Ego Leodicisius, cognomento Iulianus.* Nullam ad-

5 Fuit enim vir timore Domini plenus, prudentia summus, consilio cautus, discretionis bono præcipuus, eleemosynis nimium deditus, in relevatione miserorum promptissimus, in suffectu oppressorum devotus, in interveniendo discretus, in negotiis dirimendis strenuus, in providendis iudiciis æquus, in sententia parcus, in vindicatione iustitiæ singularis, in disceptatione laudabilis, in oratione iugis, in divinarum laudum exolutione mirabilis. Quod si forsan in officiis divinis quidquam, ut solet, difficultatis occurreret, ad corrigendum facillimus, pro sacris luminibus vehementer admonitus, in defensione omnium Ecclesiarum eximius, in regendis subditis pervigil, in comprimendis superbis erectus, in sustentatione humilium apparatus, debita auctoritate munificus, amplectendæ humilitatis bono opimus, ac generaliter universa morum probitate conspicuus, in pietate affluens, ut non esset cui in angustiis constituto non subvenire vellet; ita unius caritatis exuberans, ut non a se boni quidpiam cuique postulanti ex caritate præstare desisteret: sic denique se Deo carum maluit exhibere in omnibus, et præstabilem hominibus cunctis ostendere, ut et illi usquequaque placeret, et hominibus propter Deum, si fieri potest, devota satisfaceret mente. Tanto nobilium præcedentium virorum dignis meritis coæquans, quanto ab eis in nullo virtutum corpore extitit infimus.(7)

6 Ecclesiasticos itaque bene habitos ordines in sui regiminis sede sollicitiori cura servavit; vitiatos utiliter subcorrexit: minus habitos prudenti dispositione instituit, ac de officiis quam plurima dulcifluo sono composuit. At nunc, quoniam Sancti Spiritus ubertate repletus, et irrigui fontis affluentia præditus fulxit, summam librorum eius, quos per eum Deus ad utilitatem Ecclesiæ suæ deprompsit, istinc lector addisce.

7 Conscripsit etenim librum Pro-

adhuc vidimus fabulam ineptiùs confictam, minusque cum historiæ veritate cohærentem. Si enim tredecim annis ante Quirici obitum Episcopus Bracharensis erat Iulianus, id scilicet vivente adhuc Ildephonso contigisse oportuit. At verò testatur Felix, post huius excessum in Levitici, et Presbyterii gradibus stetisse. Deinde octavo Wambæ Regis anno, Toleti degebat Iulianus, ubi familiarissimi sui Gudilæ Levitæ funus curavit: Concilium autem Bracharense III. ante tres annos celebratum fuerat; octavus enim regis Wambæ annus incidit in annum 679. Concilium verò illud celebratum fuit anno 675. ut notum est. Ad hæc, qui prædicto Concilio subscripsit, non Iulianus nomine, sed Leodicisius cognomento Iulianus appellatur. Sed neque prædictus Leodicisius umquam inter Sanctos viros relatus est. Restat ergo ut apertissimum crassissimumque errorem esse dicamus; quem errorem optaremus ab his corrigi, quorum est invigilare, ut in Sanctorum historiis, quæ in Ecclesia leguntur, una veritas dominetur, fabulæque omnes quàm longissimè absint.

(7) Papæ! Quantus vir apparet Iulianus in hac Felicis narratione! Nulla prorsus virtus, sive privatam, sive publicam vivendi rationem spectes, in eo desiderabatur. Qui verò singillatim cognoscere velit internæ pietatis sensus quibus interdum animo afficiebatur, in divinarum rerum meditatione defixus, legat attentè eiusdem Epistolam ad Idalium Barchinonensem Episcopum, eius opusculo, quod *Prognosticon futuri sæculi* inscribitur, præfixam.

Prognosticorum futuri sæculi ad beatæ memoriæ Idalium Episcopum directum, habentem in capite epistolam, quæ ipsi est directa, et orationem. (8) Cuius codicis opus discretum in tribus libris habetur. Ex quibus primus de origine mortis humanæ est editus : secundus de animabus defunctorum, quomodo sese habeant ante suorum corporum resurrectionem : tertius de suprema corporum resurrectione. Item librum responsionum ad quem supra directum in defensionem canonum et legum, quibus prohibentur christiana mancipia dominis infidelibus deservire.

8 Item (9) Apologeticum fidei, quod Benedicto Romanæ urbis Papæ directum est. Item aliud (10) Apologeticum de tribus capitulis, de quibus Romanæ urbis Præsul frustra visus est dubitasse. Item libellum de remediis blasphemiæ cum epistola ad Adria-

(8) Hic liber ipse est proximè a nobis laudatus, omni nostra commendatione maior, quemque omnium primum edimus.

(9) Hoc primum Iuliani Apologeticum non extat. Erit tamen operæpretium intelligere quid in eo contineretur, quaque illud occasione scriptum fuerit. S. Leo Papa hoc nomine secundus miserat in Hispaniam acta Concilii VI. generalis Constantinopolitani, unà cum epistola ad Quiricum Toletanum Antistitem, quem vivum credebat anno 682. sed qui iam ante duos annos e vivis excesserat. Miserat autem eo fine ut ab Hispaniæ Episcopis probarentur, anathemaque a Constantinopolitanis Patribus in pestiferam Apollinaris hæresim latum eorum suffragiis magis magisque confirmaretur. Epistolam Leonis Iulianus Quirici successor accepit exeunte anno 683. aut ineunte 684. quo tempore recens dissolutum fuerat Concilium nationale Toletanum XIII. Iulianus ergo impossibile reputans, ut anni tempus erat, media nempe hieme, eaque rigidissima, Patres denuò cogere, in suam unumquemque Provinciam iam dimissos, simul verò cupiens interea S. Pontifici satisfacere ; dum novum cogeretur Concilium, hocce primum Apologeticum conscripsit, Romamque direxit, in quo et suo et totius Hispaniæ Ecclesiæ nomine testabatur, acta Concilii generalis suscipere, omniaque in Apollinaris errores iacta anathemata probare, significans simul quid de Christo Domino sentiret, ac firma fide crederet universa Hispaniarum Ecclesia. Atque hoc ipsum Apologeticum est, quod Patres Concilii Toletani XIV. eodem anno 684. habiti, numer. 4. laudarunt, unanimesque comprobarunt. Dicit autem Felix fuisse ad Benedictum Papam directum, quoniam S. Leo II. ipso anno 683. paulo post datam epistolam ad superos evolaverat : sedebat autem Romæ pro illo Benedictus eo nomine II.

(10) Quoniam de primo Apologetico loquuti sumus, etiam huius secundi conscribendi causa, quam indicat Felix, apertiùs exponenda a nobis est. Nempe accepto primo S. Iuliani Apologetico, cum cetera in eo contenta probasset Benedictus II. pauca quædam illi minus placuerunt, quæ comiter humanissimèque per certum hominem, quem cum mandatis suis ad Hispaniam misit, Iuliano significanda curavit. Eorum autem summa erat, quòd Iulianus scripserat *voluntatem in Deo gignere voluntatem*, *sicut et sapientia sapientiam* : deinde quòd in Christo Domino tres substantias assereret, et alia duo capita, quæ omnino ignoramus ; quæ omnia S. Pontifici aut obscuriùs dicta, aut minus cautè prolata videbantur. Qua de re admonitus Iulianus noster, ut erat orthodoxæ fidei, veritatisque studiosus, multaque doctrina abundans, continuò responsionem adornavit, quam Apologeticum similiter inscripsit, in qua tam dilucidè sapienterque sensum aperuit, quo prædictas sententias pronuntiaverat, idque tot, tamque luculentis SS. Patrum testimoniis confirmavit, ut planè evicerit, se non aliud, neque aliter quàm Augustinus, Cyrillus, et Isidorus, fuisse loquutum ; adeoque nihil esse in sua confessione censura, vel reprehensione dignum. Qua responsione apud Romanum Pontificem id quod optabat, assequutus est, ut omnem erroris cuiuscumque suspicionem a se amoveret, doctrinamque suam velut orthodoxam atque catholicam illi approbaret. Itaque propter eam mirificè fuit deinceps ab eo laudatus, commendatusque, ut asserit Isidorus Pacensis. Nemo ergo miretur, quod Patres Concilii Toletani XV. anno 688. ex

drianum Abbatem [11]. Item librum de sextæ ætatis comprobatione, qui habet in capite orationem, et epistolam ad Dominum Ervigium Regem [12]. Est tamen idem codex tribus libris distinctus. Nam primus eorum habet Veteris Testamenti quamplurima documenta, quibus absque aliqua supputatione annorum, Christus Dei Filius non nasciturus, sed iam natus patulè declaratur. Secundi verò series libri decurrit per ostensam Apostolorum doctrinam, quæ dilucide monstrat, Christum in plenitudine temporis de Maria Virgine natum, non in annis a principio mundi collectis. Tertii quoque libri excursus sextam ætatem, in qua Christus natus est, haud dubiè adesse veris documentis ostendit. In quo quinque præteritæ ætates sæculi non in annis, sed præfixo generationum limite, distinguuntur.

9 Item librum [13] carminum diversorum, in quo sunt hymni, epitaphia, atque de diversis causis epigrammata numerosa. Item librum plurimarum epistolarum. Item librum sermonum, in quo est opusculum modicum de vindicatione domus Dei, et eorum qui ad eam confugiunt. [14] Item librum de contrariis, quod Græcè Αντικειμένων voluit titulo adnotari, qui in duobus divisus est libris: ex quibus primus dissertationes continet veteris Testamenti, secundus novi.

10 Item [15] librum historiæ de eo quod Wambæ Principis tempore Galliis extitit gestum. Item librum sententiarum, ex decade psalmorum B. Augustini breviter summatimque collectum. Item excerpta de libris S. Augu-

ex universa Hispania congregati, post editam fidei confessionem, Apologeticum hoc a S. Iuliano ante duos annos Romam missum, nedum legerint, sed et communibus suffragiis probatum actis ipsius Concilii fere integrum inseruerint, quo eius doctrina magis confirmata ad posteros traduceretur. Itaque nos ex ipso Concilio transcriptum inter genuina Iuliani scripta edimus.

(11) De remediis blasphemiæ liber periit omnino.

(12) De comprobatione sextæ ætatis adversus Iudæos opusculum extat, non semel recussum, tandemque a nobis fol.88.

(13) Carminum, epistolarum, et sermonum volumina universa periere, unà cum opusculo de vindicatione domus Dei: quorum voluminum iactura eo magis deflenda est, quòd ex eis, epistolis præsertim, multa et egregia monumenta peti possent, ad illustrandam ecclesiasticam illorum temporum in Hispania disciplinam, quemadmodum nos dixisse meminimus in prologo ad superius huius collectionis volumen. Forsitan ex illis (neque enim aliud opusculum occurrit, ad quod spectare possint) desumptæ sunt hæ duæ sententiæ, quas sub Iuliani nomine laudat Alvarus Cordubensis in epistola 10. quæ est Episcopi ad Episcopum, inter editas a P. Florez tom. xi. Hisp. Sacr. pag.158. his verbis: *Insani capitis censetur esse et vani, qui illic pedes erexerit, ubi capitis ratio non suaserit*: et pag. 163. circa finem: *Non minoris est providentiæ necessitati imminenti consulere, quàm plenitudinis discretionis gubernaculum adhibere.* Sicut et illa alia a Samsone Abbate laudata in opusculo a Florezio eodem tomo edito, quæ folio 386. legitur: *Pro fide nolle asserere, id ipsum est quod negare.*

(14) Hunc de contrariis librum in duos divisum, ut ait Felix, habemus integrum, antea iam editum, nunc a nobis recussum cum allquarum interrogationum adiectione.

(15) Extat hæc historia de gestis Wambæ Regis in Gallia, a Iuliano conscripta, atque post alios a nobis accuratius edita folio 327. De qua sicut et in superioribus, legendæ sunt præviæ admonitiones nostræ. Verùm cetera quatuor sequentia opuscula, a Felice recensita, iniquum edaxque tempus invidit, et nobis eripuit.

gustini contra Iulianum hæreticum collecta. Item libellum de divinis iudiciis, ex sacris voluminibus collectum, in cuius principio est epistola ad Dominum Ervigium, comitatus sui tempore pro eodem libello directa. Item librum responsionum contra eos, qui confugientes ad Ecclesiam persequuntur.

11 Item[16] librum Missarum de toto circulo anni, in quatuor partes divisum: in quibus aliquas vetustatis incuria vitiatas ac semiplenas emendavit atque complevit; aliquas verò ex toto composuit. Item librum Orationum de festivitatibus, quas Toletana Ecclesia per totum circulum anni est solita celebrare, partim stylo sui ingenii depromptum, partim etiam inolita antiquitate vitiatum, studiosè correctum in unum congessit, atque Ecclesiæ Dei usibus ob amorem reliquit sanctæ Religionis.

12 [17] Præsulatus autem honorem, et Sacerdotii dignitatem an-

(16) Missas, et orationes a Iuliano vel confectas, vel emendatas, Missale absdubio Mozarabicum continet. Quænam verò illæ sint, præter eas, quas edimus fol. 325. omnino nos latet; itaque non potuimus eruditorum votis hac in re satisfacere. Earum namque fragmenta, quæ ab Elipando laudantur in suis epistolis, consultò heic omittimus, alibi recudenda. Quo in loco nobis in animo est ociosius inquirere, utrum Elipandus prædecessorum suorum verba subdolè corruperit, necne.

(17) Non potuit S. Iuliani Pontificatus chronologia clarioribus notis designari, neque ad præfigendam initii eius exitusque diem hoc Felicis testimonio apertius ullum desiderari poterat. Sic ergo statuimus. Diem vitæ extremum clausit Iulianus pridie nonas Martii (scilicet die VI.) era 728. (hoc est anno Dom. 690.) postquam decem annos, mensem unum, diesque septem in Episcopatu exegerat. Apertè ergo colligitur Episcopum consecratum fuisse anno 680. die 29. Ianuarii. Namque si ab hac die computaveris annos decem, mensem unum, dies septem, redibit dies obitus a Felice designatus. Quæ omnia, cum ex Felice, ut vides, teste omnium locupletissimo expressè deducuntur, tum mirè inter se, et cum tota illorum temporum historia conveniunt. Namque annus 680. tertius fuit absdubio Egicanis Regni, quod a die 24. Novembris anni 687. supputari cœpit, qua nempe die Rex inauguratus est. Deinde quòd anno 680. Iulianus Toletanam Sedem iam obtineret, apertissimè evincitur ex Concilio Toletano XII. anno 681. celebrato, in cuius capite primo asserunt Patres, Wambam cum Regium diadema deposuisset, Iuliano Toletanæ Sedis Episcopo denuntiasse, ut Ervigium in Regem ungeret. At sceptri regii dimissio a Wamba anno 680. facta est: tunc ergo Iulianus Toleti Episcopus sedebat; minime enim Regis unctionem nisi ab Episcopo exegisset. Diem vero consecrationi eius attribuimus 29. Ianuarii, propter diem obitus eius sextam Martii a Felice designatam, de qua temerè dubitaremus, consentientibus omnibus Felicis codicibus, quibus et Loaysa, et Ecclesiæ Toletanæ catalogus Usuardique martyrologium consonant, insuper etiam Romanum correctum, auctore Pisa, et si Tamayo credimus, Breviaria antiquissima, Zamorense, et Carthaginense. Non est itaque audiendus Ambrosius Morales, qui vitiato codice usus confidenter asseruit, certam diem initii pontificatus Iuliani, omnino nisi temerè designari non posse, neque amplius quàm novem annos, quatuor menses, et quinque sexve dies in Toletana Cathedra sedenti esse attribuendos: utique contra Felicis testimonium, quem erroris accussat.

Neque nos commovet, quod Ecclesia nostra Toletana Iuliani memoriam ad diem octavam Martii nunc recolit, non sextam, ut oportebat. Valent enim magis apud nos antiquissima monumenta superiùs laudata, nedum externa, sed et domestica simul, quale est ipsius S. Ecclesiæ Toletanæ Catalogus Præsulum, in quo dies sexta Martii, non octava obitus S. Iuliani designatur: qui dies constanter legitur in omnibus Martyrologiis ad usque illud Baronii, a nte quod, ut asserit Papebrochius, nullum est quod non eadem die sexta exhibeat Iuliani memoriam. Non itaque Felix, non eius librarii in die sexta designan-

annis decem obtinuit, mense uno, diebus septem. Quique etiam inevitabilis mortis præventus occasu, anno tertio Egicanis Principis, pridie nonas Martii, Era septingentesima vigesima octava diem vitæ clausit extremum, ac sic in basilica gloriosissimæ sanctæ Leocadiæ Virginis sorte sepulcrali est tumulatus.

gnanda errorem passi sunt, qui inde in externarum Ecclesiarum antiquissima Martyrologia fluxerit, potiùs quàm in ipsam Ecclesiam Toletanam, *quæ festum S. Iuliani* (si Papebrochium audimus) *die octava Martii colendum assumpsit, priusquàm aliquid de ipso Felix scriberet.*

Quàm vellemus, ut rei sanè admirabilis vir planè doctissimus prodidisset monumenta! Haberemus insignem laudandi Iuliani materiem, quòd nempe ante decem post obitum annos (ante quos Felix, qui vix anno 700. vivebat, hocce elogium conscripsit) solemni in Ecclesia Toletana ritu eius memoriæ dies sacra designata fuerit. Sed verò ipsius Felicis silentium huiusmodi commentum evertit, et ex antiquissimis huius Sanctæ Ecclesiæ Breviariis contrarium apertissimè evincitur, in quorum nullo ante sæculum XVI. conscripto dies Iuliano sacra reperitur: adeo ut prima de S. Iuliano commemoratio Toletanis fastis inserta illa sit, quæ anno 1500. in Missali Mozarabico edita est.

Itaque suspicamur, nec temerè omnino, propter alicuius codicis lectionem, qui in Iuliani elogio diem obitus sui octavam Martii habebat, cum de conscribendo illius Officio Ecclesiastico cogitatum est, prædictum errorem in Breviarium Toletanum irrepsisse, de quo emendando, tamquam non magni momenti, neque hactenus satis demonstrato atque aperto, non est curatum. Quod tamen aliquando, si Dominus voluerit, fiet, omnisque occasio heic impingendi ceteris auferetur, qui ad Papebrochii exemplum tantùm Ecclesiæ nostræ hoc loco tribuerunt, ut ex eius consuetudine, quam antiquissimam crediderunt, Iulianum celebrandi octavo idus Martii, vel vetustissimos Codices, potius quàm e contra, emendare maluerint.

Unum reliquum est, de quo nihil a Felice est adnotatum in elogio, a nobis nullo iure prætermittendum. Nempe Conciliorum Toletanorum numerus, quibus Iulianus iam Episcopus subscripsisse comperitur. Fuere autem illa ab anno 680. usque ad 690. quo ad superos abiit, quatuor celebrata, quibus omnibus non solum interfuit, sed et præfuit, quantum ex subscriptionum loco colligere possumus. Scilicet Concilio XII. anno 681. XIII. anno 683. XIV. anno 684. XV. anno 688. E quibus, si XIV. excipias Provinciale, reliqua fuere nationalia. Quales verò in huiusmodi congressibus Iuliani partes fuerint, quantumque apud illorum Patres auctoritate et doctrina valuerit, non melius quàm legendis eorum actis cognosci poterit: in quibus quantum Iuliani sententiis, dictis, scriptisque deferrent, conceptissimis verbis non semel testantur, nosque in superioribus notis de eius Apologetico loquentes, satis indicasse putamus.

AD-

ADMONITIO
IN SEQUENTEM TRACTATUM.

Damus primum locum, lector optime, huic opusculo, quod Προγνωστικων futuri sæculi *inscripsit auctor eius S. Iulianus, propterea quod postremis licèt vitæ suæ temporibus elaboratum, ceteras eius lucubrationes longè antecellit cùm argumenti dignitate, tum doctrinæ præstantia. Res siquidem pertractat gravissimas persese, et quibus nihil fere est in hominum vita, universaque Theologia maius. Quid enim sublimius, quid augustius, ac prope dixerim divinius, quàm de animorum nostrorum statu tum mortis tempore, tum post mortem ante iudicium extremum, tum denique in ipsò iudicio quæstio? Prognosticum omnium absdubio iucundissimum, et fructuosissimum, cuius cognitione nullum non delectari quammaximè oporteret præ inanibus illis popularibus divinationibus, quibus homines etiam minimè vulgares sæpissime capiuntur. Neque verò minus scitu digna sunt quamplurima alia, quæ in prædicti argumenti tractatione præstringit: de providentia, et prædestinatione divina, de peccato originali, de baptismo parvulorum, de officiis Angelorum erga homines, de orationibus et oblationibus pro defunctis, de pia cadaverum humatione, de igne infernali, de pœnis Purgatorii, etc. quæ omnia quanti sint momenti, nemo non videt.*

Iam autem ratio in eis exponendis adhibita, non parum habet commendationis. Nam et argumentum est perspicuè congruenterque in tres libros distributum iuxta triplicem animorum nostrorum statum, in morte, post mortem usque ad iudicium extremum, et in ipso iudicio; deinde unusquisque liber in multiplices ac iucundissimas quæstiones (quotquot fere de proposito argumento institui possunt) divisus est: quas tamen auctor ita dissolvit, ut perpetuis SS. PP. antiquorum sententiis usus, nihil prorsus præter eorum effata de suo se addere velle profiteatur. Genus scribendi, sicut prudentissimum, et in loco tutissimum, sine Scriptura sacra, Ecclesiæve traditione atque auctoritate nihil de religione concludere, ita singularem animi moderationem demonstrans, eo magis prædicandam, quo in virum cadere intelligimus, in omni disciplina versatum, et in re præsertim Theologicâ eruditissimum, quique iugem veterum lectionem, ac penè infinitam memoriæ vim, cum ingenii acumine, scribendique facultate minimè vulgari coniungeret. Dignus propterea quem cum doctioribus,

sanctioribusque prædecessorum suorum conferamus, ne illos dicamus quodammodo superasse.

Quo loco, qua occasione, et ad quem huiusmodi opusculum scriptum fuerit, supervacaneum est commemorare, cum omnia abundè exponantur ab ipso Iuliano in epistola (quæ opusculo eidem præfationis loco præmittitur) ad Idalium Barcinonensem Episcopum, virum satis doctum, et egregiè pium, qui Iulianum Toletanum velut omnis doctrinæ virtutisque magistrum colebat.

Quo verò anno, non est ita facile definire. Quod si coniectura aliquid assequi possumus, ad annum 688, vel 689 eius scriptio referenda videtur. Narrat enim Iulianus enatam huius disputationis occasionem ex mutuo colloquio habito cum Idalio, cum hic Toleti sub Paschæ tempus versaretur. Idalium verò non constat Toletum venisse, præter quam ad Concilium Toletanum XV. quod anno 688 celebratum est. Accedit quod eodem ipso anno Rex ad bellum profectus dicitur, cum Iulianus de absolvendo opusculo cogitavit. Quod de Egica rege interpretamur, cum Ervigius eius prædecessor pacis studia perpetuò secutus sit. At Egica, qui iam exeunte anno 687 regnum est adeptus, bellum suscipere non valuit ante annum 688. Ut ut sit, in postremis Iuliani lucubrationibus hæc proculdubio recensenda est.

Quartò iam (quod scierimus) præla subiit hic tractatus. Primò Lipsiæ anno 1536 cura Ioannis Cochlæi; secundò Parisiis anno 1554 ex MS. Andreæ Resendii, ut asseritur. Tertiò Duaci anno 1564 procurante Boëtio Epone, in Academia Duacena professore regio: eodem pio consilio, quo Ioannes Cochlæus ante annos 28 usus fuerat; nempe ut hoc veteri monumento, religionem ab hæreticis impudenter impetitam defenderent, opponendo illorum temeritati, ac novitati, in unius hominis testimonio, qui sæculo septimo vixerat, totius retro antiquitatis doctrinam circa præcipua controversiarum capita. Qua de re digna est quæ ab omnibus legatur supra laudati Boëtii Eponis præfatio ad Philippum II. Hispaniæ Regem, eius editioni præfixa, quæ præter summam pietatem, et eloquentiam quam præ se fert, magnam continet laudem et operis, et auctoris. Omnes hæ tres editiones eo pluris æstimandæ sunt, quòd ex diversis codicibus MSS. sint expressæ, adeoque sibi mutuo lucem aliquando adferant. Namque illa alia quarta, quam significavimus, ab editoribus Bibliothecæ PP. profecta, nihil per se habet commendationis, quippe quæ ad exemplar Duacenæ conformata est.

Iam autem accipe, quid nos in hac nostra præstiterimus. Cum nullum codicem antiquum ad manus habuerimus, (ille namque, quem vidit Ambrosius de Morales in Monasterio Cisterciensium de la Espina, *deplorando illo incendio absumptus est, quo totum Monasterium anno 1731 conflagravit) editiones duas*

duas Lipsiensem, et Duacenam inter se diligenter contulimus, ex quibus neutram perpetuò sequuti sumus, sed ex altera alteram mutuo emendavimus, si quando apertè peccant. Interea variantes utriusque lectiones descripsimus, et propria loca, unde SS. PP. sententiæ verbave desumpta sunt, quæque Auctor minimè indicavit, diligenter inquisita, atque collata designavimus, annotantes siquid edita a nostris discreparent. Quæ tamen opera nostra in S. Eugenii, et Iuliani Pomerii testimoniis nequidquam fuit. Periere enim absdubio opuscula, in quibus Iulianus laudatas sententias perlegerat: cuius tamen diligentiæ hæc fragmenta debemus.

S. IULIANI TOLETANI EPISCOPI ΠΡΟΓΝΩΣΤΙΚΩΝ FUTURI SÆCULI LIBRI TRES.

AUCTORIS EPISTOLA,

QUÆ PRÆFATIONIS LOCUM HABET IN VETERIBUS CODICIBUS MSS.

Sanctissimo ac præ ceteris familiarissimo mihi in Domino Idalio, Barcinonensis Sedis Episcopo,

Iulianus indignus Toletanæ Cathedræ Episcopus.

Diem illum clara [1] redemptorum omnium exceptione perspicuum, quo præsenti anno pariter in urbe regia positi passionis Dominicæ festum festivo cordium ardore suscepimus, [2] quis recolendum dignis valeat affectibus explicare? Illo tunc actum est, ut congrua tantæ festivitatis silentia expetentes, remotiorem secreti locum intraremus. Illic divinæ passionis compluendi imbribus, discretis ambo stratibus lectulorum excipimur, ubi dum æternæ lucis [3] spiculo communiùs tangeremur, sacra lectio in manibus sumpta est. [4] Lectum est in diurno silentio. Dominicæ tunc

VARIANTES LECTIONES EX EDITIONIBUS LIPSIENSI ET DUACENA.

(1) Lipsiensis *Redemptoris omnium ..... conspicuum, quem ....*

(2) *Quis recolendo dignis queat explicare affatibus? Illud tunc, etc.* Eadem.

(3) *Speculo.* Lips.

(4) *Quam avidè scrutantes, lectum est in diuturno silentio.* Ead.

tunc passionis secreta, congestis Evangeliorum concordiis, scrutabamur. At ubi ventum est ad quemdam lectionis desiderabilem locum, quem nunc recordari non valeo, concutimur, gemimus, suspiramus. Sublime quoddam iubilum in nostris mentibus nascitur, et subitò in quamdam contemplationis arcem pertrahimur. Obortæ lacrymæ conatum lectionis avertunt, communis mœror reiicit librum, et solius mutuæ collationis fecundari munere opperitur. Quis ibi divinus sapor (1) nostros animos attigerit, quæ supernæ caritatis dulcedo mentibus mortalium se illapsa diffuderit, (2) quis aut scriptis explicet, aut relatu condignæ vocis sufficiat explicare? Eras enim tunc (fateor mi Domine et (3) frater sanctissime) podagrici doloris contortionibus tabidus, sed multò amplius spe divinæ contemplationis erectus. Credo quòd tunc omnis tibi dolor corporei cruciatus fugerit, cum divinum illud inter nos cœpit colloquium agitari. (4) Ibi tunc plenissimè sensi, quàm bonum sit (5) et quàm iucundum, habitare fratres in unum; (6) quando illud sancti Spiritus unguentum, quod a Deo capite nostro in oram vestimenti eius (quæ nos forsitan tunc eramus) descenderat, magnæ necessariæque perquisitionis nos accensione lustrabat. His (7) ergo ferculorum dapibus invitati, cœpimus inter nos quærere, quomodo se (8) habeant animæ defunctorum ante illam ultimam corporum resurrectionem, sicque (9) collatione mutua nosceremus, quid futuri post hanc vitam essemus: ut vivaciter et veraciter de hoc negotio cogitantes, tantò certiùs præsentia fugeremus, quantò futura perscrutantes nosceremus avidiùs.

Psalm. 132. 1.

Ortæ ergo ex hoc negotio quædam quæstiunculæ sunt, quæ diversitate sui (10) non leniter animos nostros attigerunt. Sed de his optimam solutionem vel definitionem sensus brevitate non valentes colligere, erectus est nostrorum pariter animus, ut quicquid nobis de hac re in quæstionem venisset, stilo percurrente annotari deberet; (11) sicque quicquid ex hoc ipso respondendum ratio posceret, quidve catholicorum magistrorum sensu definitum existeret, memoria sacræ lectionis nobis exprimeret: nec librorum (12) revolutione continua, sed vivæ vocis id ageretur (13) recordationis industria. Tunc (14) ego, ni fallor, urgentibus vobis, accito notario, capitula de præmissis quæstiunculis eodem die in præsentia vestri, quanta potui brevitate, collegi. Sed in divinis rebus impatiens, ut assolet, tuæ (15) sanctitatis animus, tenuitatis meæ vires suavis-

(1) *Nostros nostrum animos.* Lips.
(2) *Quis unquam aut dicere scriptis, aut.* L.
(3) *Confrater.* L.
(4) *Ubi tunc.* L.
(5) *Atque iucundum.* L.
(6) *Quando illud oleum S. Spiritus, quod a capite nostro in oram vestimenti eius.... magnaque necessariæ perquisitionis*, etc. Editio Duacena.
(7) *Igitur.* L.
(8) *Haberent.* L.
(9) *Collocutione.* L.
(10) *Non leviter.* L.
(11) *Sic quicquid.* D.
(12) *Tunc revolutione.* L.
(13) *Et recordationis industria.* L.
(14) *Ergo.* L.
(15) *Sanctitudinis.* L.

vissimo familiaritatis imperio coëgit, et individuæ societatis præcepto constrinxit, ut hæc ipsa, quæ superius in quæstionem venerant, et quæ digesta titulorum [1] nobis iam formatione placebant, mox ut datum mihi divinitus otium persensissem, et uno tota et brevi volumine complicanda congererem, et quid ex hoc maiorum auctoritas senserit, [2] appositis eorum sententiis demonstrarem; ut iam in perquisitione talium quæstionum, numerositas librorum quærenti animæ laboriosa non esset, sed multiplicem lectoris sitim hæc collecta brevitas satiaret. Insuper quoque definitum est a nobis, alternæ caritatis commercio, ut de resurrectione ultima corporum, quantæ [3] possent causæ vel quæstiunculæ memoriæ nostræ se [4] recolendæ ingerere, simili titulorum stilo renotanda curarem. [5] Extra hos ergo duos libros, illud quoque socio mœstificati cordis affectu fieri censuimus, ut his duobus præcedentibus libellis, primus liber conderetur de huius corporis morte, qui titulorum simili distinctione [6] conformatus præcederet, et legentis animum immoderato mortis metu perterritum, spe cælestium erigeret gaudiorum; sicque post [7] depositionem vel receptionem corporis huius, quis et quantus sit sanctis animabus æternæ beatitudinis fructus, sequentium librorum haberetur renotatione [8] expressus. Hæc igitur tota illa tunc desiderabili die acta vel definita mecum ipse cognoscis.

At modo, quia bellica profectio gloriosi Principis ab urbe regia turbulentos cuneos populorum [9] secum abegit, quo credo actum esse, ut salum mentis nostræ post turbines placidis aurarum flatibus inciperet reserenari; et tui præcepti et mei promissi recordari me contigit. Egi ergo, etsi non ut debui, saltem ut potui, quæ promisi. Primum librum de origine humanæ mortis; secundum, quomodo se animæ defunctorum ante resurrectionem corporum habeant; tertium de ipsa resurrectione [10] conformans. Quod totum sub uno volumine in tribus libris fore constituens, hoc principaliter huic vocabulum libro dedimus, ut ex meliore et maiore parte Προγνωστικων futuri sæculi [11] appelletur. In quo tamen non mea, sed maiorum exempla doctrinamque reperies; et tamen si alicubi parum aliquid vox mea insonuit, non aliud quàm quod in eorum libris legisse me memini, proprio stilo conscripsi. Sed et ibi si qua forsitan aliter quàm dicenda sunt dixi, aut aliter quàm [12] formanda erant, temerator apposui, caritas quæ omnia suf-

(1) *Vobis.* L.
(2) *Apostolicis etiam sententiis.* Duac.
(3) *Possunt.* D.
(4) *Recolendo.*
(5) *Extra duos igitur libros.* L.
(6) *Confirmatus.* L.
(7) *Dispositionem.* L.
(8) *Expressum. Hæc ergo toto illo tunc desiderabili die, etc.* L.
(9) *Profecturus secum, quod credo actum esse, ut salum mentis nostræ post ruinas, vel turbines, etc.* L.
(10) *Futura conformans.* L.
(11) *Appellaretur. In quo tum....* L.
(12) *Formandum erat.* Duac.

suffert et tolerat, confitenti mihi ignoscat : idque apud [1] animum tuæ sanctitatis obtineat, ut quod imbecillitatis nostræ sensus minus doctè formavit, prudentiæ [2] vestræ supplementum corrigat, elucidet, et exornet : atque hoc præ ceteris a Domino obtentu [3] precum obtineat, ut quicquid in hoc opere malè cautus forsan delictorum contraxi, abolere iubeat commercium illud pii sanguinis [4] Iesu Christi et Salvatoris nostri. Hoc igitur opus, non ad hoc tantum mihi formare perplacuit, ut quasi incognita legentibus demonstrarem, cum multos non [5] dubitarem harum rerum scientiam multiplicium librorum voluminibus didicisse ; sed potiùs, ut sub uno collecta [6] futurorum ratio mentes mortalium eo vehementius tangeret, quò sine labore hìc posita perlegisset, et eo compuncta mens redderetur ad tempus, quò facillimè hìc illi cibus occurrisset [7] oblatus. Hæc ergo librorum formatio ordinata, pro notitia collecta sufficiat, ut in hoc speculo noster sese animus recognoscat. Nam si id quod futuri sumus, sedula meditatione ruminaverimus, credo, quòd aut rarò aut [8] numquam peccabimus. Sic enim scriptum est : *Fili, in omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in æternum non peccabis.* His igitur peractis, [9] quæ recordationis causa præmissa sunt, id precor, [10] id expeto, ut librorum hæc oblata formatio, sive placens, sive displicens sit, aut censuræ vestræ stilo meliorem [11] sui subeat palmam, aut [12] iudicii vestri debeat publicari sententia. Eccli. 7. 40.

IDALII RESPONSIO.(*)

Sanctissimo, et mihi præ ceteris peculiari Domino Iuliano Toletanæ primæ Sedis Episcopo,

Idalius Barcinonensis Sedis Episcopus.

Recordatione peccaminum meorum pavidus, et memoria ingentium criminum usquequaque perterritus, putaveram divinas aures in meis penitus obduratas fuisse clamoribus, cum promissionis vestræ minimè perciperem opus. Et licèt huiuscemodi causa nunc diversis perturbationibus agitatus, nunc etiam optatæ opportunitatis eventu privatus, aut (ut assolet) oblivione detentus, suggestionibus meis valefactionem alternans,

(1) *Animos.* L.
(2) *Tuæ.* L.
(3) *Precis.* L.
(4) *Domini nostri J. C.* L.
(5) *Dubitem.* L.
(6) *Hic futurorum.* L.
(7) *Optatus.* L.
(8) *Numquam aliquando.* L.
(9) *Quæ dignoscentiæ, vel recordationis.* L.
(10) *Et expeto.* L,
(11) Deest *sui* in L.
(12) Deest *vestri.* D.

(*) Extat hæc epistola Idalii in editione Lipsiensi Ioan. Cochlæi, ad calcem Prognostici : deest verò in Duacena.

nans, sanctitudini vestræ intulerim minimè preces ; fretus tamen Salvatoris et Redemptoris nostri oraculo, quo discipulos
Matth. 18. 19. *sacravit, dicendo :* Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis a patre meo qui in cælis est ; *vestræ quoque promissionis fiducia uberrimè fretus, fixum corde tenebam, quòd neque veritas mentiri ullatenus posset, neque veritatis cultor atque discipulus mendaciis deserviret. Expectabam ergo sanctitudinis vestræ promissum, spem magnam repositam habens in Domino Iesu Christo: orabam tamen, etsi non quotidie, certè sæpe, ut idem qui ubique præsens est, cordi nostro inspirator adesset, et votis nostris effectum tandem præstaret.*

Nunc ergo, quia Dominus memor fuit mei, et votorum meorum me compotem fecit, gaudio os meum et linguam exultatione replevit, quum et vos perfectione sancti operis cumulavit, et me laboris vestri effectu ditavit. Dicam ergo illi cum exultatione mentis Prophe-
Psalm. 67. 20. *tæ sui verbis :* Benedictus Deus, Benedictus Dominus, de die in diem. *Adveniens namque quidam Iudæus, nomine Restitutus, quasi brutum, ut ita dixerim, animal, materiam lumini congruentem deportans, librum quem studiosa brevitate, non solum ex antiquorum sanctorumque patrum sententiis, verumetiam, inspirante et docente Christo, labore ac studio proprio consummare, et nostræ ineptiæ sanctitudinis vestræ prudentia mittere procuravit, gemellis manibus obtulit.*

Quem aviditate noscendi rapiens, potius quàm accipiens, citissimè pandi, titulumque contra suspiciens, miratum me esse fateor, cur tanti et tam præclari mercimonii causa tam infido, et a cultu fidei alieno, vestra sanctitas crediderit baiulo. Sed illico illa ratione imbutus, qua thesaurus fictilibus vasis committitur, præfato Iudæo cur ea quæ acceperat, illæsa detulerit, prius potius quàm vobis, gratias egi, considerans ne forsitan immutatione dextræ Altissimi ageretis, ut is qui caduca mercimonia vectare solitus erat, divinis æternisque mysteriis pararetur. Intellexi tamen in hac parte sancti et artificiosi cordis vestri humilitatem, quæ omne quod in dictis vestris venustum, nitens, et purum existit, cum gratiarum actione referendo ad Deum, cuius vobis munere venit, ingens et optimum reddit ; vanam verò gloriam respuendo, eo idipsum abiectum videntium obtutibus ostendere nititur, quò viliori gerulo hoc idem credidisse cernitur.

Inspecto igitur præscripti codicis discussoque vocabulo, nullum penitus aliud reperire valui nomen eidem operi congruentius, nisi quod ipse in principio sui voluminis gestare videtur. Appellatur enim Prognosticon futuri sæculi, *quod latinè præscientia futuri sæculi di-*

ci

ci non incongruè potest. In quo quidem quamlibet primus liber quadam ex parte peccantibus asperitatem metumque incutere videatur ; duo tamen subsequentes libri maxima fiducia christicolarum relevant corda ob spem futuræ resurrectionis, et regni, quod se fidelibus Christus daturum promisit. Reliquum verò totius codicis corpus legendo transcurrens, reperi illud quod Iesus Christus Dominus in Evangelio loquitur : Omnis scriba doctus in regno cælorum similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo vetera et nova. *Evidenter enim et dubia effugata, et obscura in lucem producta sunt, quum et antiquorum patrum decreta, et novæ brevitatis indicia artificii vestri fructuoso labore ad medium sunt deducta. Manet ergo ex illorum sententia veritas, ex vestro autem labore nova et verissima brevitas.*

Matth. 13. 52.

Quicquid igitur veraciter illi, castè, et sobriè in Dei causis senserunt, est tibi commune cum illis, ad cuius notitiam doctrina Domini hoc ipsum deduxit. Vestræ tamen sollicitudini tantundem applaudit, quod curiositate instante, illorum sententias in unum collectas, pigris et torpentibus contiguo relatu manifestè aperuit. Propter quod licèt illi ministraverint donante Christo materiam, vestro tamen operi totius laboris adstipulabitur summa. Nam et aurum quamlibet originis ac naturæ suæ obtineat splendorem, cum per formas aut etiam figurarum varietates peritè deducitur decenterque politur, artificis ingenium non immerito prædicatur. Huius rei exemplo permotus, ingenii efficaciam, quam divina cordi vestro intulit gratia, insigneque studium, quo vos in causis Christi desudasse cognosco, attollere laudibus procurarem, aut quia ego nequeo, alios prædicare præcarer, nisi quia id ipsum vobis displicere soleat, conscius essem. Restat ergo faciam quod vestræ sanctitas desiderat animæ.

Refert itaque mea pusillitas, immo mecum Ecclesiæ universitas, ad cuius notitiam insignia operis vestri deduxit nostra tenuitas, inmensæ et ineffabili Trinitati, non quantas debet, sed quantas valet gratiarum copias, quia in fine temporum aut pene (ut verius dixerim) in consummatione mundi, effudit in corde beatitudinis vestræ donum gratiæ suæ simul et studium operis sancti, deditque in ore vestro directum et bene sonantem sermonem, quo et delinquentium corda terrendo sonaret, et bonis operibus deditos, in sanctis actibus confirmandos, igni cælesti affatim animaret.

Oramus deinde maiestatis supernæ profusissimam pietatem, ut in præsulatu Ecclesiæ suæ ad illuminationem fidelium annos vitæ vestræ protelando conservet : et ita donum gratiarum suarum, quod cordi vestro diffudit, exuberare concedat, ut catholicam plebem studiosis operibus doctrinisque sanctimoniæ vestræ, bonorum

o-

omnium compotem reddat, proque laboris vestri sancta instantia, post longissima vitæ huius spatia, remissis iniquitatibus, tectisque peccatis, cum sanctis et electis suis cælestia vobis ad possidendum regna concedat.

EIUSDEM IULIANI ORATIO AD DEUM.

Desertum Idumææ cæcus et morbidus possessor inhabitans, clamo ad te, Fili David, miserere mei. Patriam enim meam æternam Hierusalem quæro, cives eius contemplari desidero; (1) sed quibus ductoribus illuc transeam, non invenio. Tu ergo qui temetipsum (2) dignatus es ostendere viam, porrige mihi manum tuam, qua illuc non iam cæcus, sed videns, sine aliquo latrocinantium impedimento perveniam. Tu enim solus, et talis es via, quæ latronem non habet. Ecce anxium (3) cor meum, pro reditu patriæ illius diu tibi suspirans, immensa futurorum cura distenditur: cupiens, ut antequam illuceatur, hìc iam futuræ illius beatitudinis gaudia contempletur. Quærens enim, quis (4) defunctorum animas fructus post mortem corporis huius maneat, quæ etiam glorificatio post receptionem corporum (5) eos attingat, pro modulo virium mearum, ac quantum ex disputatione (6) maiorum dignoscere potui, quædam in hoc opere causarum instrumenta (7) curavi colligere. Sed hæc quoque, quantum potest dici a mortalibus, dicta sunt; non tamen omnia dici potuerunt, quæ futura esse (8) necesse est, quia inscrutabiles sunt semitæ iudiciorum tuorum. Ego tamen in illius patriæ sinum, (9) de qua tanta dicuntur, cupiens evolare, peto ut per te, qui via es, gradiar, in te, qui es veritas, non offendam, ad te, qui es vita, perveniam. A te (10) ergo, qui summæ felicitatis es via, nullis casibus dividar, nullis rerum impedimentis abrumpar; sed in te gradiens, latronem moriturus non patiar, (11) mortuus accusatorem non perferam. Angelicis morientem me excubiis protege; evocatum ad te, (12) extenso pietatis gremio consolare, ut ad te sine confusione (13) veniens, videam quæ bona sunt in Hierusalem. Iam iam Domine satis est, quòd hucusque peccatorum tenebris fuscatus, non interii. Unde ut et hoc ipsum, quod mihi vel fratribus (14) meis ad remedium præparo, ne offensibile fiat in aliquo, te obsecro, te peto, per gloriosum illud sacri sanguinis tui commercium, et crucis tuæ invictum, et

(1) *Et quibus.* L.
(2) *Mihi dignatus.* L.
(3) *Ecce anxium est cor meum.* D.
(4) *Defunctis animabus.* L.
(5) *Eas.* L.
(6) *Aliorum.* L.
(7) *Collegi.* L.
(8) *Necesse sunt.* D.
(9) *De quo.* L.
(10) *Ergo* deest. L.
(11) *Mortis.* L.
(12) *Protenso.* L.
(13) *Perveniens.* L.
(14) Deest *meis.* L.

venerabile signum, (1) ut non pro his velut temerarius arguar, non ut erroneus contabescam, non cum illis puniar iudicandus, qui magna de corde suo, non de spiritu tuo, loquuntur. Ecce habes, mi Domine, me pauperem tuum mendicantem et pulsantem, nec superbè nescita definientem, sed humiliter, quæ scienda sunt, agnoscere cupientem. Ciba ergo me, (2) Domine, de omnibus promissis gratiæ tuæ, quæ hìc etsi (3) attingi non possunt, perfici tamen vera fidei firmitate creduntur; ut gaudium illud quod nullo hominum stilo valet comprehendi, quod (4) oculus non vidit, et in cor hominis non ascendit, dones mihi misero et hìc feliciter (5) pæstolari, et illic pleniori rerum evidentia contueri.

PROGNOSTICON IULIANI

LIBER PRIMUS

DE ORIGINE HUMANÆ MORTIS.

CAPUT I.

Quomodo primum mors in mundum intraverit.

Peccato primi hominis actum esse, ut mors in mundum intraret, Paulus Apostolus docet: Rom. 5.12. *Per unum hominem* (ait) *peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.*

CAPUT II.

Quòd Deus immortales Angelos creaverit, peccantibus autem hominibus mortem sit comminatus.

Mors in hominibus de peccati propagine venit. Non enim (6) eodem modo, quo Angelos conderat Deus, ita et homines condidisse credendus est; ut etiamsi peccassent, mori omnino non possent. Sed ita conditus est homo, ut perfunctus obedientiæ munere, sine interventu mortis, Angelica eum immortalitas sequeretur, æternitasque beata; inobedientem autem, mors plecteret (7) iustissima. Unde eosdem (8) primos homines peccatores videmus ita fuisse morte mulctatos, ut etiam quicquid ex eorum stirpe esset exortum, eadem pœna teneretur obnoxium; non enim aliud ex his, quàm (9) quod ipsi fuerant, nasceretur. Pro magnitudine quippe (10) illius reatus naturam damnatio mutavit in peius, ut quod pœnaliter præcessit in peccantibus primis hominibus, etiam

(1) *Et quatenus pro his non ut temerarius.* L.
(2) Deest *Domine* in L.
(3) *Attingi sensu.* L.
(4) *Nullus oculus vidit.* L.
(5) *Perfrui.* L.
(6) *Eo modo.* L.
(7) *Damnatione iustissima.* L.
(8) *Primos peccatores ita fuisse.* D.
(9) Deest *quod* in D.
(10) *Illius naturarum damnatio.* D.

etiam naturaliter [1] sequeretur in nascentibus ceteris.

CAPUT III.

De qualitate [2] primi hominis, vel de pœna mortis, qua post peccatum iustè damnatus sit.

Primus homo ea naturæ qualitate creatus est, ut immortalitatis [3] et mortis admodum capax, nec sic immortalis fieret, ut etiamsi peccaret, mori non posset; nec ita mortalis, ut si noluisset peccare, morti succumberet. Arbitrii quoque libertate donatus est, ut iure aut beatus esset qui noluisset peccare, cum posset, aut miser, qui cum potuisset peccatum vitare, non aliqua necessitate, sed propria voluntate peccasset. [4] Et quia nec rectè factum, nec peccatum dici potest sine alicuius custodia, vel desertione præcepti, in paradiso præceptum constitutus accepit, ut qui posse nón mori, et posse mori habuit in natura, aut executione præcepti vitalis probatus obediens, sic fieret immortalis, ut mori ultra non posset; aut prævaricatione eius deprehensus inobediens, sic inciperet esse mortalis, ut mortem vitare non posset. Hæc mihi videtur causa, qua primus homo præceptum accepit: [5] et iusta pœna esse, quæ peccanti merito suæ prævarications accessit.

CAPUT IV.

Unde dicta sit mors.

Mors dicta est, quod sit amara, [*] vel a morsu primi hominis appellata. Nam cum primus humani generis parens lignum vetitum per inobedientiam contigit, per morsum mortem incurrit. [6] Ex D. Isidor. *lib.* 11. *Etym. cap.* 2.

CAPUT V.

Tria esse genera mortis.

[7] Et sciendum quod tria sunt genera mortis, id est, acerba, immatura, naturalis. Acerba infantum, immatura iuvenum, [8] naturalis senum. Ex eod. *ibid.*

CAPUT VI.

Quàm aspera sit mors carnis, et quòd plerumque molestiam eius non sentiant morientes.

Quod attinet ad corporis mortem, id est, separationem animæ a corpore, cum eam patiuntur qui morientes appellantur, nulli bona est. Habet enim [9] asperum sensum, et contra naturam vis ipsa, qua utrumque divellitur quod fuerat in vivente coniunctum atque

(1) *Sequeretur in ceteris hominibus.* D.
(2) *Creati hominis.* L.
(3) *Et mortis capax fieret, ut nec sic immortalis fuerit, ut etiamsi peccaret, etc.* D.
(4) *Et recte factum: quia nec peccatum dici posset.* D.
(5) *Et iustam esse pœnam.* L.
(*) Ex hoc loco confirmatur lectio aliquorum Cod. MSS. S. Isid. in quibus totidem verbis continetur hæc altera mortis Etymologia a morsu ducta. Quam lectionem cum indicasset editio Parisiensis S. Isid. Regia nostra editione antiquior, quare in hac non solum reiecta sit a textu, sed et omnino in margine prætermissa, non videmus.
(6) Prosequitur editio Lips. *Unde et a morsu mors ipsa utique appellatur.*
(7) *Et sciendum quod*; desunt hæc verba. L.
(8) *Matura, id est, naturalis.* L.
(9) *A spiritu sensum.* L.

que consertum, tandiu moratur, donec omnis necetur et adimatur sensus, qui ex ipso inerat animæ carnisque complexu; [1] quando tantam molestiam nonnumquam unus ictus corporis, vel animæ raptus intercipit, nec eam sentiri præveniente celeritate permittit.

CAPUT VII.

Quòd plerumque contingat, ut per asperam [2] mortem liberetur anima a peccatis.

Quicquid illud est in morientibus, quod cum gravi sensu adimit sensum, piè fideliterque [3] toleratum, auget meritum patientiæ, non aufert vocabulum pœnæ. Ita cum ex hominis primi perpetuata propagine proculdubio sit mors pœna nascentis; tamen si pro pietate iustitiaque perpendatur, fit gloria renascentis. Et cum sit mors peccati retributio, aliquando impetrat, ut nihil retribuatur peccato. [4] Ita ex hoc beatus Gregorius dicit: Greg. dialog. lib. 4. cap. 24.

„ Scriptum est: *Iustus qua mor-* Sap. 4. 7.
„ *te præventus fuerit, anima*
„ *eius in refrigerio erit.* Electi
„ ergo qui ad perpetuam vitam
„ tendunt, quid eis obest, si ad
„ modicum durè [5] moriuntur?
„ est enim nonnumquam fortasse
„ eorum culpa, licèt minima, quæ
„ in eadem debeat morte resecari. Nam vir Dei contra Samariam missus, quia per inobedientiam in itinere comedit,
„ hunc leo in eodem itinere oc-
„ cidit. Sed statim illic scriptum
„ est, *quia stetit leo iuxta asi-* 3. Reg. 13. 28.
„ *num, et non comedit de ca-*
„ *davere* [6] *eius.* Ex qua re ostenditur, quòd peccatum inobedientiæ in ipsa fuerit morte laxatum, [7] quia idem leo qui viventem præsumpserat occidere, occisum non præsumit attingere. Qui enim occidendi ausum habuit, de cadavere occisi comedendi licentiam non accepit."

Unde ita esse credendum est, quòd plerumque de culpis minimis ipse solus pavor egredientes iustorum animas purget. Nam in ipso exitu vitæ animæ electorum nimio terrentur metu, incertæ utrum ad præmium, an ad supplicium transeant. Quidam autem electi in fine suo purgantur a quibusdam levibus peccatis; quidam verò in ipso suo fine hilarescunt, æternorum contemplatione [8] bonorum.

CAPUT VIII.

Quòd mors [9] bonum aliquod non sit, et tamen bonis bona sit.

Mors, qua separatur corpus ab anima, est plerumque bonis bona; quia per eam pertransitur ad immortalitatem futuram. Non quia mors bonum aliquod facta est, quæ antea malum fuit; sed tantam Deus fidei præstitit gratiam, ut mors, quam constat esse vitæ contrariam, instrumentum fieret, per quod transiretur ad vitam.

(1) *Quantum totam molestiam.* L.
(2) *Mortem carnis.* L.
(3) *Tolerando.* L.
(4) *Item ex hoc.* D.
(5) *Moriantur?* L.
(6) Deest *eius.* L.
(7) *Quia idem quem viventem præsumpsit.* L.
(8) *Bonorum* deest in D.
(9) *Nec boni aliquid sit.* L.

CA-

CAPUT IX.

Contra eos qui dicunt, si in baptismo peccatum primi hominis solvitur, quare mors baptizatos homines (1) *subsequitur?*

Quos movet, cur mortem hominés patiantur, quorum per gratiam baptismi reatus absolvitur, (2) intendant. Qui enim hæc dicunt, solent argutis propositionibus dicere: Mors quæ in primum hominem venit, de malo inobedientiæ accidit, et ideo pro originali illo peccato mortis unicuique conditio (3) impertitur. Nos autem quorum originale peccatum in baptismate solvitur, cur mortis huius supplicio teneamur? His obiectionibus ratio (4) probata respondet. Sic enim de his doctor egregius Augustinus loquitur, dicens: " Ad hoc relinqui-
„ tur animæ experimentum sepa-
„ rationis a corpore, quamvis
„ ablato iam criminis nexu, quo-
„ niam si regenerationis sacra-
„ mentum continuò sequeretur
„ immortalitas corporum, ipsa fi-
„ des enervaretur, quæ tunc est
„ fides, quando expectatur in spe,
„ quod in re non videtur." (5)

S. August. *lib. 2. de Peccat. merit. et remis. cap.* 31. *et* 32.

Fidei autem robore atque certamine, in maioribus dumtaxat ætatibus, etiam mortis fuerat timor superandus: quod in sanctis martyribus maximè emicuit. Cuius profectò certaminis esset nulla victoria, nulla gloria, quia nec ipsum omnino (6) esset certamen, si post lavacrum regenerationis iam sancti non possent mortem perpeti corporalem. (7) Cum parvulis autem baptizandis, qui non ad baptismum propter Christi gratiam, sed propterea potius currerent, ne a corpore solverentur, atque ita non invisibili præmio probaretur fides: sed iam nec fideles essent, confestim sui operis quærendo et sumendo mercedem. Nunc verò maiore et mirabiliore gratiâ Salvatoris, (8) in usum iustitiæ peccati pœna conversa est. De hoc quoque ita Iulianus Pomerius ait: " Ideo regenerati
„ hinc ad æternam beatitudinem
„ transire sine carnis morte non
„ possunt, quia non præsentis est
„ vitæ, sed futuræ omne bonum,
„ quod in eis sacramenta, quibus
„ regenerantur, efficiunt. Et uti-
„ que, si spe salvi fiunt quicum-
„ que salvantur, et spes non tem-
„ poralis vitæ, sed æternæ est;
„ non spe aliqua salvarentur re-
„ generati in Christo, si non ad
„ æternam beatitudinem conse-
„ quendam, quæ non videtur,
„ cui militat spes, sed propter
„ hanc visibilem vitam sine ter-
„ mino possidendam, viderentur
„ velle in Christo renasci: atque
„ ita

(1) *Subsequatur.* L.
(2) *Attendant hanc optimam rei huius solutionem.* L.
(3) *Impartitur.* L.
(4) *Prolata.* D.
(5) Prosequitur editio L. *Hinc Paulus ad Rom. Spe salvi facti sumus; spes autem, quæ videtur non est spes, nam quod videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus speramus, per patientiam spectamus.*
(6) *Posset esse certamen.* L.
(7) Aliter editio Duac. *Cum parvulis autem baptizandis quis non ad Christi gratiam propterea potius curreret, nè a corpore solveretur? .... sed iam nec fides esset, confestim etc.*
(8) *In usus.* L.

„ ita nec fideles essent, in quibus „ nulla esset invisibilium fides, „ et ad bona invisibilia promerenda tepidi redderentur [1] vitæ huius temporalis amatores."

CAPUT X.

Quòd præsto sint Angeli, quando homines moriuntur.

Cum, imminente morte, animæ a corpore separantur, Angelos ibi adesse fatendum est, qui exeuntes a corporibus animas iustorum suscipiant, et piorum receptaculis introducant. Unde cum in Evangelio mentio divitis, et Lazari pauperis ageretur, sic scriptum est: *Contigit mori inopem illum, et deferri ab Angelis in sinum Abrahæ.* Qua sententia verissimè [2] confirmamur, quòd in separatione sanctarum animarum, et egressu a corpore, Angelorum semper habeantur excubiæ.

Luc. 16. 22.

Nam et S. Augustinus ex illa opinione disserens, qua voluit ostendere, si sciant mortui quid agant vivi, hoc quoque in disputatione prædictæ quæstionis interserens, ait: " Nisi enim essent „ Angeli, qui possent interesse „ vivorum et mortuorum locis, „ non dixisset Dominus Iesus: „ *Contigit autem inopem illum „ mori, et efferri ab Angelis in „ sinum Abrahæ.* Nunc ergo hìc, „ nunc ibi esse potuerunt, qui „ hinc illuc, quem Dominus vo-

Aug. de Cura gerenda p. mort. cap. 15.

„ luit, abstulerunt." Item idem Doctor in libris de Trinitate sic dicit: " Quicumque de die in „ diem proficiendo renovatur „ [3] in agnitione Dei, iustitiaque „ ac sanctitate veritatis, transfert „ amorem de temporalibus ad „ æterna. In quo profectu et „ accessu, tenentem mediatoris „ fidem cum dies vitæ huius [4] ul„ timus quemque compererit, per„ ducendus ad Deum quem co„ luit, et ab eo perficiendus, ex„ cipietur ab Angelis sanctis, in„ corruptibile corpus in fine sæ„ culi non ad pœnam, sed ad glo„ riam recepturus."

CAPUT XI.

De timore mortis corporeæ.

Mortem carnis omnis homo timet, et mortem animæ pauci. Pro morte carnis, quæ sine dubio quandoque ventura est, omnes curant ne veniat: inde est quod laborant. Laborat, ne moriatur, homo moriturus, et non laborat, ne peccet, homo in æternum victurus. Et cum laborat ne moriatur, sine causa laborat. Id enim agit, ut multum mors differatur, non ut [5] evadatur. Si autem peccare [6] nolit, non laboravit, et vivet in æternum. O si possemus excitare homines, et cum ipsis pariter excitari, ut tales essemus amatores vitæ permanentis, [7] quales sumus vitæ fugientis! Quid non [8] facit homo sub

(1) *Huius temporis amatores.* D.
(2) *Confirmamur.* D.
(3) *In agnitionem Dei iustitia et sanctitate veritatis, transfertur a morte ad vitam, et a temporalibus, etc.* L.
(4) Deest *ultimus* in D.
(5) *Evadat.* L.
(6) *Noluerit, non frustra laboravit.* L.
(7) *Quales sunt homines amatores vitæ fugientis.* L.
(8) *Fecit* L.

sub mortis periculo constitutus? Gladio impendente cervicibus, prodiderunt homines quicquid sibi, unde viverent, reservabant. Quis non continuò prodidit ne percuteretur, et post proditionem fortasse percussus est? Quis non continuò, ut viveret, prodere voluit unde viveret, eligens vitam mendicantem, quàm celerem mortem? Cui dictum est, naviga ne moriaris, et distulit? Cui dictum est, labora ne moriaris, et piger fuit? Levia Deus iubet, ut in æternum vivamus, et obedire negligimus. Non tibi dicit Deus, Perde quicquid habes, ut vivas exiguo tempore in labore sollicitus; sed, Da pauperi unde habes, ut vivas semper sine labore securus. Accusant nos amatores vitæ temporalis, quam nec cum volunt, nec quandiu volunt, habent. Et nos invicem non accusamus, tam pigri, tam tepidi ad capescendam vitam æternam, quam si voluerimus, habebimus; cum habuerimus, non amittemus. Hanc autem mortem quam timemus, etiamsi noluerimus, habebimus.

CAPUT XII.

De differentia timoris,(1) *quare unusquisque exploret, utrum tolerabilius sit plura genera mortium vivendo formidare, an unam ex his, quæ contigerit, sustinere.*

Lib. 1. de Civit. Dei, cap. 11.

„Quid interest (ait beatissimus „ Augustinus) quo mortis genere „ re vita ista finiatur, quando ille „ cui finitur, iterum mori non „ cogitur? Cum autem unicuique mortalium sub quotidianis „ vitæ huius casibus innumerabiles mortes quodammodo comminentur, quamdiu incertum „ est quænam earum ventura sit, „ quæro utrùm satius sit, unam „ perpeti moriendo, (2) an omnes „ timere vivendo. Nam nec ignoro, quàm citius eligatur diu „ vivere sub timore tot mortium, „ quam semel moriendo, (3) nullam deinceps formidare. Sed „ aliud est quod carnis sensus „ infirmiter pavidus refugit, aliud „ quod mentis ratio diligenter „ enucleata convincit. Mala mors „ putanda non est, quam bona vita præcesserit. Neque enim facit malam mortem, nisi quod „ sequitur mortem. Non itaque „ multum curandum est eis qui „ necessariò morituri sunt, quid „ accidat ut moriantur, sed moriendo quò ire cogantur. Cum „ igitur christiani noverint, longe meliorem mortem religiosi pauperis fuisse inter lingentium canum linguas, quàm impii divitis in purpura et bysso; „ horrenda illa genera mortium „ quid mortuis obfuerunt, qui bene vixerunt?" (4) Quid est ista mors? Relictio corporis, depositio sarcinæ gravis: sed si alia sarcina non portetur, qua homo in gehennam præcipitetur. De i-

(1) *Qua se.* L.

(2) Lips. addit: *Et nullam deinceps formidare, an omnes semper, etc.* Quod nec habent edit. S. Aug. a Sant-Maurinis.

(3) *Nullam deinceps.* L. et edit. S. Aug. Duacena verò *deinceps non formidare.*

(4) Ab his verbis in editione Lips. incipit alterum caput cum hoc titulo: *Qua ratione consolentur hi, qui mortem corpoream timent.* Unde hic primus liber in editione Duacena constat capitibus 21. et in Lips. 22.

ipsa ergo morte Dominus dicit:
Ioan. 8. 51. *Mortem non videbit in æternum, qui sermonem meum servaverit.* (1) Non expavescamus istam mortem, sed illam timeamus quæ gravior est. Quod autem est gravius, multi perversè timendo istam, inciderunt in illam. Dictum aliquibus est: " Adorate
Aug. *ibid.* „ idola: quod si non feceritis,
„ interficiemini, aut quemadmodum ille Nabucodonosor dixit:
Dan. 3. 15. „ *Si non feceritis, mittemini in*
„ *caminum ignis ardentis.* Multi timuerunt, et adoraverunt,
„ nolentes mori, et mortui sunt:
„ timendo mortem quæ non evaditur, inciderunt in mortem,
„ quam evadere feliciter possent, si istam quæ non evaditur, infeliciter non timerent."
Natus homo es, moriturus es. Quo ibis ut non moriaris? Quid facies ut non moriaris? Ut Dominus tuus necessitate te moriturum consolaretur, voluntate mori dignatus est. Quando vides Christum (2) mortuum, dedignaris mori? Ergo moriturus es: quo evadas hoc, non habes: hodie sit, eras sit, futurum est: debitum est reddendum. Quid ergo agit homo fugiens, timens, occultans se, ne inveniatur ab inimico? Numquid agit ut non moriatur? (3) non, sed ut serius paulò moriatur: non accipit debiti securitatem, sed præstolationem. Quamtumlibet diu differatur, veniet tamen quod differtur. Illam mortem timeamus secundam, quæ istam carnis mortem excipit primam. Servemus ergo sermonem Dei in fide, perventuri ad speciem, cum acceperimus plenissimam libertatem. De patribus enim olim mortuis tale Dominus responsum Iudæis dedit, dicens: *Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Iacob. Non est Deus mortuorum, sed vivorum.* Si ergo illi vivunt, laboremus sic vivere, ut cum illis (4) vivere mereamur, cum mortui fuerimus: hoc enim illud est, quod Dominus dicit: *Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet;* id est, qui credit in me, etiam si mortuus fuerit ad tempus in carne, vivit in anima, donec resurgat et caro, numquam postea moritura.
Matth. 22. 32.
Ioan. 12. 25.

CAPUT XIII.

De non timenda christianis morte corporis, propterea quòd iustus ex fide vivit.

Ut ait ex hoc doctor et martyr B. Cyprianus. " Eius est mortem
Lib. de Mortalitate, pag. 229. in edit. Parisiens. ann. 1726.
„ timere, qui ad Christum non
„ vult ire: eius est ad Christum
„ nolle ire, qui se non credit
„ cum Christo incipere regnare.
„ Scriptum est enim: *Iustus au-*
Rom. 1. 17.
„ *tem ex fide vivit.* Si iustus es,
„ et ex fide vivis, si verè in Deum
„ credis, cur non cum Christo
„ futurus, et de Domini pollici-
„ tatione securus, quod ad Chri-
„ stum vocaris, amplecteris, et
„ quòd diabolo careas, gratula-
„ ris? Simeon denique ille iu-
Luc. 2. 25. *et seq.*
„ stus, (5) qui verè iustus fuit,
„ qui

(1) *Expavescamus istam mortem.* L. in qua etiam deest *quæ gravior est.*
(2) *Sine necessitate mortuum.* L.
(3) Deest *non* in L.
(4) *Pariter vivere possimus.* L.
(5) *Qui verè iustus fuit* : desunt hæc ver-

„ qui fide plena Dei præcepta ser-
„ vavit : cum ei divinitus respon-
„ sum fuisset, quòd non ante mo-
„ reretur, quàm Christum Domi-
„ ni videret, et Christus infans in
„ templum cum matre venisset,
„ agnovit in spiritu natum esse
„ (1) Christum, de quo sibi fuerat
„ ante prædictum. Quo viso, sci-
„ vit se citò esse moriturum. Læ-
„ tus itaque de morte iam proxi-
„ ma, et (2) de vicina accersione
„ securus, accepit in manus pue-
„ rum, et benedicens Deum, ex-
„ clamavit et dixit: *Nunc dimit-*
„ *tis Domine servum tuum in*
„ *pace, secundùm verbum tuum:*
„ *quia viderunt oculi mei salu-*
„ *tare tuum.* Probans (3) scilicet
„ atque contestans, tunc esse ser-
„ vis Dei pacem, tunc liberam,
„ tunc tranquillam quietem, quan-
„ do de istius mundi turbinibus
„ extracti, sedis et securitatis
„ æternæ portum petimus, (4) quan-
„ do exfuncta vita hac, morte ad
„ immortalitatem venimus. Illa
„ est enim pax nostra, illa fida
„ tranquillitas, illa stabilis et fir-
„ ma et perpetua securitas."

CAPUT XIV.

Quibus ex causis timor mortis humanæ valet temperari: et ut diem mortis potius amplecti quàm timere debeamus: et quod magnus illic carorum numerus nos expectet.

Prædictus Doctor ait: "Regnum S. Cypr. *laudato libro de Mortalit.*
„ Dei, fratres carissimi, esse cœ-
„ pit in proximo: præmium vi-
„ tæ, et gaudium salutis æter-
„ næ, et perpetua lætitia, et
„ possessio paradisi (5) nuper amis-
„ sa, mundo transeunte, iam ve-
„ niunt. Iam terrenis cælestia,
„ et magna parvis, et caducis
„ (6) cælestia succedunt. Quis hìc
„ anxietatis et sollicitudinis locus
„ est? Quis inter hæc trepidus et
„ mœstus est, nisi cui spes et fides
„ deest?" Item idem Doctor post *Ibid.*
aliqua: " Quid aliud in mundo
„ quàm pugna adversùs diabolum
„ quotidie geritur, quàm adversùs
„ iacula eius et tela conflictationi-
„ bus assiduis dimicatur? Cum
„ avaritia nobis, cum impudicitia,
„ cum ira, cum ambitione con-
„ gressio est: cum carnalibus vi-
„ tiis, cum illecebris sæcularibus
„ as-

Tom. II. C

verba in ed. Duac. sed habet Lip. et etiam Paris. a quodam Monacho S. Mauri absoluta anno 1726: cum qua cetera testimonia contulimus. Verùm admonemus hoc loco lectorem, quòd quamvis edit. Lip. Ioan. Cochlæi frequenter consentiat cum editionibus SS. Patrum, quorum sententiæ in hoc opusculo laudantur, consultò tamen a nobis lectiones editionis Duacenæ, licèt ab illis aliquantò diversas, in contextum admissas esse, quando apertè non repugnant auctoris sententiæ. Cuius deliberationis duplex nobis ratio fuit: primùm, quod consensus editionis Lips. cum editionibus SS. Patrum nobis valde suspectus sit, magisque videatur editoris diligentiæ tribuendus, qui SS. testimonia ad proprios fontes conformare curavit, opuscula unde desumpta sunt, annotando ad marginem: quæ diligentia in Duacena desideratur, ut dubitare non liceat, Boetium eius curatorem nihil de suo codice pro arbitrio immutasse. Deinde, cum ipse Iulianus asserat, *in libello conscribendo maiorum sententias semper atque doctrinam, non semper tamen illorum verba adhibuisse, sed nonnumquam proprio stilo conscripsisse*, quæ in illorum libris legisse se meminerat, nemo lectionem Duacenæ edit. propterea reiiciendam putabit, quod totidem verbis non semper respondeat editionibus SS. Patrum.

(1) *Iam Christum.* L.
(2) *De divina accersione.* L.
(3) Lips. habet *semel* pro *scilicet*, quod est in Duac. in qua paulò infra deest *servis.*
(4) *Quando extincta hac morte ad immortalitatem, &c.* L. Edit. Paris. S. Cypr. *Expuncta hac morte*, et infra *pax vera.*
(5) *Promissa.* L. et edit. S. Cypr.
(6) *Æterna succedunt.* L.

„ assidua et molesta luctatio est. „ Obsessa mens hominis, et undi- „ que diaboli infestatione vallata, „ vix occurrit singulis, vix resistit. „ Si avaritia prostrata est, exur- „ git libido: si libido compressa „ est, succedit ambitio: si am- „ bitio contempta est, ira exa- „ sperat, inflat superbia, vinolen- „ tia invitat, invidia concordiam „ rumpit, amicitiam zelus abscin- „ dit. Cogeris maledicere, quod „ divina lex prohibet: compel- „ leris iurare, quod non licet. „ Tot persecutiones animus quo- „ tidie patitur, tot periculis pe- „ ctus urgetur; (1) et delectat hìc „ inter diaboli gladios diu stare, „ cum magis concupiscendum sit „ et optandum, ad Christum sub- „ veniente velocius morte (2) trans- „ ire: ipso instruente et dicen- *Ioan. 16. 20.* „ te nobis: *Amen amen dico vo-* „ *bis, quoniam plorabitis* (3) *et* „ *flebitis vos, sæculum autem* „ *gaudebit: vos tristes eritis,* „ *sed tristitia vestra in lætitiam veniet.* Quis non tristi- „ tia carere optet? Quis non ad „ lætitiam venire festinet? Quan- „ do autem in lætitiam veniet „ nostra tristitia, Dominus ipse *Ibid. 22.* „ denuo declarat dicens: *Iterum* „ *autem videbo vos, et gaude-* „ *bit cor vestrum, et gaudium* „ *vestrum nemo tollet a vobis.* „ Cum ergo Christum videre, „ gaudere sit, nec possit esse gau- „ dium nostrum, nisi quis vide- „ rit Christum; quæ cæcitas ani- „ mi, quæve dementia est, ama- „ re pressuras, et pœnas, et la- „ crymas mundi, et non festi- „ nare potius ad gaudium quod „ numquam possit auferri? Hoc „ autem fit, quia fides deest, quia „ nemo credit vera esse quæ „ Deus promittit, qui verax est, „ cuius sermo credentibus æter- „ nus et firmus est. Si tibi vir „ gravis et laudabilis aliquid pol- „ liceretur, haberes pollicenti fi- „ dem: nec te falli aut decipi ab „ eo crederes, quem stare in ser- „ monibus atque actibus suis sci- „ res. Deus tecum loquitur, et „ tu mente incredula perfidus flu- „ ctuas? Deus de hoc mundo „ recedenti (4) æternitatem polli- „ cetur, et dubitas? Hoc est o- „ mnino Deum non nosse, hoc „ est Christum credendi magi- „ strum peccato incredulitatis of- „ fendere, hoc est in Ecclesia „ constitutum, fidem in domo „ fidei non habere. Quantum pro- „ sit exire de hoc sæculo, Christus „ ipse salutis atque utilitatis no- „ stræ magister ostendit; qui, „ cum discipuli eius conturbaren- „ tur, quod se iam diceret re- „ cessurum, locutus est ad eos „ dicens: *Si me diligeretis, gau-* *Ioan. 14. 28.* „ *deretis, quoniam vado ad Pa-* „ *trem:* docens et ostendens, „ cum cari quos diligimus de „ sæculo exeunt, gaudendum es- „ se potius quàm dolendum. Cu- „ ius rei memor B. Paulus Apo- „ stolus in epistola sua ponit, et „ dicit: *Mihi vivere Christus* *Ad Philip. 1. 21.* „ *est, et mori lucrum:* lucrum „ maximum deputans, iam sæ- „ culi laqueis non teneri, iam „ nullis concupiscentiis et vitiis „ carnis obnoxium fieri, exem- „ ptum

(1) *Et delectatur.* D.
(2) *Properare.* L.
(3) *Et plangetis.* L.
(4) *Immortalitatem, atque æternitatem.* L.

„ ptum pressuris [1] urgentibus, et „ venenatis diaboli faucibus liberatum, ad lætitiam salutis æternæ Christo vocante proficisci.

Ibid. „ Si igitur in Christo credimus, fidem [2] verbis eius habeamus, et non morituri in æternum, ad Christum cum quo victuri et regnaturi sumus, læta securitate veniamus. Quòd interim morimur, ad immortalitatem morte transgredimur. „ Nec potest vita æterna succedere, nisi hinc contigerit exire: non est exitus iste, sed transitus, et temporali itinere decurso ad æterna transgressus. „ Quis non ad meliora festinet? „ Quis non immutari et reformari „ ad Christi speciem, et ad cælestis „ gratiæ dignitatem citius exoptet?

Ibid. Item: „ Venturus ad Christi „ sedem, et ad regnorum cælestium claritatem, lugere non „ debet et plangere, sed potius „ secundùm pollicitationem Domini, secundùm fidem veram, „ in sua profectione ac translatione gaudere.

Ibid. Item: „ Eius est in mundo diu „ manere velle, quem mundus oblectat, quem sæculum „ blandiens atque decipiens, illecebris terrenæ voluptatis invitat. Porrò cum mundus oderit „ christianum, quid amas eum „ qui te odit, et non magis sequeris Christum qui te redemit „ et diligit?

Item: „ Mente integra, fide „ firma, virtute mentis robusta, „ parati ad omnem voluntatem „ Dei simus: pavore mortalitatis „ excluso, immortalitatem, quæ „ sequitur, cogitemus. Hoc nos „ ostendamus esse, quod credimus, ut nec carorum lugeamus excessum, et cum accersionis propriæ dies venerit, incunctanter et libenter ad Dominum, ipso vocante, perveniamus. Quod cum semper faciendum fuerit Dei servis, nunc „ fieri multò magis debet, corruente iam mundo, et malorum infestantium turbinibus obsesso: ut qui cernimus cœpisse „ iam gravia, et scimus immi„ nere graviora, lucrum maximum deputemus, si istinc velocius recedamus. [3] Si in habitaculo tuo parietes vetustate „ nutarent, tecta desuper [4] tremerent, domus iam fatigata, „ iam lassa, ædificiis senectute „ labentibus, ruinam proximam „ minaretur, nonne omni celeritate migrares? Si navigante „ te, turbida et procelosa tempestas, fluctibus violentiùs excitatis, pronuntiaret futura nau„ fragia, nonne portum velocius peteres? Mundus ecce nutat et labitur, et ruinam sui „ [5] non senectute rerum, sed fine „ testatur: et tu non Deo gratias „ agis? [6] non tibi gratularis „ quod exitu maturiore subtractus, ruinis et naufragiis et „ plagis imminentibus exueris?

Item: „ Amplectamur diem, „ qui assignat singulos domicilio „ suo: qui nos istinc ereptos, „ et laqueis sæcularibus exutos, „ pa-

(1) *Augentibus.* Duac. editio.
(2) *Verbis, et promissis eius.* L.
(3) *Si habitaculi tui parietes.* L.
(4) *Tremiscerent.* L.
(5) *Non iam senectute.* L.
(6) Deest *tibi* in L.

„ paradiso restituit et regno. Quis „ non peregre constitutus (1) pro„ peret in patriam regredi? „ Quis non ad suos navigare fe„ stinans, ventum prosperum cu„ pidiùs exoptaret, ut velociter „ liceret caros amplecti? Pa„ triam nostram paradisum de„ putemus, parentes iam patriar„ chas habere cœpimus. Quid „ non properamus et currimus, „ ut patriam nostram videre, et „ parentes nostros salutare possi„ mus? Magnus illic nos carorum „ expectat numerus, parentum, „ fratrum, filiorum, frequens nos „ et copiosa turba desiderat: iam „ de sua incolumitate secura, „ adhuc de nostra salute solliciı„ ta. Ad eorum conspectum et „ complexum venire, quanta et „ illis et nobis in commune læ„ titia est? (2) Qualis illic cæle„ stium regnorum voluptas sine „ timore moriendi, et cum æter„ nitate vivendi quàm summa „ et perpetua felicitas? Illic est „ Apostolorum gloriosus chorus, „ illic Prophetarum exultantium „ numerus, illic Martyrum in„ numerabilis populus. Ad hos „ avida cupiditate properemus, „ ut cum ipsis citò esse possi„ mus, ut citò ad Christum „ provenire contingat, optemus. „ Hanc cogitationem nostram „ Deus videat, hoc propositum „ (3) mentis et fidei Christus aspi„ ciat, daturus eis claritatis suæ „ ampliora præmia, quorum cir„ ca se fuerint desideria maio„ ra."

(1) *Properaret.* L.
(2) *Quanta illic cælestium regnorum voluntas.* Duac.
(3) *Mentis nostræ.* L.
(4) *Quamque perversum.* L.

CAPUT XV.

Quàm contraria sit Dominicæ orationi nostra voluntas, quando et quotidie ut fiat voluntas Dei oramus, et transire ad eum insistente mortis metu nolumus, cum exemplo cuiusdam fratris, cui timenti exire de sæculo, increpans apparuit Christus.

De his prædicti Doctoris sententia hæc est. Dicit enim: „ Me„ minisse debemus voluntatem „ nos non nostram, sed Dei fa„ cere debere, secundùm quod „ nos Dominus quotidie iussit „ orare. Quàm præposterum est, „ (4) quàm perversum, ut cum vo„ luntatem Dei fieri postulemus, „ quando evocat nos et accersit „ de hoc mundo Deus, non sta„ tim voluntatis eius imperio „ pareamus? Obnitimur et relu„ ctamur, et pervicacium more „ servorum ad conspectum Do„ mini cum tristitia et mœrore „ perducimur, exeuntes istinc „ necessitatis vinculo, non ob„ sequio voluntatis; (5) et volumus „ ab eo præmiis cælestibus hono„ rari, ad quem venimus inviti? „ Quid ergo oramus et petimus, „ ut adveniat regnum cælorum, „ si terrena captivitas delectat? „ Quid precibus frequenter (6) ite„ ratis, rogamus et poscimus, „ ut (7) acceleret dies regni, si „ maiora desideria et vota po„ tiora sunt, servire istic diabo„ lo,

S. Cyprianus *eod. lib. de Mortalit.*

(5) *Et* deest in Lip. sed habet Duac. cui consonat edit. S. Cypr.
(6) *Reiteratis.* L.
(7) Ita etiam edit. S. Cypr. Lip. verò *Acceleretur.*

„ lo, quàm regnare cum Christo? „ Denique ut manifestiùs divinæ „ providentiæ indicia clarescerent, quòd Dominus præscius „ futurorum suis consulat ad salutem; cum quidam de collegis et consacerdotibus nostris, „ infirmitate iam defessus, et de „ appropinquante morte sollicitus, commeatum sibi precaretur, astitit deprecanti, et iam „ penè morienti iuvenis, honore et maiestate venerabilis, „ statu excelsus, et clarus aspectu, et quem assistentem sibi „ vix posset humanus aspectus „ oculis carnalibus intueri, nisi „ quòd talem videre iam poterat de sæculo recessurus. Ad „ quem ille non sine quadam animi et vocis indignitate infremuit, et dixit, Pati timetis, „ exire non vultis: quid faciam „ vobis? Increpantis vox est [1] et „ monentis, qui de profectione „ sollicito, de accersione securo, „ non consentit ad præsens desiderio, sed consulit in futuro."

CAPUT XVI.

Ne desperatione frangamur, cum imminente morte turbamur.

Solent quidam dicere: Numquid animus Christiani etiam morte imminente debet turbari? Qui enim hæc dicunt, accipiant congruum sibi responsum. [2] Firmi quidem sunt Christiani, si qui sunt, qui nequaquam morte imminente turbantur: sed numquid Christo firmiores? Quis hoc insanissimus dixerit? Quid est ergo quòd ille turbatus est, nisi quia infirmos in suo corpore, hoc est, in sua Ecclesia, suæ infirmitatis [3] similitudine consolatus est? ut si qui suorum adhuc morte imminente turbantur, ipsum intueantur, [4] nec hoc ipso se putent reprobos, et peiore desperationis morte absorbeantur? Quantum itaque bonum de participatione divinitatis eius expectare et sperare debemus, cuius nos et perturbatio tranquillat, et infirmitas firmat?

Nam et beatus Petrus Apostolus, dicente sibi Domino: *Cum senueris, extendes manus tuas, et alius te* [5] *cinget, et ducet quò tu non vis*; quid aliud nisi solutus a corpore volebat esse cum Christo? Sed si fieri posset, sublata mortis molestia, vitam concupiscebat æternam: [6] ad quam mortis molestiam nolens ductus est, et reliquit hunc infirmitatis affectum. Quod nemo vult mori, adeo usque naturale est, ut hoc ipsi beato Petro nec senectus auferre potuerit: cui dictum est, cum senueris, ducendus es quo non vis. Ac proinde quantacumque sit molestia mortis, debet eam vincere vis amoris, quo amatur ille, qui, cum sit vita nostra, etiam mortem voluit perferre pro nobis. Nam si nulla esset mortis vel parva molestia, non esset tam magna martyrum gloria. *Ioan.* 21. 18.

(1) *Et monentis eum, qui de persecutione sollicitus, de accersione securus, non consentit*, ita Lip. edit. S. Cypr. habet *sollicitis... securis... desiderium.* In reliquis consentit Duacenæ.
(2) *Firmissimi.* L.
(3) *Voluntaria similitudine.* L.
(4) *Ne hoc ipso se putantes reprobos, peiore desperatione.* L.
(5) *Præcinget, et ducet quà non vis.* L.
(6) Duac. *Ad quam mortis molestiâ nolens ductus est, et reliquit hunc infirmitatis affectum, quo nemo vult mori, usque adeo naturali, ut, etc.*

CA-

CAPUT XVII.

Quòd orationi in fine insistere debemus, et commendare nos fratrum precibus.

Cum extrema debiti finis imminet hora, oratio nos debet [1] iuvare continua. Si enim ad ignota vel longe posita loca in hoc mundo transire disponimus, modò nos fratrum orationibus commendamus, modò nos ipsos in ipso profectionis articulo continua lacrymarum [2] inundatione perfundimus, [3] precantes a Domino, ut placidis itinerum gressibus properemus. Et si hæc tam studiosè, manente adhuc complexu [4] corporis et animæ, inter cognita sæculi agimus, quantò studiosius in fine nostro facere debemus, cum ad illam regionem transitum facimus, ubi peracta separatione corporis ab anima, [5] tam incogniti pervenimus, ut nulla nobis hìc dum vivimus cognitio maneat, utrum nos post mortem beata vita recipiat, an rapiamur exeuntes [6] de corpore ad tormenta? Nam quia et diabolus extrema vitæ nostræ suis laqueis innectere nititur, si in ipso exitu piis fratrum precibus, et sedulis psalmodiæ officiis muniamur, longe ille semper repellitur, nec audet se nociturum divinis castris ingerere, ubi audit nomen Domini per ora concinentium fideliter resonare. Quosdam enim legimus in hora exitus sui, ab assistente diabolo, et insidiante, fraternis precibus et psalmodiæ frequentia liberatos. Unde non est dubium, quia cum pii fideles et verissimi christiani ex hoc sæculo transeunt, si sedula et frequens fratrum adiuverit oratio, non eos audeat contingere malignorum spirituum cruenta incursio.

CAPUT XVIII.

Quòd conditiones sepulturæ, et curationes funerum debitè fidelibus impendantur.

„ Licet [7] curatio funeris et „ conditio sepulturæ seu pompa „ exequiarum, magis sint vivo„ rum solatia, quàm subsidia „ mortuorum; non tamen con„ temnenda nec abiicienda sunt „ corpora defunctorum, maxi„ meque iustorum atque fide„ lium, quibus tamquam orga„ nis et vasis ad omnia bona „ [8] opera sanctus usus est Spiri„ tus. Si enim paterna vestis et „ annulus, ac si quid huiusmodi, „ in tantum posteris carus est, in „ quantum erga parentes maior „ affectus est; quanto magis nul„ lo modo ipsa spernenda sunt „ corpora, quæ utique [9] tantò „ coniunctius atque familiarius, „ quàm quælibet indumenta, ge„ stamus." Ac proinde quicquid humano corpori impenditur, non est præsidium salutis, sed humanitatis officium, secundùm af-

Ex D. Aug. *de Cura pro mort. cap. 3. et de Civit. lib. 1. cap. 13.*

(1) *Adiuvare.* L.
(2) *Exundatione.* L.
(3) *Precantes Dominum.* L.
(4) *Carnis et animæ, inter incognita sæculi.* Duac.
(5) *Ad tam incognita.* L.
(6) *A corpore.* L.
(7) Duac. *cum ratio funeris.*
(8) *Opera perficienda.* L.
(9) *Multò familiarius, atque coniunctius.* L.

affectum, quo nemo unquam carnem suam odio habet. Unde oportet, ut [1] qui potest, pro carne proximi curam gerat, cum ille inde recesserit qui gerebat. Et si hæc faciunt qui carnis resurrectionem non credunt, quantò magis debent facere qui credunt, ut corpori mortuo, sed tamen quandoque resurrecturo et in æternitate mansuro, impensum huiusmodi officium sit etiam quodammodo eiusdem fidei testimonium. S. Aug. *ubi supr.* " Nam et antiquorum *Genes. ult.* „ iustorum funera, officiosa pie- „ tate curata sunt, et exequiæ „ celebratæ, et sepultura provi- „ sa. Ipsi quoque dum viverent „ de sepeliendis, vel etiam trans- *Genes.* 47. 30. „ ferendis suis corporibus man- *Tob.* 12. 12. „ daverunt filiis. Et Tobias se- „ peliendo mortuos, Dominum „ promeruisse, teste Angelo, com- „ mendatur. Ipse quoque Domi- *Matth.* 26. 1. „ nus die tertia resurrecturus, „ religiosæ mulieris opus bonum „ prædicat, prædicandumque „ commendat, quòd unguentum „ pretiosum super membra eius „ effuderit, atque hoc ad eum „ sepeliendum fecerit. Et lauda- *Matth.* 27. 59. 60. „ biliter commemorantur in „ Evangelio, qui corpus eius de „ cruce acceptum, diligenter „ atque honorificè tegendum se- „ peliendumque curarunt. Ve- „ rùm istæ auctoritates non hoc „ admonent, quod insit ullus ca- „ daveribus sensus; sed ad Dei „ providentiam, cui placent „ etiam talia pietatis officia, mor- „ tuorum quoque corpora perti- „ nere significant, propter resur- „ rectionis fidem [2] adstruen- „ dam."

CAPUT XIX.

Utrum prosit defunctis, si corpora eorum in Ecclesiis tumulentur.

Cum quisque apud memorias martyrum sepelitur, hoc tantum prodest defuncto, ut commendans eum is, qui superstes est, martyrum patrocinio, affectus pro eo supplicationis augeatur. Cum ergo recolit animus, ubi sepultum sit carissimi corpus, et occurrit animo locus nomine martyris venerabilis, eidem martyri animam dilectam commendat recordantis et precantis affectus. Qui tamen affectus cum defunctis a fidelibus carissimis exhibetur, eis prodesse non dubium est, qui cum in corpore viverent, talia sibi post hanc vitam prodesse meruerunt. Ex August. *de Cura pro mort. cap.* 4.

CAPUT XX.

Quòd multum prosit mortuo in Ecclesia tumulato fides, qua creditur, martyris apud quem conditur, patrocinio adiuvari.

Plerique fidelium cùm fidei præcedentis affectu, aut sua, aut suorum corpora apud memorias martyrum præcipiunt tumulari, non puto infructuosum esse quod creditur, aut inane, quod fideliter de divino auxilio speratur; tantum si non sint [3] huiusmodi, qui in Ecclesiis sepeliuntur, insolubiles culpæ, quæ eos non sinant, etiam

(1) *Quam potest.* D. (2) *Tenendam.* D. (3) *Huiusmodi eorum.* L.

etiam oblatis Deo sacrificiis, adiuvari post mortem. Ac proinde si fides illa habere meritum creditur, qua [1] quisque imprecator pro defuncto suo in locis martyrum tumulato [2] deprecatur; quanto magis illa fides spei suæ fructum consequitur, quæ in vivente adhuc remediabilem [3] sui cadaveris providet locum? Etenim S. Augustinus inquirenti de hac quæstione Paulino Episcopo sic respondit: « Cum fidelis mater fidelis [4] filii „ corpus desideravit in Basilicam „ martyris poni, siquidem credidit eius animam meritis martyris adiuvari, hoc quod ita „ credidit, [5] supplicatio fuit, et „ hæc profuit, siquid profuit. Et „ quòd ad idem sepulcrum re„ currit animo, et filium preci„ bus magis magisque commen„ dat, adiuvat defuncti spiritum, „ non mortui corporis locus, sed „ ex loci memoria vivus matris „ affectus. Simul enim et quis, „ et cui commendatus sit, non „ utique infructuosè religiosam „ mentem rogantis attingit. » Hæc sanctissimi Augustini verba sunt, quibus creditur non esse fidem illorum vacuam, qui piè viventes, suorum cadavera in memoriis martyrum præcipunt tumulanda: licèt multis aliis rationibus, et maiorum didicerimus exemplis, quòd illi damnabiliter in Ecclesia tumulentur, qui usque in finem suum sceleratissimè vivunt. Nam meritum, per quod illis ista prosint, si nullum comparatum est in hac vita, frustra quæritur post hanc vitam. Ut enim hoc, quod impenditur, possit eis prodesse post corpus, in ea vita est acquisitum, quam quisque gessit in corpore.

S. Aug. *de Cura pro mort. cap.* 5,

CAPUT XXI.

De oblationibus, quæ pro fidelibus defunctis offeruntur.

In Machabæorum libris legimus oblatum pro mortuis sacrificium. Sed etsi nusquam in Scripturis veteribus omnino legeretur, [6] non parvipendenda esset universæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret, auctoritas: ubi in precibus sacerdotis, quæ Domino Deo ad eius altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum. Cum enim [7] sacrificium Deo pro spiritibus defunctorum offertur, pro valde bonis gratiarum actiones sunt, pro non valde bonis propitiationes sunt, pro valde malis etiamsi nulla sint adiumenta mortuorum, qualescumque tamen sunt consolationes viventium. Quibus tamen prosunt, aut ad hoc prosunt, ut plena sit remissio, aut certè ut tolerabilior [8] sit ipsa damnatio. 2. *Machab.* 12. 43.

EXPLICIT LIBER PRIMUS.

(1) *Quisquis ille impletus pro defuncto.* D.
(2) *Deum deprecatur.* L.
(3) *Sibi sui cadaveris.* L.
(4) *Filii defuncti.* Lips. et edit. S. Aug.
(5) *Supplicatio quædam fuit.* L. et edit. S. Aug.
(6) *Non parva est universæ Ecclesiæ.* D.
(7) *Sacrificia.... offeruntur.* L.
(8) *Fiat ipsa damnatio.* L.

PRO-

PROGNOSTICON

LIBER SECUNDUS.

QUOMODO SE ANIMÆ DEFUNCTORUM habeant ante resurrectionem corporum.

CAPUT I.

De differentia paradisorum.

Unus est terrenus paradisus, ubi primorum hominum vita corporaliter extitit: alter vero cælestis, ubi animæ beatorum, statim ut a corpore exeunt, transferuntur, atque digna felicitate lætantes, expectant receptionem corporum suorum. De hoc paradiso Iulianus Pomerius ait: " Hinc quoque vi-
„ dentur animæ iustorum duci,
„ vel ire in paradisum recedentes a corpore, quo se raptum
„ dicit Apostolus, mente profe-
„ ctò non corpore." Item idem post aliquanta dicit: " (1) Satis est
„ dictum de paradiso cælesti, et
„ quod in eo sanctæ animæ statim de suis corporibus exeuntes, Deo donante, mittantur.
„ Quod ita debere credi, Domi-
„ nus noster Iesus Christus sua
„ auctoritate firmavit, ubi latro-
Luc. 23. 43. „ ni dicendo, *Hodie mecum eris*
„ *in paradiso*, sine ulla ambiguitate probavit, quòd beatas ani-
„ mas suis exutas corporibus pa-
„ radisus cælestis sine ullo inter-
„ vallo temporis suscipiat.

Iulianus Pomerius *in Dialog. de Animæ natura*, octo libris comprehenso, *lib.* 8. qui, teste S. Isidoro, de resurrectione agebat, seu finibus bonorum, et malorum, quod opus omnino periit.

CAPUT II.

Ubi sit paradisus, in quo beatorum animæ exutæ corporibus requiescunt.

Legimus in B. Augustino, cum verba illa Apostoli enucleatissimè definiret, quibus se idem Apostolus in tertium cælum raptum fuisse commemorat, quod in tertio cælo sit paradisus, in quo fuerit Apostolus raptus, et ubi beatorum animæ locantur exutæ corporibus: definiens idem Doctor, primum cælum esse corporeum, secundum spiritale, tertium mentale, (2) in quod mentis ascenditur contemplatione, ita asserens: " Si primum cælum rectè
„ accipimus hoc omne corpo-
„ reum, (3) quicquid est super
„ aquas et terram. Secundum
„ autem in similitudine corpo-
„ rali quod (4) ipsum cernitur, sic-
„ ut illud, unde animalibus ple-
„ nus in ecstasi Petro discus ille
„ submissus est. Tertium vero
„ quod mente conspicitur, (5) ita
„ secretum et remotum et omni-
„ no arreptum a sensibus carnis
„ atque mundatum, ut ea quæ
„ in illo sunt, et ipsam Dei sub-
„ stantiam, (6) Verbumque Deum
„ per

D. Aug. *de Gen. ad litt. lib.* 12. *cap.* 34.

2. *Cor.* 12. 2.

Act. 10. 10. 11.

Tom. II.

(1) *Satis est de paradiso cælesti scire.* L.
(2) *In quo.* D.
(3) *Generali nomine quidquid.* L.
(4) *Spiritu.* L.

(5) Ita in Lips. et Duac. At verò S. August. editi libri habent *ita secreta, et remota, et .... arrepta .... atque mundata.*
(6) *Verbumque Dei per quod.* L.

D

„ per quem facta sunt omnia, in „ caritate sancti Spiritus ineffabiliter valeat videre et audire, „ non incongruenter arbitramur „ et illuc esse Apostolum raptum, et ibi paradisum fortassis esse omnibus meliorem, et „ si dici oporteat, paradisum paradisorum."

CAPUT III.

Quid significet sinus Abrahæ, in quo beatorum animæ recipiuntur.

Sinum Abrahæ requiem patris, vel (1) secretum patris, sive etiam paradisum significare, multiplicium Doctorum sententiis definitum esse non ambigo, cum inter ceteros Ambrosius, Augustinus, atque Gregorius tanti Patriarchæ sinum nihil aliud (2) significasse elegantius docuerint.

CAPUT IV.

De differentia infernorum.

D. Aug. *Enarr. in Psal.* 85. *v.* 13. *n.* 17.

De discretione infernorum in B. Augustini tractatibus legisse me memini: ubi duo inferna esse manifestiùs dicit, ut unus infernus (3) supra terram, alter vero sub terra infernus esse accipiatur, secundum vocem Psalmistæ Deo confitentis: *Eruisti animam meam ex inferno inferiori.* Nam propter duo ista inferna missus est filius Dei, (4) undique liberans. Ad hunc infernum missus est nascendo, ad illum moriendo. (5) Et hæc quidem dicens, " Infernum, „ (ait) Fratres, nec ego expertus „ sum adhuc, nec vos, et fortasse „ alia via erit, et per infernum „ non erit: incerta sunt hæc. Ve„ rùm quia dicit Scriptura, cui „ contradici non potest, *Eruisti „ animam meam ex inferno in„feriori*, intelligimus tanquam „ duo inferna esse, superius et „ inferius. Nam unde (6) infernus „ inferior, nisi quia est et supe„ rior?" Item aliam opinionem idem Doctor sanctissimus ponit, dicens quod apud ipsos inferos sit aliqua pars inferior, ubi dives ille immaniter torquebatur, et aliqua pars superioris inferni, in quo Abraham cum Lazaro lætabatur, ubi etiam omnes sancti ante adventum Christi habiti sunt. Sic enim prædictus Doctor ait: " Fortassis (7) apud inferos est ali- *Ibid. n.* 18. „ qua pars inferior, quo trudun„ tur impii qui plurimum pec„ caverunt. Etenim apud infe„ ros utrum in locis quibusdam „ iam fuisset Abraham, non satis „ possumus definire. Nondum „ enim (8) venerat Christus ad in„ fernum, ut erueret inde omnium „ sanctorum præcedentium ani„ mas, et tamen Abraham in re„ quie ibi erat. Et quidem dives „ cum torqueretur apud inferos, „ cum videret Abraham, levavit „ oculos. Non enim posset le„ va-

Psalm. 85. *v.* 13.

(1) *Secretum quietis æternæ.* L.
(2) *Quàm id ipsum significasse.* L.
(3) *Superior super terram, alter verò infernus inferior sub terra esse.* L.
(4) *Nos utique liberans.* Lip. edit. S. August. *nos undique.*
(5) Lips. *Et hunc quidem dicens infernum (ait): Fratres.*
(6) Lips. *Infernum inferius, nisi quia infernum est superius.*
(7) *Apud ipsos inferos.* L. et edit. S. August.
(8) *Dominus venerat ad infernum.* L. et edit. S. Aug.

„ vatis oculis videre, nisi ille es-
„ set superiùs, et ille inferùis.
„ Et quid ei respondit Abraham,
Luc.16.24. „ cum diceret, *Pater Abraham,*
„ *mitte Lazarum ut intingat*
„ *digitum suum* (1) *in aquam,*
„ *et stillet in linguam meam,*
„ *quoniam crucior in hac flam-*
V.25. „ *ma? Fili, memento*, ait, *quia*
„ *percepisti bona in vita tua,*
„ *et Lazarus mala: Nunc au-*
„ *tem hic requiescit, tu autem*
V.26. „ *torqueris.* Et super hæc ait:
„ *Inter nos, et vos chaos ma-*
„ *gnum firmatum est, ut nec*
„ *nos possimus* (2) *ire ad vos, nec*
„ *inde aliquis venire ad nos.*"
Hæc ergo fortasse sunt duo inferna, quorum in uno quieverunt animæ sanctorum, in altero torquentur animæ impiorum.

CAPUT V.

Unde dictus sit infernus.

Ex S. Aug. *de Gen. ad litt. lib.* 12. *cap.* 33. *n.* 66.

(3) Infernus dictus est eo quod infra sit. Sicut enim secundùm corpus, si ponderis sui ordinem teneant, inferiora sunt omnia graviora, ita secundùm spiritum inferiora sunt omnia tristiora. Unde et in Græca lingua origo nominis, quo appellantur inferi, pro eo quòd (4) nihil sub se habeant, resonare perhibetur.

CAPUT VI.

Quales sint inferi, vel si sint corporei.

S. Aug. *ubi sup. n.* 62. "Est quædam (ut ait beatissi-

„ mus Augustinus) inferorum sub-
„ stantia, sed eam spiritalem esse
„ arbitror, non corporalem. Nec
„ audiendi sunt, qui affirmant
„ inferos in hac vita explicari,
„ nec esse post mortem. Viderint
„ enim quemadmodum poëtica
„ figmenta interpretentur: nos
„ ab auctoritate divinarum Scri-
„ pturarum, quibus solis de hac
„ re fides habenda est, recedere
„ non debemus."

CAPUT VII.

Qua ratione inferi sub terris esse credantur.

"Unde sub terris inferi esse cre- S. Aug. *ibid. n.* 66.
„ dantur, si corporalia loca non
„ sint, aut unde inferi appellen-
„ tur, si sub terris non sunt, (ut
„ ait S. Augustinus) meritò quæri-
„ tur." Unde sic idem Doctor ait:
"Ideo sub terris inferi dicuntur,
„ vel creduntur, quia congruen-
„ ter in spiritu, (5) per illam corpo-
„ ralium rerum similitudinem sic
„ demonstrantur, ut cum defun-
„ ctorum animæ inferis dignæ,
„ carnis amore peccaverunt, hoc
„ per illas corporalium rerum si-
„ militudines exhibeatur, quod
„ ipsi carni mortuæ solet exhi-
„ beri, ut sub terra recondatur."

CAPUT VIII.

Quòd animæ beatorum statim ut a corpore exeunt, ad Christum in cælum vadunt.

De his interroganti Petro D. Greg. *Dial. lib.* 4. *cap.* 25.

(1) *In aquam*: desunt hæc in L. et in ed. S. Aug.
(2) *Venire ad vos.* L.
(3) *Inferi, eo quod infra sint, latinè appellantur.* L.
(4) *Nihil suave habeant.* L. sed Duac. et edit. S. Aug. habent *sub se.*
(5) *Per illas corporalium rerum similitudines sic demonstratur, ut quorum defunctorum animæ, etc.* L. et edit. S. Aug.

B. Gregorium ita legimus respondisse: " Hoc neque de omnibus iustis fateri possumus, neque de omnibus negare. Nam sunt quorumdam iustorum animæ, quæ a cælesti regno quibusdam adhuc mansionibus differuntur: in quo dilationis damno quid aliud innuitur, nisi quia de perfecta iustitia aliquid minus habuerunt? Et tamen luce clarius constat, quia perfectorum (1) iustorum animæ, mox ut huius carnis claustra exeunt, in cælestibus sedibus recipiuntur. Quod et ipsa Veritas per se obtestatur dicens: *Matth. 24. 28.* *Ubicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur et aquilæ;* quia ubi Redemptor ipse est corpore, illuc proculdubio colliguntur et animæ iustorum. Et Paulus dissolvi desiderat, et esse cum Christo. *Philip. 1. 23.* Qui ergo Christum in cælo esse non dubitat, nec Pauli animam in cælo esse negat. Qui etiam de solutione sui corporis atque inhabitatione cælestis patriæ dicit: *Scimus quia si terrestris domus nostra huius habitationis dissolvatur,* (2) *quòd ædificationem habemus ex Deo, domum non manufactam, æternam in cælis.*" *2. Cor. 5. 1.*

CAPUT IX.

Quòd nunc animæ defunctorum in quibusdam receptaculis teneantur.

D. Aug. *Ench. cap.* 109. " Tempus quod inter hominis mortem et ultimam resurrectionem interpositum est, animæ abditis receptaculis continentur, sicut unaquæque digna est, vel requie vel ærumna, pro eo quod sortita est in carne (3) vivens."

CAPUT X.

Quòd animæ, quæ aliquid minus de perfecta sanctitate habuerint, exeuntes de corpore, non statim collocentur in cælestibus regnis.

Iulianus Pomerius dicit: " Spiritus illi qui nec tam perfectæ sanctitatis hinc exeunt, ut ire in paradisum statim post depositionem suorum corporum possint, (4) nec tam criminosè ac damnabiliter vivunt, aut ita in suis criminibus perseverant, ut cum diabolo et angelis eius damnari mereantur, Ecclesia hìc pro eis efficaciter supplicante, (5) pœnis medicinabilibus expiati, corpora sua cum beata immortalitate recipient, ac regni cælestis facti participes, in eo sine ullo defectu suæ beatitudinis permanebunt." Iulianus Pomerius *Dialog. de Animæ natura, lib. 8.*

CAPUT XI.

Quòd ante resurrectionem corporum non sic videatur Deus a sanctis spiritibus defunctorum, sicut post resurrectionem videbitur: et qualiter nunc defunctorum animæ corpora sua desiderent recipere.

Ait ex hoc beatissimus Augusti-

(1) *Perfectorum nostrorum.* Sola edit. D. contra L. et S. Greg.

(2) *Quia ædificationem* sola Lips. et paulo inferius edit. S. Gregor. habet *sed æternam.*

(3) *Dum viveret.* Lip.

(4) *Non tam.* L.

(5) *A pœnis.* L.

D. Aug. *de Gen. ad litt. lib.* 12. *cap.* 35.

stinus: " (1) Si quidem movet, quid „ opus sit spiritibus defunctorum „ corpora sua in resurrectione re- „ cipere, si potest eis etiam sine „ corporibus summa illa beatitu- „ do præberi; difficilior quidem „ quæstio est, quàm ut possit „ perfectè hoc sermone definiri. „ Sed tamen minimè dubitandum „ est, (2) ereptam hominis a carnis „ sensibus mentem, et post mor- „ tem ipsa carne deposita, tran- „ scensis etiam similitudinibus „ corporalium rerum, (3) non sic „ videre posse incommutabilem „ substantiam, sicut sancti Angeli „ vident, sive alia latentiore cau- „ sa, sive ideo quia inest ei qui- „ dam appetitus naturalis corpus „ administrandi, quo appetitu re- „ tardatur, ne tota devotione per- „ gat in illud summum cælum, „ quamdiu non subest corpus, „ cuius administratione appetitus „ ille conquiescit. Porrò autem „ si tale sit corpus, cuius sit „ gravis et difficilis administra- „ tio, sicut hæc caro quæ cor-

Sap. 9. 15. „ rumpitur et aggravat animam, „ de propagine corruptionis exi- „ stens, multo magis avertitur „ mens ab illa visione summi cæ- „ li. Unde abripienda necessariò „ erat ab eiusdem carnis sensi- „ bus, ut ei, quomodo possit ca- „ pere illud, ostenderetur. Proin- „ de cum hoc corpus, non iam „ animale, sed per futuram com- „ mutationem receperit spiritale, „ (4) Angelis adæquata, perfectum „ habebit naturæ suæ modum, „ obediens, et imperans, vivifi- „ cata, et vivificans, tam ineffa- „ bili facilitate, ut sit gloriæ, „ quod sarcinæ fuit."

(1) *Si quem movet.* Lip. cum edit. S. Aug.
(2) *Raptam.* L.
(3) Aliter Duac. quàm editio L. et S. Aug. *Non sic vivere posse in incommutabili substantia, sicut Angeli vivunt.*
(4) Locus iste aperte corruptus est in edit. Duac. in qua ita legitur: *Angelis adæquata perfectum naturæ suæ modum obediens, vivificata, et imperans, et vivificans, tam inæstimabili felicitate, ut sit ei gloriæ, quod etc.*
(5) *Interpositione suæ mortis aperiret.* L.
(6) *In hunc mundum venientis, ut ait, etc.* L.

CAPUT XII.

Quòd post descensum Christi ad inferos, animæ electorum non locis illis tenentur, ubi Patriarcharum animæ tentæ sunt, sed statim eant ad cælum.

Antiqui Patres usque ad adventum Domini, quamlibèt iustè vixerint, ducti ad regnum non sunt, nisi ille descenderet, qui paradisi claustra hominibus (5) sua morte aperiret. Nam utique eos post peractam iustitiam, etsi tranquilla, tamen inferni claustra tenebant. Post mediatoris autem adventum (6) in hoc mundo viventes, (ut ait B. Gregorius) ad regnum ducimur mox ut de corpore eximus, et illud sine mora percipimus, quod antiqui Patres cum maxima percipere dilatione meruerunt.

CAPUT XIII.

Quòd sicut animæ sanctorum post transitum ad cælum vadunt, ita peccatorum animæ in infernum trudantur.

Si esse sanctorum animas in cælo attestatione sacri eloquii credi-

dimus, oportet ut et iniquorum animas in inferno esse per omnia credamus; quia ex retributione æternæ iustitiæ ex qua iusti gloriantur, necesse est ut et iniusti per omnia crucientur. Nam sicut electos beatitudo glorificat, ita credi necesse est, (1) quòd a die exitus sui ignis reprobos exurat.

CAPUT XIV.

Quòd hi qui semel fuerint in infernum proiecti, ibidem erunt in perpetuum permansuri.

In Salomonis libro scriptum est: *Lignum in quocumque loco ceciderit, sive ad austrum sive ad aquilonem, ibi erit:* scilicet quia cum humani casus tempore, sive sanctus sive malignus spiritus egredientem animam a claustris carnis acceperit, in æternum secum sine ulla permutatione retinebit, ut nec exaltata ad supplicium proruat, nec mersa æternis suppliciis (2) ad remedium ereptionis ascendat.

Eccl. 11. 3.

CAPUT XV.

Quòd non sit anima privata sensibus suis post mortem corporis.

In Cassiani voluminibus legimus, quòd non sint otiosæ post separationem huius corporis animæ, neque nihil sentiant, cum dives ille in inferno cruciari se in flamma ad Lazarum pauperem clamet: et illud quod de cruce Dominus ad latronem dixit: *Hodie mecum eris in paradiso.* Quod illi nequaquam Dominus promisisset, si eius animam nosset post separationem carnis vel privandam sensu, vel in nihilum resolvendam. Non enim caro eius in paradiso, sed anima erat ingressura cum Christo. Quibus dictis (ut idem Doctor ait) manifestè probatur animas defunctorum non solùm suis sensibus non privari, sed nec istis quidem affectibus, id est, spe atque tristitia, gaudio atque metu carere, et ex eis quæ sibi in illo generali examine reservantur, quiddam eas iam incipere prægustare. Nec secundum opinionem quorumdam infidelium, in nihilum eos resolvi (3) post huius vitæ excessum, sed vivaciùs subsistere, Deique laudibus intentiùs inhærere.... (4) Nonne ultra omnes ineptias, non dico fatuitatem, sed insaniam esse, vel leviter suspicari, illam pretiosiorem hominis portionem, in qua etiam imago Dei secundùm beatum Apostolum ac similitudo consistit, deposita hac qua retunditur in præsenti sarcina corporali, insensibilem fieri, quæ omnem vim rationis in se continens, etiam ipsam mutam atque insensibilem (5) carnis substantiam participatione sui facit esse sensibilem? Cum utique consequens sit, et hoc rationis ipsius ordo contineat, ut exuta mens ista carnali (6) pinguedine, intellectuales virtutes suas in melius reparet,

Ioan. Cassianus *collat.* 1. *cap.* 14. *post med.*

Luc. 16. 24.

Luc. 23. 43.

Cass. *ibidem.*

1. *Cor. c.* 11.

Col. 3. 10.

(1) *Quòd die.* D.
(2) *Ultra ad remedium.* L.
(3) *Post huius commorationis excessum.* L.
(4) Ita Duac. et edit. Cassiani. At Lips. *Nonne ultra omnis ineptiæ, non dicam fatuitatem, sed insaniam est, vel leviter, etc.*
(5) *Materiam carnis.* L. et ed. Cas.
(6) L. et C. ed. *qua nunc hebetatur pinguedine.*

ret, et puriores eas et subtiliores recipiat potius quàm amittat. In tantum hoc quod dicimus beatus Apostolus verum esse cognoscit, ut etiam optet ab hac carne discedere, ut separatione eius exinitiùs valeat Domino copulari, dicens: *Desiderium habeo dissolvi, et cum Christo esse: multo enim melius. Quoniam dum sumus in corpore, peregrinamur* (1) *a Domino, et idcirco audemus, et bonam voluntatem habemus, magis peregrinari a corpore, et præsentes esse ad Dominum; propter quod contendimus sive præsentes, sive absentes placere illi.* (2) Commorationem scilicet animæ, quæ in hac carne est, peregrinationem a Domino atque absentiam a Christo esse pronuntians, eiusque ab hac carne separationem atque discessum, præsentiam ad Christum, tota credulitate (3) confitens.

Philip. 1. 23.

2. *Corinth.* 5. 6. 8. 9.

CAPUT XVI.

Quòd anima similitudinem corporis habeat, et in eadem corporali similitudine requiem sentiat perferatque tormenta.

De anima humana, quòd similitudinem corporis habeat, ista est sententia egregii Doctoris Augustini. Ait enim: „ (4) Profiteor „ animam habere posse similitudi- „ nem corporis, et corporalium „ omnino membrorum: hoc quis- „ quis negat, potest negare ani- „ mam esse quæ in somnis (5) vi- „ det, vel ambulare se vel sedere, „ vel hûc atque illûc gressu vel „ etiam volatu ferri, quod sine „ quadam corporali similitudine „ non fit. Proinde si hanc simi- „ litudinem etiam apud inferos „ gerit, non corporalem sed cor- „ pori similem, ita etiam rectè „ in locis non corporalibus, sed „ corporalium similibus, sive in „ requie sive in doloribus est."

S. Aug. *de Genesi ad lit. lib.* 12. *cap.* 33.

CAPUT XVII.

An anima, cum incorporea sit, igne credatur corporeo cruciari.

Si viventis hominis incorporeus spiritus tenetur in corpore, cur non post mortem, cum incorporeus sit spiritus, etiam (6) corporeo igne teneatur? Teneri autem per ignem spiritum dicimus, ut in tormento ignis sit videndo atque sentiendo. Ignem namque eo ipso quòd videt, patitur, et quia (7) cremare se aspicit, crematur. Sicque fit, ut res corporea incorpoream exurat, dum ex igne visibili ardor ac dolor invisibilis trahitur, ut mens incorporea per ignem corporeum etiam corporea flamma crucietur. Quamvis colli-

(1) *A Christo.* L.
(2) *Communicationem animæ.* Duac.
(3) *Confidens.* L.
(4) Duacena: *Profiteri animam habere posse similitudinem corporis, et corporalium omnino membrorum quisquis negat, etc.* Hìc sensus absdubio obscurus est, et corruptus contextus: quare ex Lip. emendavimus, prout legitur etiam in Augustino. Cetera aliquantum discrepant, sed absque ullo errore, vel sententiæ inversione: itaque retinuimus Duacenam.
(5) *Videtur vel ambulare, vel sedere, vel hac atque illac gressu, vel etiam volatu avolare, quod etç.* Lip. cum S. August. edit.
(6) *Incorporeo igne.* L.
(7) *Concremari se.* L.

ligere ex dictis Evangelicis possumus, quia incendium anima non solum videndo sed etiam experiendo patiatur. Veritatis enim voce, dives mortuus in inferno dicitur sepultus. Cuius anima quia in igne teneatur, insinuat, qui Abraham [1] deprecatur, dicens: Luc. 16.24. *Mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam; quia crucior in hac flamma.* Dum ergo peccatorem divitem damnatum in ignibus perhibet, quisnam sapiens reproborum animas teneri ignibus neget?

CAPUT XVIII.

Quòd unus sit gehennæ ignis, et non uno modo cruciet peccatores.

Unus quidem est gehennæ ignis, sed non uno modo omnes cruciat peccatores. [2] Uniuscuiusque enim quantum exigit culpa, tantum illic sentietur et pœnæ. Nam sicut in hoc mundo multi sub uno sole consistunt, nec tamen eiusdem solis ardorem æqualiter sentiunt, quia [3] alius plus æstuat, alius verò minus; ita illic in uno igne non unus est modus incendii, quia quod hìc diversitas [4] corporum, hoc agit illic diversitas peccatorum, ut et ignem non dissimilem habeant, et tamen eosdem singulos dissimiliter exurat.

(1) *Deprecabatur.* L.
(2) *Unusquisque etenim quantum exigit culpa, tantum illic sentiet et pœnam.* L.
(3) *Et alius plus .... et alius minus.* L.

CAPUT XIX.

Quòd post mortem purgatorius ignis esse credatur.

Purgatorium ignem post mortem esse, multorum tractatorum cognovimus sententiis [5] evidenter definitum. Inter quos Augustinus Doctor egregius, licèt eum in hac vita fidelibus accidere posse testetur, tamen et post mortem definit eum [6] quibusdam esse futurum, contestans quòd ignis ille purgatorius, qui nunc a quibusdam contemnitur et parvus putatur, multò gravior existat, quàm quicquid homo potest pati in hac vita. Gregorius quoque de hoc purgatorio igne sic dicit: Aug. *Enarrat. in Ps.* 37. *n.* 3. D. Gregor. *Dialog. lib.* 4. *cap.* 39.

" Pro quibusdam levibus culpis
„ ante iudicium purgatorius ignis
„ esse credendus est pro eo quod
„ Veritas dicit, quia si quis [7] *in*
„ *Spiritum sanctum blasphe-*
„ *miam dixerit, neque in hoc*
„ *sæculo neque in futuro re-*
„ *mittetur ei.* In qua sententia datur intelligi, quasdam
„ culpas in hoc sæculo, quasdam verò relaxari in futuro. "

Matth. 12. 32.

Quod enim de uno negatur, consequens intellectus patet quia de quibusdam conceditur. Sed tamen (ut dixi) hoc de parvis minimisque peccatis fieri posse credendum est, sicut est assiduus ociosus sermo, immoderatus risus, vel peccatum curæ rei familiaris, quæ vix sine culpa vel ab ipsis agitur, qui culpam qualiter declinare debeant, sciunt,

(4) *Diversitas operum.* L.
(5) Deest *evidenter* in Lips.
(6) *Pro levibus culpis, quibusdam, etc.* L.
(7) *S. Spiritui.* L.

sciunt, aut non in gravibus rebus error ignorantiæ, quæ cuncta etiam post mortem gravant, si adhuc in hac vita positis minimè fuerint relaxata. Namque cum Paulus dicat Christum esse fundamentum, atque subiungat:

1. *Corinth.* 3. 12. 13. 14. 15. *Si quis* (1) *ædificat supra fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos,* (2) *ligna, fœnum, stipulam, ... uniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit. Si cuius opus manserit, quod superædificavit, mercedem accipiet: si cuius opus arserit, detrimentum patietur; ipse autem salvus erit, sic tamen, quasi per ignem.* Quamvis (3) hoc de igne tribulationis nobis in hac vita adhibito possit intelligi, tamen si quis hoc de igne futuræ purgationis accipiat, pensandum (4) summopere est, quia illum dixit per ignem quidem posse salvari, non qui super hoc fundamentum æs, ferrum, plumbum ædificat, id est, peccata maiora, et idcirco duriora, atque tunc iam insolubilia; sed lignum, fœnum, stipulam, id est, peccata minima, atque levissima, quæ ignis facilè consumat. Hoc tamen sciendum est, quia illic saltem de minimis quisque nihil purgationis obtinebit, nisi bonis hoc actibus in hac adhuc vita positus, ut illic obtineat, promereatur.

CAPUT XX.

Quòd alius sit ignis purgatorius, quo plerique salvandi esse creduntur, alius ille, in quo impii, Christo iudicante, mergendi sunt.

Ex Aug. *Enarrat. 2. in Ps. 29. n. 2.* Beato Augustino distinguente cognoscimus, quòd alter sit ille ignis futurus, de quo impiis Christo iudicante dicendum est, *Matth. 25. 41.* *Discedite a me maledicti in ignem æternum;* alter iste, qui purgatorius propriè appellatur, propter eos qui per eum salvi fiunt. Per illum (5) enim qui futurus est impiis, nullus salvabitur, quia iuxta quod scriptum est: *Ibunt hi in* *Ibi 46.* *supplicium æternum.* Per istum autem ignem qui probat et purgat, salvatio manifesta promittitur. Nam iuxta quod prædictus Doctor ait: Si autem ignem illum loco isto voluerimus accipere, de quo Dominus dicit sinistris, *Discedite a me maledicti in ignem æternum*, ut in eis etiam isti esse credantur, qui ædificant super fundamentum hoc ligna, fœnum, stipulam, eosque ex illo igne post tempus pro malis meritis impertitum liberet boni operis fundamentum; quid arbitramur dextros, quibus dicetur: *Ve-* *Ibi 34.* *nite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum*, nisi eos, qui ædificant super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos? Sed in illum ignem de quo dictum est, *Sic ta-* *1. Cor. 3. 15.* *men quasi per ignem*, si hoc

(1) *Superædificaverit.* L.
(2) *Lignum.* L.
(3) *Hoc* deest in Duac.
(4) *Sollicitè est.* L.
(5) Deest *enim* in Duac.

modo intelligatur, utrique mittendi sunt, et dextri scilicet, et sinistri. Utrique quippe illo igne probandi sunt, de quo dictum
1. Cor. 3. 13. est: *Dies Domini declarabit, quia in igne revelabitur, et uniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit.* Si ergo utrumque probabit ignis, ut si cuius opus manserit, id est, non fuerit igne consumptum quod superædificavit, mercedem accipiet, si cuius opus arserit, detrimentum patietur; profectò non est æternus ille ignis. In illum enim soli sinistri novissima et perpetua damnatione mittentur, iste autem ignis solos dextros probat. Sed alios eorum sic probat, ut ædificium, quod super Christum fundamentum ab eis invenerit esse constructum, non exurat neque consumat; alios autem aliter, id est, ut quod superædificaverunt, ardeat, damnumque patiatur, salvi autem fiant; quoniam Christum in fundamento stabiliter positum præcellenti caritate tenuerunt. Si autem salvi fiunt, profectò ad dexteram stabunt, et cum ceteris audient:
Matth. 25. 34. *Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum.* Non ad sinistram, ubi erunt qui salvandi non erunt, et ideo audient:
Ibi 41. *Discedite a me maledicti in ignem æternum.* Nemo quippe ab illo igne salvabitur, quia in supplicium æternum omnes
Marc. 9. 45. illi ibunt, *ubi vermis eorum non moritur, et ignis eorum non extinguitur.*

CAPUT XXI.

Quòd ignem purgatorium non post ultimum iudicium, sed ante perferant animæ.

De pœnis purgatoriis, quod ante illud ultimum iudicium fiant, S. Augustinus definitam ponens sententiam ait: Aug. de Civit. Dei lib. 21. cap. 13.
" Nos quidem in
„ hac mortali vita pœnas quasdam purgatorias esse confitemur; . . . sed temporales pœnas alii in hac vita tantum,
„ alii post mortem, alii tunc, et
„ nunc. Verumtamen ante illud
„ iudicium (1) severissimum novissimumque patiuntur; non
„ autem omnes venient in sempiternas pœnas, quæ post illud ultimum iudicium sunt futuræ, qui post mortem sustinent temporales. Nam quibusdam quod in isto non remittitur, remittetur in futuro sæculo, id est, ne futuri sæculi æterno supplicio puniantur."
(2) Nam quomodo quibus peccatum in isto sæculo remittitur, in futuro æterno supplicio puniantur? Unde et post aliquanta idem Doctor: " Quis- Ibid. cap. 16.
„ quis igitur (ait) pœnas cupit
„ evadere sempiternas, non solum baptizetur, verumetiam
„ iustificetur in Christo, (3) ac sic
„ verè transeat a diabolo ad Christum. Purgatorias autem pœnas nullus futuras opinetur, ni-
„ si ante illud ultimum tremendumque iudicium." Tanti ergo Doctoris confirmati sententia fatemur, quòd purgatorius hic i-

(1) Duac. pro *severissimum*, habet *ultimum*.
(2) Tota hæc periodus usque ad *unde et post aliquanta*, desideratur in Lips.
(3) *Acsi*. Lips.

ignis ante ultimum iudicium fiat, et ignem illum, in quo omnes impii Christo iudicante mergendi sunt, antecedat.

CAPUT XXII.

Utrum hi qui in purgatorio igne salvandi sunt, usque ad tempus resurrectionis, an infra cruciari credantur.

Puto quòd sicut non omnes reprobi qui [1] in æternum ignem damnandi sunt, una eademque supplicii qualitate ardebunt, sic omnes qui per graves purgatorias pœnas salvi esse creduntur, [2] non uno eodemque spatio temporis cruciatus spirituum sustinebunt: ut quod in reprobis discretione pœnarum, hoc in istis qui per ignem salvandi sunt, mensura temporis agitetur. Sed tanto illis minus vel maius ignis purgatorii extendetur supplicium, quantò hic minus vel amplius bona [3] temporalia dilexerunt: iuxta illud quod B. Augustinus in suis libris de pœnis purgatoriis agens, inter cetera sic dicit: " Tale etiam ali-
Aug. *Ench. cap.* 69.
„ quid post hanc vitam fieri incredibile non est, et utrum ita sit „ quæri potest, et aut inveniri, „ aut latere, nonnullos fidelium „ per ignem purgatorium quantò magis minusve [4] bona peruntia dilexerunt, tantò tardius „ citiusve salvari. Non tamen
1. *Corinth.* 6. 10. *Galat.* 5. 21.
„ tales de quibus dictum est, „ quòd regnum Dei non possi-
„ debunt, nisi convenienter pœ-
„ nitentibus eadem crimina re-
„ mittantur. Convenienter autem „ dixi, ut steriles in eleemosy-
„ nis non sint."

CAPUT XXIII.

Quòd ad tribulationem purgatorii ignis mors ista pertineat carnis.

De purgatoriis pœnis Doctor egregius disputans Augustinus, Potest, ait, ad istam tribulationem pertinere etiam mors ista carnis, quæ de primi peccati perpetratione concepta est, ut secundùm cuiusque ædificium tempus quod eam sequitur, ab unoquoque sentiatur. Persequutiones quoque, quibus martyres coronantur, et quas patiuntur [5] quicumque Christiani, probant utraque ædificia velut ignis; et alia consumunt cum ipsis ædificatoribus, si Christum in eis non inveniunt fundamentum, alia sine ipsis, si inveniunt; quia licèt cum damno, salvi tamen erunt ipsi: alia verò non consumunt, quia talia reperiunt, quæ maneant in æternum.

CAPUT XXIV.

Utrum animæ mortuorum se invicem, et quos nusquam viderunt, agnoscant.

Quòd se animæ defunctorum exutæ [6] corporibus recognoscere [7] invicem possint, testatur Evan-

(1) *In æterno igne mergendi sunt, una eademque supplicii qualitate damnandi sunt.* L.
(2) *Non in uno eodemque spatio cruciatum spiritus sustinebunt.* L.
(3) *Transitoria.* L.
(4) *Sua bona.* L.
(5) *Quicumque Christi probantur, utraque ædificia, velut ignis, et alia consumunt.* L.
(6) *A corporibus.* L.
(7) *Invicem* deest in Lip.

Luc. 16. 22. 23. 24. gelista cum dicit : *Factum est, ut moreretur mendicus, et portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ : mortuus est autem et dives, et sepultus est in inferno.* (1) *Et elevans oculos suos cum esset in tormentis, vidit Abraham a longinquo, et Lazarum in sinu eius. Et ipse dixit : Pater Abraham, mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Ecce quomodo divitis anima Lazari pauperis spiritum cognoscebat. Ex quo non est dubitandum, quòd se defunctorum spiritus in illa regione pariter recognoscant. Possunt enim et boni bonos, et mali malos recog-

D. Greg. *Dial. lib.* 4. *cap.* 33. noscere. " Si enim (ut ait Gre-
„ gorius) Abraham Lazarum mi-
„ nimè cognovisset, nequaquam
„ ad divitem in tormentis po-
„ situm, de eius transacta contri-
„ tione loqueretur dicens, Quod
„ mala receperit in vita sua. Et
„ si mali malos non recognosce-
„ rent, nequaquam dives in tor-
„ mentis positus, fratrum suorum
„ etiam absentium meminisset.
„ Quomodo enim præsentes non
„ posset cognoscere, qui etiam
„ pro absentium memoria cura-
„ vit exorare ? Qua in re illud
„ quoque ostenditur, quia et bo-
„ ni malos, et mali cognoscunt
„ bonos. Nam et dives ab Abra-
„ ham cognoscitur, cui dictum
„ est, Recepisti bona in vita tua.
„ Et electus Lazarus a reprobo
„ divite est cognitus, quem mit-
„ ti precatur ex nomine dicens:
„ (2) Mitte Lazarum. In qua vi-
„ delicet cognitione utriusque
„ partis cumulus retributionis ex-
„ crescet, ut et boni amplius gau-
„ deant, qui secum eos lætari
„ conspiciunt, quos amaverunt;
„ (3) et mali cum eis torqueantur,
„ quos in hoc mundo dilexerunt:
„ ut eos non solum sua, sed etiam
„ eorum pœna consumat. Fit au-
„ tem in electis quiddam mira-
„ bilius : quia non solum eos ag-
„ noscunt, quos in hoc mundo
„ noverunt, sed velut visos et
„ cognitos recognoscunt bonos,
„ quos numquam viderunt. Nam
„ cum antiquos Patres in illa
„ æterna hereditate viderint, eis
„ incogniti per visionem non
„ erunt, quos (4) in operibus sem-
„ per noverunt. Quia enim illic
„ omnes communi claritate Deum
„ conspiciunt, quid est quod ibi
„ nesciant, ubi scientem omnia
„ sciunt?"

CAPUT XXV.

Utrum animæ beatorum orare videantur pro his quos in inferno sentiunt.

" Orant pro inimicis suis eo S. Greg. *Dial. lib.* 4. *cap.* 44.
„ tempore animæ beatorum, ut
„ ait B. Gregorius, quo possunt
„ ad fructuosam pœnitentiam eo-
„ rum corda convertere, atque
„ i-

(1) *Elevans autem .... vidit Abraham a longe.* Lip. et infra : *ut intingat.... in aqua.*

(2) Lips. *Mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aqua ut refrigetur linguam meam. In qua fidelis cognitione, etc.*

(3) Lips. *Et mali dum cum eis torquentur, quos in hoc mundo despecto Deo dilexerunt, eos non solum sua sed etiam, etc.*

(4) *In opere.* L.

„ ipsa conversione salvare. Quid „ enim aliud pro inimicis oran- „ dum est, nisi hoc quod ait „ Apostolus, *ut det eis Deus* 2. Timoth. 2. 25. 26. „ *pœnitentiam, et resipiscant a* „ *diaboli laqueis, a quo capti-* „ *vi tenentur ad ipsius volun-* „ *tatem?* Et quomodo pro illis „ tunc orabitur, qui iam nulla- „ tenus possunt ad iustitiæ ope- „ ra ab iniquitate commutari? Ea- „ dem itaque causa est, cur non „ oretur tunc pro hominibus „ (1) æterno igne damnatis, quæ „ nunc causa est, ut non oretur „ pro Diabolo Angelisque eius „ æterno supplicio deputatis. Ipsa „ nunc etiam causa est, ut non „ orent sancti homines pro ho- „ minibus infidelibus, impiisque „ defunctis, quia de eis utique „ quos æterno supplicio deputa- „ tos iam noverunt, ante illum „ iusti iudicis conspectum ora- „ tionis suæ meritum cassari re- „ fugiunt. Quòdsi nunc quoque „ viventes iusti mortuis et da- „ mnatis iniustis minimè compa- „ tiuntur, quando adhuc aliquid „ iudicabile de sua carne se per- „ peti, etiam ipsi noverunt; quan- „ tò districtius tunc iniquorum „ tormenta (2) respicient, quando „ iam ab omni vitio corruptionis „ exuti, ipsi iam iustitiæ viciniùs „ atque (3) ardentiùs inhærebunt? „ Sic quippe eorum mentes, per „ hoc quòd iustissimo iudici in- „ hærent, vis districtionis absor- „ bet, ut omnino eis non libeat, „ quicquid ab illius regulæ in- „ ternæ subtilitate discordat."

(1) *Æterno supplicio.* D.
(2) *Aspiciunt.* D.
(3) *Arctius.* L.
(4) *In loca tormentorum.* L.

CAPUT XXVI.

Utrum animæ mortuorum orent pro salute carorum viventium.

Si sepultus dives in inferno, Luc. 16. 27. 28.
Abraham pro fratribus orat, ut admoneantur, ne et ipsi (4) in iniqua tormenta deveniant; quomodo piorum animæ, et maximè in requie constitutæ, carorum superstitum creduntur sollicitudinem amisisse? Orare ergo possunt pro salute viventium, in quantum a Domino permittuntur: nam utique recordari veraciter possunt, quos in hoc sæculo positi dilexerunt: sensum enim, quo viventes cum viventibus (5) adfuerunt, non amisisse, sed liberiorem illic habere credendæ sunt, ubi onere corporali gravari non possunt. Nam iuxta divinam sententiam, *Corpus corruptibile ag-* Sap. 9. 15.
gravat animam: ergo anima quæ nunc corpore gravatur, liberior corpore absoluta efficitur. Est igitur animæ post mortem et sensus integer, et memoria plena. Ergo anima quæ illic certo recordationis officio utitur, proximorum dulcedinis recordatur. Recordans ergo quos amavit in sæculo, commendare eos potest precibus Christo: quamquam nihil aliud orationes (6) fidelium animarum, quàm desiderium earum accipiatur. Illud quoque dico, quòd celeberrima sit in hac re Ec-

(5) *Fuerunt.* L.
(6) *Fidelium defunctorum animarum, quàm desideria eorum accipiantur.* L.

(1) Ecclesiæ consuetudo, cùm se morituris commendat, et memores eos sui esse præoptat. Sic martyribus, cùm morerentur, superstitum carorum se familiaritas commendavit: sic se quotidie piorum turba fidelium evocandis ab hoc sæculo electis animabus committit, et ut semper sui sint memores, poscit. Nec enim fides viventium id (2)a morientibus posceret, si apud se certum haberet, quòd in nullo eos iuvare possent post mortem. Sed quia tantæ auctoritatis sollicitudo non præterit, sequens rei multotiens effectus probavit, cum ea quæ plerique viventes a morientibus sibi fieri petunt, sine dilationis damno (3)consequuntur. Hæc ergo mihi videtur de hac obiecta quæstiuncula ratio, quam etsi ipsis verbis, ut est a maioribus evoluta, non invenio, ipso tamen sensu definitam ab auctoribus puto, quamquam etsi aliquid ex hoc ab eis definitum (4)reperero, illorum potiùs sententiam assequar.

CAPUT XXVII.

Utrum contristari vel lætari possint animæ defunctorum pro viventium carorum salute: seu tristitia, aut qualibet cura vivorum (5) moveantur.

Si nulla esset mortuis cura de vivis, non utique dives ille qui torquebatur apud inferos, sollicitus esset pro fratribus suis, dicens ad Abraham: *Rogo te pater, ut mittas Lazarum in domum patris mei: habeo enim quinque fratres: ut testetur illis, ne et ipsi veniant in locum hunc tormentorum.* Luc. 16. 27. 28. (6)Ita ergo mortui curam habere possunt de vivis, quamvis nesciant quid in præsenti agatur a nobis: sicut viventes curam habere possumus de mortuis, quamlibet ignoremus quid agatur ab illis. Si enim pro mortuis nulla esset cura viventibus, non utique pro eis (7)crebrò oblatis sacrificiis precaremur. Hæc et his similia sanctus Augustinus in suis voluminibus ponens, hoc unum ponit exemplum, quod non est mediocriter admirandum: „ Audivimus, „ ait idem Doctor, quòd cum „ debitum repeteretur a quodam, „ defuncti patris cautione prola- „ ta, quod filio nesciente a pa- „ tre iam fuerat persolutum; con- „ tristari homo gravissimè cœpit, „ (8)atque mirari, quòd ei pater „ moriens non dixerit quid de- „ beret, cum fecisset etiam te- „ stamentum. Tunc ei nimis an- „ xio apparuit idem pater eius „ in somnis, et ubi esset (9)re- „ conditum, quo illa cautio va- „ cuata fuerat, indicavit. Quo „ invento iuvenis atque monstra- „ to,

Aug. de Cura pro mort. cap. 11.

(1) *Consuetudo fidelium, cum se... commendant, et.... præoptant.* L.
(2) *A transeuntibus* L. paulò post pro *certum*, habet Duacena *incertum*: fortè legendum fuit *in certo.*
(3) *Percipiunt.* L.
(4) *Reperio, illorum potius sententiam assequor.* D.
(5) *Moveantur* deest in Duac.
(6) *Attamen mortui.* D.
(7) *Dominum crebrò, etc.* L.
(8) *Atque mirari* desunt hæc in Duac. sed habet L. et ed. S. Aug.
(9) *Reconditum* ita utraque nostr. ed. L. et Duac. In ed. S. Aug. legitur *recautum*, et in aliis cod. *repositum.*

„ to , non solùm falsi debiti „ calumniam propulsavit , sed „ etiam paternum recepit chirographum , quod pater non reperat , quando est pecunia „ persoluta. Hinc utique putatur „ anima hominis curam gesisse „ pro filio , et ad eum venisse „ dormientem , ut docens (1) quòd „ ignorabat , a magna eum molestia liberaret."

CAPUT XXVIII.

Quòd Patriarchæ , Prophetæ, et Apostoli , omnesque beatorum spiritus nos ardenter secum gavisuros expectent : et quòd non sit illis perfecta lætitia , donec pro nostris erroribus dolent.

Origenes *homilia* 7. *in Leviticum.*

De his ita Origenes Doctor in suis dogmatibus docet , dicens: " Neque enim hinc discedentes „ sancti continuò integra meritorum suorum præmia consequuntur , sed expectant etiam „ nos , licèt morantes , licèt desides. Non enim illis est perfecta lætitia , donec pro erroribus nostris dolent , et lugent „ (2) peccata. Hoc fortasse mihi „ dicenti non (3) credas : quis „ enim ego sum , qui confirmare sententiam tanti dogmatis „ audeam ? Sed adhibeo horum „ testem , de quo non potest dubitari. Magister enim gentium „ est in fide et veritate Paulus „ Apostolus. Ipse igitur ad Hebræos scribens , cum enumerasset omnes (4) sanctos qui per „ fidem iustificati sunt , addit „ post omnia etiam hoc : *Sed* *Hebr.*11.39.40. „ *isti* , inquit , *omnes , testimonium habentes per fidem,* (5) *nondum assequuti sunt repromissionem a Deo : Deo pro nobis aliquid melius providente, ne sine nobis perfectionem consequerentur.* Vides ergo quia „ expectat adhuc Abraham , ut „ quæ perfecta sunt consequatur: „ expectat et Isaac , et Iacob , et „ omnes Prophetæ expectant nos, „ ut nobiscum perfectam beatitudinem capiant. Propter hoc „ etiam , mysterium illud in ultimum diem dilati iudicii custoditur : unum enim corpus „ est , quod iustificari expectatur , unum corpus est , quod resurgere dicitur in iudicio ; li- *1. Cor.*12.12. „ cèt enim sint multa membra, „ sed unum corpus." (6) Non potest oculus dicere manui , non es

(1) *Quæ ignorabat , magna molestia liberaret.* L. et similiter.
(2) *Nostra peccata.* L.
(3) *Credis.* D.
(4) *Sanctos Patres.* L.
(5) *Nondum* desideratur in D.
(6) Perperam ex hoc loco colliget aliquis , Originem , et cum eo Iulianum nostrum , in ea fuisse sententia , quæ , licèt veterum nonnulli tenuerint olim , nunc iam ab Ecclesia proscripta est , Iustorum quorumcumque animas , etiam plenè ab omni labe purgatas , ante extremum iudicii diem intuitiva ac beatifica Dei visione minimè donandas esse. Quod hìc observari operæpretium est , propterea quòd ab huius temporis hæreticis , qui huiusmodi errorem amplexati sunt , valde urgetur hic Origenis locus : qui quidem , ut in aliis sæpissimè erraverit , hîc certè nihil docet ab ortodoxa fide alienum. Loquitur enim, non de iustorum gloria essentiali , quæ in visione clara Dei , eiusque fruitione consistit , quæque iam semel adepta nulla re minui potest , vel augeri ; sed de lætitia, quam Theologi vocant accidentalem , quæ, ut multa sunt , quibus potest amplior fieri , non erit certè completa ante extremum iudicium. Augetur autem huiusmodi gaudium in Beatis , v. gr. ex peccatorum

es mihi necessaria. Etiamsi sanus sit oculus, et non sit turbatus, quantum pertinet ad videndum; si desint oculo reliqua membra, quæ erit ei lætitia? aut quæ videbitur esse perfectio, si manus non habeat, si pedes desint, aut reliqua membra non adsint? Quia etsi (1) est aliqua oculi gloria, in eo maximè est, ut vel ipse dux sit corporis, vel ceterorum membrorum non deseratur officiis. Hoc autem nos et per illam Ezechiëlis visionem doceri puto, cùm dicit congregandum esse os ad os, et iuncturam ad iuncturam, et nervos, et venas, ac singula locis suis esse reparanda. Denique vide quid *Ezech.* 37.11. (2) dicit Propheta: *Ossa*, inquit, *ista*: non dixit, Omnes homines sunt, sed dixit, *Ossa ista domus Israël sunt.* Habebis ergo lætitiam de hac vita discedens, si fueris sanctus; sed tunc erit perfecta lætitia, cum nullum tibi corporis membrum (3) deerit. Expectabis enim et tu alios, (4) sicut et tu expectatus es. Quòdsi tibi qui membrum es, non videbitur esse perfecta lætitia, si desit aliud membrum; quantò magis Dominus et Salvator noster, qui caput est totius corporis, non sibi dicit perfectam esse lætitiam, donec aliquid ex membris deesse corpori suo videt?

CAPUT XXIX.

Utrum scire possint mortui quid agant vivi.

„ Fatendum est, ut ait B. Au- *August. de Cura pro mort. cap.15.*
„ gu-

rum conversione, veraque illorum pœnitentia, ut habemus in Evangelio, (*Luc.*15. *v.* 7.) tum ex parentum, amicorum, carorumque æterna salute; ac demum proprii uniuscuiusque corporis resurrectione atque glorificatione complebitur. Quod et ipsa Apostoli verba, quem suæ sententiæ vadem proferebat Origenes, apertè innuunt: namque, ut alias interpretationes iustissimas omittamus, non inquit Apostolus, *ne sine nobis coronarentur*, sed *perfectionem consequerentur*, sive, ut habet vulgata nostra, *consumarentur*: quasi non essentialem ac præcipuam suarum virtutum mercedem dilatam, sed quoddam lætitiæ complementum accidentale significare vellet, quod ante nos discedentes, non essent ante nos accepturi: quippe ex nostro consortio, atque eiusdem felicitatis participatione exurgens. Id ipsum postrema Origenis verba demonstrant, quibus ea, quæ de singulis beatis statuerat, ad beatorum omnium caput et exemplar transferens, ne ipsum quidem Christum Dominum, qui sedet iam ad dexteram Patris sui, perfecta fruiturum lætitia concludit, donec ab electis suis, quorum est caput, divulsus quodammodo videatur. Quæ verba quis est, qui de quadam lætitiæ accidentalis accessione non interpretetur? Illud deinceps, quod initio ait, non esse sanctis in cælo perfectam lætitiam, donec pro erroribus nostris dolent, et lugent peccata nostra, cautè intelligendum est: quatenus ita peccata nostra detestantur, adeoque vehementer vellent nullum a nobis admitti scelus, ut, si fieri posset, tristarentur, ac præ dolore lacrymas funderent: quo loquendi genere et Angeli pacis amare flere dicuntur in Scriptura. Sed nimirum habitant iam cum Christo regnantes in pacis et lætitiæ regione, in qua nullus ampliùs eos luctus, nullus clamor, neque dolor ultra tentabit, quoniam abstersit Deus omnem lacrymam ab oculis eorum. Itaque felicissimam sortem adepti, a qua nulla prorsus re deturbari poterunt, gaudere quidem ac lætari amplius, iis quibus aiebam rebus, valent: tristari tamen earum absentia, ac dolore affici non valent. Sed nimis fortasse pro instituto nostro. Qui plura velit, consulat in eam quæstionem celebriores de Schola Theologos, D. Thomam 1. 2. q. 4. art. 5. Bellarminum contr. 7. lib. 1. c. 2. et sequentibus, tum alios, quos percensere non vacat, sed quos legisse non pœnitebit.

(1) *Est præcellens aliqua.* L.
(2) *Addidit.* L.
(3) *Deest.* L.
(4) *Sicut ipse expectatus es.* L.

„ gustinus, nescire quidem mor-
„ tuos quid hìc agatur a vivis:
„ sed dum hìc agitur, postea au-
„ dire possunt ab eis, qui hinc
„ ad eos moriendo pergunt: non
„ quidem omnia, sed quæ sinun-
„ tur indicare, qui sinuntur etiam
„ ista meminisse, et quæ illos,
„ quibus hæc indicant, oportet
„ audire. Possunt et ab Angelis,
„ qui rebus quæ hìc aguntur præ-
„ stò sunt, aliquid audire mor-
„ tui, quod unumquemque eo-
„ rum audire debere iudicat cui
„ cuncta subiecta sunt. Nisi enim
„ essent Angeli qui possent in-
„ teresse vivorum et mortuorum
„ locis, non dixisset Dominus
Luc. 16. 22. „ Iesus: *Contigit autem mori*
„ *inopem illum, et* (1) *deferri ab*
„ *Angelis in sinum Abrahæ.*
„ Possunt etiam spiritus mortuo-
„ rum aliqua quæ hìc aguntur,
„ (2) et quæ necessarium est eos
„ nosse, non solùm præsentia
„ et præterita, verumetiam futu-
„ ra, spiritu Dei revelante, co-
„ gnoscere; sicut non omnes ho-
„ mines, sed Prophetæ, dum hìc
„ viverent, cognoscebant: nec
„ ipsi omnia, sed quæ illis esse
„ revelanda Dei providentia iu-
„ dicabat."

CAPUT XXX.

Utrum possint mortui viventium oculis apparere.

August. *ubi supr.* Ex hoc prædictus Doctor sic ait: " Mitti ad vivos aliquos „ ex mortuis, sicut econtrariò „ Apostolus ex vivis in paradi- 2. *Cor.* 12. 4.
„ sum raptus est, divina testatur
„ Scriptura. Nam Samuel Pro- 1. *Reg.* 28.
„ pheta defunctus vivo Regi Sau-
„ li etiam futura prædixit. Quam-
„ vis nonnulli, non ipsum fuisse,
„ (3) nec potuisse magicis artibus
„ evocari, sed aliquem spiritum
„ tam malis operibus congruen-
„ tem illius existiment simili-
„ tudinem figurasse; cùm liber
„ *Ecclesiasticus*, quem Iesus fi-
„ lius Sirach scripsisse (4) traditur,
„ et propter eloquii similitudi-
„ nem nonnullam Salomonis
„ pronuntiatur, contineat in lau-
„ de patrum, quòd Samuel (5) et *Eccl.* 46. 24.
„ mortuus prophetaverit. Sed si
„ et huic libro (6) ex Hebræorum,
„ quia in eo non est, canone con-
„ tradicitur; quid de Moyse di-
„ cimus, qui certè et in Deute- *Deut.* 34. 5.
„ ronomio mortuus, et in Evan- *Matth.* 17. 3.
„ gelio cum Helia, qui mortuus
„ non est, legitur apparuisse vi-
„ ventibus? "

CAPUT XXXI.

Quòd non impiorum, sed sanctorum animæ tantùm sciant, quid possit a viventibus agi.

Credendum omnino est, quòd sicut viventes mortuorum gestis interesse non possunt, ita a defunctis causæ viventium nesciantur. Quam tamen ignorantiam Sanctorum (7) animæ non patiuntur, quæ videntem omnia Deum sciunt, et scientem omnia con-

F tem-

(1) *Offerri.* L.
(2) *Quæ necessarium est nosse.* L. Editio S. Aug. prosequitur: *vel quos necessarium est ea nosse.*
(3) *Qui potuisset.* L.
(4) *Legitur.* L.
(5) *Etiam mortuus* editio S. Aug.
(6) *Ex Hebræis, quia in eorum non est canone.* L. Duacena consona est edit. S. Aug.
(7) *Animæ* (*ut conijcimus*) *nullatenus sentiunt.* L.

templantur. Nam et beatus Gregorius in libris Moralium, loco illo quo testimonium illud de verbis Iob [1] tractare cœpit, ubi ait, *Sive nobiles fuerint filii eius, sive ignobiles, non intelligit:* ita definiens, ait: " Sicut enim hi „ qui adhuc vivunt, mortuorum „ animas, quo loco habeantur, „ ignorant, ita mortui, [2] vita in „ carne viventium qualiter postea „ disponatur, nesciunt. Quia et „ vita spiritus longè distat a vita „ carnis; et sicut corporea et in„ corporea diversa sunt [3] genere, „ ita etiam distincta cognitione. „ Quod tamen de animabus san„ ctis sentiendum non est, quia „ quæ intus omnipotentis Dei „ [4] miram claritatem vident, nul„ lo modo credendum est quia „ [5] sit aliquid quod ignorent. Sed „ carnales quique quia amorem „ præcipuè filiis impendunt, hoc „ eos beatus Iob nescire [6] post „ mortem asserit, quod hìc ve„ hementer amaverunt, ut sive „ nobiles, sive ignobiles sint filii, „ nesciant, quorum eos semper „ cura fatigabat."

D. Gregor. *Moral. lib.* 12. *in cap.* 14. *Iob v.* 21. *cap.* 21.

Iob 14. 21.

CAPUT XXXII.

Utrum post adventum Christi ad inferos, ex quo sanctis reseratum est iter ad cælos, aspicere valeant aut boni malos in dolore, aut mali bonos in requie constitutos.

Luc. 16. Ecce [7] Luca Evangelista testante didicimus, quòd mortuo divite illo, et sepulto in inferno, paupere quoque illo Lazaro in sinu Abrahæ in requie constituto, et dives in inferno collocatus Abraham [8] vel Lazarum pauperem viderit, et Abraham divitem illum positum in tormentis [9] aspexerit. Et hæc siquidem ante adventum Christi ad inferos facta esse accepimus. Ceterùm cum Dominus et Salvator noster [10] pro omnibus moriens, ad inferna anima sola descendit, Patriarchis, qui in locis inferi tenebantur, cælestis paradisi ianuam reseravit. Quia ergo ita est, quòd illos et de inferis eruit, et in cælesti regione locavit, non immeritò quæritur, utrum modò Abraham ceterique sancti de illo loco cælestis paradisi, quo resurgente Christo locati sunt, possint ita videre impiorum animas in inferno, sicut de loco illo, unde moriente Christo educti sunt, facere poterant? Hanc siquidem quæstionem sicut modò hìc a me videtur proponi, occupato mihi diversis negotiorum tumultibus, ubi legerim non [11] facilè occurrit. Hoc unum tantùm de hac re in homeliis Papæ Gregorii legisse me recolo, ubi ait: " Credendum est quòd ante re„ tributionem extremi iudicii, „ iniusti in requie quosdam iu„ stos aspiciant, ut eos videntes „ et conspicientes in gaudio, non „ solùm de suo supplicio, sed „ et de illorum bono crucientur. Iu-

S. Gregor. *lib.* 2. *in Evang. Homil.* 40. *n.* 8.

(1) *Tractare videtur.* L.
(2) *Vitæ.... qualiter disponantur.* L.
(3) *Genera.* L. *genere* D. et edit. S. Greg. San-Maur.
(4) *Miram* deest in L.
(5) *Sit foris aliquid.* L.
(6) *Postmodum.* L.
(7) *Luca* deest in L.
(8) *Et Lazarum.* L.
(9) *Aspexit.* L.
(10) *Pro nobis omnibus.* L.
(11) *Facilè* deest in L.

„ (1) Iusti verò in requie positi, in „ tormentis semper intuentur in- „ iustos, ut inde eorum crescat „ gaudium, quia malum conspi- „ ciunt, quod misericorditer „ evaserunt, tantòque maiores „ ereptori suo gratias referunt, „ quantò vident in aliis, quod „ ipsi perpeti, (2) si essent relicti, „ potuerunt. Nec illam tantæ „ beatitudinis claritatem, apud „ electorum (3) animas fuscat a- „ specta pœna reproborum; quia „ ubi iam compassio miseriæ non „ erit, minui proculdubiò bea- „ torum lætitia non valebit. Quid „ autem mirum, si dum iusti „ iniustorum tormenta conspi- „ ciunt, (4) hoc eis veniet in ob- „ sequia gaudiorum, quando in „ pictura niger color substerni- „ tur, ut albus vel rubeus cla- „ rior videatur? Et quamvis eis „ sua gaudia ad perfruendum „ plenè sufficiant, mala tamen „ reproborum absque dubio sem- „ per aspiciunt; quia qui creato- „ ris sui claritatem vident, nihil „ in creatura agitur, quod vide- „ re non possint."

CAPUT XXXIII.

Contra eos qui dicunt, quòd nulla sit animæ vita post mortem.

Ioan. Cassian. *collat.* 1. c. 14. *circa medium.*

Cassianus ait: " Qui mortui sunt „ corpore, Dominum spiritu be- „ nedicunt, atque collaudant se- „ cundùm illud, *Benedicite Do-* *Dan.* 3. 86. „ *minum, spiritus et animæ iu-* „ *storum*, et *Omnis spiritus lau-* *Psalm.* 150. 6. „ *det Dominum.* Et in Apoca- *Apoc.* 6. „ lypsi Ioannis animæ occiso- „ rum non solùm laudare Deum, „ sed etiam interpellare dicun- „ tur. In Evangelio quoque evi- „ dentiùs Dominus ad Saducæos, „ *Non legistis*, inquit, *quod di-* *Matth.* 22. 31. 32. „ *ctum est a Deo, dicente vo-* „ *bis: Ego sum Deus Abra-* *Exod.* 3. 6. „ *ham, et Deus Isaac, et* „ *Deus Iacob? Non est Deus* „ *mortuorum, sed vivorum;* „ *omnes enim ei vivunt.* De qui- „ bus et Apostolus, *Propter quod,* *Hebr.* 11. 16. „ inquit, *non confunditur Deus* „ *vocari Deus eorum, para-* „ *vit enim illis civitatem san-* „ *ctam.*" Beato quoque Augustino ceterisque Doctoribus id asserentibus multis locis et multiplicibus libris, unum prædicti viri memorabo exemplum, quo huiusmodi roboretur assertio. Fratrem quemdam Gennadium medicum sibi notissimum atque clarissimum refert apud Carthaginem fuisse, quem erga pauperum curam impigra misericordia facillimoque animo benignissimum fuisse testatur: qui tamen Gennadius dubitabat, utrum esset (5) alia vita post mortem. " Huius igitur mentem „ et opera misericordiæ quoniam „ Deus nullo modo desereret, „ apparuit illi in somnis conspi- „ cuus iuvenis et dignus, eique „ dixit, Sequere me. (6) Qui dum

D. August. *epist. ad Evodium* 159. *in edit. Paris. S. Maur.*

F 2 „ se-

(1) *Iusti vero, in tormentis semper intuentur.* L.
(2) *Si essent* desunt in Duac.
(3) *Animas* utraque nostr. edit. *Animum* S. Greg. ed. laudata.
(4) *Hoc eis adauget obsequia gaudiorum.* L. sola. S. Greg. edit. laudata vix differt a Duac. *hoc eis veniat in obsequium.*
(5) *Ulla vita.* L.
(6) *Quem dum sequeretur.* L.

„ sequeretur, venit ad quamdam „ civitatem, ubi audire cœpit a „ dextra[1] parte sonos suavissimæ „ cantilenæ ultra solitam notam- „ que suavitatem. Tunc illo in- „ tento quidnam esset, hymnos „ dixit esse beatorum atque san- „ ctorum. A sinistra autem parte „ quid se vidisse retulerit, non „ satis memini. Evigilavit, et „ somnium[2] fugit, tantumque de „ illo quàm de somnio cogita- „ vit. Alia verò nocte, ecce idem „ ipse iuvenis eidem rursus ap- „ paruit, atque ab illo, utrum co- „ gnosceretur, interrogavit: re- „ spondit, quòd eum bene plenè- „ que cognosceret. Tunc ille „ quæsivit, ubi se nosset. Nec „ memoriæ defuit, [3] quod iste „ eidem responderet, totumque „ visum illud, hymnosque san- „ ctorum, [4] ad quos eo duce ve- „ nerat, qua recordabatur facili- „ tate narravit. At ille percuncta- „ tus est, utrum nam id quod „ viderat, in somnis vidisset an „ vigilans? Respondit, In somnis. „ At ille homini, [5] Bene, inquit, „ recolis: in somnis illa vidisti; sed „ etiam nunc in somnis te videre „ scias. Hæc cum audisset iste, ita „ esse credidit, atque id responsio- „ ne firmavit. Tunc qui hominem „ docebat, adiecit, et ait, Ubi „ est modò corpus tuum? Ille „ respondit, In cubiculo, et in le- „ ctulo meo. Scisne, inquit ille, „ in eodem corpusculo[6] esse il- „ ligatos et clausos oculos tuos? „ Ille respondit, Scio. Tunc ille, „ Qui sunt ergo isti oculi quibus „ me vides? Ad hoc iste non „ inveniens quid responderet, „ obticuit. Cui hæsitanti, ille „ quod his interrogationibus do- „ cere moliebatur, [7] aperuit con- „ tinuò. Sicut, inquit, isti oculi „ carnis tuæ utique in dormiente „ atque in lectulo iacente nunc „ vacant, nec aliquid modò ope- „ rantur, et tamen sunt isti qui- „ bus me intueris, et ista uteris „ visione, ita cum defunctus fue- „ ris, nihil agentibus oculis car- „ nis tuæ, vita tibi inerit qua vi- „ vas, sensusque quo sentias. Ca- „ ve iam deinceps, ne dubites vi- „ tam esse post mortem. Ita sibi „ homo fidelis ablatam dicit hu- „ ius rei dubitationem."

CAPUT XXXIV.

Contra eos quibus parum videtur, quòd anima post mortem carnis in quadam corporali similitudine læta quædam videat, vel tristia sentiat. Et quòd expressiora sint ibi læta vel tristia, quàm hìc videri possunt per somnium ab animo.

Quamvis non sint corporalia visa, sed similia corporalibus, quibus animæ corporibus exutæ afficiuntur, seu bene, seu malè, cùm et ipsæ animæ corporibus suis [8] similes sibimet appareant; sunt

(1) *Parte* deest in L.
(2) *Fuit* D.
(3) *Iste idipsum iterùm respondere.* L.
(4) *Ad quos audiendos eo duce venerat, qui recentissimum recordabatur facile narravit.* L.
(5) *Breve, inquit, recolis; verum est: in somnis, &c.* L.
(6) *Nec esse illigatos, sed clausos et otiosos oculos tuos, nihilque illis te videre?* L.
(7) *Aperuit. Et continuò sicut, etc.* L.
(8) *Similes* deest in D.

(1) sunt tamen et vera læta, et vera molesta, facta de substantia spirituali. Nam et in somnis (2) magnùm, interest, utrum in lætis an in tristibus simus. Unde in rebus quas concupierant constituti, se evigilasse doluerunt plurimi, et rursus gravibus terroribus atque cruciatibus exagitati atque vexati, cùm expergefacti essent, dormire timuerunt, ne in eadem mala revocarentur. Et utique non est dubitandum, quòd expressiora sunt illa, (3) quæ in inferno dicuntur esse, atque ideo vehementiùs sentiantur. Nam et qui subtracti sunt sensibus corporis, minus quidem quàm si omnino morerentur, sed tamen amplius quàm si dormirent, expressiora se vidisse narraverunt, quàm si somnia (4) somniassent.

CAPUT XXXV.

(5) *Quid remunerationis habere credantur animæ defunctorum, ante resurrectionis illius ultimum tempus.*

Animæ beatorum mox ut de huius corporis domicilio exeunt, donec veniant ad resurrectionis illius ultimum tempus, (6) iucunditate spiritus perfruuntur, attestante Ioanne de animabus occisorum propter verbum Dei, et
Apoc. 6.11. dicente: *Datæ sunt illis singulæ stolæ albæ.* Hæc ergo prima stola est quietis et iucunditatis, qua post mortem carnis anima tantùm perfruitur: secunda illa erit, cùm recepto corpore de animæ et carnis immortalitate lætabitur.

CAPUT XXXVI.

Quòd post depositionem corporis huius statim videatur a sanctis spiritibus Deus.

Beatissimus Cyprianus, Doctor clarus, (7) et magister mirificus, ad Fortunatum scribens de exhortatione martyrii, inter cetera sic dicit: " Quanta est dignitas, „ et quanta securitas, exire hinc „ lætum, exire inter pressuras „ et angustias gloriosum, clau„ dere in momento oculos, qui„ bus homines videbantur et mun„ dus, et aperire eosdem statim, „ ut videatur Deus et Christus? „ (8) Tanta felicitas migrandi, quan„ ta velocitas. Repentè terris sub„ traheris, ut in regnis cælesti„ bus reponaris. Hæc oportet „ mente et cogitatione comple„ cti, (9) et die ac nocte meditari." Tanti ergo Doctoris exhortatione instructi, veraciter tenere debemus, quòd nequaquam post mortem visione Dei fraudabimur, sed eo cum lætitia perfruemur, si hìc in beneplacitis sibi actibus vixerimus.

D. Cyprianus *in epistola ad Fortunatum* de Exhortatione martyrii, *cap.* 12. *circa finem.*

(1) Lips. *Sed tamen vera lætitia et vera molestia factæ de substantia spiritali.*
(2) D. *Magnæ magnitudinis interest.*
(3) Lips. *Quæ inferna dicuntur, atque ob hoc vehementius sentiantur.*
(4) *Narravissent.* L.
(5) *Quod remunerationem.* L.
(6) *Sola iucunditate.* L.
(7) *Et martyr Dei magnificus.* L.
(8) *Tam feliciter migrandi.* L.
(9) *Hæc die, ac nocte.* L.

CAPUT XXXVII.

Quòd etiam modò sanctorum animæ iam cum Christo in cælis regnent.

D. August. *de Civit. Dei, lib.* 20. *c.* 9. *n.* 2.

Sanctus Augustinus definitione certissima cupiens docere, quòd non solùm martyrum, sed electorum animæ fidelium iam modò cum Christo regnent in cælis, de Apocalypsi Ioannis testimonium illud ponit, ubi legitur, quòd animæ occisorum propter testimonium Iesu, et propter verbum Dei, regnent cum Christo mille annis: animæ scilicet martyrum, nondum sibi corporibus redditis. Quod ne aliquis putaret, quòd tantùm martyrum, non etiam ceterorum fidelium animæ cum Christo regnarent, subiunxit idem Doctor: „ Neque enim piorum „ animæ mortuorum (1) separan„ tur ab Ecclesia, quæ nunc „ est etiam (2) regnum Dei: alio„ qui nec ad altare fieret me„ moria eorum in communi„ catione corporis Christi. Nec „ aliquid prodesset ad eius ba„ ptismum in periculis currere, „ (3) ne sine illo finiatur hæc vita: „ (4) nec ad reconciliationem pœ„ nitentia valeret, si fortè per „ impudentiam malamve con„ scientiam quisque ab eodem „ corpore separatus est. Cur enim „ fiunt ista, nisi quia fideles, etiam „ defuncti, sunt membra eius? „ Quamvis ergo cum suis corpo„ ribus nondum sint, iam tamen „ eorum animæ regnant cum illo.“

Apoc. 20. 4.

(5) Nunc et quotidie desiderant duplicationem beatitudinis, quam accepturi sunt post, et ipsa eorum desideria clamoris eorum quodammodo sunt verba, quibus Deum imprecantur, ut extinctorum corporum resurrectionem recipiant. Magnus quippe eorum clamor, magnum est desiderium. Tantò enim minus quisque clamat, quantò minus desiderat: et tantò maiorem vocem in aurem Dei exprimit, quantò se in eius desiderium pleniùs fundit. Si enim desiderium quodammodo sermo non esset, Propheta non diceret: *Desiderium cordis eorum exaudivit auris tua.* Quibus sanctis animabus iam datæ sunt singulæ stolæ albæ, id est, ipsa illa (6) beatitudo patriæ cælestis, in qua nunc gaudentes exultant: dictumque est eis: *Requiescite tempus adhuc modicum, donec impleatur numerus conservorum et fratrum* (7) *nostrorum.* Desiderantibus igitur animabus *Requiescite tempus adhuc modicum* dicere, est inter ardorem sancti desiderii ex ipsa sua præsentia eis Deum solatium consolationis adspirare. Regnum tamen animarum eorum iam, ut diximus, cum illo est nunc, dum isti mille anni decurrunt. Unde et in eodem libro alibi legitur: *Beati mortui qui in Domino moriuntur: amodo enim iam dicit spiritus, ut requiescant a laboribus suis, nam ope-*

Psalm. 9. 38.

Apoc. 6. 12.

Apoc. 14. 13.

(1) *Separarentur.* D.
(2) *Regnum Christi.* L.
(3) *Nisi illo* ita ambæ nostræ editiones. Melius absdubio in editis S. Aug. *ne sine illo.*
(4) Lips. aliter *nec ad reconciliationem, si forte per pœnitentiam malamve conscientiam, etc.*
(5) *Nam nunc.* L.
(6) *Beatitudo cælestis.* L.
(7) *Vestrorum.* L.

opera eorum sequuntur eos. Regnat itaque cum Christo nunc primùm Ecclesia in vivis et mortuis. Propterea enim, sicut dicit
Rom. 14. 9. Apostolus, mortuus est Christus, ut et vivorum et mortuorum dominetur. Sed ideo Martyrum tantum animas [1] Ioannes commemoravit, quia ipsi præcipuè regnant mortui, qui usque ad mortem pro veritate [2] certarunt. Sed a parte totum, etiam ceteros mortuos intelligimus pertinentes ad Ecclesiam, [3] quæ est regnum Christi.

EXPLICIT LIBER SECUNDUS.

PROGNOSTICON

LIBER TERTIUS.

DE IPSA RESURRECTIONE.

CAPUT I.

Quòd tempus et diem iudicii nullus hominum noverit.

Iudicii tempus vel diem Dominus nobis esse voluit incognitum. Sic enim interrogantibus se de ultimo die discipulis, atque dicentibus, *Quod signum adventus tui erit, et consummationis sæculi?* respondisse eumdem Do-
Marc. 13. 32. minum legimus: *De die autem illa et hora nemo scit, neque Angeli in cælo, neque Filius, nisi Pater solus.* Quamquam hoc ipsum quod se dicit nescire, non arbitrandus est hoc ipsum Filius ignorasse, sed quòd sic sciat, ut nolit aliis dicere. Nam dum dicit ipse Dominus per Prophetam,
Isai. 63. 4. *Dies ultionis in corde meo*, indicat se quidem scire, sed nolle aliis indicare.

CAPUT II.

Utrum specialis locus esse credatur, ubi iudicium a Domino agetur.

Quid ex hoc [4] in aliis legerim, non facilè mihi occurrit: hoc tamen Ioël Propheta vaticinante [5] didicimus, quòd in valle Iosaphat omnes gentes a Domino tempore iudicii [6] congregandæ sunt. Sic enim idem sanctus Pro-
Ioel. 3. 1. 2. pheta ait: *In diebus illis et in tempore illo, cum convertero captivitatem Iudæ et Hierusalem, congregabo omnes gentes, et deducam eas* [7] *in vallem Iosaphat, et disceptabo cum eis ibi.* Sed hæc Prophetæ verba quomodo beatus Hieronymus sentiat, audiamus, ut ex illius verbis locus iste Iosaphat, quo iudicium dicitur agitari, utrum propriè an figuraliter intelligi debeat, meliùs lector [8] agnoscat.

(1) *Ioannes* deest in Lips.
(2) *Certabant. Sed aperte ad totum.* L.
(3) *Quod est regnum Christi.* L.
(4) *In aliis codicibus.* Lips.
(5) *Cognovimus.* L.
(6) *Iudicandæ sunt.* L.
(7) *In valle.* L.
(8) *Agnoscas.* L.

scat. Dicit enim beatus Hieronymus : Iosaphat interpretatur (1) Domini iudicium. Hoc ergo est quod dicit: Quando misertus fuero eorum, hoc est, qui mei nominis confessione censentur, tunc omnes adversarios meos deducam in vallem Iosaphat, hoc est, in vallem iudicii. Omnes autem gentes, aut omnes (2) designat incredulas nationes, aut omnes dæmones dicit, quia sic idem Doctor in eodem tractationis subsequitur opere: Isti tales, id est, quos aut incredulas nationes, aut dæmones dicit, non iudicabuntur in montibus, non in campestribus, sed in profundo et deorsum, ut solùm locus (3) ipse iudicii pro pœna sit.

D Hieronymus *in hunc Ioelis locum, quamvis non iisdem verbis.*

CAPUT III.

Quòd nullus noverit hominum, per quot dies futurum illud iudicium extendatur.

D. Aug. *de Civitat. Dei, lib. 20. cap. 1. num. 2.*

" Quod in confessione ac professione tenet omnis Ecclesia „ Dei, Christum de cælo (4) esse „ venturum ad vivos et mortuos „ iudicandos, (ut ait beatissimus „ Augustinus) (5) hunc ultimi iudicii diem dicimus, id est, novissimum tempus. Nam per „ quot dies futurum iudicium „ (6) extendatur, incertum est."

CAPUT IV.

De terrore adventus Christi, et quòd in ea forma qua iudicatus est, in ipsa ad iudicium veniet, et iudicium agitabit.

(7) Christus Dei filius, finito mundi termino, in ea qua ascendit cælos corporis forma, (8) cum sanctis omnibus veniet. Illo enim de cælis ad iudicium veniente, iuxta quod ipse in Evangelio ait: *Virtutes cælorum commovebuntur, et tunc apparebit signum filii hominis in cælo; et tunc (9) plangent omnes tribus terræ, et videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute multa. Et mittet Angelos suos cum tuba et voce magna, et congregabunt electos eius a quatuor (10) ventis, a summis cælorum usque ad terminos eorum.* Paulus quoque Apostolus de adventu (11) iudicii ita dicit: *Ipse autem Dominus in iussu, et in voce Archangeli, et in tuba Dei descendet de cælo. Ignis enim ante eum,* Psalmista prædicente, *ardebit, et in circuitu eius tempestas valida:* quia idem qui aliquando venit ut iudicaretur occultus, tunc veniet ut omnes iudicet manifestus. Congregatis ergo sanctis suis omnibus, (12) de cælo est descensurus iuxta illud quod Esaias dicit: *Ecce veniet Dominus cum sanctis suis ad faciendum iudicium.* Tremendus igi-

Matth. 24. 29. 30. 31.

1. Thesal. 4. 15.

Psalm. 49. 3.

Isai. 3. 14.

(1) *Dei iudicium.* L.
(2) *Designant.... aut omnes dicit.* D.
(3) *Ipsis.* L.
(4) *Esse futurum.* L.
(5) *Hunc omnes iudicii ultimum diem dicimus, id est, futurum novissimum tempus.* L.
(6) *Tendatur.* L.
(7) *Omnipotens Dei filius.* L.
(8) *Ad iudicium cum sanctis omnibus.* L.
(9) *Plangent sc.* L.
(10) *Ventis cæli, a summo cælorum.* L.
(11) *Iudicii sui.* L.
(12) *Ad faciendum iudicium de cælo.* L.

igitur valdè et pavendus adveniet in die (1) examinationis suæ, quando cum Angelis, et Archangelis, Thronis, et Dominationibus, ceterisque Virtutibus, cælis quoque ac terris ardentibus, cunctis in sui obsequii terrore commotis, visus fuerit in gloria maiestatis.

CAPUT V.

Quòd præeunte cruce Christus ad iudicium veniet, et quòd eadem crux Angelorum humeris, de cælo Christo descendente, portabitur.

D. Chrysostomus homilia prima de Cruce et Latrone.

Ioannes Chrysostomus liquidissimè hanc quæstionem ventilans, ita definiens dicit: „ Videamus „ quomodo cum cruce sua veniet Christus, necessarium „ enim est hoc ipsum ostendere. Matth. 24. 26. „ *Si dixerint*, inquit, (2) *Ecce in* „ *promptuariis est Christus, ecce in solitudine, nolite credere:* „ de secunda præsentia gloriæ „ suæ dicens propter Pseudochristos, et propter falsos Prophetas, (3) et propter Antichristum, ne quis errore præventus in falsum incidat Christum. Quoniam Christi Salvatoris adventum præveniet Antichristus, ideo sollicitè præcavendum est, ne quis pastorem quærens, lupum inveniat. Ob hoc prædico tibi, unde dignoscas veri pastoris adventum. Hoc dedit signum: hæc enim „ fuit voluntas eius, ut primus „ adventus latenter fieret, et „ quæreret quod perierat; secundus verò adventus non ita, sed „ simpliciter ait: *Quemadmo-* Ibid. v. 27. „ *dum*, inquit, *fulgur exiens* (4) *ab* „ *Oriente apparet in Occidente,* „ *ita erit adventus filii hominis.* „ (5) Subitò omnibus apparebit, „ nec erit indigens quisquam interrogare, sive hìc, sive illic „ est Christus. Quemadmodum „ enim fulgur cum emicuerit, „ non egemus interrogare, si facta sit coruscatio; ita cùm „ revelatio præsentiæ eius effulserit, non indigebimus interrogare, (6) an venerit Christus. „ Sed quod quæritur, si cum „ cruce veniet, (nec enim præmissæ expositionis oblitus sum) „ audi igitur subsequentia. *Tunc,* Ibid. v. 29. „ inquit, *quando venturus est,* „ *sol obscurabitur, et luna non* „ *dabit lumen suum.* Tanta enim „ erit eminentia splendoris in „ Christo, ut etiam clarissima „ cæli luminaria abscondantur „ præ fulgore divini luminis. „ Tunc et stellæ cadent, quando (7) apparuerit signum filii Ibid. v. 29. 30. „ hominis in cælo. Considerasti „ quanta sit virtus (8) sanctæ crucis? Sol obscurabitur, luna „ non dabit lumen suum: crux „ verò fulgebit, et obscuratis „ luminaribus cæli, dilapsisque „ sideribus, (9) sola radiabit, ut „ discas quoniam crux sole et „ lu-

(1) *Examinis.* L.
(2) *Ecce* deest in D.
(3) *Et falsos Prophetas, propter Antichristum, ne aliquis.* L.
(4) *Ab aquilone.* D.
(5) *Subito enim.* L.
(6) *An verè sit Christus.* L.
(7) *Apparuit.* D.
(8) *Signi, hoc est, crucis.* L.
(9) Melius Lipsiens. quàm Duac. cuius hæc lectio est: *Sol non radiabit; quando crux sole et luna præclarior est, etc.*

„ luna præclarior est, quorum „ splendorem divino illustrata „ splendore superabit. Et quem„ admodum ingrediente rege in „ civitatem, exercitus [1] præce„ dit ferens signa et vexilla re„ galia, [2] et ambitus præpara„ tionis armisonæ annuntiat regis „ introitum; ita Domino descen„ dente de cælis, præcedet exer„ citus Angelorum atque Ar„ changelorum, qui signum illud „ triumphale crucis vexillum su„ blimibus humeris præferentes, „ divinum regis cælestis ingres„ sum terris. trementibus nun„ tiabunt." Idem Doctor post aliqua sic repetit: " Sed quare „ crux apparebit tunc, et quam „ ob causam in eius prælatu Do„ minus adveniet, [3] perspicuum „ est: ut agnoscant consilium ini„ quitatis suæ, qui Dominum „ maiestatis crucifixerunt. Per „ hoc enim signum impudens „ Iudæorum redarguitur [4] men„ dacium vel impietas. Et quo„ niam propter hoc ipsum ha„ bens crucem veniet, audi ipsum
Matth. 24. 30. „ in Evangelio protestantem: „ *Quia tunc plangent omnes tri„ bus terræ*, videntes accusato„ rem suum ipsam crucem, et „ ipsa arguente cognoscent pec„ catum suum serò, et frustra fa„ tebuntur impiam cæcitatem. „ Quid autem miraris, si cru„ cem adferens veniet, ubi et „ ipsa vulnera tunc ostendet?
Ioann. 19. 37. „ *Quoniam videbunt*, inquit, *in* „ *quem compunxerunt.*

CAPUT VI.

De terrore visionis diaboli, cùm sublatus fuerit, ut ad iudicium adducatur.

Cum sublatus fuerit diabolus ut damnetur, multi electi, qui in corpore inveniendi sunt, Domino ad iudicium veniente, metu concutiendi sunt, videntes tali sententia impium esse punitum. Quo terrore purgandi sunt, quia si quid eis ex corpore adhuc peccati remanserit, metu ipso quo diabolum damnari conspicient, purgabuntur. Hinc est quod [5] ait Iob: *Cùm sublatus fuerit, timebunt Angeli, et* [6] *territi purgabuntur:* Angelos videlicet sanctos quosque, atque electos volens intelligi. *Iob 41.16.*

CAPUT VII.

Quòd Christus ad iudicium veniens, mitis iustis, et terribilis apparebit iniustis.

Redemptor humani generis cùm apparuerit, et mitis erit iustis, et terribilis iniustis. Quem enim mansuetum aspiciunt electi, hunc pavendum atque terribilem conspiciunt reprobi. Sed hunc ideo electi terribilem non videbunt, quia modò terrorem illius considerare non desinunt. Et ideo reprobi terribilem illum conspicient, quia modò ultimi illius iudicii postponunt terrorem, et quod est peius, quasi securi in suis fæcibus iacent.

(1) *Antecedit præferens.* L.
(2) *Et ambitu præparationis, armisque annuntiat.* L.
(3) *Ratio perspicua est.* L.
(4) *Mendacium* deest in Lips.
(5) *Ait Dominus ad Iob.* L.
(6) *Exterriti.* L.

CA-

CAPUT VIII.

Quòd Christum in carne ad iudicium venientem iusti et iniusti carneis oculis sint visuri.

Christus Dei filius cùm ad iudicium venerit faciendum, omnes pariter humanitatem eius iusti et iniusti visuri sunt. Divinitatem tamen eius iniusti non videbunt, quæ tantùm iustis videnda promittitur. Nam quòd ab iniustis divinitas eius non videatur, te-
Isai. 26. 10. statur Esaias qui dicit: *Tollatur impius, ne videat* (1) *maiestatem Dei.* Ex quo apertissimè patet, quòd reprobi tunc humanitatem (2) eius utique in qua iudicatus est, videbunt ut doleant; divinitatem verò non videbunt, ne gaudeant. Quibus enim divinitas ostenditur, utique (3) ad gaudium demonstratur.

CAPUT IX.

Quòd non Pater, sed tantùm Filius ad iudicium faciendum venturus esse credatur.

D. August. in Ioan. Evang. cap. 5. tract. 19. num. 16. Ait ex hoc beatissimus Augustinus: " Neque enim ad iudi-
„ cium vivorum et mortuorum
„ Pater venturus est; nec tamen
„ recedet a Filio Pater. Quo er-
„ go modo non ipse venturus
„ est? Quia ipse non videbitur
Ioan. 19. 37. „ in iudicio: *Videbunt in quem*
„ (4) *compunxerunt.* Forma illa erit
„ iudex, quæ stetit sub iudice:
„ illa iudicabit, quæ iudicata est.
„ Iudicata est enim iniquè, iu-
„ dicabit iustè." Nam et cùm in propheticis scripturis Dominus legitur (5) ad iudicium esse venturus, etsi eius persona sub alia distinctione patenter ponatur, tantummodo propter ipsum iudicium Christus debet intelligi; quia etsi Pater iudicabit, (6) per Filium iudicabit. Nam ipse per suæ præsentiæ manifestationem *Ioan. 5. 22.* non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio; quia manifestabitur homo iudicaturus, sicut homo est iudicatus.

CAPUT X.

Quòd non pertineat ad hanc vitam, cùm Christus vivos et mortuos iudicaturus de cælo descenderit.

Non est consequens, ut ad hanc vitam pertinere credamus, cùm Christus (7) de cælo ad iudicandos vivos et mortuos descenderit, et iudex hominibus apparuerit manifestus. Nam iuxta præfixam beati Augustini sententiam, quòd de Christo profitemur futurum, quoniam de cælo venturus est vivos et mortuos iudicaturus, non pertinet ad vitam nostram quæ hìc (8) geritur; quia nec in rebus eius gestis est, sed in fine sæculi gerendis. Ad hoc pertinet, quod secutus Apostolus adiunxit: *Cùm* *Col. 3. 4.* *Christus apparuerit vita nostra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria.* Vivos autem et mortuos, cum venerit, iudica-

Tom. II.

(1) *Gloriam Dei.* L.
(2) *Christi in qua.* L.
(3) *Ut gaudeant.* L.
(4) *Pupugerunt.* L.
(5) *Ad novissimum iudicium faciendum..... etsi eius alia distinctio non ponatur.* L.
(6) *Per adventum filii hominis.* L.
(7) *De cælo descendens iudex omnibus apparuerit manifestus.* L.
(8) *Peregrinatur.* L.

bit, quia et iusti, qui utique vivunt, et iniusti, qui meritò mortui appellantur, ab illo utique iudicandi sunt: sive ut vivos intelligamus, quos hìc nondum mortuos, sed adhuc in ista carne viventes eius (1) invenerit adventus; mortuos autem, qui de corpore priusquam veniat exierunt, vel exituri sunt.

CAPUT XI.

De sedibus iudicantium.

Sedes dicimus, quas Græci Thronos appellant: Thronos autem Græci (2) sedes dicunt. Sancti ergo, quamlibet ipsi sint sedes Dei, *Sap. 7.* iuxta quod scriptum est, *Anima iusti sedes est sapientiæ;* ipsi tamen sedes habebunt, in quibus Christo iudicante sessuri sunt, iuxta illud quod ipsa Veritas ait: *Matth. 19. 28.* *Vos qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel.*

CAPUT XII.

De his qui cum Domino ad iudicandum sessuri sunt.

Luce clarius constat, quòd omnes sancti, qui perfectè mundum reliquerunt, cum Domino residentes ceteros iudicabunt. Tunc quoque implebitur illud quod legitur in divinis litteris: *Prov. 31. 23.* *Nobilis in portis vir eius, quando (3) sederit cum senatoribus terræ.*

CAPUT XIII.

Quòd in prænominatis a Christo duodecim sedibus non solùm duodecim Apostoli sessuri sint, sed omnis perfectorum numerus, qui in duodenarium numerum (4) partiuntur.

Sanctus Augustinus ita ex hoc in suis tractatibus dicit: " Non D. Aug. *de Civit. Dei, lib. 20. cap. 5. num. 3.*
„ enim, quia super duodecim sedes sessuros ait Dominus esse
„ (5) Apostolos, duodecim solos homines cum illo iudicaturos putare debemus. Duodenario namque numero universa quædam
„ significata est prædicantium
„ multitudo, propter duas partes numeri septenarii, quo signficatur plerumque universitas. Quæ duæ partes, id est,
„ tria et quatuor, altera per alteram multiplicatæ, duodecim
„ (6) fiunt. Nam et quatuor ter, et
„ tria quater, duodecim sunt: et
„ si qua alia huiusmodi duodenarii numeri, quæ ad hoc valeat, ratio (7) potest reperiri.
„ Alioquin cùm in locum Iudæ
„ traditoris Apostolum legimus
„ Mathiam ordinatum, Apostolus
„ Paulus qui plus illis omnibus
„ laboravit, ubi ad iudicandum
„ sedeat non habebit: qui profectò cum aliis Sanctis ad numerum iudicum se pertinere de-
„ monstrat, cùm dicit: *Nescitis* *1. Cor. 6. 3.*
„ *quia Angelos iudicabimus?*
„ De ipsis quoque iudicandis in
„ hoc

(1) *Inventurus est.* L.
(2) *Sellas dicunt.* L.
(3) *Sedebit.* L.
(4) *Partietur.* L.
(5) *Discipulos suos.* L.
(6) *Faciunt.* L.
(7) *Reperitur.* L.

„ hoc numero duodenario similis „ causa est. Non enim quia di- „ ctum est, *Iudicantes duodecim* „ *tribus Israel*, tribus Levi quæ „ tertiadecima est, ab eis iudi- „ canda non erit, aut solum il- „ lum populum, non etiam ce- „ teras gentes iudicabunt. Quod „ autem ait *In regeneratione*, „ proculdubio mortuorum resur- „ rectionem nomine voluit rege- „ nerationis intelligi. Sic enim „ caro nostra regenerabitur per „ incorruptionem, quemadmo- „ dum est anima nostra regene- „ rata per fidem."

CAPUT XIV.

De ultima resurrectione corporum humanorum.

Resurrecturam carnem omnium quicumque nati sunt hominum atque nascentur, et mortui sunt et morientur, nullo modo debet dubitare omnis qui veraciter Christianus est, dicente Domino:

Ioan. 5. 25. *Amen amen dico vobis, quia venit hora, quando mortui qui in monumentis sunt, audient vocem filii Dei: et procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ, qui verò mala, in resurrectionem iudicii.*

CAPUT XV.

Quòd septimo Angelo tuba canente, in ictu oculi erit resurrectio mortuorum.

* B. Hieronymus quorumdam de resurrectione disputantium sententias in epistola sua, quam ad Minervum scripsit, asserens, ita dicit: " Quærimus cur de no- 1. Cor. 15. 52. „ vissima tuba mortuos scripserit „ Apostolus resurrecturos? Quan- „ do enim novissima dicitur, uti- „ que aliæ præcesserunt. In Apo- Apoc. 11. „ calypsi Ioannis septem Angeli „ describuntur cum tubis, et „ unoquoque clangente, primo „ videlicet, secundo, et tertio, „ quartoque, et quinto, et sex- „ to, quid per singulos actum „ sit, indicatur. Novissimo autem, „ id est, septimo, claro tubæ „ strepitu personante, (1) mortui „ suscitantur, corpora, quæ prius „ habuerant corruptibilia, incor- „ ruptibilia recipientes." Pro eo tamen quod de resurrectione mortuorum ait Apostolus, omnes resurrecturos esse in momento, in ictu oculi, in novissima tuba, „ tanta (ut ait idem Doctor), ce- „ leritate fiet resurrectio mortuo- „ rum, ut vivi quos in corpo- „ ribus suis consummationis tem- „ pus invenerit, mortuos de in- „ feris resurgentes prævenire non „ valeant. Quando enim dicit, in „ puncto temporis, et in mo- „ tu oculi atque momento futu- „ ram omnium resurrectionem, „ cunctam primæ et secundæ re- „ surrectionis excludit fabulam, „ ut alii primi, alii novissimi „ resurrecturi esse credantur." Item post aliqua idem dicit: " Hoc sentire debemus, quòd „ quomodo levis pluma, (2) aut „ tenue siccumque folium vento „ flatuque raptatur, et de terra „ ad

* Hæc in Hieronymo frustra quæsivimus: alterius fortè verba sunt: illa certè stilum Hieronymi vix sapiunt.

(1) Duacen. paulò aliter: *Mortui suscitantur corpore: qui prius habuerant corruptibilia, incorruptibilia recipientes.*

(2) *Vel stipula* adiicit L.

„ ad sublime [1] transfertur ; sic „ ad oculum et nutum Dei o- „ mnium mortuorum corpora „ movebuntur , parata ad adven- „ tum iudicis.

CAPUT XVI.

Quòd ad omnes homines pertineat resurrectio, immutatio verò tantùm ad sanctos.

1. Cor. 15. 52. Ecce dicit Apostolus : *Canet tuba , et mortui* [2] *resurgent , et nos immutabimur.* Sed non sicut bonorum et malorum generalis est omnium resurrectio , ita communis credenda est immutatio. Nam iuxta quod beatus Augustinus , Hieronymus , Iulianus Pomerius , ceterique testantur, resurrectio communis erit omnibus bonis et malis, immutatio verò solis danda est iustis : quæ utique glorificationem insinuat æternæ beatitudinis.

CAPUT XVII.

Quòd non aërium corpus, sed caro quam gerimus, sine ulla corruptione resurget.

Nullo modo audiendi sunt, qui pro carne nescio quod corpus resurrecturum fabulantur [3] aërium. Sed iuxta sacræ historiæ veritatem , in hoc quod quisque vivit, resurrecturus est corpore. Nam ut ceteros taceam , egregii præceptoris nostri Eugenii, [4] Toletanæ Sedis Antistitis, breviter hæc verba retexam: „ Resurrectionem „ autem carnis verissimè confi- „ temur , non ut quidam deli- „ rant , ut in aëria vel qualibet „ alia carne resurgamus ; sed in „ hac qua sumus, [5] in hac qua „ etiam pro rectè factis coronam, „ aut pro malè gestis unusquis- „ que merebitur recipere pœ- „ nam.

CAPUT XVIII.

Quomodo spiritualia corpora tunc habere credantur, cum futura corpora non spiritus , sed corpora verissimè approbentur.

Resurgent sanctorum corpora sine ullo vitio, sine ulla deformitate , [6] sine ulla corruptione , vel oneris difficultate. In quibus tanta facilitas, quanta felicitas erit. Propter quod spiritalia dicta sunt, cùm proculdubio corpora futura [7] non spiritus sint. Sed sicut nunc corpus animale dicitur , quod tamen corpus non anima est ; ita tunc spiritale corpus erit , corpus tamen , non spiritus erit.

CAPUT XIX.

De qualitate corporum quæ in resurrectione futura sunt.

„ Qualitas eorum corporum , ut „ ait Iulianus Pomerius , quam „ miseri vel beati recipient, „ æqualiter quidem incorruptibi- „ lis et immortalis erit ; sed eo- „ rum

Iulianus Pomerius *libro iam supra laudato* de Animæ origine.

(1) *Facilè transfertur.* L.
(2) *Resurgent incorrupti.* L.
(3) *Aereum.* L.
(4) *Tolosanæ* scribit malè L.
(5) *Et vivimus , in qua etiam aut pro rectè factis , etc.* L.
(6) *Sicut sine ulla corruptione , onere, difficultate.* L
(7) *Caro , non spiritus sint.* L.

„ rum ipsorum qui recepturi „ sunt, loca vel merita incom- „ parabiliter diversa erunt, et „ a se invicem longè distantia. 1. Cor. 15. 51. „ Unde dicit Apostolus: *Omnes „ quidem resurgemus, sed non „ omnes immutabimur.* Quod „ enim dicit, *Omnes quidem re- „ surgemus*, unam tantùm re- „ surrectionem omnium homi- „ num signat, ut omnia homi- „ num corpora, una incorruptio- „ ne, una immortalitate donata, „ aut in supplicio, aut in præ- „ mio possint esse perpetua. Ac „ per hoc omnes et simul resur- „ recturi credendi sunt; sed im- „ pii ad supplicium, peccatores „ ad illud finale iudicium, et „ sancti omnes ad præmium. Igi- „ tur corpora miserorum non sic „ immortalia et incorruptibilia „ erunt, ut quia corrumpi aut „ mori non poterunt, nullum „ sensum doloris admittant; sed „ ut in æternis cruciatibus consti- „ tuta, summus dolor nec cor- „ rumpat cruciando, nec peri- „ mat. Ac sic ad hoc caro im- „ mortalis cum sua anima con- „ demnata vivit, ut sentiat; sen- „ tit, ut doleat; dolet, ut meri- „ tis suis digna recipiat.

CAPUT XX.

In qua ætate vel statura futuri sunt resurgentes, sive sint senes, sive iuvenes, vel infantes.

D. Aug. de Civitat. Dei, lib. 22. cap. 15. et 16. Plerisque pertinaciter ac variè de hac quæstione certantibus, beatus Augustinus responsurum se (1) perhibens dicit: „ Si dixeri- „ mus ad Dominici corporis mo- „ dum (2) quorumdam maiorum „ corpora redigenda, peribit de „ multorum corporibus plurimum, cùm ipse nec capillum „ periturum esse promiserit. Re- „ stat ergo, ut suam recipiat unus- „ quisque mensuram, quam vel „ habuit in iuventute, etiamsi „ senex sit mortuus, vel fuerat „ habiturus, si antè est defunctus. „ Atque illud quod commemora- „ vit Apostolus de mensura æta- Ephes. 4. 13. „ tis plenitudinis Christi, ... „ sic accipimus dictum, ut nec „ infra nec ultra iuvenilem for- „ mam resurgant corpora defun- „ ctorum; sed (3) in ætate et robo- „ re usque ad quam Christum hìc „ pervenisse cognovimus. Circa „ triginta quippe annos definie- „ runt etiam huius sæculi doctis- „ simi homines iuventutem, quæ „ cum fuerit spatio suo termina- „ ta, inde iam hominem ad de- „ trimenta vergere gravioris ac „ senilis ætatis: et ideo non esse „ (4) dictum in mensuram corpo- „ ris, vel in mensuram staturæ, „ sed in mensuram ætatis pleni- „ tudinis Christi. Resurgent er- „ go omnes tam magni corpore, „ quàm erant, vel futuri erant „ ætate iuvenili. Quamvis nihil „ oberit, etiamsi erit infantilis „ vel senilis corporis forma, ubi „ nec (5) mentis nec ipsius corpo- „ ris ulla remanebit infirmitas." Unde etiam prædictus Doctor sequenter adiungit: „ Si quis in „ eo

(1) *Præbens.* D.
(2) *Quorumcumque maiora corpora.* L.
(3) Lip. *In eius ætatis robore.* Edit. S. Aug. *in eius ætate, et robore.*
(4) Duacena: *Non esse venturum.*
(5) *Meritis* pro *mentis.* L.

„ eo corporis modo quo defun-
„ ctus est, resurrecturum unum-
„ quemque contendit, non est
„ cum illo (1) laborabili contradi-
„ ctione pugnandum." Iulianus
quoque Pomerius quid de hoc sen-
serit non tacebo. " Sanè, ait, de
„ ætate nihil esse quæstionis exi-
„ stimo, quoniam sive iam in
„ utero, sive iam nati vita pri-
„ ventur infantes, (2) in ca resur-
„ recturi esse credantur, ad quam
„ profectò essent, si viverent,
„ annis (3) sequentibus perventuri;
„ quoniam si naturam resurrectio
„ reparabit, aliquid deesse ple-
„ nitudini naturæ non poterit."
Quòd etiam prædictus Doctor si-
militer fieri et de his qui provec-
ta ætate moriuntur, astruxit di-
cens: " Is quoque qui hinc pro-
„ vecta ætate, vel etiam decre-
„ pita decesserit, ea ætate resur-
„ get, in qua iuvenis fuit, debi-
„ litate senectutis ablata. Aut si
„ hoc magis congruit illi sæculo
„ beato, in quo omnes sancti si-
„ ne ullo beatitudinis suæ defe-
„ ctu (4) victuri sunt, ut aliqua
„ ætatum differentia ibi futura sit,
„ sic erit ibi, (5) ut impedimento
„ aut dedecori sine fine regnanti-
„ bus non sit." Itemque subiun-
git: " Quod de ætate diximus,
„ hoc idem de statura licet in-
„ telligi."

Iulian. Pomerius *libro iam sæpe laudato* de Anima.

CAPUT XXI.

Utrum æquales an diversæ futuræ sint staturæ vel figuræ surgentium corporum, et utrùm macri cum eadem macie, pingues cum eadem pinguedine, in resurrectione futuri sint.

De statura corporis in qua omnes (6) resurrecturi sunt, beatus Augustinus manifesta dissertione pronuntians dicit: " Non est
„ consequens, ut ideo diversa
„ statura sit (7) reviviscentium,
„ quia fuerat diversa viventium:
„ (8) scilicet ut macri cum eadem
„ macie, aut pingues cum eadem
„ pinguedine reviviscant. (9) Sed si
„ hoc est in consilio creatoris, ut
„ in effigie sua cuiusque proprie-
„ tas et discernibilis similitudo
„ servetur, in ceteris autem cor-
„ poris bonis æqualia cuncta red-
„ dantur; ita modificabitur illa
„ in unoquoque materies, ut nec
„ aliquid ex ea pereat, et quod
„ alicui defuerit, ille suppleat
„ qui etiam de nihilo potuit quod
„ voluit operari. (10) Si autem in
„ corporibus resurgentium ratio-
„ nabilis inæqualitas erit, sicut
„ est vocum quibus cantus im-
„ pletur, hoc fiet cuique de ma-
„ teria corporis sui, quòd homi-
„ nem reddat Angelicis cœtibus,
„ et

D. August. *Enchir. cap. 90.*

S. Aug. *lib. 22.*

(1) *Laboriosa.* L.
(2) Duac. *In eam resurrecturi credantur.*
(3) *Procedentibus.* L.
(4) *Venturi sunt.* L.
(5) *Ut quidquam inquam impedimento.* L.
(6) *Omnes generaliter.* L.
(7) *Reviviscentium singulorum.* L.
(8) *Aut macri.* L.
(9) Lectionem Lips. et edit. S. Aug. præferendam hoc loco duximus Duacenæ, quæ est huiusmodi: *Sed sit hoc in concilio creatoris, ut..... in ceteris autem corporibus bonis æqualia cuncta reddantur. Ita etc.*
(10) Discrepat etiam hoc loco lectio Duacena a Lip. et S. Aug. quam secuti sumus. Illius autem verba sunt: *Sic autem corporibus..... sicut est vocum, quibus cantus impletur. Hoc fiet, etc.*

„ et nihil inconveniens eorum „ ingerat sensibus."

CAPUT XXII.

Quòd sine aliqua deformitate sanctorum corpora resurrectura sint.

Resurgent omnium sanctorum corpora, omni felicitate et gloria immortalitatis conspicua, sicut sine ulla corruptione, difficultate, (1) onere, ita sine ulla deformitate. In quibus, ut ait sanctus Augustinus, tanta erit facilitas, quanta felicitas. Nam idem Doctor ipsas quoque cicatrices in corporibus Martyrum posse quidem videri docet, sed sine ullo deformitatis intuitu id fieri perhibet. " Non enim, ut idem Doctor „ egregius ait, deformitas in eis- „ dem corporibus, sed dignitas „ erit : et quamvis quædam in „ corpore, non corporis, sed vir- „ tutis pulchritudo fulgebit."

S. Aug. *de Civ. Dei, lib.* 22. *cap.* 19. *n.* 3.

CAPUT XXIII.

Quòd superfluum sit quærere de reproborum corporibus, in qua ætate vel mensura resurgant.

Reprobi sanè utrùm unius staturæ an diversæ futuræ sint, superfluò quæritur, quando in eis, qui a beata luce et ab illo decore domus æternæ alieni manebunt, statura quæ decori esse solet, (2) non exquiritur : quia iuxta quod quidam sapiens ait, ubi erit dentium stridor, æternusque et (3) intolerabilis fletus, inaniter quæritur corporum decus.

CAPUT XXIV.

Quòd viri et feminæ in proprio sexu resurgent.

Plerique propter hoc quod dicit Apostolus, *Donec occurramus ei in virum perfectum*, omnes feminas in virili sexu resurgere credunt, pro eo quod vir ex limo, mulier verò ex viri latere facta sit. Nos autem catholicorum magistrorum sententiis eruditi, hoc crèdimus, hoc tenemus, quòd omnipotens Deus qui utrumque sexum condidit, instituit, ac redemit, utrumque in resurrectione restituet. Nam Christus Dominus de muliere tentatus, quæ amissis septem viris quos habuerat, hinc quoque ipsa transisset, cum quæreretur ab eo, in resurrectione cui eorum potissimum redderetur, respondit: Quod in resurrectione nec feminæ (4) nubant, nec viri uxores accipiant. Ex quibus sacratissimis verbis apertissimè patet, quòd ibi non sexus, sed concubitus desit : nec carnis sit natura mutanda, sed eius concupiscentia finienda. Nam et beatus Augustinus hanc quæstionem in suis tractatibus versans : " Melius „ mihi, ait, sapere videntur, „ qui utrumque sexum resurre- „ cturum non dubitant. Non enim „ ibi libido erit, quæ confusio- „ nis est causa. Nam priusquam „ peccassent nudi erant, et non „ confundebantur vir et femina. „ Corporibus ergo vitia detra-

Ephes. 4. 13.

Matth. 22. 28.

Ibi v. 30.

D. Aug. *de Civit. Dei, lib.* 22. *cap.* 17.

(1) *Vel onere.* L.
(2) Deest *non* in L.
(3) *Incessabilis.* L.
(4) *Nubent..... accipient.* L.

„ hentur, natura servabitur. Non „ est autem vitium sexus femi- „ neus, sed natura, quæ tunc „ quidem a concubitu et a partu „ erit immunis." Quibus ita a prædicto viro digestis, erit, ut præceptor noster sacer Eugenius docet, " tanta ac talis [1] corporis „ pulchritudo, ut oblectet in- „ tuitum, et cor nullatenus in- „ flectat ad vitium."

S. Eugenius Toletanus.

CAPUT XXV.

Quòd nulla resurgentes cibi ac potus cura sollicitet.

Necessitatem cibi ac potus natura nostra, quamdiu corruptibilis in hoc subest corpore, patitur, cùm merito corruptionis ac immortalitatis suæ [2] languenti eidem velut quædam medicamenta præbentur. Cùm autem facta fuerit resurrectio corporum, [3] in sumendo cibo ac potu ibi necessitas nulla erit, quæ corruptioni tantùm in hac vita tribuitur; nam incorruptione vel immortalitate, quæ post hanc vitam futura est, utetur. Etenim iuxta quod Iulianus Pomerius ait: " Omni cor- „ ruptione ac mortalitate con- „ sumpta, non ibi erit ulla car- „ nis infirmitas, sed natura. Hic „ ergo ubi potest caro mori, ci- „ bo ac potu iuvanda est, ne „ morti succumbat: in illa au- „ tem vita ubi mori non poterit, „ nihil requiret alimoniæ, quia „ immortalem nec fames potest „ nec sitis occidere." Quòd si nobis e contrario illud obiicitur, quòd post resurrectionem Dominus cum discipulis suis manducasse perhibetur, et ob hoc exemplo eius resurgentes comesturi credantur; "manducavit [4] panem, „ ut ait idem doctor, Dominus „ Iesus, non indigentia, sed po- „ tentia: nec ut infirmitati carnis „ suæ consuleret, sed ut vera „ carne se dubitantibus resurre- „ xisse monstraret. Quia utique „ si spiritus esset, sicut tunc pu- „ tabatur, aliquid carnalis cibi „ non sumeret: sumpsit autem, „ ut confirmaret eorum fidem „ quæ cœperat fluctuare, et sibi „ non facultatem, sed [5] necessi- „ tatem ostenderet defuisse."

Iulianus Pomerius *supra laudato libro de* Animæ origine.

CAPUT XXVI.

Quòd carnalibus indumentis natura nostra non egeat.

Plurimorum doctorum sententiis definitum esse non ambigo, quòd in resurrectionis illius ultimæ gloria, non sint corporibus necessaria tegumenta, ubi nec infirmitas ulla erit, unde possit caro incorruptibilis atque immortalis occidi, nec [6] aliquod peccatum unde cogatur anima beata confundi: in tantum, ut maiores nostri definiant eos, qui talia credunt, id est, qui dicunt resuscitatos vestimentis egere, omnia bona quæ dicuntur futura, eosdem posse non credere. Et tamen si erunt ibi,

(1) *Glorificati corporis.* L.
(2) *Languidæ eadem velut medicamenta.* L.
(3) *Insumendi ibi cibi aut potus necessitas nulla erit, quæ corruptioni tantum in hac vita tribuitur, non incorruptioni, vel immortalitati, quæ post hanc vitam futura est. Veteri enim iuxta quod.* L.
(4) *Pro panem* habet Lips. *planè.*
(5) *Necessitatem manducandi.* L.
(6) *Aliquid peccatum.* D.

ibi, ut quidam causantur, quædam tegumenta velaminum,(1) utique incorruptibilia erunt, iuxta quod Iulianus Pomerius ait: " Si „ caro nostra non genere sed qualitate mutata, nec spiritus sed „ spiritalis effecta, carnalia non „ requiret, aut nulla in resurrectione vestimenta erunt, aut si „ erunt,(2) incorruptibilia credi debent, quæ sic sanctos vestiant, „ ut nulla eos sui sollicitudine „ (3) in illius futuræ beatitudinis securitate distendant: aut forsan „ illius generis indumenta erunt, „ qualibus se indutum Propheta „ sub Ecclesiæ typo gratulatur, „ et dicit: *Quia induit me vestimento salutis, et indumentis iustitiæ circumdedit me*:" vestimentum salutis idem Doctor ad carnem, indumentum verò iustitiæ ad animam referens. Item sequitur idem Doctor: " Quod si „ ita est, et si concedatur resurgentes vestimentis usuros, non „ talia illis erunt, qualia fuisse leguntur Israëlitica vestimenta, „ quia quamvis in quadraginta „ annos divina voluntate servata „ sint, tamen solita vetustate „ consumpta sunt. Nec qualia „ fuerunt, in quibus Moyses et „ Elias in monte cum Domino, „ vel sancti Angeli visi sunt, „ quæ et ipsa in nihilum,(4) de „ quo erant pro tempore sumpta, soluta sunt; sed forte „ talia erunt, qualibus Dominus resurgens vestitus apparuit: si tamen et illa non „ fuerunt ad tempus propter „ (5) usus humanos assumpta, sed „ propria. Quoniam si ibi erunt, „ quæcumque vel qualiacumque „ fuerint, spiritalium corporum „ spiritalia erunt: ac sic etsi nudi non erunt, tamen spiritales „ carnalibus non egebunt." Hæc siquidem Iulianus Pomerius. Ceterùm plurimorum doctorum evidens definitio, iuxta quod et clara præceptoris nostri Eugenii sententia contestatur, hoc astruit: " Quòd in illa futura gloria re„ surrectionis, ubi nulla corpori„ bus sanctis deformitas, nulla „ quoque doloris aut laboris erit „ adversitas, non sit quoque te„ gminum necessarius usus, qui„ bus erit omnia et in omnibus „ Christus."

Iulianus Pomerius *ibidem.*

Isai. 61. 10.

Deut. 8. 4.

Matth. 17. 3.

Matth. ult. v. 2.

S. Eugenius Toletanus.

Colos. 3. 11.

CAPUT XXVII.

De abortivis fœtibus: et quia homo ex quo incipit in matris utero vivere, ex tunc credatur ad resurrectionem ultimam pertinere.

Si potest certum haberi quando incipiat homo in matris utero vivere, ex tunc quoque veraciter definiri potest quòd mori utique potuisset: sicque eum qui vitam habuit et mori potuit, resurrectionis tempore reparari. Nam et beatus Augustinus hanc quæstionem non tam disserens quàm proponens, inter cetera sic dicit: " Ex quo incipit homo vivere, „ ex illo utique mori potest.

D. August. *Enchir. cap.* 86.

(1) *Utique incorruptibilia corpora, incorruptibilibus vestimentis, utentur.* L.
(2) *Incorruptibilium corporum, prorsus incorruptibilia.* L.
(3) Deest *in* in Duac.
(4) *De quo erant* desunt in D.
(5) *Visus humanos.* D.

„ Mortuus verò, ubicumque illi „ mors potuit evenire, quomodo ad resurrectionem non pertineat mortuorum? (1) " Iulianus quoque Pomerius ait: " Sanè illi „ qui proiiciuntur ex utero, resurrecturi sunt, si vixerunt, non „ iudicandi, sed puniendi; quia „ cum essent (2) Adæ peccato damnati, non sunt suæ damnationis nexibus absoluti. Et tamen sive in utero sive iam nati vita priventur infantes, „ in ea ætate resurrecturi creduntur, ad quam profectò essent, si viverent, annis subsequentibus perventuri; quia si „ naturam resurrectio reparabit, „ aliquid deesse plenitudini naturæ non poterit."

Iulianus Pomerius.

CAPUT XXVIII.

De his qui cum maiore vel minore membrorum numero, vel qui cum duobus capitibus, et uno corpore, aut duobus corporibus et uno capite, vel cetero genere monstruoso nascuntur, qualiter resurrecturi credantur.

D. August. *Enchir. cap.* 87.

De hac quæstione ita beatus Augustinus eloquitur: " Neque „ enim, ait, monstra quæ nascuntur et vivunt, quamlibet citò „ moriantur, aut resurrectura negabuntur, aut ita resurrectura „ credenda sunt, ac non potius „ correcta emendataque natura. „ Absit enim ut illum bimembrem, qui nuper in Oriente natus est, de quo fratres fidelissimi quod viderint retulerunt, „ et sanctæ memoriæ Hieronymus presbyter scriptum reliquit, absit inquam, ut unum „ hominem duplicem, ac non „ potiùs duos, quod futurum erat „ si gemini nascerentur, resurrecturos existimemus. Ita cetera quæ singuli partus vel amplius vel minus aliquid habendo, vel quæ quadam nimia deformitate monstra vocantur, ad „ humanæ naturæ figuram in resurrectione revocabuntur; ita „ ut singulæ animæ singula sua „ corpora obtineant, nullis hærentibus etiam quæ cohærentia „ (3) nata fuerant, sed seorsum „ singulis sibi sua membra gestantibus, quibus humani corporis completur integritas." Iulianus quoque Pomerius prædicti doctoris sententiam sequens, ait: " Illud etiam sic mihi videtur „ intelligi, ut caro nostra sive „ cum minore membrorum sive „ cum ampliore numero nascatur, cum membris solitis et „ congruentibus (4) suæ integritati „ resurgat, quia tam in eis quæ „ minus, quàm in eis quæ amplius fuerint, debilitas est, quæ „ hic quidem videtur naturæ „ contraria, sed in futura repa„ ratione corporis nostri sicut „ corruptio vel mortalitas, sic „ ipsa creditur auferenda; ut caro nostra surgat suis omnibus „ partibus tota, et sine imminutione vel adiectione membrorum secundùm modum formæ „ suæ perfecta. Corpora quoque, „ si-

Iulianus Pomerius.

(1) Adiicit Lip. *reperire non possum.*
(2) *Adæ damnatione.* L.
(3) *Naturæ.* D.
(4) *Sua integritate.* L.

„ sive duo cum capite uno nascantur, sive unum cum duobus capitibus corpus, quamvis „ modus quo hæc fiant nobis et „ præcipuè mihi habeatur incertus, tamen unde certus sum, „ sine ulla ambiguitate pronuntio, quòd aut duo corpora cum „ capitibus suis resurgent, si in „ eis duæ natæ sunt animæ, quoniam negari non potest, singulas quasque animas singula „ corpora quæ amiserunt immortaliter recepturas; aut si una „ anima nascitur, sive in uno „ corpore et duobus capitibus, „ sive in duobus corporibus et „ capite uno, unum recipiet corpus. Ac per hoc natura carnis „ nostræ, sive amittendo quod ei „ superfuit, sive recuperando „ quod defuit, in suam plenitudinem reformata, sicut sine „ ulla corruptione, ita sine ulla „ infirmitate spiritui suo immortaliter inhærebit."

CAPUT XXIX.

Quòd hi qui nunc a bestiis comeduntur, aut diversa laniatione truncantur, resurgentes integritatem sui corporis obtinebunt.

D. August. *Enchir. cap.* 88. „ Non perit Deo, ait sanctus „ Augustinus, terrena materies, „ de qua mortalium creatur caro; sed in quemlibet pulverem cineremque solvatur, in „ quoslibet halitus aurasque diffugiat, in quamcumque aliorum „ corporum substantiam vel in „ ipsa elementa vertatur, in quo„ rumcumque animalium aut „ etiam hominum cibum cedat, „ carnemque mutetur, illi animæ „ humanæ puncto redit, quæ illam primitus ut homo fieret, „ cresceret, viveret, animavit." Hanc quoque quæstionem beatus Gregorius in suis tractatibus proponens pariter et solvens ait: S. Greg. *in Ezech. lib.* 2. *homil.* 8. *n.* 8. „ (1) Sæpe obiicere inanem quæstiunculam solent, qui dicunt: „ Carnem hominis lupus comedit, lupum leo devoravit, leo „ moriens ad pulverem rediit: „ cùm pulvis ille suscitatur, quomodo caro hominis a lupi et „ leonis carne dividitur? Quibus „ respondere non aliud debemus, „ nisi ut prius cogitent, qualiter „ in hoc mundo venerint, et „ tunc invenient qualiter resurgant. Certè tu homo qui loqueris, aliquando in matris „ utero spuma sanguinis fuisti; „ ibi quippe ex patris semine et „ matris sanguine parvus ac liquidus globus eras. Dic ergo, „ si nosti, qualiter ille humor „ seminis et sanguinis in ossibus „ duruit, qualiter in medullis liquidus remansit, qualiter in „ nervis solidatus est, qualiter „ in carnibus crevit, qualiter „ (2) in cute extensus est, qualiter „ in capillis atque unguibus distinctus, ut capilli molliores carnibus, et ungues essent tenuiores ossibus, carnibus duriores? „ Si igitur tot et tanta ex uno „ semine et per species distincta „ sunt, et tamen in forma remanent coniuncta; quid mirum si „ possit omnipotens Deus in illa re-

(1) *Sæpe quidam. . . . . qua dicunt.* L.

(2) *Mente* habet D. pro *in cute.*

„ resurrectione mortuorum car-
„ nem hominis distinguere a car-
„ ne bestiarum, ut unus idem-
„ que pulvis, et non resurgat, in
„ quantum pulvis lupi et leonis
„ est, et tamen resurgat, in
„ quantum pulvis est hominis? "

CAPUT XXX.

Quòd hi qui de hac vita debiles exierunt, cum suis integris membris in resurrectione futuri sint.

(1) Si quis debilis corpore, truncatus, confractusque de hac vita exierit, non dubium, quòd debita integritate membrorum suorum possit tempore resurrectionis reparari; ut quicquid in illo aut infirmitas turpe, aut aliena effecit crudelitas debile, ita tunc hoc immortalitatis pulchritudo reformet, ut nec superflua, indecora, nec detracta, videantur (2) ibi esse deformia. Ita enim ex hoc ait beatissimus Augustinus: D. Aug. *de Civit. Dei, lib.22. cap.19.* " Non est macris pinguibusque
„ metuendum, ne ibi tales sint,
„ quales si possent nec hîc esse
„ voluissent. Omnis enim cor-
„ poris pulchritudo est partium
„ congruentia cum quadam co-
„ loris sui suavitate. Ubi autem
„ non est partium congruentia,
„ aut ideo quid offendit, (3) quia pa-
„ rum est, aut ideo quia nimium.
„ Proinde nulla erit deformitas,
„ quam facit incongruentia par-
„ tium, ubi et quæ parva sunt
„ corrigentur, et quod minus est
„ quàm decet, unde creator no-
„ vit inde supplebitur, et quod
„ plus est quàm decet, materiei
„ servata integritate detrahetur."
Huius ergo Doctoris prudenti definitione eruditi, restat ut et illos quos cum senis digitis manuum et pedum oculis nostris inspeximus, non cum ea deformitate resurrecturos esse credamus, sed corporis integritate servata cum eo digitorum numero illos esse futuros, qui corporalem partium congruentiam servant. Congruentiam enim corporalium partium dico, sicut debito ordine nascendi agitur, ut in unoquoque homine duo sint oculi, duæ aures, quini digiti manuum, quini etiam digiti pedum habeantur; nulla numerositate adiecta vel minorata, quæ deformitatem inferat partium, sic tamen ut nihil credatur de corpore esse periturum. Dicit enim sanctus Augustinus: " Ne- *Ubi supra.*
„ que hoc dixerim quòd aliquid
„ æstimem corpori cuiquam pe-
„ riturum, quod naturaliter in-
„ erat, sed quod deforme natum
„ erat."

CAPUT XXXI.

Utrum in resurrectione quicquid unguibus vel capillis nostris per tonsuram vel sectionem detractum est, redintegrari credatur.

Ait ex hoc beatissimus Augustinus: " Ipsa itaque terrena mate- D. August. *Enchir. cap.89.*
„ ries, quæ discedente anima fit
„ ca-

(1) Duac. *Si quis est ... confractus qui de hac vita.*
(2) *Sibi.* D.
(3) Lips. *quia pravum est, aut ideo quia parvum, aut ideo quia nimium.*

„ cadaver, non ita in resurrectio-
„ ne reparabitur, ut ea quæ di-
„ labuntur, et in alias atque alias
„ rerum aliarum species vertun-
„ tur,(1) cùm ad corpus redeant un-
„ de dilapsa sunt, ad easdem quo-
„ que corporis partes ubi fuerint,
„ redire necesse sit. Alioquin si
„ capillis capitis redit quod tam
„ crebra tonsura detraxit, si un-
„ guibus quod toties dempsit
„ exectio, immoderata et inde-
„ cens cogitantibus, et resurre-
„ ctionem carnis non credentibus
„ occurrit informitas." Ergo, ut
Idem *de Civit. Dei, lib.22. cap.19.* idem Doctor in alio suo opere
ait :(2) " Si capilli toties tonsi, un-
„ guesque desecatæ ad sua loca
„ propter deformitatem non re-
„ dibunt, nec tamen cuique re-
„ surgenti peribunt; quia in eam-
„ dem carnem, ut quemcumque
„ ibi locum corporis teneant, ser-
„ vata partium congruentia,(3) ma-
„ teriæ mutabilitate vertentur.
„ Quamvis quod ait Dominus:
Luc. 21. 18. „ *Capillus capitis vestri non per-*
„ *ibit*, non de longitudine sed de
„ numero capillorum dictum mul-
„ tò potius possit intelligi. Unde
*Matth.*10. 30. „ et alibi dicit : *Capilli capitis*
„ *vestri omnes numerati sunt.*"
Ibidem. Item idem Doctor, similitudinem
pro hac re adhibens dicit: " Quid
„ iam respondeam de capillis at-
„ que unguibus ? Semel quippe
„ (4) intellecto, ita nihil periturum
„ esse de corpore, ut deforme
„ nihil sit in corpore, simul intel-
„ ligitur, (5) ea quæ deformem fa-
„ ctura fuerant enormitatem mas-
„ sæ, ipsa accessura esse, non
„ locis in quibus membrorum
„ forma turpetur. Velut si de li-
„ mo vas fieret, quod rursum in
„ eumdem limum redactum,(6) de
„ toto iterum fieret, non esset
„ necesse ut illa pars limi quæ
„ (7) in ansa fuerat, ad ansam redi-
„ ret, aut quæ fundum fecerat,
„ ipsa rursum faceret fundum;
„ dum tamen totum reverteretur
„ in totum, id est, totus ille li-
„ mus in totum vas nulla sui
„ perdita parte (8) remaneret." Sic
ergo, ut idem doctor ait : " Non *Enchir. cap.*89.
„ attinebit ad corporis redinte-
„ grationem, utrùm capilli ad
„ capillos redeant, et ungues ad
„ ungues, an quicquid eorum pe-
„ rierat mutetur in carnem, et in
„ alias partes corporis revocetur:
„ curante Dei providentia, ne
„ quid indecens fiat."

CAPUT XXXII.

Qualiter hi qui de massa perditionis discreti non sunt, resurrecturi sint.

" Quicumque ait beatissimus Au- D. August. *Enchir. cap.*92.
„ gustinus, ab illa perditionis mas-
„ sa quæ facta est per hominem
„ primum, non liberantur, (9) resur-
„ gent

(1) *Quamvis.* L.
(2) Lips. *Si capilli totiens tonsi, unguesve desecti ad sua loca redeunt, cum deformitate non redibunt, nec tamen, etc.* Editio Maurina ad Duac. magis accedit: *Si capilli .... unguesve desecti ad sua loca deformiter redeunt, non redibunt.*
(3) *Materiei.* D.
(4) *Intelligo.* L.
(5) Lips. *Ea quæ formæ factura fuerant enormitatem, massæ accessura esse.*
(6) *Totum de toto.* L.
(7) *In massa..... ad massam.* L. malè.
(8) Lips. *remanente.* Editio Maurina *remearet.*
(9) Lips. *per unum mediatorem Dei, et hominum, resurgent etiam ipsi unusquisque cum sua carne.*

„ gent etiam ipsi cum carne ; sed „ ut cum diabolo et eius angelis „ puniantur. Utrum sanè ipsi cum „ vitiis et deformitatibus suorum „ corporum resurgant, quicum- „ que in eis vitiosa et deformia „ membra gestarunt, inquirendo „ laborare quid opus est ? Ne- „ que enim fatigare nos debet eo- „ rum incerta habitudo vel pul- „ chritudo, quorum erit certa et „ sempiterna damnatio. Nec mo- „ veat quomodo in eis corpus in- „ corruptibile erit, si dolere po- „ terit, aut quomodo corrupti- „ bile, si mori non poterit. Non „ est enim vera vita, nisi ubi fe- „ liciter vivitur ; nec vera incor- „ ruptio, nisi ubi salus nullo do- „ lore corrumpitur. Ubi autem „ infelix mori non sinitur, (1) aut, „ ut ita dicam, mors ipsa non „ moritur, et ubi dolor perpe- „ tuus non interimit, sed affligit, „ (2) et ipsa corruptio non finitur, *Apoc. 20.6.* „ hæc in sanctis Scripturis secun- „ da mors dicitur."

CAPUT XXXIII.
De ordine futuri iudicii.

Sicut alios esse diximus, qui (3) cum Deo iudices considebunt, ita alii esse credendi sunt, qui eorum considentium examine iudicantur. (4) Duæ enim differentiæ vel ordines hominum erunt in iudicio collectorum, hoc est, electorum et reproborum, qui tamen in quatuor dividuntur. Perfectorum ordo est unus, qui cum Deo iudicat, de quibus Dominus ait: *Sedebitis et vos super sedes duodecim.* Hi non iudicantur, sed regnant. Alius quoque est ordo electorum, quibus dicetur: *Esurivi et dedistis mihi manducare.* Hi iudicantur et regnant. Item reproborum ordines duo sunt. Unus eorum qui extra Ecclesiam inveniendi sunt. Hi non iudicantur et pereunt: de quibus et Psalmista ait: *Non resurgent impii in iudicio.* Alter quoque ordo reproborum est, qui iudicabuntur et peribunt, quibus dicetur: *Esurivi et non dedistis mihi manducare: ite maledicti in ignem æternum.*

Matth. 19. 28.

Matth. 25. 35.

Psalm. 1. 5.

Matth. 25. 41. 42.

CAPUT XXXIV.
De bonorum malorumque discretione.

Ecce Psalmista ait: *Advocavit* (5) *cælos desursum, et terram discernere populum suum.* Quid est quod dicit, Discernere populum suum ? nisi per iudicium separare bonos a malis, tamquam oves ab hœdis. Nam oves tunc statuet a dextris suis, hœdos autem a sinistris.

Psalm. 49. 4.

CAPUT XXXV.
Quòd ipsa separatio bonorum a malis per Angelica ministeria fiet.

Bonorum malorumque diremptio, sive etiam separatio per Angelos impleri posse credenda est.

(1) *Aut* deest in Lips.
(2) *Et* deest similiter in Lips. ideoque alium sensum elicit.
(3) Lips. *cum Christo.*
(4) *Duæ enim sunt differentiæ, ut in iudicio ordines hominum.* L.
(5) Lips. *Cælum sursum, et terram, ut discerneret.*

est. Nam cùm Psalmista diceret:

Psalm. 49. 4. (1) *Advocavit cælos sursum, et terram discernere populum suum;* quòd dixit, *discernere populum suum*, ad bonorum malorumque separationem pertinet. Statimque subiecit: *Congregate illi sanctos eius.* Quibus enim dictum est, Congregate illi sanctos eius, nisi utique Angelis? Sic enim sanctus

D. Aug. *Enarrat. in hunc Psalm. v.* 5. *n.* 12. Augustinus dicit in hoc loco: " Conversio sermonis ad Angelos „ facta est, cum Propheta diceret, „ Congregate illi sanctos eius. „ Profectò enim per Angelicum „ ministerium res tanta peragen„ da est."

CAPUT XXXVI.

Quòd separatis in dexteram partem bonis, in sinistram verò malis, libri aperti erunt, id est, conscientiæ singulorum.

Separatis igitur per Angelica ministeria bonis a malis, et electis quidem a dextris, reprobis verò a sinistris astantibus, tunc libri aperti erunt, id est, conscientiæ singulorum. Ioannes enim Apo-

Apoc. 20. 12. stolus dicit: *Vidi mortuos magnos et pusillos, et aperti sunt libri: et alius liber apertus est, qui est vitæ uniuscuiusque: et iudicati sunt mortui ex ipsis Scripturis secundùm facta sua.* Libros videlicet volens intelligi sanctos omnes novi et veteris Testamenti, in quorum vita velut in libris cognoscimus quid facere debeamus. In isto autem libro de quo dicitur, *Alius liber apertus est, qui est vitæ uniuscuiusque*, quid boni quis fecisset, sive non fecisset, quasi in divina virtute cognoscitur. " Qui „ liber, iuxta quod sanctus Au„ gustinus ait, si carnaliter cogi„ tetur, quis eius magnitudinem „ vel longitudinem valeat æsti„ mare? Aut quanto tempore le„ gi poterit liber, in quo scriptæ „ sunt universæ vitæ universo„ rum? Aut tantus Angelorum „ numerus erit, quantus homi„ num, et vitam suam unusquis„ que ab Angelo sibi adhibito au„ diet recitari? Non ergo unus „ liber erit omnium, sed singuli „ singulorum. Scriptura verò ista „ unum volens intelligi, *Et alius*, „ inquit, *liber apertus est.* Quæ„ dam igitur vis est intelligenda „ divina, quæ faciet ut cuique „ sua opera vel bona vel mala „ cuncta in memoriam revocen„ tur, et mentis intuitu mira ce„ leritate cernantur: ut accuset „ vel excuset (2) conscientia, atque „ simul et omnes et singuli iudi„ centur. Quæ nimirum vis di„ vina libri nomen accepit. In „ eadem quippe legitur quodam„ modo, quicquid ea faciente re„ colitur." Tunc commemoraturus est Dominus electis suis, quæ in Evangelio commemoranda prædixit, ita dicens: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi: esurivi enim, et dedistis mihi manducare: hospes eram, et collegistis me:* (3) *infirmus, et visitastis me: in car-*

S. Aug. *de Civit. Dei, lib.* 20. *cap.* 14.

Matth. 25. 34. 35. 36.

(1) Lips. habet eamd. lectionem, quam supra annotavimus.

(2) Lips. *scientia conscientiam.*

(3) Lips. loco huius *infirmus, et visitastis me*, habet *nudus, et cooperuistis me.*

cere, et venistis ad me. Ad sinistram quoque partem astantibus (1) imputaturus est, quòd ea non fecissent, quæ in dexteram partem astantes fecisse commemorat. His duobus Domini nostri sermonibus finitis, uno quo electis quæ bona egerunt numerantur, altero quo reprobis quòd ea
Matth. 25. 46. non fecerint imputatur, *Ibunt impii*, ut ipsa Veritas dicit, *in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam.*

CAPUT XXXVII.

De auditu malo, quem iusti non timebunt.

Iudicatis ergo impiis, atque in ignem æternum missis, Domino
Ibid. v. 41. dicente ipsis, *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo, et Angelis eius*; hoc malo auditu iusti penitus non timebunt, qui iam in dextram partem collocati sunt. Auditus enim malus hic intelligitur, quibus a Domino perpetuus ignis minatur: a quo nos, Christe, tunc (2) sola pietate eripias, et tibi capiti nostro conregnaturos ascribas.

CAPUT XXXVIII.

De præcipitatione diaboli, et perditione impiorum.

Sanctus Ioannes Apostolus præcipitationem diaboli in ignem æternum evidenter insinuans di-
Apoc. 20. 12. cit. Cùm præmitteret dicens, *Et iudicati sunt singuli secundùm facta sua*, breviter subiecit quemadmodum fuerunt iudicati: *Et*
Ibid. v. 14. *mors et infernus*, inquit, *missi sunt in stagnum ignis.* Hic (3) omnibus significans diabolum, (4) qui est auctor mortis infernaliumque pœnarum, cum universorum simul dæmonum societate. Hoc est enim quod suprà evidentiùs præoccupando iam dixerat: *Et diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis et sulphuris.*

CAPUT XXXIX.

Qualis est liber ille, de quo Ioannes Apostolus dicit, quòd omnes qui tunc non fuerint inventi scripti in libro vitæ, in stagnum ignis mittantur.

Scripsit sanctus Ioannes in revelatione sua inter cetera quæ de *Apoc. 20. 15.* resurrectione narravit, quòd qui non fuerint inventi in libro vitæ conscripti, mittantur in stagnum ignis. Et hæc quidem dicens, non ait Deum pati oblivionem, et quasi libri huius revolutione nescita cognoscere; " Sed liber iste *S. Aug. de Civitat. Dei, lib. 20. cap. 15.*
„ (iuxta quod sanctus Augustinus
„ ait) prædestinationem signifi-
„ cat eorum, quibus æterna vita
„ donabitur. Neque enim nescit
„ Deus eos, et in hoc libro le-
„ git, ut sciat; sed ipsa eius præ-
„ scientia de illis, quæ falli non
„ potest, liber est vitæ, in
„ quo sunt scripti, id est, antè
„ prægogniti."

(1) *Astantibus reprobis.* L.
(2) Lips. *solita pietate eripias, et .... congregandos ascribas.*
(3) Lip. *Omnibus nominibus.*
(4) Lips. *Quoniam mortis est auctor, infernarumque pœnarum, universarumque simul dæmonum societatum.*

CA-

CAPUT XL.

Quòd in igne impiorum corpora durent absque sui consumptione.

S. Aug. *de Civit. Dei, lib.* 21.

Sanctus Augustinus multis et variis exemplorum generibus agens, id pro certo asseverasse dignoscitur, quòd impiorum corpora absque sui consumptione et sempiterno igne ardeant, et ea ipsa corpora combustio ignium non absumat; quia et sempiterno igne ardebunt, et mori omnino non

Ibi cap. 2. poterunt. " Quid igitur? ait idem „ Doctor. Ostendam unde con- „ vincantur increduli, posse hu- „ mana corpora animata (1) non so- „ lùm numquam morte dissolvi, „ sed in æternorum quoque i-

Ibi cap. 3. „ gnium durare tormentis." Item post aliqua dicit: " Anima cuius „ præsentia corpus vivit et regi- „ tur, et dolorem pati potest, et „ mori omnino non potest. Ecce „ inventa res est, quæ cum sen- „ sum doloris habeat, immortalis „ est. Hoc igitur erit tunc in „ corporibus damnatorum, quod „ nunc esse scimus in animis o- „ mnium. Quod cum ita sit, quid

Ibi cap. 4. „ adhuc nobis (2) (ait) rerum po- „ scuntur exempla, quibus doceа- „ mur non esse incredibile, ut ho- „ minum corpora (3) sempiterno „ igne damnata, et in igne ani- „ mam non amittant, et sine „ detrimento ardeant, et sine in- „ teritu doleant? "

CAPUT XLI.

Quomodo dæmones futurus ille ignis exuret.

" Cur enim, ait sanctus Augu- S. Aug. *de Civitat. Dei, lib.* 21. *cap.* 10. „ stinus, non dicamus, quamvis „ miris, tamen veris modis etiam „ spiritus incorporeos posse pœ- „ na corporalis ignis affligi, si „ spiritus hominum, etiam ipsi „ profectò incorporei, et nunc „ (4) possunt includi corporalibus „ membris, et tunc poterunt „ corporum suorum vinculis „ insolubiliter alligari? " Item idem post aliqua dicit: " At „ verò gehenna illa, quæ etiam „ stagnum ignis et sulphuris „ dicta est, corporeus ignis „ erit, et cruciabit corporа da- „ mnatorum (5), aut hominum, aut „ dæmonum; sed solida homi- „ num, aëria dæmonum: aut tan- „ tùm hominum corpora cum „ spiritibus, dæmones autem spi- „ ritus sine corporibus hærentes, „ sumendo pœnam, non imper- „ tiendo vitam corporalibus igni- „ bus. Unus quippe ignis erit, *Matth.* 25. 41. „ sicut Veritas dixit."

CAPUT XLII.

De diversitate pœnarum, pro diversitate meritorum.

Mitissima omnium pœna erit eorum, qui præter peccatum quod originale traxerunt, nullum superaddiderunt. Et in ceteris qui addiderunt, tantò quisque ibi tolerabiliorem habebit damna-

Tom. II.

(1) *Et viventia.* L.
(2) Pro *ait* habet Duac. *aut.*
(3) *Sempiterno supplicio punienda.* L.
(4) Lips. *poterunt*, quod paulo post non habet.
(5) *Aut hominum, et dæmonum.* Lip. *Aut et hominum, et dæmonum.* Editio Maurina.

tionem, quantò hìc minorem habuit iniquitatem. Nam omnino negari non potest, etiam ipsum æternum ignem pro diversitate meritorum, quamvis malorum, aliis leviorem, aliis futurum esse graviorem: sive ipsius vis et ardor pro digna cuiusque pœna varietur, sive ipse æqualiter ardeat, etsi non æquali molestia sentiatur.

CAPUT XLIII.

Contra illos qui scrupulosissimè quærunt, qualis sit ille ignis futurus, vel in qua mundi parte haberi possit.

Minorum scientia maiorum scientiæ comparata, si temere non dicam, (1) scientiæ segnicies quædam est appellanda. Unde quod maiores et studiosi se ignorasse dixerunt, periculosum valdè et superfluum est, si quicquam inde a nobis definiri ullo modo præsumatur; cùm beatus Augustinus de eo ipso igne sic docens, ita dicere videatur. Cùm enim de futura damnatione impiorum præmitteret dicens: " Iudicatis „ quippe his qui scripti non sunt „ in libro vitæ, et in æternum „ ignem missis," adiecit: (2) "Qui „ ignis cuiusmodi vel in qua mun„ di parte vel rerum futurus sit, „ neminem scire arbitror, nisi „ forte cui divinus spiritus o„ stendit.

S. Aug. *de Civitat. Dei, lib.* 20. *cap.* 16.

CAPUT XLIV.

Quòd post damnationem impiorum sequatur remuneratio electorum.

Ordo verborum promissionis Dominicæ, quo (3) Dominum nostrum et sanctis regnum, et reprobis credimus daturum perenne supplicium, ita se habet, ut præcurrat impiorum damnatio, et post sequatur remuneratio, Christo Domino prædicente: *Ibunt impii in supplicium æternum; iusti autem in vitam.* In Apocalypsi quoque servatum hunc ordinem legimus, ubi signanter (4) expressus est. Prius enim de diaboli ac suorum omnium pœna refertur, et dicitur, *Mors et inferus missi sunt in stagnum ignis* (5): post inde de sanctorum beatitudine futura subiungitur: *Et vidi cælum novum, et terram novam.* Quibus verbis datur intelligi, quòd iusto Dei iudicio prius peccatoribus irrogetur supplicium, et postea sanctis æternorum tribuantur (6) præmia meritorum.

Matth. 25. 46.

Apoc. 20. *v.* 14.

Ibid. cap. 21. 1.

CAPUT XLV.

Quòd peracto iudicio, transiet forma servi in qua iudicium Christus agitabit, et sic tradet Christus regnum Deo et Patri.

Forma servi (7) in qua Christus ad iudicium faciendum iudex ventu-

(1) *Scientiæ* deest in L.
(2) *Quia* pro *qui* habet malè Duac.
(3) *Dominum Christum.* L.
(4) *Expressum.* D.
(5) Adiicit insuper Lip. *Et omnis qui non est inventus scriptus in libro vitæ, missus est in stagnum ignis.*
(6) *Munera præmiorum.* L.
(7) *In qua ad faciendum iudicium videndus est Christus.* L.

turus est, iuxta quod maiorum stilo præscribitur, peracto iudicio transiet, quam ad hoc præsentaverat ut iudicium faceret. Transiet, dictum est, forma illa, non quòd prætereat, sed quòd de iudicio ad regnum transeat. Vel certè nobis Dominus post iudicium transit, iuxta quod beatus Gregorius dicit, "quia ab humanitatis suæ forma in divinitatis suæ contemplationem nos elevat. Et transire eius est in claritatis speculationem nos ducere: cùm eum quem in humanitate in iudicio cernimus, etiam in divinitate post iudicium videremus." Iam verò post iudicium perget hinc, et ducet secum corpus, cuius caput est, et offeret regnum Deo et Patri. Quomodo ergo traditurus est regnum Deo et Patri, nisi cùm visionem deitatis suæ, in qua unus est cum Patre, dilectoribus suis ostenderit? Et cum nos membra sua ad cognitionem et visionem, qua cum Patre et Spiritu sancto æqualis creditur, manifestè perduxerit, tunc (1) planè videbitur forma illa ab electis, quæ videri non potuit ab iniquis.

D. Greg. *in Evang. lib.* 1. *homil.* 13. *n.* 4.

1. *Cor.* 15. 24.

CAPUT XLVI.

De conflagratione ignis, qua mundus hic dicitur interire.

Evidenti maiorum sententia definitur, quòd peracto iudicio, tunc desinet esse hoc cælum,(2) et hæc terra, quando incipit esse cælum novum, et terra nova. Mutatione namque rerum, non omnimodo interitu transibit hic mundus. Tunc ergo figura huius mundi mundanorum ignium conflagratione peribit, sicut factum est mundanarum aquarum inundatione diluvium. Illa itaque conflagratione mundi, ut dixi, elementorum corruptibilium qualitates, quæ corporibus nostris corruptibilibus congruebant, ardendo penitus interibunt: atque ipsa substantia eas qualitates habebit, quæ corporibus immortalibus mirabili (3) immutatione conveniant; ut scilicet mundus in melius innovatus aptè accommodetur hominibus etiam carne in melius innovatis.

CAPUT XLVII.

Quòd finito iudicio incipiat esse cælum novum, et terra nova.

Ut ait beatissimus Augustinus, peracto finitoque iudicio, tunc esse desinet hoc cælum, et hæc terra, quando incipiet esse cælum novum, et terra nova. Mutatione namque rerum, non omnino interitu transibit hic mundus. Unde Apostolus dicit: *Præterit ergo figura huius mundi:* figura ergo præterit, (4) non natura.

S. Aug. *de Civit. Dei, lib.* 20. *cap.* 16.

1. *Cor.* 7. 31.

CAPUT XLVIII.

Quòd in cælo novo et terra nova non omnes resurgentes, sed sancti futuri sunt.

Iuxta quod (5) in quibusdam codici-

(1) *Plenè.* L.
(2) *Hæc* deest in Duac.
(3) *Mutatione.* L.
(4) *Præteribit.* L.
(5) *In quorumdam codicibus.* L.

cibus legimus, peccatores et impii, quamvis resurgentes immortales et incorruptibiles sint, tamen in terra nova omnino non erunt, quia ab illa immutatione sanctorum prorsus alieni futuri sunt. Nam cum Apostolus dicat, 1. Cor. 15. 51. *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur;* resurrectionem omnibus generaliter insinuat esse futuram, immutationem verò gloriæ tantùm sanctorum annumerat.

CAPUT XLIX.

Contra eos qui dicunt, si post factum iudicium erit conflagratio mundi, ubi tunc esse poterunt sancti, qui non contingantur flamma incendii?

D. Aug. de Civit. Dei, lib. 20. cap. 18. Hanc quæstionem ita beatus Augustinus dissolvit: " Quærit, „ ait, forsitan aliquis, si post „ factum iudicium mundus iste „ ardebit, antequam pro eo cæ„ lum novum et terra nova re„ ponatur, eo ipso tempore con„ flagrationis eius ubi erunt san„ cti? cùm eos habentes corpo„ ra in aliquo corporali loco esse „ necesse sit. Possumus respon„ dere, futuros eos esse in supe„ rioribus (1), quò ita non ascendit „ flamma incendii, quemadmo„ dum nec unda diluvii. Talia „ quippe illis erunt corpora, ut „ illic sint ubi esse voluerint. Sed „ nec ignem conflagrationis illius „ pertimescent, immortales at„ que incorruptibiles facti, sicut „ virorum trium corruptibilia „ corpora atque mortalia in ca„ mino ardenti illæsa vivere po„ tuerunt."

CAPUT L.

De remuneratione sanctorum, et regno, cùm Christus præcinget se, et transiens ministrabit suis.

Remuneratio sanctorum visio Dei est, quæ nobis ineffabile gaudium exhibebit. De hac ergo remuneratione, ut arbitror, Propheta dicebat, quòd *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus his qui diligunt eum.* Ipsa quoque Veritas remunerationis loco, huius visionis suæ manifestationem ponens, eamque dilectoribus suis promittens, dicit: *Qui diligit me, mandata mea servabit; et qui diligit me, diligetur a Patre meo; et ego diligam eum, et manifestabo ei me ipsum.* Etenim secundùm verba ipsius (2) sanctæ Veritatis, tunc præcinget se, et faciet (3) nos discumbere, et transiens ministrabit nobis. " Præcin„ git ergo se, ut ait beatus Gre„ gorius, id est, ad retributio„ nem præparat. Faciet nos dis„ cumbere, id est, in æterna „ quiete foveri: discumbere quip„ pe nostrum in regno quiesce„ re est. Transiens autem nobis „ Dominus tunc ministrat, quia „ lucis suæ illustratione nos sa„ tiat. Quod enim dictum est, „ Transit, quasi de iudicio ad re„ gnum redit."

Isai. 64. 4. 1. Cor. 2. 9. Ioann. 14. 21. Luc. 12. 37. D. Greg. in Evang. lib. 1. homil. 13. n. 4.

(1) *Partibus.* L. (2) *Sanctæ Trinitatis.* Duac. (3) Pro *nos*, habet Duac. *illos.*

CA-

CAPUT LI.

Quòd mali tunc nesciant quid agatur in gaudio beatorum; boni tamen sciant quid agatur in suppliciis miserorum.

Qui erunt in pœnis, quid agatur intus in gaudio Domini nescient: qui verò erunt in illo gaudio, quid agatur foris in illis tenebris exterioribus scient. Ideo dictum est per Prophetam de sanctis: *Egredientur et videbunt membra hominum, qui prævaricati sunt in me.* Sed quod dixit, *egredientur*, quasi per scientiam egressuri sunt; quia scilicet etiam eos, qui foris ab eis erunt, utique non latebunt. Si enim Prophetæ hæc nondum facta nosse potuerunt, per hoc quod erat Deus quantulumcumque in eorum mortalium mentibus; quomodo immortales sancti, iam facta tunc nescient, cùm Deus erit omnia in omnibus?

Isai. ult. 24.

1. Cor. 15. 28.

CAPUT LII.

Quòd in isto corpore in quo modò sumus, in cælis tunc et portari et habitare possimus.

Contra Platonicos qui dicunt humanum corpus cælos non posse ascendere, sanctus Augustinus liberaliter disputans, hoc definit, hoc etiam miris rationum exemplis convincit, quòd corpora nostra immortalia post resurrectionem effecta, cælorum habitaculo teneantur. Nam utique post resurrectionem sanctis in carne promissa est cælorum ascensio; dicente ad Patrem Christo: *Volo ut ibi sum ego, et ipsi sint mecum.* Si enim membra[1] capitis sumus, et unus in se et in nobis est Christus, utique ubi ipse ascendit, et nos ascensuri sumus.

S. Aug. de Civit. Dei, lib. 22. cap. 11.

Ioan. 19. 24.

CAPUT LIII.

Utrum subtiliores tunc motus corporis habeamus, an tales erunt, sicut modò haberi videntur.

De motibus corporis sanctus Augustinus definitam ponere sententiam expavescens, sic ait: "Qui motus illic talium corporum futuri sint, definire non audeo, quod nec excogitare valeo. Tamen et motus, et status, sicut et ipsa species decens erit, quicumque erit, ubi quod non decebit non erit. Certè ubi voluerit spiritus, ibi prontus erit corpus: nec volet aliquid spiritus, quod nec ipsum possit decere, nec corpus."

D. Aug. ibid. cap. 30.

CAPUT LIV.

Utrum per corporeos oculos istos, quibus nunc cernimus solem et lunam, videatur tunc Deus.

De oculis istis corporeis sanctus Augustinus perspicaciter disputans, utrùm per ipsos Deum in futura vita videre possimus, sic ait: "Cùm ex me quæritis, inquit, quid acturi sunt oculi isti in illo corpore spiritali, non dico quod iam video, sed di-

D. Aug. ibid. cap. 29.

(1) *Corporis.* L.

„ dico quod credo, secundùm
Psalm. 115. 1. „ illud quod in Psalmo lego: *Credidi, propter quod loquutus*
„ *sum.* Dico itaque, visuri sunt
„ Deum in isto corpore. Sed
„ utrùm per ipsum, sicut per cor-
„ pus nunc videmus solem, lu-
„ nam, stellas, mare, et terram,
„ et quæ in ea sunt, non parva
„ quæstio est. Durum est enim
„ credere, quòd sancti talia tunc
„ corpora habebunt, ut non pos-
„ sint oculos claudere et aperire
„ cum volent; durius autem, quòd
„ ibi Deum quisquis oculos clau-
„ serit, non videbit. Absit ergo
„ ut dicamus sanctos in illa vita
„ Deum oculis clausis non visu-
„ ros, quem spiritu semper vi-
„ debunt. Sed utrum videbunt
„ Deum per istos oculos corpo-
„ ris cùm eos apertos habuerint,
„ inde quæstio est. Si enim tan-
„ tùm poterunt in corpore spi-
„ ritali eo modo utique ipsi
„ etiam oculi spiritales, quantum
„ possunt isti, quales nunc habe-
„ mus, proculdubio Deus videri
„ per eos non poterit. Longè ita-
„ que alterius erunt (1) potentiæ, si
„ per eos videbitur incorporea
„ illa natura, quæ non contine-
„ tur loco, sed est (2) ubique tota."
Quamobrem, iuxta quod idem
Doctor affirmat, " Fieri potest,
„ valdeque credibile est, sic nos
„ esse visuros mundana tunc cor-
„ pora cæli novi et terræ novæ,
„ ut Deum utique præsentem, et
„ universa etiam corporalia gu-
„ bernantem, per corpora quæ
„ gestabimus, et quæ conspicie-
„ mus, quoquoversum oculos du-
„ xerimus, clarissima perspicui-
„ tate videamus. Non sicut nunc
Rom. 1. 20. „ invisibilia Dei per ea quæ fa-
1. Cor. 13. 12. „ cta sunt intellecta conspiciun-
„ tur, in ænigmate per speculum
„ ex parte, ubi plus in nobis va-
„ let fides qua credimus, quàm
„ rerum corporalium species,
„ quas per oculos cernimus cor-
„ porales. Sed sicut nunc homi-
„ nes inter quos viventes, motus-
„ que vitales exerentes vivimus,
„ mox ut aspicimus, non credi-
„ mus vivere, sed videmus, cùm
„ eorum vitam sine corporibus
„ videre nequeamus, quam ta-
„ men in eis per corpora remo-
„ ta omni ambiguitate conspici-
„ mus; ita (3) quàcumque spiritalia
„ illa lumina corporum nostro-
„ rum circumferemus, incorpo-
„ reum Deum omnia regentem
„ etiam per corpora contuebi-
„ mur. Aut ergo sic per illos
„ oculos videbitur Deus, ut ali-
„ quid habeant in tanta excellen-
„ tia mentis simile, quo et in-
„ corporea natura cernatur, quod
„ ullis exemplis sive testimoniis
„ divinarum Scripturarum vel
„ difficile est, vel impossibile
„ ostendere; aut quod ad in-
„ telligendum facilius (4) est, ita
„ Deus totus erit nobis æquè
„ conspicuus, ut videatur spiri-
„ tu a singulis nobis (5) in singulis
„ nobis, videatur ab altero in al-
„ tero, videatur in seipso, vi-
„ deatur in cælo novo et in ter-
„ ra

(1) *Valentiæ*, habet Lips. pro *potentiæ*.
(2) *Utique*. Duac.
(3) *Quicumque*. Duac.
(4) *Est* deest in Duac.
(5) *In singulis nobis* desunt hæc verba in Lip. sed habet etiam edit. Maur. S. August.

„ ra nova, atque in omni quæ „ tunc fuerit, videatur creatura, „ et per corpora in omni corpo„ re, quocumque fuerint spiri„ talis corporis oculi acie perve„ niente directi. Patebunt etiam „ cogitationes nostræ invicem „ nobis. Tunc enim implebitur „ quod Apostolus cùm dixisset,
1. Cor. 4. 5. „ *Nolite ante tempus iudicare,* „ mox addidit: *donec veniat Do„ minus, et* (1) *illuminet abscondi„ ta tenebrarum, et manifesta„ bit cogitationes cordis, et tunc „ laus erit unicuique a Deo.*

CAPUT LV.

Quòd ea visione tunc Deum videbimus, qua nunc eum Angeli vident.

Christum dixisse in Evangelio
Matth. 18. 10. legimus: *Videte ne contemnatis unum de pusillis istis; dico enim vobis, quia* (2) *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei qui in cælis est.* Sicut ergo illi vident, ita et nos visuri sumus, sed necdum videmus. Propter
1. Cor. 13. 12. quod ait Apostolus: *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Præmium itaque nobis fidei visio ista servatur, de qua et Ioan-
1. Ioan. 3. 2. nes Apostolus loquitur: *Cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Facies autem Dei manifestatio eius intelligenda est: non aliquod tale membrum quale nos habemus in corpore, quod utique isto nomine nuncupamus. Similes ergo tunc Angelis erimus, quia sicut illi nunc vident, ita nos Deum post resurrectionem videbimus.

CAPUT LVI.

Quòd arbitrii libertate multò plus firmiori quàm in hac vita omnes sancti usuri sunt, in qua tamen peccare non poterunt.

Liberi arbitrii facultatem maiorem nobis in illa vita inesse quàm hìc, universitas Doctorum patenter insinuat. Nam si in hac vita, ut quidam ait, plerique libera voluntate vivunt, ubi etsi peccata cavere possunt, tamen sine peccato esse non possunt; quomodo non ibi liberiori animo erunt, ubi sic adhæsuri sunt Deo suo, ut nulli possint obnoxiari peccato? Tantò enim quis liberior fit, quantò absolutior a peccatis. Ac sic in illa vita beata eò liberiores erunt, quò peccare non poterunt. Nam iuxta quod mihi videtur, si æqualitas nobis promittitur Angelorum, quomodo nobis tunc non erit liberum arbitrium, quo illi ad laudandum Deum sine intermissione utuntur? Quod tamen utrum in reprobis habeatur, est fortasse ambiguum: quia iuxta cuiusdam de hac quæstione hæsitantis sententiam, in illis qui alieni erunt a vita sanctorum, nescio an esse possit liberum (3) utcumque arbitrium, quibus (4) in ultricium missis combustionem flammarum, nec animus nec corpus erit ullo modo liberum.

(1) *Illuminabit.* L.
(2) *Angeli eorum in cælis.* L.
(3) *Utrumque arbitrium.* L.
(4) *In æternam ultricium.* L.

CAPUT LVII.

Quòd ibi oblivionem pariter et recordationem habebimus.

D. Aug. de Civit. Dei, lib. 22. cap. 30. n. 4.

„ Quantum attinet ad scientiam „ (1) rationalem, memor quisque „ præteritorum suorum malo- „ rum erit; quantum autem ad „ experientis sensum prorsus im- „ memor erit. Nam et peritis- „ simus medicus, sicut arte „ sciuntur, omnes fere morbos „ novit; sicut autem corpore „ sentiuntur, plurimos nescit, „ quos ipse non passus est. Ut „ ergo scientiæ malorum duæ „ sunt, una qua (2) potentiam „ mentis non latent, altera qua „ experientis sensibus inhærent „ (aliter quippe sciuntur vitia „ omnia per sapientiæ doctri- „ nam, aliter per insipientis „ pessimam vitam): ita et obli- „ viones duæ sunt. Aliter nam- „ que ea obliviscitur eruditus et „ doctus, aliter expertus et pas- „ sus: (3) ille si peritiam negligat, „ iste si miseria careat. Secun- „ dùm hanc oblivionem quæ po- „ steriori loco posita est, me- „ mores non erunt sancti præ- „ teritorum malorum: carebunt „ enim omnibus (4) malis, ita ut „ penitus deleantur de sensibus „ eorum. Ea tamen potentia „ scientiæ, quæ magna in eis „ erit, non solùm sua præterita, „ sed etiam damnatorum sem- „ piterna miseria non latebit. „ Alioquin si se fuisse miseros „ nescituri sunt, quomodo, sic- „ ut ait Psalmus, *Misericordias* Psalm. 88. 1. „ *Domini in æternum* (5) *can-* „ *tabo?*"

CAPUT LVIII.

De diversitate meritorum et præmiorum, in qua tamen nullus sit alii invisurus.

„ Gradus honorum atque glo- S. Aug. ibid. n. 2. „ riarum qui in illa vita futuri „ sunt (ut ait sanctus Augusti- „ nus), quis est idoneus cogita- „ re, quantò magis dicere? Quod „ tamen futuri sint non est am- „ bigendum. Atque id etiam „ magna illa civitas bonum in „ se habebit, quòd nulli supe- „ riori nullus inferior invidebit, „ sicut nunc non invident Ar- „ changelis ceteri: (6) tamquam „ nolit esse unusquisque quod „ non accepit, quamvis pacatissi- „ mo concordiæ vinculo ei qui „ accepit obstrictus, quemadmo- „ dum nec in corpore vult ocu- „ lus esse qui est digitus, cum „ membrum utrumque conti- „ neat totius carnis pacata com- „ pago. Sic itaque habebit bo- „ num alius alio minus, ut hoc „ quoque donum habeat, ne ve- „ lit amplius."

(1) *Rationabilem.* L.
(2) Duac. *potentia mentis non latet, altera, quæ experientis sensibus inhæret.*
(3) Aliter Duac. *Ille si per imperitiam negligat; ille si miseria careat.*
(4) Deest *malis* in L.
(5) *Cantabunt.* L.
(6) Emendavimus hunc locum ad edit. Maurinam S. August. supplendo illa verba *quod non accepit*; reliquis immutatis, licèt in ea melius legitur: *tamque nollet.... quàm nec in corpore, etc.* Aliter sed corruptè in Lip. *Atque in id beata illa civitas magnum in se bonum videbit, quod nulli superiori ullus inferior invidebit, sicut nunc non invident Archangelis Angeli ceteri, tamquam velit esse unusquisque quod non accepit, quamvis pacatissimo concordiæ vinculo ei qui accepit obstrictus.*

CA-

CAPUT LIX.

Quòd infatigabiliter Deum laudabunt sancti.

In laudando Deum non erit tunc sanctis laboriosa (1) contradictione ipsa laudatio : quia iuxta quod
Isai. 40. 31. Propheta de illis dicit, non laborabunt neque fatigabuntur. Æternitatis enim beatitudine perfruentur : ut hoc illis sit in remuneratione beatitudinis, quòd indefesso usi fuerint iubilo laudis. Psalmus enim dicit : *Beati*
Psalm. 83. 5. *qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.* Præmium ergo virtutis erit ipse qui virtutem dedit.

CAPUT LX.

Quòd sine fine Dominum videbimus, et quod ipse sit finis desideriorum nostrorum.

Si, iuxta quod ait Apostolus,
1. *Thessal.* 4. 16. *Cum Domino semper erimus,* certum est quòd eum sine intermissione videbimus. S. Aug. *de Civ. Dei, lib.* 22. *cap.* 30. *n.* 1. " Finis igitur desideriorum nostrorum „ Christus tunc erit, qui sine „ fine videbitur, sine fastidio „ amabitur, sine fatigatione laudabitur. Hoc munus, et hic „ affectus, hic actus profectò „ erit omnibus, sicut ipsa vita „ æterna, communis."

CAPUT LXI.

Quòd ipse Dominus tunc nobis erit in præmium, et quod tunc honesta nostra desideria mirificè impleantur.

D. Aug. *ibid.* Seipsum nobis in præmio datu-

rum, quo nihil est aliud melius, repromisit ille qui nos creavit. " Quid enim est aliud quod per „ Prophetam Dominus dixit, *Ero* *Levit.* 40. 31. „ *illorum Deus, et ipsi erunt* „ *mihi plebs* : nisi, Ego ero un- *Apoc.* 21. 3. „ de satientur, Ego ero quæcum- „ que ab hominibus honestè desi- „ derantur, et vita, et salus, (2) et „ copia, et pax, et omnia bona? „ Sic enim et illud rectè intel- „ ligitur, quod ait Apostolus : „ *Ut sit Deus omnia in omni-* 1. *Cor.* 15. 28. „ *bus.*"

CAPUT LXII.

De fine sine fine in quo infinitè Dominum laudabimus.

Finis noster Christus perficiens nos, ipse erit refectio et laudatio nostra, quem in sæcula sæculorum laudabimus, et sine fine laudantes amabimus. Ibi erit, ut *Eodem opere de Civ. Dei, lib.* 22. *cap.* 30. ait Doctor sanctissimus Augustinus, verè maximum sabbatum non habens vesperam. Quòd commendavit Dominus in primis operibus mundi, ubi legitur : *Et* *Gen.* 2. 2. *requievit Deus die septimo ab omnibus* (3) *operibus suis,* et sanctificavit eum, quia in eo requievit ab omnibus operibus suis. Dies enim septimus etiam nos ipsi erimus, quando eius fuerimus benedictione pleni atque perfecti. Ibi implebitur : *Vacate* *Psalm.* 45. 11. *et videte quoniam ego sum Dominus.* Tunc verè erit sabbatum nostrum, cuius finis non erit vespera, sed Dominicus dies, (4) vel octavus, qui Christi resur-

(1) *Contradictione* deest in Lip.

(2) Lip. *Et virtus, et copia, et gloria, et honor, et pax, et omnia bona?*

(3) *Operibus, quæ fecit ; et benedixit Deus diem septimum, et sanctificavit, etc.* L.

(4) *Vel octavus æternus.* L. *Velut octavus æternus, qui.... sacratus est.* Edit. Maur. S. A.

rectione paratus est. Ibi vacabimus, et videbimus : videbimus, et amabimus : amabimus, et laudabimus. Ecce quod erit in fine sine fine. (1) Numquid alius est noster finis, nisi pervenire ad regnum, cuius nullus est finis ?

(1) Lip. *Nam quis alius noster est finis, nisi.*

EXPLICIT LIBER TERTIUS PROGNOSTICON.

MONITUM.

Prognosticon sequitur Liber Apologeticus de tribus capitulis: *opus Iuliani indubium, ad Benedictum II. Romanum Pontificem missum, atque XV. Concilio Toletano media sui parte insertum. De anno atque occasione eius scriptionis fusè disseruimus in notis ad Iuliani elogium huic editioni præfixum, quas lector consulet, nec dubitabit : mirabiturque simul, extitisse viros cæteroquin doctissimos, et cordatissimos, qui huiusmodi librum Iuliano abiudicandum putaverint propter illius nonnulla verba, quæ plus æquo duriora sibi visa sunt, atque a viri humanissimi, sanctissimique modestia aliena : non animadvertentes viri nimis profectò religiosi, multò gravius esse illorum verborum invidiam, (ut ipsis videtur) dum a Iuliano arcere conantur, in universum Concilium iniicere, cui et præfuit Iulianus, et in quo quidquid ipse privatus Romam scripserat, publicis suffragiis comprobatum est, atque firmatum. Sed hæc consultò mittimus. Opus proculdubio non fuit in nostra hac editione prætermittendum, quod æquè (nescio an magis) ac præcedens Julianum demonstrat Theologum absolutissimum, a SS. Patrum doctrina ne latum unguem umquam discedentem ; cui nullum inconsultò verbum exciderit, nullius vocis usus arriserit, qui non fuerit a Patribus usurpatus, in altissimis præsertim Trinitatis, et Incarnationis mysteriis exponendis : in quo negotio quanta non rerum tantùm, sed et sermonis habenda sit ratio, nemo prorsus ignorat.*

Nunc autem editio nostra ut quàm purgatissima sit, præ oculis habuimus Concilii XV. editiones duas a Garcia Loaysa, et Cardinali Aguirrio factas : quas diligenter contulimus cum duobus codicibus membranaceis Bibliothecæ S. Ecclesiæ Toletanæ, quorum alter scribi cœptus est æra 986 (scilicet anno Chr. 948) alter recentior finitus est æra 1133, seu anno Chr. 1095. Ex utroque multa in editis emendavimus, ut ex variantibus lectionibus constabit. Loca præterea S. Scripturæ, et SS. PP. laudatorum opera ad marginem designavimus, nec levi cura. Deinde Garciæ Loaysa notas subiecimus, quæ lucem opusculo adferunt nonnullam.

S.

S. IULIANI ARCHIEPISCOPI TOLETANI

LIBER APOLOGETICUS

DE TRIBUS CAPITULIS.

EX CONCILIO XV. TOLETANO IN CONFESSIONE FIDEI.

Post huius igitur piæ confessionis prolatam devotis vocibus regulam, ad illa nos illicò convertimus contuenda capitula, pro quibus muniendis ante hoc biennium beatæ memoriæ Romanus Papa (a) Benedictus nos litterarum suarum significatione monuerat. Quæ tamen non in scriptis suis annotare curavit, sed homini nostro verbo renotanda iniunxit: ad quod illi iam eodem anno sufficienter congrueque responsum est. Nos tamen nunc eamdem renotationem hominis nostri studiosiùs relegentes, invenimus, quòd in libro illo Responsionis fidei nostræ, quem per Petrum Regionarium Romanæ Ecclesiæ miseramus, id primum capitulum iam dicto Papæ incautè visum fuisset a nobis positum, ubi nos secundùm divinam (1) essentiam diximus, *Voluntas genuit voluntatem, sicut et sapientia sapientiam.* Quod vir ille incuriosa lectionis transcursione præteriens, existimavit hæc ipsa nomina, id est, relativum, aut secundùm comparationem humanæ mentis nos posuisse. Et ideo (2) ipsa renotatione sua ita nos admonere iussus est, dicens: " Naturali ordi- „ ne cognoscimus, quia verbum „ ex mente originem ducit, sic- „ ut ratio et voluntas. Et con- „ verti non possunt, ut dicatur, „ quia sicut verbum et voluntas „ de mente procedit, ita et mens „ de verbo aut voluntate." Et ex ista comparatione visum est Romano Pontifici voluntatem ex voluntate non posse dici. Nos autem non secundùm hanc comparationem humanæ mentis, nec se-

Scriptus anno 686.

(1) Editio Aguirrii: *Existentiam.*

(2) *In ipsa* ead.

NOTÆ DOCTISSIMI VIRI GARCIÆ LOAYSA ARCHIEPISCOPI TOLETANI.

(a) *Papa Benedictus.* Benedictus II. Leoni II. successit. Totam hanc controversiam Rodericus Toletanus Archiepiscopus, lib. 3. cap. 13. sic describit: " Eius „ (Regis Egicæ) in tempore, inquit, li- „ ber de tribus substantiis, quem dudum „ Romam miserat Primas sanctissimus „ Iulianus, et minus cautè tractando Be- „ nedictus Papa Romanus indixerat re- „ probandum, ob id quod *voluntas ge- „ nuit voluntatem*, sanctus Iulianus veri- „ dicis testimoniis in hoc Concilio, ad „ exactionem præfati Principis, per ora- „ cula eorum, quæ Romam transmiserat, „ verum esse firmavit; et apologeticum „ fecit, et Romam misit per suos Lega- „ tos, Presbyterum, Diaconem, et Sub- „ diaconem, viros eruditissimos, et in „ omnibus Dei servos, et in divinis Scri- „ pturis imbutos, cum versibus etiam „ acclamatoriis, secundùm quod et olim „ transmiserat de laude Romani imperii. „ Quod Romanus Pontifex Benedictus „ dignè et piè recipiens, cunctis legen- „ dum indixit, atque acclamando: *Laus „ tua Deus in fines terræ*, lectum sæpius „ notum fecit; qui et rescriptum Domi- „ no Iuliano per suprafatos Legatos cum „ gratiarum actione, et cum honore re- „ misit, et omnia quæcumque scripsit, „ iusta et pia esse deprompsit." Hæc Rodericus.

secundùm [b] relativum, sed secundùm essentiam diximus: *Voluntas ex voluntate, sicut et sapientia ex sapientia.* Hoc enim est Deo esse, quod velle; hoc velle, quod sapere. Quod tamen de homine dici non potest. Aliud quippe [1] est in homine id quod est sine velle, et aliud velle etiam sine sapere. In Deo autem non est ita, quia simplex natura est; et ideo hoc est illi esse, quod velle, quod sapere. Quapropter qui potest capere, voluntatem ex voluntate secundùm essentiam nos dixisse, non de huiusmodi laborabit proposita quæstione. Quod etiam in iam dicto Responsionis et fidei nostræ opusculo sollicitè legentibus et intelligentibus claret, ubi et apposita illic beati Athanasii sententia idipsum nos debere sentire pronuntiat dicens: *Hanc de Deo religiosæ opinationis sententiam retinemus, ut non aliud eius voluntatem, aliud credamus esse naturam.* Si enim secundùm quod hic Doctor dicit, id debemus sentire, ut non aliud Dei voluntatem, aliud credamus eius esse naturam; hoc ergo est eius voluntas quod et natura, hoc natura quod substantia vel essentia.

2 Filius igitur Dei de essentia Patris natus est, essentia de essentia, sicut natura de natura, et substantia de substantia: et tamen nec duæ essentiæ, nec duæ naturæ, nec duæ substantiæ possunt dici, sed una essentia, natura, atque substantia. Sicut et lumen de lumine, non duo lumina, sed unum lumen; sicut essentia de essentia, non duæ essentiæ, sed una essentia; sicut natura de natura, non duæ naturæ, sed una natura; sic et voluntas de voluntate, non duæ voluntates, sed una voluntas: quia non est aliud Dei voluntas, aliud eius natura, quod iam superiùs Athanasio doctore firmatum est. [c] Ac proinde quidquid de Deo secundùm essentiam dicitur, communiter in singulis personis con-

(1) Loaysa *est homini.*

(*b*) *Nec secundùm relativum.* Quæritur, an hæc nomina, sapientia, essentia, et voluntas, secundùm relationem, an secundùm substantiam a sanctis Patribus usurpentur? Quam quæstionem dissolvit Magister Sentent. lib. 1. Sentent. dist. 27. ubi ex sententia D. August. docet nomina, quæ substantiam significant, tantum dici, illud de illo. S. Thom. 1. p. q. 39. art. 5. sic ait: " Unde minus impropria » est ista, Natura de natura, vel sapien» tia de sapientia, quàm, essentia de es» sentia." Quamvis Augustinus lib. 7. de Trinitate, cap. 1. et 2. probat hanc: Sapientia de sapientia: et lib. 15. de Trinitate, cap. 20. hanc: Voluntas de voluntate: Dicitur (inquit) Filius consilium de consilio, et voluntas de voluntate, sicut substantia de substantia, sapientia de sapientia. Sed omnes Doctores sancti aliquando expressiùs loquuti sunt, quàm proprietas dictionis patitur: unde huiusmodi formæ loquendi non sunt extendendæ, sed potiùs exponendæ; ut scilicet nomina abstracta exponantur per concreta, vel per nomina personalia, ut docuit Thomas 1. p. quæst. 39. art. 1. et Magister Sentent. lib. 1. dist. 5. Unde istæ propositiones debent interpretari per concreta, aut per personalia nomina, ut cum dicitur, Essentia de essentia, vel sapientia de sapientia, sit sensus: Filius, qui est essentia, et sapientia, est de Patre, qui est essentia, et sapientia.

(*c*) *Ac proinde.* Hæc regula generalis, et axioma universale est omnium Theologorum in materia de Trinitate, ex August. lib. 3. de Trinitate, qui in prologo de nominibus individuæ Trinitatis sic ait: " Quædam de singulis tantùm dicun» tur

convenire videtur, sicut sapientia et fortitudo, vel cetera: quia et Pater sapientia, et Filius sapientia potest dici. Fortitudo quoque et Pater potest, et Filius appellari. Quod secundùm illam comparationem humanæ mentis nullo modo potest dici: quia, verbi gratiâ, mens si in persona Patris ponatur, Verbum (1) iam ex mente prodiens, Filius intelligitur, et voluntas procedens ex mente et verbo Spiritus (2) sanctus significatur. Nec tamen recurrit, ut possit dici, ut aut mens, quæ in significatione Patris est posita, Filio, vel Spiritui sancto conveniat, aut Verbum, quod solùm Filius intelligitur, Patri, vel Spiritui sancto comparetur, aut voluntas, quæ in persona Spiritus sancti accipitur, aut Patris, aut Filii personæ convenire dicatur; sed sic singula singulis secundùm comparationem humanæ mentis conveniunt, ut unumquodque, quod ex eis unus dicitur, alius penitùs non dicatur; sicut et relativo vocabulo Pater nominatus, non est ipse qui Filius, vel Filius quum dicitur, non est ipse qui Spiritus sanctus, nec Spiritus sanctus ipse est qui Pater, aut Filius. Ac per hoc illa nomina, quæ comparativè ex homine assumuntur, ideo secundùm comparationem humanæ mentis dicuntur, ut quoquo modo ad contuendum illud divinæ Trinitatis ineffabile sacramentum humana infirmitas excitetur.

3 Secundùm hanc igitur comparationem putati sumus dixisse, *Voluntas ex voluntate*, quod utique dici vel sentiri absurdissimum est. Ac proinde longè alia est regula, qua de Deo aliquid secundùm essentiam dicitur, aliud cum secundùm comparationem humanæ mentis aliquid de illo pronuntiatur. Nos proinde consentientes, et sequentes Doctoris egregii Augustini sententiam, diximus secundùm divinæ Trinitatis essentiam, *Voluntas de voluntate*, sicut et ipse in quintodecimo libro Trinitatis Dei pronuntiat, ita dicens: « Melius, *Cap. 20. num. 38.*
„ quantum existimo, dicitur consilium de consilio, et voluntas de voluntate, sicut substantia de substantia, sapientia de „ sapientia." Hìc iam quisquis sapiens manifestè intelligit, non nos hîc errasse, sed illos forsitan incuriosæ lectionis intuitu fefellisse; quia quod a nobis est secundùm essentiam dictum, illi secundùm (3) comparationem humanæ mentis positum putaverunt.

4 Ad secundum quoque retractandum capitulum (4) transeuntes, quo idem Papa incautè nos dixisse putavit, tres substantias

De tribus substantiis in Christo manentibus.

(1) *Quasi ex*: Aguir.
(2) *Sanctus* addimus ex Codicib. Toletanis, ut et Loaysa.
(3) Loaysa: *operationem.*
(4) CC. *transientes.*

„ tur personis, quædam verò unitatem „ essentiæ significantia sunt; et quæ de „ singulis sigillatim, et de communibus „ communiter dicuntur: alia verò sunt, quæ translativè, ac per similitudinem de „ Deo dicuntur." Hoc idem Ambrosius lib. 2. de Trinitate in prologo.

tias in Christo Dei Filio profiteri; sicut nos non pudebit quæ sunt vera defendere, ita forsitan quosdam pudebit quæ vera sunt ignorare. Quis enim nesciat, unumquemque hominem duabus constare substantiis, animæ scilicet et corporis? De quibus Apostolus specialiter loquitur, dicens: *Etsi exterior homo noster corrumpitur, sed interior renovatur de die in diem.* Sicut et ille sitiens Deum clamabat in Psalmo: (1) *Sitit* (d) *te* (inquit) *anima mea, quàm multipliciter et caro mea.* Necnon et alia multa, quæ hominem duabus substantiis constare pronuntiant.

2. Cor. 4. 16.

Psalm. 62. 2.

5 Contra quam regulam invenimus item in Scripturis, aut carne plerumque nominata totum hominem posse intelligi, aut anima sola interdum nominata totius hominis perfectionem agnosci. Quapropter natura divina humanæ sociata naturæ, possunt et tres propriè, et duæ (2) tropicè appellari substantiæ. Sed aliud est cum per proprietatem totus homo exprimitur, aliud cum a parte totus intelligitur. (3) Etenim quidam modus locutionis, qui frequenter in Scripturis divinis positus invenitur, quo significatur a parte totum, hic etiam tropus apud Grammaticos Synecdoche dicitur. Scribitur enim in libro Genesis secundùm istam tropicam locutionem significantem a parte totum: *Factus est homo in animam viventem*; cum homo non solùm ex anima, (4) sed ex carne constet. Item similiter a parte totum, ubi omissa substantia animæ, sola carnis substantia nominatur, sicut in Psalmo scribitur: *Ad te omnis caro veniet;* cum omnis homo non solùm ex carne, (5) sed ex anima constet. Et tamen sola carne nominata, totus homo intelligitur, sicut et sola anima nominata, totus homo accipitur. (6) Nam in Exodo volens similiter Scriptura (7) hominem a parte totum intelligi, sic di-

Quinta regula Tichonii quam adfert Augustin. *lib.* 3. *de Doctr. Chr. cap.* 35, et Isidor. *lib.* 1. *Sent. cap.* 19. (*)

Genes. 2. 7.

Psalm. 64. 3.

(1) Card. Aguirre posuit *Sitivit in te*: quæ lectio communior quidem est: nobis verò alteram retinere placuit, quam exhibent duo codices Toletani. Vide sis not. Garciæ de Loaysa.

(2) *Tropicè* emendamus ex duob. Cod. Tol. Minus recte Loays. et Ag. *duæ propriæ.*

(3) Non malè in Loays. et Ag. *Est enim.*

(*) Mirum quantum erratum est in editionib. Loaysæ, et Aguirr. in citanda regula Tichonii, et locis ubi eius meminerunt Augustin. et Isidorus.

(4) CC. *sed et carne.*

(5) Iid. *sed et anima.*

(6) Iid. *Nam et in Exodo.*

(7) Iid. *homines.*

(d) *Sitit te.* Ex Psalm. 62. secundùm Septuaginta, qui ita transtulerunt ἐδίψησέ ἡ ψυχή μου ποσαπλῶς ἡ σάρξ μου ad verbum: *Sitivit te anima mea, quam multipliciter caro mea.* Divus Hieronymus sic habet: *Sitivit ad te anima mea, desideravit ad te caro mea.* Basilius * referens hæc verba: *Sitivit in te anima mea, quam multipliciter*, sic ait: "Theodotion » habet, *sæpenumerò*: Symmachus, *con-* » *cupiscit.* Posuit autem omnes interpre- » tationes, ut doceret illud ποσαπλῶς » non esse duarum partium dictionem, » sed unam esse unius partis, quæ ser- » monis significet epitasin. Consentit enim » et caro animæ amori, nec consiliis il- » lius repugnat. Ac si dicat: Et anima » mea et corpus meum te desiderat: quem- » admodum si quis aquam sitiat et iu- » cundissimam et liquidissimam." Nova Latina versio Septuag. habet: *Sitivit tibi anima mea*, ex sententia Hilarii et Aug.

* Reperies hæc apud Basil. Schol. in Psalm. 62. quod opus Scholiorum in Psalterium viri eruditi Basilio communiter abiudicant.

Exod. 1. 5. dicit: (e) *Septuaginta animæ ingressæ sunt cum Iacob* (1) *in Ægyptum*; cum ipsæ septuaginta animæ non sine suis corporibus illic ingressæ fuissent. Ex carnis quoque nomine totum hominem intelligi voluit, qui di-
Iob 19. 26. xit: *Et in carne mea videbo Deum*; cum non sine animabus suis resurgenda sint corpora.

6 Ecce per consuetudinem Scripturæ sacræ probavimus, et propriè hominem ipsis quibus constat substantiis appellari, et tropicè a parte totum hominem posse intelligi. Si quæras culpam, nec ille errasse dicendus est, qui hominem a parte totum nominavit, nec iste culpandus est, qui totum hominem carne et anima nominata expressit: quia utrumque inculpabiliter dici Scriptura divina convincit. Et tamen cum iam probatum teneamus, nec illam, nec istam partem esse culpandam, quærendum est, quæ pars plus possit esse ad totum hominem intelligendum facilior, atque etiam repulsa omni (2) obscuritate lucidior; utrum ea quæ (3) solam carnem nominans, et animam tacitè ibi vult intelligi, an ea quæ et animam et carnem exprimens totum dicit.

7 Quod ut manifestiùs innotescat, quædam exempla ponenda sunt. Ecce iuxta superiorem tropicæ locutionis modum, qui Synecdoche dicitur, quo aut pars a toto, aut totum a parte intelligitur, scriptum invenimus de flagellatione Ægypti in Psalmis: *Immisit in eis* (f) *muscam caninam.* Necnon et illud: *Dixit, et venit locusta et bruchus.* Volens Scriptura isto genere locutionis non singularitatem, sed pluralitatem muscarum et locustarum intelligi. Non enim (4) musca, (5) vel locusta, sed multitudo muscarum et locustarum repleverunt Ægyptum. At nunc si aliquis nostrorum modò dicat: Misit Deus (6) in Ægyptum muscas, et locustas, et bruchos, pluralem numerum proferens, quod et utique verum est; numquid in parte ista, quæ pluralitatem confitetur, potest calumnia cadere, ut dicatur non esse verum, quod utique verum est, de multitudine locustarum quæ repleverunt Ægyptum? Tale quippe (7) et illud est, ubi populus ad Moysen clamavit dicens: *Ora ad* Num. 21. 7.

Psalm. 77. 45.

Psalm. 104. 34.

(1) Iid. *in Ægypto.*
(2) Iid. haud rectè *omni ex obscuritate.*
(3) Aguirr. *solùm*: nos ex Codicib. *solam* reponimus.
(4) *Una musca et locusta.* A.
(5) *Vel* pro *et* elegimus ex CC.
(6) Codic. *in Ægypto.*
(7) Coniunctivam particulam supplevimus ex Codicib.

(e) *Septuaginta animæ.* Locus est Exodi primo, ubi ita legitur: *Erant igitur omnes animæ eorum, qui egressi sunt, de femore Iacob, septuaginta*; qui paulò ante eodem capite in Ægyptum ingressi dicuntur. Et Genes. 46. expressè dicitur; *Omnes animæ domus Iacob, quæ ingressæ sunt in Ægyptum, fuere septuaginta.* Idem locus est Deuteron. 10.

(f) *Muscam caninam.* Psal. 77. Κυνομυίαν habent Septuaginta, ut etiam Psalm. 104. quam vocem Græcam Latina vulgata editio retinuit: significat verò Κυνομυία muscam caninam, ut hic ponitur. Isidorus lib. Etymol. 12. cap. 8.

Dominum, ut auferat a nobis (g) *serpentem*, cum non unius serpentis, sed multorum (1) serpentum molestias ille populus pateretur. Hoc etiam more et Apostolus loquitur in illo loco ubi ait: *Quoniam ex operibus legis non iustificabitur omnis caro*: acsi diceret, omnis homo, a parte carnis totum hominem intelligi volens. Sic ergo et de Domino nostro Iesu Christo, cum scriptum sit de illo in Evangelio, *Verbum caro factum est, et habitabit in nobis*; caro sola est nominata, ut illic tacitè intelligeretur et anima secundùm supradictum locutionis modum, quo homo a parte totus accipitur. Quæ locutionis regula plerumque et a Patribus est servata.

Rom. 3. 20.

Ioan. 1. 14.

De Incarnat. Unigen. Scholi. cap. 24. *edit. Paris.* 1573.

8 Sic enim ex hoc beatus (h) Cyrillus in libro qui vocatur *Scholia*, dicit: "Quomodo igitur „ Verbum caro sit factum, vide„re necesse est. Primùm quidem „ divina Scriptura carnem ple„rumque nominat, et quasi ex „ parte animalis totius significa„tionem facit: necnon etiam a „ sola anima interdum tantum„dem agit. Scriptum est enim „ quòd *videbit omnis caro sa-* *Luc.* 3. 6. „ *lutare Dei.* Et ipse divinus „ Paulus, *Non consensi*, inquit, *Gal.* 1. 16. „ *carni et sanguini.* Allocutus „ est autem eos qui sunt ex Is„raël Pontifex Moyses: *In* (i) *se-* *Exod.* 1, 5. *sec. LXX.* „ *ptuaginta quinque animabus* „ *descenderunt patres tui in* „ *Ægyptum.* Sed non idcirco „ dixeris, quòd nudæ et sine „ carne animæ (2) in Ægyptum „ descenderunt: nec porrò, quòd „ inanibus corporibus, et solis „ carnibus salutare suum Deus „ indulxerit. Quotiens igitur au„dimus carnem factum esse Ver„bum, hominem (3) intelligimus „ ex anima et corpore factum."

9 Item et S. Augustinus in libro Quæstionum contra Apolli-na-

Lib. de Divers. quæstionib. octogintaribus quæst. LXXX.

(1) CC. *serpentium.* (2) CC. *in Ægypto.* (3) Iid. *intelligatur.*

(g) *Ut auferat a nobis serpentem.* Locus est 21. Numer. paulò tamen aliter; neque serpentem, sed serpentes habet Latina translatio: apud Septuaginta tamen est τὸν ὄφιν singularitatis numero, ut hîc.

(h) *Cyrillus libro, qui vocatur scholia.* * Fortè sunt commentaria in Ioannem: ubi lib. 1. cap. 15. ad ea verba: *Et Verbum caro factum est*, sic habet: "Ser„monem incarnationis iam manifestè in„gressus, hominem factum fuisse unige„nitum Dei filium apertissimè narrat. „ Quum enim dicit: *Et Verbum caro fa„ctum est*, nihil aliud dicit, præterquam„ quòd filius Dei et Deus natura, homo „ factus est: nec novi quicquam profer„tur, quum sæpè divina Scriptura solo „ carnis vocabulo integrum (ut ita dicam) „ et totum hominem significet. *Effundam,* „ Ioel inquit, *a spiritu meo super omnem* „ *carnem*: ubi nisi ex parte una totum „ hominem intelligas, ridiculosè inanima„tæ carni spiritus dari videbitur."

* Lapsum hic fuisse doctissimum virum ex editione nostra satis patet, cum B. Cyrillus in Scholiis verba ab Iuliano citata scripserit.

(i) *Septuaginta quinque.* Sic est Exod. 1. ex editione Septuaginta ἔσαν δὲ πᾶσαι ψυχαὶ ἐξ Ιακὼβ πέντε καὶ ἑβδομήκοντα. Idem Lucas in Actibus Apostolorum, c. 7. Verùm Genesis 46. dicitur: *Cunctæque animæ, quæ ingressæ sunt cum Iacob in Ægyptum, et egressæ sunt de femore illius, absque uxoribus filiorum eius, sexaginta sex: Filii autem Ioseph, qui nati sunt ei in terra Ægypti, animæ duæ: omnes animæ domus Iacob, quæ ingressæ sunt in Ægyptum, fuere septuaginta.* Pro septuaginta, habet editio Septuag. ψυχαὶ ἑβδομήκοντα πέντε. Deuteronomii verò 10. Septuaginta interpretum et vulgata editio consentiunt, et animæ 70. in Ægyptum descendisse commemorant. Idem Iosephus lib. 2. Antiquit. cap. 7. Quomodo verò hæc constent esse septuaginta, et esse septuaginta quinque, pulchrè conciliat Hieronymus quæst. in Gen. ad hunc locum.

naristas sic dicit: " Si ubicum-
„ que caro fuerit nominata, et
„ anima tacita, sic intelligendum
„ est, ut anima [1] ibi non esse
„ credatur, nec illi habebant
„ animam, de quibus dictum est:
Luc. 3. 6. „ *Et videbit omnis caro salutare Dei.* Et illud in Psalmo:
Psalm. 64. 3. „ *Exaudi preces* [2] *meas, ad te*
„ *omnis caro veniet.* Et illud in
Ioan. 17. 2. „ Evangelio: *Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut omne*
„ *quod dedisti ei non pereat,*
„ *sed* [3] *habeat vitam æternam.*
„ Unde et intelligitur solere homines per nominationem solius
„ carnis significari, ut secundùm
„ hanc locutionem etiam illud
„ possit intelligi, ut quod dictum
Ibid. 1. 14. „ est, *Verbum caro factum est,*
„ nihil dictum sit, nisi Verbum
„ homo factum est. Sicut enim
„ a parte totum plerumque, no-
„ minata sola anima, homo intel-
Gen. 46. 27. Exod. 1. 5. „ ligitur (sicut est illud: *Tot ani-*
„ *mæ descenderunt in Ægyptum*), sic rursus a parte to-
„ tum, etiam nominata sola [4] car-
„ ne, homo intelligitur."

10 Item ipse in libro *Enchiridion* dicit: " *Verbum caro*
Cap. 34. „ *factum est*, a divinitate car-
„ ne suscepta, non in carnem
„ divinitate mutata. Carnem quip-
„ pe hîc hominem debemus ac-
„ cipere, a parte totum signifi-
„ cante locutione, sicut dictum
Rom. 3. 20. „ est: *Quoniam ex operibus le-*
„ *gis non iustificabitur omnis*
„ *caro;* id est, omnis homo.
[5] Quapropter hæc est [6] Patrum plena, Scripturarum more, libata sententia, ut cum a parte totum unaquælibet hominis assumpti in Christo substantia nominatur, illic statim et altera intelligatur. Nam [7] etsi una secundùm hunc tropum taceatur, et alia dicatur, duæ tamen nihilominus intelliguntur. Nemo ergo iam dicat, cum audit totum hominem a parte posse intelligi, non debere tres in Christo substantias profiteri, cum isto genere locutionis aliud ex altero cogatur intelligi. Nihil ergo diversitatis est, sive tropicè una, sive propriè gemina hominis nominata substantia; cum utraque locutio hominem a Deo assumptum, nonnisi in duabus substantiis nos intelligere et confiteri permittat. Ac per hoc tres in Christo substantias profiteri ille non dubitabit, qui [8] hanc rationem plena cognitione didicerit. Cæterùm ubi non tropicè, sed propriè hi Patres hominem totum a Christo susceptum esse fatentur, sic in suis tractatibus posuerunt.

11 Beatus enim Cyrillus in superiori libro, qui vocatur *Scholia*, [9] dicit, ubi veritatem trium substantiarum Christi figura veteris Testimonii apertè convincit. Sic enim ait: " Quòd adunato
„ Deo Verbo verè humanitati,
„ inconfusæ tamen substantiæ
Ubi sup. cap. 10.

 „ per-

(1) *Ibi esse*, ut et in Codib. Toletan.
(2) In Codicib. deest *meas*.
(3) *Det eis vitam*. A.
(4) *Caro*. A.
(5) Card. Aguirr. legit: *Qualiter*, quod nobis non arridet.
(6) *Ex scripturarum*. A.
(7) *Etsi* pro *si* reposuimus ex CC.
(8) *Hanc rationem* edimus pro *hac ratione*: quæ lectio servata fuit ab Loaysa et Aguirre.
(9) CC. *sic dicit*.

„ permanserunt, erectum est se-
„ cundùm Dei voluntatem san-
„ ctum tabernaculum per deser-
„ tum, et in eo multis modis
„ formabatur Emmanuel. Ait igi-
„ tur Deus omnipotens ad divi-
Exod. 25. 10. 11. „ num Moysen: *Et* (j) *facies ar-*
„ *cam testimonii ex lignis im-*
„ *putribilibus, duorum cubito-*
„ *rum et dimidii longitudinem,*
„ *et cubiti et dimidii latitudi-*
„ *nem, et cubiti et dimidii al-*
„ *titudinem, et inaurabis eam*
„ *auro puro: extra et intra inau-*
„ *rabis eam.* Sed lignum quidem
„ imputribile sit figura corporis
„ incorrupti (imputribilis enim
„ cedrus); aurum verò, quasi
„ materies aliis pretiosior, divi-
„ næ nobis indicat substantiæ ma-
„ iestatem. (1) Attende igitur, cum
„ arca tota inaurata sit auro puro
„ extra et intra, adunatum qui-
„ dem fuerit sanctæ carni Deus
„ Verbum: et id est (ut opinor)
„ arcam fuisse extra inauratam.
„ Quòd (2) verò et animam (3) ra-
„ tionalem, quæ corpori inerat,
„ propriam fecerit, ex hoc ap-
„ paret, quòd et intra (4) arcam
„ præceperit inaurari. Quòd au-
„ tem naturæ sive substantiæ in-
„ confusæ manserunt, hinc sci-
„ mus: aurum enim superposi-
„ tum ligno mansit id quod erat;
„ et ornabatur quidem lignum
„ auri decore, tamen lignum es-
„ se non desiit." Item S. Augu-

(1) *Attende* ex CC. loco *attendite.*
(2) Ex iisd. *verò et*: loco *verè.*
(3) Codic. *rationabilem.*
(4) *Arcam* supplevimus ex Codicib.

(j) *Facies arcam.* Locus est Exod. 25. hoc modo: *Arcam de lignis setim compingite, cuius longitudo habeat duos et semis cubitos, latitudo cubitum et dimidium, altitudo cubitum similiter ac semissem: deaurabis eam auro mundissimo intus et foris*: ubi pro lignis setim LXX. dissertè ἐξ ξυλῶν ἀὶ σήπτων habent, ut Cyrillus legit.

stinus in libro Trinitatis Dei id- *Lib. 13. cap. 17.*
ipsum exprimens dicit: " Sic
„ Deo coniungi potuit humana
„ natura, ut ex duabus substan-
„ tiis fieret una persona, ac per
„ hoc iam ex tribus, Deo, ani-
„ ma, et carne."

12 Hæc igitur sanctis Patribus nos docentibus, et utramque locutionis regulam nobis insinuantibus, videant iam tandem et sentiant qui sine favore (5) partium iudicant, quæ pars plus potest esse tutissima, licèt in neutram partem possit cadere culpa: utrumne illa quæ in Christo Dei Filio unam Verbi, alteram hominis a parte totum substantiam profitetur, an ista quæ propriè totum hominem in duabus substantiis Verbo Dei adunatum fuisse fatetur. In illa enim parte, quæ a parte totum hominem intelligi volet, potest hæreticorum dolus latere, ut unamquamlibet ex his substantiam nominans, aliam supprimat; sicque quod ore non profitetur, nec corde confiteatur, sicut Apollinaris, qui negat Dominum Iesum humanam (6) naturam habuisse, vel Manichæus negans in Christo assumpti corporis veritatem. In hac verò nostra professione, ubi præmissa Verbi substantia, specialiter duas hominis in una Christi persona substantias profitemur, nullus potest accidere vel suspica-

(5) Codic. *partium*, multò meliùs quàm *patrum*, ut legitur in Loaysa et Aguirre.
(6) Loaysa *animam.*

cari fraudulentiæ dolus, quando evidenter in Deo assumptus prædicetur homo totus. Tutior ergo pars est quæ totum dicit, quàm quæ aliquid supprimit: et plus claret quod propriè dicitur, quàm quod arcta tropicè locutione (1) firmatur. Sed fortè nos soli hoc dicimus, quod maiorum sententia non probamus?

13 Iudicem iam ergo Augustinum (si complacet) advocemus, (2) ut quam partem contra hæreticos munitiorem esse pronuntiet, audiamus. Sic enim in tractatu *Symboli* dicit: " Tem-
Lib. de Fide et Symbol. num. 8.
„ porali dispensationi Dominicæ „ multis modis insidiantur hæ„ retici; sed quisquis tenuerit „ Catholicam Fidem, ut totum „ hominem credat a Verbo Dei „ esse susceptum, id est, cor„ pus, animam, et spiritum, sa„ tis contra illos munitus est." (3) Ecce spiritualis spiritualiter utraque considerans, iudicium protulit, sententiam fixit, munitiorem et tutiorem partem illam esse pronuntians, quæ contra hæreticos totum hominem a Verbo Dei susceptum in duabus substantiis carnis animæque defenderit.

14 Sed fortè aliquis dicat, iam hîc tria quædam hominis nominata, id est, corpus, anima, et spiritus, tria quidem dicuntur, sed duo sunt: sicut ab
Ibid. num. 23.
eodem Doctore in prædicto *Symboli* tractatu convincitur. " Tria „ sunt (ait) quibus homo constat, „ spiritus, anima, et corpus, quæ „ rursus duo dicuntur, quia sæpè „ anima simul cum spiritu no„ minatur: pars enim quædam „ eiusdem rationalis, qua carent „ bestiæ, spiritus dicitur." Quod etiam in epistola ad Petrum dilucida manifestatione (4) exsequitur, quòd spiritus et anima utrumque sint unum, et unius esse substantiæ sentiantur. Dicit enim: " Duo quædam esse animam et „ spiritum, secundùm id quod „ scriptum est, *Absolvisti ab* *Iob 7. 15. sec. LXX.*
„ *spiritu meo animam meam*, „ et utramque ad naturam ho„ minis pertinere, ut totus ho„ mo sit spiritus, anima, et cor„ pus; sed aliquando duo ista „ simul nomine nuncupari animæ, „ quale est illud: *Et factus est* *Gen. 2. 7.*
„ *homo in animam* (5) *vivam:* ibi „ quippe et spiritus intelligitur. „ Itemque aliquando utrumque „ nomine spiritus dici, sicuti „ est: *Et inclinato capite tradi-* *Ioan. 19. 30.*
„ *dit spiritum.*" Ubi et anima necesse est intelligatur, et utrumque unum et unius esse substantiæ: (6) ac per hoc anima et spiritus, et anima et corpus duæ speciales hominis substantiæ sunt, quæ et diversæ dicuntur.

15 Nos proinde in iam dicto Fidei nostræ opusculo Apollinaristarum hæresi respondentes, tres in Christo (k) substantias dixi-
Epist. ad Petr. Presbyt. seu de anima, et eius origine libro 2. c. 2.

(1) *Formatur.* A.
(2) *Et* loco *ut* ex Codicib.
(3) Non bene Loaysa et Aguirr. *Ecce spiritales.... consideramus.* Nos ope Codic. hunc locum restituimus.
(4) *Assequitur.* A.
(5) *Viventem* in Loaysa et Aguirr. sed nos, *vivam* resposuimus ex Codicib. Toletan.
(6) *Ac non anima.* A.

(k) *Tres in Christo substantias.* Stephanus Eduensis Episcopus in lib. de Sacram. altaris, cap. 17. " Credimus, in Christo » duas fuisse naturas, divinam, et huma» nam;

ximus, quod et maiores nostros docuisse [1] monstravimus; honorantes videlicet et sequentes sententiam Doctoris egregii Hispalensis Sedis Episcopi, quam in libris suis *de Differentia naturæ Christi vel nostræ* disseruit, ubi ait: " Nos ex duabus subsistimus „ substantiis, corporis videlicet „ atque animæ: ille ex tribus, „ Verbi, corporis, atque animæ. „ Inde est, quòd perfectus ho- „ mo, perfectus prædicatur et „ Deus." Hæc igitur [2] perpauca de Patribus exempla libavimus, ut in brevi ea quæ competunt monstraremus. Ceterum qui hæc adhuc intentiùs legendo quæsierit, plurima colligere poterit.

Lib. 2. Differentiar. num. 8. in edition. Reg. anni 1599.

16 Iam verò si impudorata quis fronte [3] nec his Patribus cedat, et unde ea libaverint, insolens scrutator exquirat, Evangelicis saltim vocibus credat, quibus has tres substantias sibi inesse Christus pronuntiat. Interrogatus enim a Iudæis: *Tu quis es?* Respondit: *Principium, qui et loquor vobis.* Ecce habes unam substantiam deitatis. Restant duæ substantiæ hominis: ut enim veram carnem hominis suscepisse monstraret, palpandum se discipulis præbuit, dicens: *Palpate, et videte, quia spiritus carnem et ossa non* [4] *habet, sicut me videtis habere.* Ecce expressa est substantia carnis humanæ. Item ut animæ humanæ substantiam suscepisse monstraret, dicit: *Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem iterum sumendi eam.*

Ioan. 8. 25.

Luc. 24. 39.

Ioan. 10. 18.

17 Ecce tres in una Christi persona substantias inconfusè et inseparabiliter adunatas, deitatis videlicet, atque humanitatis, Evangelicis oraculis approbantes, omnes uno ore fatemur, et præfixa sententia prædicamus; confitentes videlicet secundùm Chalcedonense Concilium, eumdem Dominum nostrum Iesum Christum, perfectum in divinitate, perfectum eumdem in humanitate; Deum verum, et hominem verum eumdem ex anima rationali et corpore; secundùm divinitatem unius cum Patre naturæ; secundùm humanitatem unius naturæ nobiscum; per omnia similem nobis absque peccato: ante sæcula quidem ex Patre natum secundùm divinitatem; in novissimis diebus verò eumdem propter nos et propter nostram salutem ex Maria Virgine Dei genitrice secundùm humanitatem, unum eumdemque Christum Filium Dei unigenitum, in duas naturas inconfusè, immutabiliter, indivisè, et inseparabiliter cognoscendum: in nullo naturarum differentias propter unitatem perimendas, magis autem salva utriusque naturæ proprietate, et in una [5] coëunte per-

Concilio Chalced. *act. V. in retract. Symb. Nicæn. et Constantinop.*

(1) Codic. *monstramus.*
(2) Iid. *perparva.*
(3) *Nec* pro *ne* ex Codicib.
(4) *Habet* ex Codicib. loco *habent* ut in textu Loaysæ et Aguirr.
(5) Loaysa *concurrente.*

nam, et tres substantias, divinam, carnem, „ et animam; Athanasio attestante, qui „ ait: Sicut anima rationalis et carou nus „ est homo, ita Deus, et homo unus „ est Christus."

persona, unoque statu concurrente, non in duabus personis partiendum vel dividendum ; sed unum eumdemque Filium unigenitum, Deum Verbum, Dominum Iesum Christum. Iam verò si quis contra hæc ulteriùs non instruendum, sed contrarium se huic redditæ rationi præbuerit, damnationem præfati Concilii sustinebit.

18 (1) Tertium sanè, quartumque capitulum contuentes, non solùm sensum, sed et ipsa penè verba ex libris beatorum Ambrosii atque Fulgentii nos prælibasse monstravimus, quibus ea prædictos viros dogmatizasse scimus. Quos quia celebres in toto orbe doctores feriata Ecclesiarum Dei vota percenseant, non illis est succensendum, sed potiùs succumbendum : quia omne quod contra illos sapitur, a rectæ Fidei regula abhorrere sentitur. Has sanè quatuor specialitates capitulorum, quæ ut a nobis solida efficerentur, hortati sunt, quid a quo fuerit doctore prolatum, congesto in uno responsionis nostræ libro, Catholicorum dogmate Patrum ante hoc biennium parti illi porreximus dignoscendum. Iam verò si post hæc, et ab ipsis dogmatibus Patrum, quibus hæc prolata sunt, in quocumque dissentiant, non iam cum illis est ampliùs contendendum, sed maiorum directo calle inhærentes vestigiis, erit per divinum iudicium amatoribus veritatis responsio nostra sublimis, etiamsi ab ignorantibus æmulis censeatur indocilis.

(1) Quid hæc duo capitula continerent, adhuc ignoratur. Illa certè cum duobus præcedentibus iam expositis eas efficiunt *quatuor specialitates capitulorum*, quæ, ut paulò post dicitur, Catholicorum Patrum testimoniis appositis confirmavit, sive *solida effecit*. Unde duo colligimus : primum, Apologeticum S. Iuliani non de tribus capitulis (ut scribit Felix in eius elogio) sed de quatuor potius fuisse inscribendum: secundum, a Patribus Concilii XV. dimidiam tantùm partem huius opusculi fuisse transcriptam, quæ unicè ad nos pervenerit.

MO-

MONITUM.

In sequens opusculum de Comprobatione sextæ ætatis, *quod ad exagitandam Iudæorum perfidiam et cæcitatem elaboravit S. Iulianus efflagitante Ervigio Gothorum Rege, pauca nos præfari oportet. Quidquid enim de huiusce operis subiecto, divisione, illiusque scribendi occasione dicendum erat, Iulianus ipse perquàm dilucidè exponit in epistola ad Regem Ervigium, quæ ad instar prologi absolutissimi haberi debet. Deinde quid nos in hac nova illius editione præstiterimus, paucis indicabimus. Nullis codicibus MSS. adiuti, solas editiones superiores consuluimus: scilicet omnium primam Hagenoæ factam a Menrado Molthero anno 1532: secundam Parisiensem ab Editoribus Bibliothecæ PP. anno 1624: tertiam Lugdunensem in eadem Bibliotheca, iterum recusa anno 1677. Quarum errata accuratè emendavimus, sacræ Scripturæ, et SS. Patrum testimonia unde desumpta sint ad marginem designantes, aliaque ad imam oram adnotantes, quæ animadversione digna visa sunt: inter quæ locum dedimus coniecturis quibusdam doctissimi viri Gasparis Barthii, in libro XIX.* suorum Adversariorum *cap. 14. prolatis, quibus nonnulla huius opusculi Iulianei loca, ut ipsi videtur, corrupta, sanari, et restitui possent.*

S. IULIANI ARCHIEPISCOPI TOLETANI

DE COMPROBATIONE ÆTATIS SEXTÆ

LIBRI III.

ORATIO.

Script. anno 686. ante 21. Octobris.

Accedam ad te, Domine, in humilitate spiritus mei. Loquar tibi, quia multam spem et fiduciam dedisti mihi. *Quis consurget mecum adversùs malignantes? aut quis stabit mecum adversùs loquentes iniquitatem,* nisi tu Domine adiuveris me? Tu ergo fili David, qui revelato mysterio ad nos in carne venisti, (1) clavo crucis tuæ secreta cordis mei adaperi, mittens unum

Psalm. 93. 16.

(1) *Clavo*: ita legitur in omnibus editis. Sed vir doctissimus Gaspar Barthius in libro XIX. *suorum Adversariorum toto cap.* 14. expendens nonnulla huius opusculi nostri Iuliani loca, quæ corrupta sibi esse videntur (quæque nos indicare voluimus) putat pro *clavo* legendum hoc loco *clave*, propter verbum *adaperi* quod subsequitur. Prudentissima coniectura.

Isai. 6. 6. unum de Seraphim, per quem candens carbo ille de altari tuo sublatus, (1) sordentia labia mea depurget, mentem enubilet, dicendi materiam subministret, ut lingua mea, quæ proximorum utilitati per caritatem servit, non erroris redoleat (2) casum, sed veritatis personet sine fine præconium. Huius interim carbonis, Deus Deus meus, illâ inextinguibili flammâ cor Principis gloriosi irradia, quo sic totus igne tuæ caritatis efferveat, sic etiam zelo fidei inardescat, ut peregrinantem in terris sponsam tuam ab omni pestilentiæ contagione defensam, studeat semper conservare pacatam. Venena quibus noceri potest, manu potestatis evertat. Venenatorum auctores calce fidei proterat. Iudicium sanguinis contra eam venire non sinat, ut in defensionis eius gloria semper gaudens, et nunc in eius sinu recubans, casta fidei disciplina virginem eam mundamque custodiendo, mundus ipse permaneat, et post ad te perveniens gloriosus factus in ea, bonam tibi de eius defensione rationem redditurus accedat. Amen.

Deprecatio pro Rege Ervigio.

Inclyto et glorioso reverendo domino Ervigio Regi Iulianus servulus vester.

Peritorum mos est iste medicorum, ubilibet vulnus serpit in corpore, ferro (3) vulneris materiam prævenire, et purulentas primùm radicitus amputare putredines, antequam sanas ulcus noxium inficiat partes. Unde et ne locus vulneris sana membra contingat, præcisionis semper antefertur industria. Nec enim tactus vulneris causam potest generare salutis. Quocumque enim accesserit, vulneri locum facit. Et nisi ante manu præcidatur artificis, infectis membris omnibus, occasum parturit mortis. Huius admirabilis medelæ peritiam credo vestram, sacratissime Princeps, voluisse imitari clementiam. Qui dum populos a Deo tibi creditos contingi exitio lætali formidas, utile præcisionis genus excogitas, quo exitiabilem membrorum inutilium saniem, et purulentæ fæcis insanabilem cutem, remediabili queant hi, qui salvandi sunt, studio declinare. Quam ob causam sanis adhuc membris me præcipis impendere curam, ne quandoque morbis accidentibus decidant: ut ante præscidatur

(1) *Sordentia*: Barthius legendum mallet *surdentia*, quasi *muta labia*, cuius locutionis multa exempla profert. Non placet nobis coniectura propter verbum *depurget*, cui *sordentia labia* congruunt; *surdentia* non ita.

(2) Pro *casum* ponendum *causam* putat Barthius, nec aliter scripsisse Iulianum. Probabilis est coniectura.

(3) *Vulneris materiam.* Omnes editiones ita habent. Barthius corrigebat *ulceris materiam.* Rectius quidem dictum, atque ad propriam verborum significationem conformius. Sed Iulianum, etsi doctissimum, suo tamen ævo adeo fuisse de verborum proprietate sollicitum, affirmare non ausim.

error, quàm periclitationis generetur occasio. Sicque dum prudenter saluti consulitur, utiliter accessus ægritudinis vitandæ frustretur. Horum igitur membrorum evitandam putredinem linguas dixerim Iudæorum, qui promissum ex lege Christum Dei filium necdum adhuc natum fuisse putant, et alium adfuturum expectant, pestilentiosis obiectibus garrientes, quòd sumpta annorum supputatio ab initio mundi secundùm Hebræos codices quintam adhuc sæculi ætatem insinuet, et necdum adhuc Christum venisse, quem in sexta credunt ætate sæculi advenire. Grave malum, importabile quoque facinus et horrendum, quòd in hoc errore annorum tempus dignoscendæ nativitatis Christi putatur. Quasi alicubi in sacris Litteris legerint hoc esse præceptum, ut in præfinitis annis supputatis ab initio sæculi tempus illud sacræ nativitatis eius posset addisci. Contra hunc, inquam, detestabilem impietatis errorem, et manifestissimam cæcitatem respondere me Augustum caput et mens serena tuæ Celsitudinis præcipit, brevi admodum complexione libelli. Ego autem imbecillitatis meæ non nescius, impositum mihi a vobis onus gravedinis declinarem, nisi perditionem animarum præstrui meo silentio præcaverem, præsertim cum unum idemque sit fidem nolle asserere, quòd negare. Ubi enim de Deo vel contra Deum aliquid agitur, periculosum est pastori, si taceat: infame, si fugiat: mortiferum, si succumbat. Quod terribiliter Dominus per Prophetam, ignavam pastorum socordiam increpando, commemorat dicens: *Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis murum pro domo Israël, ut staretis in prælio in die Domini.* Propter quod etiam idem Dominus per eumdem Prophetam, sanguinem pereuntium animarum de manu speculatoris se exquirere protestatur. *Ezech.* 13. 5. *Ibid.* 3. 18. &c.

Huius ego acerbitatis sententiam pertremiscens, et religiosis vestræ gloriæ iussis, et mei ordinis mancipatus officiis, obedientiæ competentem vestræ celsitudini reddens honorem, et Deo debitam servitutem, imperatum mihi opus, etsi minus doctè, quàm debui, obedienter tamen, ut potui, explicavi. Nitens hoc ipsum perfacile responsionis nostræ opusculum (1) trimodo librorum fine concludere. Hoc videlicet rationis ordine custodito, ut primo huius operis libro convincantur manifestis atque evidentibus signis veteris Testamenti, quibus sine aliqua supputatione annorum Christus Dei filius non nasciturus, sed olim natus liquidè declaretur. Deinde secundi libri serie decurrente per ostensam Apostolorum doctrinam id curatum est effici, quòd revelata temporis plenitudo, qua Christus in carne natus apparuit, non in annis a principio mundi collectis, discipulis Domini vel ce- Argumentum et divisio operis.

(1) *Trimodo*: Barthius coniectatur *trinodo*.

ceteris credentibus sit ostensa, sed legis et Prophetarum testimoniis prodita. Præsertim cum ipsi quoque Iudæi illo tunc tempore non putantes ipsum esse Christum, imò utrum ipse esset Christus decertantes cum Christo, numquam ab illis Christo nostro hæc obiecta sit quæstio, quam nunc proponit petulans et rudis inscientiæ amplitudo. Libro quoque tertio excursus adesse ætatis sextæ convincitur. Ubi etiam et præteritæ ætates sæculi quinque, non in annis, sed in præfixo generationum limite distinguendæ monstrantur, simulque et illic necessariò perdocetur, ut pro hac diversitate annorum, quæ inter Hebræos et nostros codices invenitur, non Hebraicæ translationis libri, sed Septuaginta interpretum codices sint sequendi, quos in fidem plurimorum auctoritas traxit. Hic etenim tertius liber non solùm sex ætatum distinctiones lucidiùs aperit, sed et in sexta ætate Christum datum ostendit, et cur in sexta ætate nasci voluerit apertissimè pandit, omnemque huiusmodi quæstionem de hac annorum supputatione dissolvit. Ratio divisionis. Tres, inquam, huius operis libros de hac quæstione confectos, ideo sub hac discretione distinximus, quia sic nobis meliùs visum est, ut cum talibus non primùm de hac ipsa annorum quæstione agatur, antequam per vera divinorum signa vel indicia Prophetarum, adiunctis quoque novi Testamenti dogmatibus, eorum falsitas detegatur, et sic in postmodum ad sextæ ætatis comprobationem liberè transeatur. Ob hoc enim ad hanc obiectam quæstionem annorum in tertio huius operis libro respondetur, ut duobus illis præcedentibus reluctans animus ante frangatur. Sic enim dignum est, ut ora talium carnali vetustate sordentia, veteris primùm Testamenti restringantur romphea: deinde valido et novo Evangelii pugione percussa, ad tertiæ disputationis librum accedant, in qua et sextam sæculi ætatem agnoscant, et in ea Christum natum intelligant. Unde nequaquam expedit unum ex iis legere et alterum præterire, ne plenam soliditatem doctrinæ non hauriat, quem trium lectio librorum angustat. Quia igitur Iudæorum infesta malitia de annorum diversitate, quæ inter nostros codices et illorum diversa est, obiicit quæstionem, nos e contrario de generationum evolutione quæ inter nostros codices et illorum una est, obicem præparamus: ut cum illi pro (1) distinguendis ætatibus annorum brevitatem ostenderint, nos plenitudine generationum ostensa, eorum contemnamus de annis quæstionem superfluam. Quid enim anni faciant, si generationes succumbant? In generationibus ergo ætatum nativitatis Christi quærenda est veritas, quæ et per legem monstratur, et per Evangelium noscitur.

Allocutio ad eumdem Regem. Iam ergo, mitissime Princeps,

(1) *Distinguendis*: Barthius propter verba sequentia legebat *destringendis*.

pro his quæ incomptiùs dixi, et materiam fortassè dictionis paulò quàm oportuit vitio loquacitatis extendi, quæso mihi veniam in vestra pietate donari, cui vestra gloria hanc ipsam respondendi necessitatem imposuit. Vestra igitur Celsitudo, quæ se patronam causæ Christi exhibuit, credat se omnimodo, ipso ad iudicium veniente, salvari. Erit enim tunc respectus operis vestri, cum dies iudicii manifestus affulserit. Si tamen, o piissime Princeps, et valentèr inimicorum Christi colla servitute Dominica comprimas, et vexilla fidei Christianæ potentèr attollas.

(1) *DE COMPROBATIONE SEXTÆ ÆTATIS*

LIBER I.

Nascentis fidem Ecclesiæ testibus idoneis roborandam excipiens, huic opellæ initium ab ipsis Patriarchis et Prophetis attribuam, nitarque, quantum Deo opitulante valuero, rabidis Iudæorum latratibus respondere, qui cæca infidelitatis nocte possessi, non solùm ipsi barathro detestabilis perfidiæ (2) concidunt, sed etiam quosdam e fidelium numero titubare compellunt, cum Christum Dei filium necdum pro salute hominum in mundum venisse, sed adhuc venturum esse, quadam temeraria calculatione annorum cancerosis sermonibus disputare præsumunt, dicentes, quòd adhuc quinta ætas sæculi evolvatur, et necdum adhuc venerit sextæ ætatis curriculum, in quo venturum nasci oporteat Christum. Ex hac igitur opinione vanissima audent, ab initio mundi secundùm suos codices annorum supputatione collecta, adventus Christi explorare præsentiam, quibus sublata fide cæca sunt omnia.

2 Quid rogo, talibus respondebimus, aut quomodo contra inermes arma levabimus? Huiusmodi Paulus, credo, disceptationes evitandas esse pronuntiabat, cum Timotheum discipulum instruebat. *Stultas*, inquit, *et sine disciplina quæstiones devita: multum enim proficiunt ad impietatem, et sermo eorum ut cancer serpit.* Verè multum stulta est quæstio, quæ de legis non procedit arcano. Imbelles ergo et inermes huiusmodi iudicandi sunt, quia non de Scriptu- 2. *Tim.* 2. 16. 17.

(1) Quotquot hucusque istud Juliani opusculum ediderunt, titulum ei *contra Iudæos* præposuere, qui falsus visus fuit erudito viro Ioanni Baptistæ Perezio, propterea quod, ut arbitramur, Felix illud inscripserit: *De sextæ ætatis comprobatione.* Nos autem, qui hunc titulum opusculo restituimus, minimè existimamus tam *falsò* a ceteris alterum *contra Iudæos* fuisse adhibitum, cum Isidorus Pacensis medio sæculo post Felicem auctor, iam sic librum inscripserit, nempe: *Sanctissimus Iulianus Toletanus Episcopus in libro quem contra Iudæos de sex ætatibus sæculi scripsit, etc.* Tom. 8. Hisp. Sacræ pag. 324. edit. secund.

(2) Bart. lib. 18. Advers. cap. 1. in fine coniectabatur legendum *coincidunt.*

pturis arma arripiunt, sed de antro malitiæ suæ [1] iniusta proponunt. Ora enim talium armata sunt non fidei ferro, sed perfidiæ [2] gladio; nec testificatione prophetica, sed obstinatione dolosa. Ergo inermes ob hoc per omnia approbandi sunt, quia nullis armis Scripturarum muniti ista obiiciunt. Qui tamen si ipsi soli perirent, de silentio forsan haberemur indemnes. Quid quod etiam pernicies huiusmodi inficit et fideles? Nitendum ergo nobis est, qui licèt indigni, ministri tamen Dei verbi sumus, et dispensationem prædicandi accepimus, ut veritatis petra per os nostrum emissa dentes talium conterat, ne silentio nostro in ipsa fidei veritate mollescant, qui sinceritèr quidem Christum fatentur, sed devitare adhuc satanæ astutias nequeunt: ut etsi non corrigatur Iudæus, saltem proficiat Christianus.

Episcopi dispensationem prædicandi accipiunt.

3 Audite iam, o impietatis operarii, o filii scelerati, non me, sed ipsum Christum Dominum quem expugnare nitimini, audite eum respondentem patribus vestris. Ait enim tentantibus se Iudæis in Evangelio, et dixit: *Erratis nescientes Scripturas, neque virtutem Dei.* Etenim virtus et sapientia Dei, secundùm Paulum Christus est: ergo ignorantia Scripturarum, ignorantia Christi est. Quid iam mirum, si error corda vestra possideat, quos ignorantia Scripturarum obiurgat? Scrutamini ergo Scripturarum latentes campos, et tunc intelligetis cæcos oculos vestros. Iam igitur sine præiudicio Christianæ fidei loquar. Numquid aut per legem, aut per Prophetas alicubi specialiter in sexto millesimo anno nasciturus prædictus est Christus? aut numquid pro hac humana eius nativitate alicubi supputatio annorum ab exordio mundi observanda prædicitur; et non potiùs testimoniorum evidentia, hæc ipsa eius gloriosa nativitas declaratur? Quamquàm a nobis opitulante Domino (et ipse adiuvet in subsequentibus) omnia liquidiùs computata, et sextam sæculi ætatem approbabunt, et in sexta ætate natum Christum de Virgine testabuntur. Equidem ista quæ dico, meum est comprobare, vestrum autem est ut respondeatis.

Matth. 22. 29.

1. *Cor.* 1. 24.

4 Ubi ista legistis, quæ malitiosè confingitis? An fortè ex illa opinione hoc dicitis, quæ in Psalmo præscribitur, ubi ait: *Quoniam mille anni ante oculos tuos tamquam dies una*: ut sicut sex diebus factus a Deo mundus præscribitur, ita quasi sex ætates in annis sex millibus distinguantur? Absit. Dicimus quidem sine errore, quòd adinstar sex illorum dierum sex quoque ætates sæcu-

Rationes Iudæorum.

Psalm. 89. 4.

Sex mundi ætates quomodo distinguendæ.

(1) *Iniusta*: Barthius legit in editis *iusta*, quod apertè mendosum est, atque emendabat *hausta*, vel quod ipsi magis placebat *scruta*, ut haberet, quod opponeret *armis*.

(2) *Gladio*: Non placet Barthio, qui nimis est (ut nobis videtur) morosus in diiudicandis vocibus singulis. Quare non placet? Quia postea eos dicit Iulianus *inermes*: sed non animadvertit vir doctus ideo eos inermes appellasse, *quia nullis armis Scripturarum muniti ista obiiciunt.*

culi distinguantur ; sed non dicimus , ut ipsæ sex ætates in sex millibus annis determinentur , id est , ut unaquæque ætas millenario annorum tramite dirimatur. At verò numquid in hoc prophetico testimonio aut de ætatum distinctione aliquid memoratur , aut quicquam de nativitate Christi prædicitur ? Dictum est enim , *mille anni ante oculos tuos , tamquam dies una :* quia quamtumlibet huic vitæ longum tempus optetur, et in quantalibet annorum prolixitate vivatur , mille anni ante oculos eius , qui non moritur, tamquam præteriens dies una putatur , et ideo quasi pro nihilo ducitur. Quamquam etiam et secundùm numerum sex dierum sex millibus annis secundùm istud a quibusdam stare credatur. Quod tamen et hoc ipsum si ita esset , aut etiam si unaquæque millenis annis determinata fuisset, discipuli de fine sæculi Dominum non quæsissent. Scientes videlicet sæculi finem certa annorum supputatione colligere, ac per hoc quòd supputatis annis ab initio mundi possent scire , nequaquam hoc a Domino conarentur addiscere : certum videlicet apud se habentes experimento retro actarum ætatum, quòd unaquæque ætas per millenos annos decurreret. Quod etiam et B. Augustinus exequens dicit: *Enarrat. in Ps. 89. num. 5.* " Ausi sunt , inquit , homines „ præsumere scientiam tempo- „ rum , quod scire cupientibus „ discipulis Dominus ait : *Non* *Act. 1. 7.* „ *est vestrum scire tempora, quæ* „ *Pater posuit in sua potesta-* „ *te.* Et definierunt hoc sæcu- „ lum sex annorum millibus tam- „ quam sex diebus posse finiri. „ Nec attenderunt quod dictum „ est , *tamquam dies una quæ* „ *præteriit :* non enim quando „ dictum est , soli mille anni „ præterierant."

5 Tali igitur ratione prædictæ opinionis evacuato obiectu , quid , inquam , præiudicat huius testimonii mentio nativitatis Dominicæ sacramento , quo dicitur : *Mille anni ante oculos* *Psalm. 89. 4.* *tuos tamquam dies una ?* Numquid mille anni ideo hic dicti intelligendi sunt , ut in his aliquid noscere de nativitatis Christi tempore percogamur ? Numquam enim (1) quisquam illud divino librorum canone insinuatum reperiet , ut a conditione sæculi per annorum computationem adhibitam tempus nativitatis Christi perpendat. Legimus siquidem in Daniele , ubi Angelus septuaginta hebdomadibus evolutis , definita annorum supputatione nasciturum et passurum Christum prædixit. *Dan. 9. 24. &c.* Sed ipse qui futurum tempus usque ad Christum annorum supputatione colligere voluit , præteritam annorum summam a mundi principio attendere non curavit. Quippe quos aut necessarios incarnationi Dominicæ non prævidit , aut si necessarios credidit, multò ampliùs eos necessario silen-

(1) Ita meliùs collectores Bibliothecæ Patrum quam alii in quibus legitur : *Numquam enim et nusquam , quisquis ille , in divino librorum , etc.*

lentio prætermisit. Hic ergò Daniel Propheta numerum annorum divina revelatione intelligens, non solùm scripsit Christum esse venturum, quod et Prophetæ ceteri prædixerunt; sed et quo tempore venturus esset aperuit, et reges per ordinem digessit, et annos enumerando monstravit, et cetera signa manifestiora prædixit. Quæ cum ita sint, noluit annos illos a principio mundi usque ad adventum Christi colligere, quos observandos pro huiusmodi quæstione, neque in divinis litteris legerat, neque in exemplis Patrum præcedentium sciebat. Futura ergo de Christo annorum curricula docuit, quæ utique plus ceteris altiùs intellexit. Dan. 12. 5. Sic enim ipse dicit: *Pertransibunt plurimi, et multiplex erit scientia.* Multiplex ergo in isto fuit scientia, qui Apostolicis quodammodo iam regulis serviens, obliviscens ea quæ retrò sunt, extentus autem et sequens ea quæ ante se erant, in agnoscenda Christi filii Dei nativitate, non præteritas annorum calculationes attendit, sed futurorum supputationes apertissimè declaravit. Hac ergo supputatione prophetica, et fides nostra iuvatur, et perfidia vestra destruitur. Quæ suo in loco disposita, omnem caliginem erroris vestri, aut illustrabit ut veniatis ad vitam, aut confutabit ut discedatis in tartara.

6 Nunc igitur, ne error vester, quod absit, Christianam militiam in quocumque inficiat, hoc primum scire omnibus convenit, quia nihil tale aut in lege, aut in Prophetis prædictum est, ut supputatis a mundi principio annis, adventus dignoscatur Dominicæ incarnationis. Quamquam plerisque locis, sive in lege, sive etiam in Prophetis, ubi nasciturus Christus prædicitur, semper in diebus novissimis adventus eius primi præsentia promittitur, quod utique apud nos pro sexta sæculi ætate accipitur. Quæ sex ætates non annorum æqua supputatione colliguntur, sed generationum disposito ordine dignoscendæ sunt: sicut tres ætates quas computatas in Matthæi Evangelio invenimus, quas utique non decursione annorum, sed generationum enumeratione determinatas agnoscimus. Quarum etiam ætatum distinctio singularum in tertio huius operis libro, et digesta monstrabitur, et perfecta suis lineis agnoscetur. Non ergo computati anni a principio mundi per legem aut Prophetas Christum nasciturum promittunt, sed testimonia evidentiora idipsum futurum esse portendunt, quod iam apud nos præteritum celebratur. Relinquamus ergo et nos paulisper supputationes, quibus Patriarchæ et Prophetæ ipsi pro dignoscentia nativitatis Christi non usi sunt, et testimoniis ipsis tantùm utamur, quibus ea quæ a vobis futura adhuc esse creduntur, iam transacta monstrentur, et a primi adventus Christi tempore iam ex toto completa sunt, ideoque iam expectanda non sunt, quia iam utique transierunt. Nec enim nunc mihi necesse est de nativitate Christi, morte, et resurrectio-

De tempore adventus Christi.

Matth. 1. 2. &c.

ctione eius testimoniorum munimenta colligere divinorum, quod iam a multis copiosè et sufficienter est factitatum; sed illa solùm excerpere, et hæc ipsa prælibare, quæ possint indiciis manifestis ostendere Christum Dei filium iam in carne venisse.

De tempore adventus Christi.

7 Primùm ergo signa ipsa temporum nativitatis Christi exquiram, et utrum tam pacifica

Primum signum huius adventus, pax in toto orbe.

fuerint, sicuti sunt a Prophetis prædicta, digesto ordine prosequar. Diebus enim nativitatis eius

Psalm. 71. 7. sicut Propheta David dicit, *Orietur in diebus eius iustitia et multitudo pacis.* Michæas quoque similiter et nominis et temporis nativitatis eius pacem insi-

Mich. 5. 2. &c. nuans, dicit: *Et tu Bethlehem Ephrata, numquid parvulus es in millibus Iuda? Ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israël, et egressus eius ab initio, a diebus æternitatis. Propter hoc dabit eos usque ad tempus, in quo parturiens pariet. Reliquiæ fratrum eius convertentur ad filios Israël, et stabit, et pascet in fortitudine Domini in sublimitate nominis Dei sui. Et convertentur, quia tunc magnificabitur usque ad terminos terræ, et erit ista pax nominis eius.* Dicatur et pax temporis nativitatis illius. Etenim quàm pacifica eadem tempora fuerint, sic idem Propheta paulò superiùs evidenter exponit, ubi eo tempore, quo nasci eum oportuit, cessatura omnia bella prædixit. Ait enim:

Mich. 4. 1. &c. *In novissimo dierum erit mons domus Domini præparatus in vertice montium, sublimis super colles, et fluent ad eum omnes populi, et properabunt gentes multæ, et dicent: Venite, ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Iacob, et docebit nos in viis suis, et ibimus in viis eius, quia de Sion egredietur lex, et verbum Domini de Ierusalem. Et iudicabit inter populos multos, et corripiet gentes fortes usque in longinquum: et conscindent gladios suos in vomeres, et hastas suas in ligones. Non sumet gens adversùs gentem gladios, et non discent ultrà bellare.* Esaias quoque ea ipsa indicia de temporibus nativitatis Christi insinuans

Isai. 2. 2. &c. dicit: *Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes, et ibunt populi multi, et dicent: Venite, et ascendamus* (1) *in montem Domini, et ad domum Dei Iacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis eius, quia de Sion exhibit lex, et verbum Domini de Ierusalem. Et iudicabit gentes, et arguet populos multos usque in longinquum, et conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces. Non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultrà ad prælium.*

8 Iam ne videtis horum trium Prophetarum oracula ita in omnibus concordantia, quasi unius hominis ore sint prolata? Etenim pax

(1) Alii ediderunt: *ad montem.*

pax nulla sentitur, quamdiu bella moventur. Detractis igitur bellis, quid restat nisi abundantia pacis? Quod ergo David dicit: *Orietur in diebus eius iustitia, et multitudo pacis*, hoc Esaias et Michæas de bellis cessaturis in diebus eius dixerunt: *Non levabit gens contra gentem gladium.* Cessantibus enim bellis in toto orbe terrarum, Christus pax nostra oboritur. Quod ut veraciter agnoscatis, veteres, si placet, singularum gentium revolventes perlustrate historias, et invenietis usque ad vigesimum octavum annum Cæsaris Augusti, cuius quadragesimo primo anno Christus natus est in Iudæa, in toto orbe terrarum fuisse discordiam, et singulas nationes contra vicinas gentes arsisse studio præliandi, ita ut cæderent et cæderentur. Orto autem Domino Salvatore, quando sub præside Syriæ Cyrino prima est in orbe terrarum facta descriptio, et Evangelicæ doctrinæ pax Romano Imperio præparata, tunc omnia cessaverunt bella, et nequaquam per oppida et vicos exercitabantur ad prælia, sed ad agrorum cultum, militibus tantùm legionibusque Romanis contra barbaras nationes bellandi studio delegato: quando completus est Angelorum ille concentus: *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Hoc enim modo in diebus eius orta est iustitia, et multitudo pacis. Ecce signa temporum nativitatis Christi, sicut pacifica a Prophetis futura prædicta sunt, ita et a nobis pacifica quidem, sed iam transacta noscuntur. Iam ergo impleta sunt: nec enim adhuc ulla tempora pacifica futura credenda sunt, cum sæculum istud bellorum potiùs quàm pacis fine claudatur, dicente Domino ad discipulos (quando enim petiverunt ab eo signum de consummatione sæculi, sic eis respondit): *Consurget gens in gentem, et regnum in regnum*, et cetera quæ sequuntur.

Ubi suprà. *Ubi suprà.* Anno 41. imperii Octaviani Augusti pax accidit. Luc. 2. 2. Luc. 2. 14. Matth. 24. 7.

9 Quia igitur præmisimus de pacificorum temporum signis, nunc iterum dicamus de diebus novissimis, in quibus occursurus prædictus est adventus Domini Salvatoris. Ecce a duobus his Prophetis Michæa et Esaia pacifica nativitatis Christi prædicta sunt tempora; sed utrique dixerunt, in novissimis diebus ea esse futura. Cur, inquam, ea ipsa signa temporis primi adventus Christi in diebus novissimis futura esse portendunt, nec tamen in annis a principio mundi computatis tantæ rei sacramentum aperire moliti sunt, nisi, ut ego pro tenuitate sensus mei existimo, melius illis visum fuisset, dies ipsos novissimos in defectu Israëlitici regni debere intelligi, quando Dux et Princeps de stirpe Iuda defecit, quàm in annorum opinione constitui? Si enim dixissent (verbi gratia) a principio mundi usque ad adventum Christi erunt anni tanti, non satis videretur ibi aliquid novissimum arbitrari, cum adhuc plures restarent anni, videlicet, usque in finem mundi. At verò quia dixerunt ea ipsa quæ de Christo prædixerant in diebus

Secundum signum adventus Christi, complementum prophetiarum de diebus novissimis.

novissimis esse complenda, novissimos dies illos credo intellexerunt, qui in illo regno, deficientibus Principibus de stirpe Iuda, novissimi adprobati sunt, quando in illo populo priùs Herodes alienigena successit in regnum, cuius tempore Christus in Iudæa natus cognoscitur.

10 Quamquam et aliter dies dicti novissimi pro sexta ætate, quæ omni homini postrema est, intelligantur. Dies ergo istos dixerunt novissimos, sed pacificos, in quibus Christum nasci oportuit, quos et Michæas prædixit, et Esaias nihilominus nuntiavit, ne secundùm errorem vestrum adhuc expectarentur futuri. Sic signum eorumdem dierum Iacob Patriarcha aperuit, quando vocans ad se filios suos, dies ipsos similiter novissimos appellavit, et dixit: *Congregamini, ut annuntiem quæ ventura sunt vobis diebus novissimis. Congregamini, et audite filii Iacob, audite Israël patrem vestrum.* Ubi etiam ad Iudam, de cuius semine ortus est Christus, sic dicit: *Non deficiet Princeps de Iuda, nec Dux de femoribus eius, donec veniat, cui repositum est, et ipse erit expectatio gentium.* Ecce manifestum est, et claret, quòd iam transacti, et necdum adhuc futuri intelligantur dies isti novissimi, quando ista (1) exprimuntur ut dicatur: *Non deficiet Princeps de Iuda, nec Dux de femoribus eius, donec veniat cui repositum est.* Ecce manifestum signum novissimorum dierum, in quo cessantibus Principibus vel Ducibus de stirpe Iuda, rex Herodes succedit alienigena, in cuius tempore Christus natus est in Iudæa. Tres, inquam, viri isti divino spiritu pleni, quasi uno ore locuti dies illos novissimos prædixerunt, in quibus magnum hoc complendum cernebant in spiritu sacramentum.

Gen. 49. 1. 2.

v. 10.

11 Ecce duo signa monstravimus, quibus et pacifica tempora, et dies novissimos in tempore nativitatis Christi procurrisse ostendimus, quasi pacem ortam in diebus novissimis diceremus. Nunc tertio loco sequitur, ut dicamus de testimonio Præcursoris, quo vox præconis adventum prodidit iudicis. Sic enim Malachias postremus penè Propheta Israëlitici populi non solùm nativitatis Christi, sed et Præcursoris eius signum manifestè prædixit. Ait enim: *Ecce mittam Angelum meum, et prospiciet viam ante faciem tuam, et subitò veniet in templum suum Dominus, quem vos quæritis, et Angelus testamenti, quem vos vultis.* Quod testimonium vos siquidem de Helia accipitis dictum, nos de Ioanne credimus prophetatum, et dicente et interpretante hoc ipsum Christo Domino et magistro nostro, ubi hoc de præcursore Ioanne volens intelligi, dixit: *Iste est de quo scriptum est: Ecce ego mittam Angelum meum ante faciem tuam.* Sic enim nativitatis Christi adventum

Tertium signum adventus Christi, prædicatio Baptistæ, et eius testimonium.

Malach. 3. 1.

Matth. 11. 10.

(1) Alii: *ita exprimitur.*

tum sex mensibus præcurrens Ioannes advenit, et digito ipsum Dominum in carne positum demonstravit dicens: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Perhibuit quippè testimonium præcursor Domino suo, et vox Verbo: sed testimonium habens in aqua, Salvatoris adesse manifestam docuit in carne præsentiam. Huius quippè figuram tenuit Iras ille Odollamitis, quem in Genesi legimus cum Iuda ad tondendas oves in Thamam venisse. Etenim Iudas hic Christum ipsum significat, quia et carnem Christi de stirpe Iuda credimus propagatam. Pastor autem eius nominis Iras Odollamitis Ioannem insinuat. Odollami enim interpretatur testimonium in aqua. Cum hoc planè testimonio Dominus venit, habens quidem testimonium maius Ioanne, sed tamen propter oves infirmas hoc testimonio est usus in aqua. Nam et ipse Iras, quod nomen illius pastoris fuit, interpretatur fratris mei visio. Vidit enim omnino fratrem suum Ioannes, fratrem suum utique Christum secundùm semen Abrahæ, quando eum salutavit ex utero, agnovit perfectiùs ex columba. Et ideo tamquam Odollamites verum testimonium perhibuit in aqua.

Ioan. 1. 29.
Gen. 38. 12.
Luc. 1. 41.
Ioan. 1. 32. 33.

12 Ecce diximus per Iudæ personam significatum tunc esse Christum, et per Iram Odollamitem significatam fuisse personam Ioannis: quæ duarum significatio personarum huius quoque Malachiæ prophetæ vaticinio declaratur, quod de Christo et Ioanne prophetatum exequitur. *Ecce*, inquit, *mittam Angelum meum, et prospiciet viam ante faciem tuam, et subitò veniet in templum suum Dominus, quem vos quæritis, et Angelus testamenti, quem vos vultis.* Iam hìc prospicite si potestis, quomodo subitò in templum suum venturus esse dicatur, si adventus eius definita a primordiis mundi annorum supputatione colligitur. Non enim subitò venit, quod definitis annis occurrit. Quod autem hoc testimonium de Helia Propheta dictum existimatis, necnon et quia hoc quod sequitur, *Veniet ad templum suum dominator, quem vos quæritis*, ad Christum utique vestrum refertis, quem in ultimo tempore venturum esse putatis; satis miror quomodo vos rerum exitus non doceat veritatem. In quali enim templo suo veniet dominator, quod utique ad fundamenta usque destructum est? Aut si ab alio extruendum est antequam Christus adveniat, quid Christus vester ampliùs facturus est, si ab alio restituta fuerint omnia? Si enim, ut vos vultis, Heliam in hoc loco accipitis, ubi Angelum tantummodo pronuntiatum auditis, cur in loco, ubi idem Propheta tempus ipsum primi adventus Christi præcinit, nomen ipsius Angeli non expressit, et Heliæ nomen ibi abscondit? Qui enim in fine prophetiæ suæ nomen Heliæ ob causam finis sæculi expressit, illic ubi tantummodo Angelum nominavit, Heliæ nomen cur taceretur, non fuit. Nam hìc utique ubi Heliam ante finem mun-

Malach. ubi sup.

di venturum esse prædixit, sic ait: *Ecce ego mittam vobis Heliam Prophetam, Thesbitem, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis, ut convertat corda patrum ad filios, et corda filiorum ad patres eorum.* Ante enim adventum iudicii mittet Dominus Heliam ad convertendum cor filiorum ad cor Patriarcharum et Prophetarum, ut credat posteritas eorum in Domino Iesu Christo, quem et Patriarchæ et Prophetæ vaticinantes expectaverunt. Nam si hactenus Iudæi rectè credunt, ob quam causam per Heliam eos converti in novissimo Propheta testatur? Nec enim possunt nunc intelligere Salvatorem quem audiunt, nisi in finem mundi, dum fuerit consummatio sæculorum. Pronuntiat enim hoc Dominus per Esaiam Prophetam dicens: *Audite audientes, et nolite intelligere, et videte visionem, et nolite cognoscere. Excæca cor populi huius, et aures aggrava et oculos, ne fortè videant oculis suis, et auribus suis audiant, et corde suo intelligant, et convertantur, et sanem illos. Et dixit Propheta: Usquequo Domine? Et dixit Dominus: Donec desolentur civitates absque habitatore, et domus sine homine, et terra relinquetur deserta. Et longè faciet Dominus homines. Tunc convertetur, et erit in ostensione sicut therebyntus, et sicut quercus, quæ expandit ramos suos; semen sanctum erit quod steterit in ea.* Iam ergo cognoscite tempus hoc cæcitatis vestræ usque in finem mundi præcurrere, in quo non agnoscitis Salvatorem. Et nisi ante adventum Heliæ in Christum credatis, in hac omnes, antequam idem veniat, cæcitate peribitis. Et si fortè aliqui ex semine vestro Helia veniente salvandi sunt, vos tamen qui nunc estis ante eius adventum, et debito mortis concludemini luctu, et perpetuo post mortem interibitis supplicio tormentorum.

Malach. 4. 5. 6.

Helias venturus ante iudicium.

Isai. 6. 9. &c.

13 Sequitur quartum et verissimum nativitatis Christi indicium, quo commendatur vocatio gentium, per quam olim ita Christus probatur natus, ut ipse esse expectatio gentium commendetur. Etenim post natum Christum primitiæ statim gentium Domino consecratæ sunt: quod dilucidè satis in illis Magorum ab Oriente venientium mysticis muneribus declaratur. Sic quippè et hoc fuerat prophetatum: *Reges Tharsis, et insulæ munera offerent; reges Arabum, et Saba dona adducent. Et adorabunt eum omnes règes terræ: omnes gentes servient ei. Et benedicentur in eo omnes tribus terræ: omnes gentes magnificabunt eum.* Quod quia iam in Christo nostro impletum esse videtis, non erit fortassè necessarium, ut plurima ex hoc testimonia proponantur vobis. Nam olim natus Christus, statim a Deo patre gentes in possessionem accepit: quod et David longè prædixit antè, ubi ait in persona eiusdem Christi: *Dominus dixit ad me: filius meus es tu, ego hodie genui te. Pete a me, et dabo tibi gentes he-*

Quartum signum adventus Christi, vocatio gentium.

Matth. 2. 1. &c.

Psalm. 71. 10. 11.

v. 17.

Psalm. 2. 7. 8.

hereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ. Quod manifestissimum signum crediturarum gentium sic Esaias exequitur. *Iste*, inquit, *aspergget gentes multas, et super ipsum continebunt reges os suum.* Item ipse idipsum de Christo exequens dicit: *Ecce testem populi dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus.* Idem adhuc Propheta persequitur dicens: *Paravit Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium gentium, et viderunt omnes fines terræ salutare Dei nostri.* Si ergo Christus adhuc non venit, ut dicitis, quomodo eum revelatum in conspectu gentium iam videtis? Nam et David dicit: *Notum fecit Dominus salutare suum, ante conspectum gentium revelavit iustitiam suam.* In eo enim quòd una est in Christo gentibus universis conventio, nosse debetis iam illud esse impletum, quod prophetali vaticinatum est oraculo. *In conveniendo*, inquit, *populos in unum, et reges ut serviant Domino.* Quomodo ergo iam omnes reges terræ et populi obediunt ei, si eius nativitas non præcessit, si eius occasionem credendi hæc ipsa eius nativitas gloriosa non præbuit? Scriptum est enim: *Qui exurget regere gentes, in eo gentes sperabunt.* Ergo ante nascendo vel apparendo exurrexit in mundum, et sic in eo gentes sperare cœperunt. Quod etiam adhuc idem Propheta exequitur, *Radix*, inquiens, *Iesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur, et erit sepulchrum eius gloriosum.* Ecce iam sepulchrum eius gloriosum habetur, et nativitati eius non creditur.

Isai. 52. 15.

Isai. 55. 4.

Isai. 52. 10.

Psalm. 97. 2.

Psalm. 101. 23.

Isai. 11. 10. sec. Apost. ad Rom. 15. 12.

Isai. 11. 10. sec. Vulgat.

14 Sequitur dehinc quintum manifestum per omnia signum, quo dominatio eius in toto mundo porrigitur. Sic enim et hoc ipsum per David fuerat prophetatum. *Dominabitur*, inquit, *a mari usque ad mare, et a fluminibus usque ad terminos orbis terræ.* Quod testimonium nulli regum in illo populo congruere probatur: notum est enim quibus terminis fuerit regnum illud conclusum. Sed hoc in Christo videmus fuisse completum, cuius ab ortu solis usque ad occasum magnum nomen a gentibus adoratur, cum non solùm in Iudæa tantum, sed in toto sæculo iam cultus adorationis eius extenditur. Prædixerat quippè et hoc Sophonias propheta, quando tempus hoc Christianæ religionis in spiritu prævidens dicebat: *Adorabit*, inquit, *eum vir de loco suo, omnes insulæ gentium.* Et paulò post: *Transvertam in populos linguam et progenies, ut invocent omnes nomen Domini, et serviant ei sub iugo uno.* Sed hìc fortè aliquis impudenter contraire videtur et dicere, necdum adhuc omnes gentes in Christo credidisse. Cui facilè respondetur: Quia etsi in quibusdam locis increduli adhuc populi habeantur, dominatum tamen Christi in hoc penitus non effugiunt, cum a talibus Principibus premuntur, in quorum cordibus iam per

Quintum signum adventus Christi, eius dominatio in toto orbe.

Psalm. 71. 8.

Soph. 2. 11.

Ibid. 3. 9.

per fidem Christus ipse habitare dignoscitur. Nec enim puto aliquam remansisse gentem, quæ Christi nomen ignoret. Et quamquam non habuerit prædicatorem, tamen ex vicinis nationibus opinionem fidei non potest ignorare. Hac igitur reddita ratione, peto ut respondeatis, in quo angulo terræ nasciturus ille, quem adhuc expectatis, poterit dominari, cum Christus noster totum orbem sua dominatione repleverit, in tantum ut etiam ipsa dæmonia ei subiecta sint, quæ carere videntur præsentia corporali? Sed quid iam moror? Si Christum, inquam, adhuc natum esse non creditis, colligite ex quatuor aliis signis sequentibus, id est, ex confusione vestræ fortitudinis, ex pœna ipsa quæ post mortem et resurrectionem Christi accidit vobis, ex perdito regno et sacerdotio, et sacrificio reprobato.

Quatuor alia signa Christi iam nati, Iudæorum confusio, pœna, sacerdotii amissio, sacrificii reprobatio.

De confusione.

15 De confusione etenim vestra, qua post mortem et resurrectionem Christi poteratis confundi, sic Esaias Propheta prædixit: *Non modò*, inquit, *confundetur Iacob, nec modò vultus eius erubescet; sed cum viderit filios suos, opera manuum mearum in medio sui sanctificantes nomen meum.* Videte tempus, signate mysterium, in quo Iacob modò confundetur, qui antea interim non confunditur. Iam ergo post adventum Christi ipsi dies decurrunt, in quibus confusione gravi patres vestri compressi sunt, quando filios suos, id est, Apostolos et Apostolicos viros, qui fuerunt de genere Iudæorum, viderunt in medio nationum Domini operari virtutes, et Christi nomen in gentibus prædicare. Neque enim ante adventum Christi de hac gentium credulitate confessio accidit Israël, sed postquam Christus apparuit in carne, et prædicantibus Apostolis gentium multitudo in Dei filium credidit, tunc Israël confusus et obcæcatus obstupuit. Atque utinam ista confusio salutis vobis esset occasio, et non potiùs dolor, quo intra vosmetipsos frendetis, cum Christi regnum dilatari sic cernitis.

Isai. 29. 23.

De pœna.

16 Restat nunc ut dicamus de pœna, quæ post mortem et resurrectionem Christi accidit vobis pro eo quòd ipsum crucis patibulo affixistis. Sic enim ex hoc per Oseam Prophetam ipse Dominus clamat. *Væ*, inquit, *eis, quoniam recesserunt a me: vastabuntur, quia prævaricati sunt in me. Ego redemi eos, et ipsi loquuti sunt contra me mendacium.* Ubi postmodum sic subiungitur: *Abiecit eos Deus meus, quia non audierunt eum: et erunt vagi in nationibus.* Hoc quippè et Esaias manifestè exequitur. Postquam enim dixerat de Christo: *Tamquam ovis ad occisionem ductus est*, subiecit statim: *Propter scelus populi mei percussi eum, et dabo impios pro sepultura eius, et divites pro morte eius.* Hieremias quoque dicit: *Ascendite muros eius, et dissipate: auferte propagines eius, quia non sunt Domini. Prævaricatione enim prævaricata est in medio do-*

Oseæ 7. 13.

Ibid. 9. 17.

Isai. 53. 8. 9.

Hier. 5. 10. &c.

domus Iuda, ait Dominus: negaverunt me, et dixerunt: Non est ipse. Ecce, videte oris vestri blasphemiam, quàm longè sit ante prædicata. Hanc ipsam enim agitis causam, qua dicitis necdum adhuc venisse Christum, expectantes videlicet alium, utique Antichristum. Quod etiam et Psalmista ex persona Christi exequitur dicens: *Tu autem Domine miserere mei, et resuscita me, ut reddam illis.* Quis hoc iam neget, qui Iudæos post mortem resurrectionemque Christi de sedibus suis bellica strage et excidio funditùs eradicatos videt? Occisus enim ab eis, resurrexit in gloriam, et reddidit eis interim temporalem disciplinam.

Psalm. 40. 11.

De cessatione regni, sacerdotii, et sacrificii Iudæorum.

17 Sequitur post hæc ut dicamus de regno, sacerdotio, et sacrificio Iudæorum, quod liquidè tunc cessavit, cum Sanctus sanctorum Christus noster in mundo apparuit. Quæ licèt in Danielis prophetia evidentibus indiciis sint expressa, quæ suo erunt ordine collocanda, nec ista tamen prætermittenda sunt, quæ in præsentia occurrunt. Transeundum ergo est ad ipsam manifestationem temporum, qua sacrificium secundùm Aaron cessare oportuit, et sacrificium Christi secundùm ordinem Melchisedech incipere celebrari. De his enim diebus, de perdito scilicet regno et sacerdotio Iudæorum sic ab Osea Propheta prædicitur: *Diebus*, inquit, *multis sedebunt filii Israël sine rege, sine principe, sine sacrificio, sine altari, sine sacerdotio, sine manifestationibus.* Quod totum quis non videat eo modo, ut est a Propheta prædictum, ipsis quoque rerum effectibus iam in vobis esse completum? Quod etiam in libro Regum manifestè prophetatum colligitur. Sic enim scriptum est: *Venit vir Dei ad Heli, et ait ad eum: Ecce dies venient, et exterminabo semen tuum, et semen patris tui, et non erit tibi senior in domo mea omnibus diebus. Et virum exterminabo tibi ab altari meo, ut deficiant oculi eius, et defluat anima eius.* Ecce dies qui prænuntiati sunt, iam venerunt, nullusque sacerdos est secundùm ordinem Aaron. Et quicumque ex eius genere est homo, cum videt sacrificium Christianorum toto orbe pollere, sibi autem honorem illum magnum subtractum fuisse, deficiunt oculi tabe mœroris, et prælo amaritudinis. De hac igitur reprobatione veteris sacrificii Malachias quoque clarum indicium ostendens fidei Christianæ, et reprobationis vestræ, sic dicit: *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum; et munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum nomen meum in gentibus, dicit Dominus.* Iam ergò manifestum est, quòd ex tunc veteris sacrificii reprobatio facta fuerit, ex quò magnum nomen Christi in gentibus esse cœpit. Quæ omnia etiamsi surdis auribus et mentibus transeatis,

Oseæ 3. 4.

1. Reg. 2. 27. 31. &c.

Ex S. Aug. *lib. 17. de Civ. Dei, cap. 5.*

Malach. 1. 10. 11.

tis, res ipsæ præstò sunt; vestris quoque oculis, vobis etiam nolentibus ingeruntur, quæ vos docent pariter et convincunt, præteritum iam nos credere debere, quod futurum videmini sperare.

18 Restant nunc signa duorum Patriarcharum mystica in benedictionibus filiorum prolata, et finalis illa Danielis prophetia de finito hebdomadarum fine conclusa, quæ ita tempus nati-
Dan. 9. vitatis Christi transactum esse insinuant, ut in nullo eis contraire possit humana astutia. Iam ergo si carnem Christi in Abrahæ semine quærimus, benedictiones ipsas mysticas in eius semine requiramus. Isaac enim filius Abrahæ Iacob filium benedicens,
Gen. 27. 28. 29. ait: *Det tibi de rore cæli, et de pinguedine terræ multitudinem frumenti et vini. Et serviant tibi gentes, et adorent te principes, et esto dominus fratris tui, adorabunt te filii patris tui.* Benedictio ista Iacob prædicatio Christi est: in omnibus gentibus hoc fit, hoc agitur. Ei enim serviunt gentes, ipsum adorant reges: ipsum quippè adorant filii patris eius, hoc est, filii Abraham secundùm fidem, quia et ipse Christus filius est Abrahæ secundùm carnem. Ecce benedictus Iacob benedictione hac mystica patris sui, ipse quoque natum de se Iudam filium benedixit, de cuius tribu secundùm carnem Christus de-
Gen. 49. 8. &c. scendit ex semine David. *Iuda,* inquit, *te laudabunt fratres tui: manus tuæ super dorsa inimicorum tuorum: adorabunt te filii patris tui. Catulus leonis Iuda, de germinatione filius meus, ascendisti recumbens, dormisti ut leo, et ut catulus leonis: quis suscitabit eum? Non deerit Princeps ex Iuda, et Dux de femoribus eius, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit expectatio gentium. Alligans ad vineam pullum suum, et cilicio pullum asinæ. Lavabit in vino stolam suam, et in sanguine uvæ amictum suum.* Hæc omnia diiudicate et advertite, si non in Christo iam evidentissima luce completa sunt. Si non laudent eum fratres eius Apostoli, et omnes coheredes eius, non suam gloriam quærentes, sed ipsius. Si non sunt manus eius super dorsa inimicorum suorum; si non deprimuntur atque curvantur ad terram, crescentibus populis christianis, quicumque illi adhuc adversantur: quod hucusque nunc agitur. Si non eum adoraverunt filii Iacob in reliquiis, quæ per electionem gratiæ factæ sunt: si non ipse est catulus leonis, qui nascendo parvulus factus est: si non ascendit in crucem recumbens, cum inclinato capite reddidit spiritum. Si non dormivit ut leo, quia in ipsa morte non est victus, sed vicit. Si non ille eum suscitavit a mortuis, quem nemo hominum vidit, nec videre potest. In eo enim quod dictum est, *quis suscitavit eum?* satis expressa est tamquam ignoti significatio.

Ex eod. Aug. *lib.* 12. *contra Faust. cap.* 42

Ioan. 1. 18.

1. Tim. 6. 16.

19 Hæc omnia si dicatis quòd futuris adhuc temporibus fient, et necdum facta sint, vi-

Aug. *lib.* 16. *de Civ. Dei, cap.* 37.

de-

dete quomodo subsequens sermo propheticus omnem hanc erroneam suspicionem vestram dissolvat, atque mendacem convincat. Sequitur enim: *Non deficiet Princeps de Iuda, nec Dux de femoribus eius, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit expectatio gentium.* Hæc omnia de quo deberent tempore accipi, specialiter propheticus sermo descripsit, prævidens, credo, in spiritu Patriarcha ille has erroris vestri nebulas et propositiones ineptas, quibus dicere possetis, sicut et dicitis, quia adhuc sperandus nobis est Christus, et non est adhuc, qui erit expectatio gentium, natus: ideo speciale ob hoc et evidens tempus prædixit, quo eum oporteret nasci, id est, ut quando defecisset Princeps de Iuda, tunc agnosceretur Christi nativitas gloriosa. Sic enim dicit: *Non deficiet Princeps de Iuda, nec Dux de femoribus eius, donec veniat, qui mittendus est, et ipse erit expectatio gentium.* Christus tunc iam venit, quando Dux et Princeps de Iuda defecit. Recurrite ergo ad fideles vestras historias, et probabitis numquam illi populo Ducem aut Principem de Iuda defuisse, donec perveniretur ad alienigenam Regem, cuius tempore natus est Christus ex Virgine.

20 Sed ne fortè fabulosè et non veraciter ista prosequi videar, etiam Duces ipsos ac Principes per ordinem digeram, ut liquidò clareat, utrum a femoribus Iudæ usquam generationis eius successio claudicaverit; an aliquando offenderit in Principum serie, antequam tempus nativitatis Dominicæ adveniret. Etenim ut retroacta præteream, ex illo tantùm tempore hos ipsos computare incipiam, ex quo a Cyri tempore reversus populus in Iudæam templum ædificare cœpit, usque ad nativitatem Christi. Hoc enim ordine Eusebius eos huic populo præfuisse præscribit: " Primus, inquit, post „ Danielis prophetiam, postquam „ de Babylone reversus est po„ pulus, præfuit Iesus filius Io„ sedech, et Zorobabel filius Sa„ lathiel. Post quos Ioachin filius „ Iesu in pontificatu successit, „ cui Heli, huic Ioiada, deinde „ Ioannes, postea Iadus, post „ quem Aonias. Deinde præfuit „ Iudæis pontifex Eleazarus, post „ quem alter Aonias, deinde Sy„ mon, cui successit in pontificatu „ Aonias: deinde Iudas Macha„ bæus, cui successit frater Io„ nathan, post quem Symon fra„ ter utriusque successit, deinde „ Ioannes, post quem Aristobu„ lus. Huic successit Alexander, „ qui rex pariter et pontifex fuit. „ Post hunc Alexandra uxor eius „ cum filiis Hircano et Aristo„ bulo præfuit populo, quo tem„ pore Herodes patris Antipatris „ Ascalonitæ, et matris Cypri„ dis Arabicæ filius, interfecto „ Hircano, regnum Iudæorum „ senatuconsulto accepit, et pri„ mus ipse alienigena Iudæis præ„ fuit, in cuius tempore Christus „ in Iudæa natus agnoscitur, quan„ do et hæc ipsa eius gloriosa „ nativitas pastoribus Hebræo„ rum voce Angelica indicatur."

Iudæorum Principes a transmigratione Babylonis.

De Demonstratione Evang. lib. 8. demonstr. 2.

21 Ecce iam prophetiam Iacob impletam esse prænoscitis, et quid in tanta manifestatione rerum respondeatis invenire penitus non potestis. An fortè adhuc in impudicæ frontis pertinacia perdurantes, illud obiicitis, quod parentes vestri solent mentientes proponere, esse hodie nescio quem Regem ex genere Iudæ, qui in extremis Orientis partibus videatur regnum tenere? Nec attendunt mente cæcati, simulationis suæ mendacium in hoc quàm maximè detegi, quia iam sicut nullum altare, nullum sacrificium, ita nullus pontifex, nullus sacerdos remansit Iudæis. Neque enim mendax esse potest Oseas Propheta qui dicit: *Sedebunt filii Israël sine Rege, sine Principe, sine sacrificio, sine altari, sine sacerdotio, sine manifestationibus.* Quæ omnia quis non videat nunc in vobis esse completa? Iam verò si in Daniele propheta locum illum inspiciatis, quem commemoravit Dominus per Angelum suum, dicens: *Cum videris abominationem vastationis stantem in loco sancto, qui legit intelligat.* Et ideo si supputatis etiam hebdomadarum temporibus ille numerus pertractetur, non solùm Christus, sed etiam tempus reperietur, quo eum oportuit venire ad passionem: quamquam et sine computatione annorum manifestis rerum effectibus declaretur. Etenim ut de numero ipso hebdomadarum modò interim taceam, priùs per revelationes Regum secundùm ipsius Danielis prophetiam adventum nativitatis Christi convincam. Dissolvens enim somnium quod Rex Nabucodonosor viderat de statua illa, sic ait: *Caput aureum tu es Rex*, per quod ostenditur regnum primum Babylonium auro pretiosissimo comparatum. *Et post hæc consurget regnum aliud minus te*, Medorum videlicet et Persarum, quod argenti habet similitudinem. *Et regnum tertium aliud æneum, quod imperavit universæ terræ*, Alexandrum significat, et regnum Macedonum, successorumque Alexandri. Regnum autem quartum, quod perspicuè pertinet ad Romanos, ferreum est, quod comminuit, et domat omnia; sed pedes eius et digiti ex parte ferrei, ex parte sunt fictiles; quod hoc tempore manifestissimè comprobatur. Sicut enim in principio nihil Romano imperio fortius et durius fuit, ita in fine rerum nihil imbecillius, quando et in bellis civilibus, et adversùs diversas nationes aliarum gentium barbarorumque videtur indigere auxilio. Videte iam quid Propheta iste dicat: *In fine autem horum omnium regnorum*, auri, argenti, æris, et ferri, *suscitabit*, inquit, *Deus cæli regnum, quod in æternum non dissipabitur, et regnum eius populo alteri non tradetur. Comminuet et consumet universa regna hæc, et ipsum stabit in æternum:* Christi utique regnum, quod Octaviani Imperatoris tempore mundo est declaratum, et sine fine utique erit æternum.

Oseæ 3. 4.

Dan. 9. 27.

Ibid. 2. 38. 39. &c.

22 Quod tamen ne cui dubium

bium videatur, etiam numero annorum per septuaginta hebdomadas supputatio exprimitur. Sed iam videte, quia numerus ipse in annis hebdomadarum, quem Daniel intellexit usque ad Christum, non de principio mundi assumitur, sed a tempore suo usque ad Christi nativitatem porrigitur; quod frustrà utique diceretur, si iam alicubi in Scripturis fuisset antè prædictum, scilicet, ut supputatis ab initio mundi usque ad Christum evidens nativitatis eius notio proderetur. Quid enim necessarium esset, ut futura usque ad Christum tempora supputatis annis prophetia Danielis exprimeret, si hoc evidens locus Scripturæ, sumptis a principio mundi annorum supputationibus, aperiret? Dicite ergo mihi cur retroacta tempora annorum calculationibus non quæsita sunt, quando hæc et Angelus futura prædixit, et Daniel evidentissimè intellexit? Videte iam et advertite, quia unum idemque tempus de Christi nativitate verissimis indiciis, quod Iacob Patriarcha per successiones Ducum et Principum de femoribus Iudæ prædixit, hoc etiam Daniel propheta evidentissimis annorum supputationibus approbavit. Et usque eo ubi Iacob de Christo prophetiam extendit, usque eo Daniel et prophetiam et numerum declaravit. Tanta enim evidentia Iacob Patriarchæ benedictio illa prophetica cum hac annorum supputatione in Daniele concordat, ut etiam cum ipsis historiis gentium nullam habeant dissonantiam; tantùm ut diligenter quisque attendat, quis cùi inter Patriarchas et Reges sæculi coævus appareat.

23 Nam manifestus est Nini ætate Abraham generatum. Quando enim Ninus super Asiria regnans quadragesimum tertium sui imperii habebat annum, tunc Abraham natus ostenditur. Similiter Iacob Innachi fuisse temporibus invenitur, quem primum Argis regnasse aiunt. Moses autem quia auctor huius prophetiæ ostenditur, qua dixisse Iacob refert: *Non deficiet Princeps de Iuda:* hic, inquam, Moses cum Cecrope coævus per omnia legitur, qui primus Rex fuit Atheniensium. Sic ergo inter codices Septuaginta interpretum, et historias gentium concors numerus reperietur annorum. Ac per hoc Septuaginta interpretes cum historiis gentium concordantes, unum eumdemque ostendunt temporis finem, eumque usque ad Herodem in veritate annorum limitem retinent, quem et Iacob prophetia sua signavit, et Daniel revelato sibi mysterio hebdomadarum expressit. Ergo anni illi, quos a principio mundi pro hac nativitate Christi ex codicibus Hebræorum libandos esse putatis, respuendi sunt, et necessarii non sunt, quos Iacob tacuit, quos Angelus non prædixit, quos Danieli ipsi supputare non placuit, et hi soli computandi sunt anni, quos sub septuaginta hebdomadarum præmissione Angelus docuit. Sic enim Angelus ait: *Adverte sermonem, et intellige visionem. Septuaginta hebdomadæ abbreviatæ sunt su-*

Abraham qua ætate vixit.

Gen. 49. 10.

Qua Moyses.

Dan. 9. 23. 24.

per populum tuum, et super urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur iustitia sempiterna, et impleatur visio et prophetia, et ungatur Sanctus Sanctorum.

24 Quomodo autem numerus ipse annorum septuaginta hebdomadarum prophetiæ illi, quæ a Iacob de Christo prædicta est, concordare videatur, sic Eusebius in Chronicorum libro exequitur, computare incipiens easdem hebdomadas a sexagesima quinta usque in centesimam octuagesimam sextam Olympiadem, id est, ab instauratione Templi, sive Darii tempore, usque ad obitum Hircani Pontificis, in quo sacerdotium de femoribus Iudæ defecit, succedente Herode rege alienigena, in cuius tempore Christus natus est in Iudæa. Sic enim idem historiographus, transactis annis Hircani Pontificis prosequitur, dicens: " Herodis Antipatris Ascalonitæ et matris Cypridis Arabicæ filius a Romanis Iudæorum suscepit principatum, cuius tempore Christi nativitate vicina, regnum et sacerdotium Iudæ, quod priùs per successiones maiorum tenebatur, destructum est, completa prophetia quæ ita per Mosen loquitur: *Non deficiet Princeps ex Iuda, neque Dux de femoribus eius, donec veniat cui repositum est, et ipse erit expectatio gentium.* In hoc loco etiam Christus, quem Danielis scriptura præfatur, accipit finem. Nam usque ad Herodem Christi, id est Sacerdotes erant Reges Iudæorum, qui imperare cœperunt a sexagesima quinta Olympiade, et ab instauratione templi sub Dario usque ad Hircanum, et centesimam octuagesimam sextam Olympiadem, annis quadringentis octuaginta tribus in medio transactis, quos Daniel quoque significat, dicens: *Et scies, et intelliges: ab initio sermonis respondendi et ædificandi Hierusalem usque ad Christi principatum hebdomadas septem, et hebdomadas sexaginta duas.* Quæ sexaginta novem hebdomadæ faciunt annos quadringentos octuaginta tres, in quibus Christi, id est, Sacerdotes per unctionem consecrati regnaverunt, usque ad Hircanum, quo extremo omnium a Parthis capto Herodes Antipatris filius, nihil ad se pertinentem Iudæam ab Augusto et Senatu accepit, filii- que eius post eum regnaverunt usque ad novissimam Hierosolymorum captivitatem, nequaquam ex successione sacerdotalis generis Pontificibus constitutis."

Imò *de Demonstr. Evang. ubi sup.*

Gen. 49. 10.

Dan. 9. 25.

25 Hæc, inquam, proinde hìc ad verbum posuimus, ut prophetiam illam Iacob, et hebdomadarum illum in Daniele numerum concordasse in omnibus probaremus. Eumdem enim finem temporum usque ad Christum Iacob Patriarcha signavit, quem prophetia Danielis in annorum supputatione expressit. Nec enim moveat unumquemque, quòd septuagesima hebdoma-

mada cum sexaginta et novem hebdomadibus non connumeretur, cum infra eam prædictæ rei veritas completa monstretur. Iam verò hebdomada una in sacris litteris pro septem annis accipitur, dicente Domino ad Mosen:

Supputatio 70. hebdomadarum Danielis.

Deut. 16. 9. *Numerabis septem hebdomadas annorum*, id est, septies septeni, qui sunt anni quadraginta novem. Ergo septuaginta hebdomadæ 490. annos efficiunt: septuagies enim septeni 490. sunt anni. Quas septuaginta hebdomadas aliqui a vigesimo anno regni Artaxerxis, quando erat octuagesimæ et tertiæ Olympiadis annus quartus, computare incipiunt, et usque ad ducentesimam secundam Olympiadem, et secundum eiusdem Olympiadis annum, Tiberiique Cæsaris annum decimumoctavum, supradictarum hebdomadarum numerum extendunt, volentes infra earumdem hebdomadarum numerum et natum Christum ostendere, et passum in fine septuagesimæ hebdomadis approbare, sicut Africanus scriptor nobilissimus temporum refert.

Euseb. *ubi sup.*

26 Alii autem a primo Darii anno, quando et Daniel hanc visionem vidit, usque ad adventum Christi evolutas fuisse hebdomadas sexaginta duas et dimidiam docuerunt, pro eo quòd et in ipsa prophetia Danielis sic subdivisæ monstrantur. Reliquas autem septem hebdomadas et dimidiam in passione Christi, et expugnatione Iudæorum, qua per Vespasianum devicti sunt, completas esse definiunt: alium utpote ordinem regum et supputationem sequentes annorum, quàm quòd illi, quos præmissimus, tenuerunt. Sicut Tertullianus in libro quem contra Iudæos scripsit, præloquitur, cuius iam breviter verba ponenda sunt. Sic enim ait: „ Unde igitur ostendimus, quia Christus venit intra sexaginta duas et dimidiam hebdomadas? Numeremus a primo anno Darii, quoniam in ipso tempore ostenditur Danieli visio, quæ dicit ei: *Intellige prophetationes sermonis huius.* Unde a primo anno Darii debemus computare, quando hanc vidit visionem Daniel. Videamus ergo quomodo anni impleantur usque ad adventum Christi. Darius regnavit annis undeviginti, Artaxerxes quadraginta. Ocus qui et Cyrus vigintiquatuor. Argus annum unum. Alius Darius, qui et Melas nominatus est, annis vigintiuno. Alexander Macedo annis decem. Post Alexandrum qui in Medis et Persis regnaverat, quos evicerat, et in Alexandria regnum suum firmaverat, quando et nomine suo eam appellavit. Post eum regnat illic in Alexandria Soter annis triginta quinque. Cui successit Philadelphus, regnans annos triginta novem. Post hunc Esethehac regnavit annis viginti quinque. Deinde Philopater annis viginti quatuor. Item alius Esethehac annis viginti septem. Soter annis triginta octo. Ptolemæus annis triginta septem. Cleopatra annis viginti, mensibus quinque. Item Cleopatra con-

Tertul. *contr. Iud. fol.* 46. *edit. Paris.* 1545.

Dan. 9. 25.

Reges a Dario ad Christum.

Alexandria ab Alexandro dicta.

„ conregnavit Augusto tredecim.
„ Post Cleopatram Augustus alios
Anni imperii Augusti. „ annos quadraginta tres impe-
„ ravit. Nam omnes anni impe-
„ rii Augusti fuerunt numero
„ quinquaginta quinque. Vide-
„ mus autem, quoniam in qua-
„ dragesimo et primo anno im-
„ perii Augusti, qui post mor-
„ tem Cleopatræ imperavit,
„ nascitur Christus. Et super-
„ vixit idem Augustus, ex
„ quò natus est Christus, annis
„ numero quindecim. Et erunt
„ reliqua tempora annorum in
„ die nativitatis Christi, in an-
„ num quadragesimum primum,
„ post mortem Cleopatræ anni
„ quadringenti triginta septem,
„ menses decem, unde adim-
„ plentur sexaginta duæ hebdo-
437. anni in die nativitatis Christi. „ madæ et dimidia, quæ effi-
„ ciunt quadringentos triginta
„ septem, et menses sex, in diem
„ nativitatis Christi, et manife-
Dan. 9. 24. „ stata est iustitia æterna, et un-
„ ctus est Sanctus Sanctorum,
„ id est Christus, et signata est
„ visio et prophetia, et dimissa
„ sunt peccata, quæ per fidem
„ nominis Domini nostri Iesu
„ Christi omnibus in eum cre-
„ dentibus remittuntur. Quid est
„ autem quod dicit, signari vi-
„ sum et prophetiam? Quoniam
„ omnes Prophetæ nuntiabant de
„ ipso, quòd esset venturus, et
„ pati haberet. Igitur quoniam
„ adimpleta est prophetia per
„ adventum eius, propterea si-
„ gnari visionem et prophetiam
„ dicebat: quoniam ipse est si-
„ gnaculum omnium Propheta-
„ rum, adimplens omnia quæ
„ retrò de eo Prophetæ nuntia-
„ bant. Post adventum enim et
„ passionem eius iam non visio
„ neque Prophetes est, qui Chri-
„ stum nuntiet esse venturum.
Et post paululum, " Videamus,
„ inquit, aliæ septem et dimi-
„ dia hebdomadæ, quæ sunt sub-
„ divisæ in abscisione priorum
„ hebdomadarum, in quo actu
„ sunt adimpletæ. Post Augustum
„ enim qui supervixit post nati-
„ vitatem Christi annis quinde-
„ cim, cui successit Tiberius
„ Cæsar, et imperium habuit an-
„ nis viginti duobus, menses
„ septem, dies viginti octo, hu-
„ ius quinto decimo anno impe-
„ rii patitur Christus. Item Ca-
„ ius Cæsar, qui et Caligula,
„ annis tribus, menses octo,
„ dies tredecim. Nero annis no-
„ vem, diebus tredecim. Gal-
„ ba menses septem, diebus
„ viginti et octo. Vespasianus
„ anno primo imperii sui debel-
„ lavit Iudæos, et fiunt anni nu-
„ mero quinquaginta duo, men-
„ ses sex. Nam imperavit annis
„ undecim. Atque ita in die suæ
„ expugnationis Iudæi impleve-
„ runt hebdomades septuaginta
„ prædictas a Daniele."

27 Attendite ergò iam studiosiùs, et videte, quia si has septuaginta hebdomadas secundùm Eusebium a sexagesima quinta usque in centesimam octuagesimam sextam Olympiadem computare volueritis, post quadringentos et octoginta tres annos reperietis sacerdotium de stirpe Iuda, Hircano moriente, cessasse, et Herodem Regem alienigenam successisse, cuius tempore natus est Christus Domi-

minus noster. Si autem secundùm Tertullianum has ipsas hebdomadas supputare velitis, in earum evolutione et nativitatem, et passionem Christi, excidiumque Hierosolymorum, sicut a Propheta prædictum est, completum fuisse videbitis. Etenim quando Angelus numerum istum hebdomadarum Danieli prædixit, tunc etiam et ungi Sanctum Sanctorum edocuit, et mortem ipsam Christi significavit, excidiumque gentis Iudææ non tacuit. Sic enim Danieli Angelus dixit: *Daniel, nunc egressus sum, ut docerem te, et intelligeres. Ab exordio precum tuarum egressus est sermo: ego autem veni, ut indicarem tibi, quia vir desideriorum es. Tu ergo animadverte sermonem, et intellige visionem. Septuaginta hebdomadæ abbreviatæ sunt super populum tuum, et urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur iustitia sempiterna, et impleatur visio et prophetia, et ungatur Sanctus Sanctorum. Scito ergo et animadverte: ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Hierusalem, usque ad Christum ducem, hebdomadæ septem et sexaginta duæ erunt. Et rursum ædificabitur platea, et muri in angustia temporum. Et post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus: et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, et finis eius vastitas, et post finem belli statuta desolatio.* Ecce Angelus iste postquàm occisionem Christi prædixit, sic subsequenda hæc omnia nuntiavit. Numquid ista omnia post mortem Salvatoris civitati illi et civibus acciderunt? Nam postquàm clamaverunt adversùs filium Dei, ut occideretur, successit illis post aliquod tempus vindicta a Domino. Venit enim exercitus Romanus cum duce Vespasiano, et debellata est civitas, expugnati Iudæi, multaque millia interfecti, nullusque illuc modo permittitur accedere Iudæorum, ubi Christum crucifigendum acclamaverunt. Manifestum est, inquam, propter Christum Iudæis ista accidisse, conspirante sensu Scripturarum cum exitu rerum, et ordine temporum. Aut si nondum venit Christus, propter quem hæc passuri prædicabantur? Quum venerit ergo patientur? Et ubi nunc filia Sion relinquenda, quæ nulla est hodie? Ubi civitates exurendæ, quæ in tumulis? Ubi dispersio gentis, quæ iam extoris? Redde statum Iudææ quem Christus inveniat, et alium contende venisse. Aut si mentior, dicite, Ubi regnum vestrum? ubi templum? ubi sacerdotium? ubi sacrarium? ubi conventio Prophetarum? Nempe hæc omnia funditus defecerunt, in eo quòd hostia cessavit, quòd sacerdos intercidit, quòd unctio pristina defecit. Si ergo cessantibus his omnibus unctio ipsa cessavit, unde ungetur Christus vester quum venerit? Lex enim præcepit in captivitate non licere unctionem regalis chrismatis confici. Unde ergò ungetur, qui

Dan. 9. 22. &c.

Iudaicæ expugnationis ratio.

Isai. 1. 8.

Alius Christus expectari non potest.

qui nascetur in Bethlehem, aut quomodo procedit de Bethlehem, quum de semine Israël nullus omnino sit in Bethlehem? Videmus enim neminem de genere Israël in civitate Bethlehem remansisse, ex quo interdictum est, ne in confinio ipsius regionis remoraretur quisquam Iudæorum, ut et quod esset per Prophetam dictum, impleretur: *Terra vestra deserta, civitates vestræ ustæ igne* (quod belli tempore eis evenit): *regionem vestram in conspectu vestro alieni comedent.*

Isai. 1. 7.

Hæc ex Aug. *serm. 2. in Psalm. 88. n. 7.*

28 Quid iam ad hæc respondetis insani, et occulta Dei iustitia excæcati? Ubi est terra illa promissionis, in qua habitantes peccastis, qua deleta migrastis? Regnum Iudæorum quæris? Non est. Sacrificium Iudæorum quæris? Non est. Sacerdotium Iudæorum quæris? Non est. Quæ omnia Daniel cessatura prædixit, quando ungi Sanctum Sanctorum liquidè prophetavit. Quia igitur hæc omnia iam nunc in vobis impleta esse videtis, manifestis vocis indiciis de futura Christi nativitate mendaces vos ostenditis. Ecce iam convicti estis perpaucis quidem testimoniis prælibatis, sed fortissimis et præclaris. Sunt siquidem et alia multa in divinis libris expressa, quæ a me nec omnia commemorari possunt, quia nimium est, nec multa, quia longum est. Perparva quidem collegimus tantùm, ut viam huius intelligentiæ panderemus. Et tamen in his quæ dicta sunt, sive quæ adhuc dici de divinis voluminibus possunt, nusquam reperietur alicubi esse prædictum, ut initio mundi, in adhibita supputatione annorum tempus incarnationis Dominicæ dignoscatur. Tali igitur proinde rationis obiectu brevitas illa annorum quæ ex codicibus Hebræis obiicitur, pro dignoscenda huius sacramenti regula contemnetur. Iam ergo ad novi Testamenti idoneos testes et ministros verbi transitum facientes, debito hunc librum fine claudamus.

Dan. 9. 24.

DE COMPROBATIONE SEXTÆ ÆTATIS.

LIBER II.

Prolatis præmissisque Patriarchis et Prophetis, quibus prædicantibus didicimus eo Christum tempore natum, quo et ab illis expressus est nasciturus, et a nobis nunc creditur natus; ipsa nunc novi Testamenti tempora prosequar, et quomodo nuntiante Angelo cœperint, curiosiùs inquiram. Et certè sacramentum illud septuaginta hebdomadarum de Christi nativitate Daniel per Angelum didicit. Similiter et Zacharias apparenti sibi Angelo Ioannem filium de se generandum audivit. Et Maria Angelo si-

Dan. 9. 21. &c.

Luc. 1. 11. &c.

sibi prædicenti Christum ex se nascendum, et credidit et assensit. Hæc tria per Angelum dicta et completa videmus. Iam ergò sollicitè intuendum est, utrum Angelus iste, qui Zachariæ et Mariæ apparuit, ipsi quoque Danieli illa prædixerit. Equidem ipse Daniel in prophetiæ suæ volumine, quando illa sacramenta hebdomadarum de Christi nativitate per Angelum futura cognovit, sic ipsius Angeli nomen evidenter expressit. Dicit enim: *Ecce vir Gabriel, quem videram in principio, citò volans, tetigit me, et dixit: Daniel animadverte sermonem*, et reliqua quæ ibi commemorantur. Item his temporibus secundùm Evangelium Angeli ipsius nomen mirificum sic invenitur expressum. Dixit enim idem Angelus Zachariæ: *Ego sum Gabriel, qui adsto ante Deum, et missus sum loqui ad te, et hæc tibi evangelizare.* Quod etiam de beatæ Mariæ Virginis partu sic in eodem Evangelio legitur: *Missus est*, inquit, *Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen Ioseph, et nomen virginis Maria.*

Dan. ubi sup.

Luc. ubi sup. v. 19.

v. 26.

2 Iam ergò manifestum est, quòd unus idemque Angelus Gabriel fuerit, qui et præfixa illa tempora Danieli de Christi nativitate aperuit, et partum Virginis præsentem esse monstravit. Ad tempus itaque præfinitum occurrit, et olim a se dicta operis efficientia completa esse convincit: et illic fidelis in prophetia hebdomadarum, et hìc fidelis per mysterium revelatum. Numquid aliud annorum illa supputatione prædixit, aliud hìc probare voluit in Maria? Nihil ergò dubitationis, nihil erroris relinquere voluit, qui et illa tunc quum adhuc non essent, futura prædixit, et hæc postea, ne illa non crederentur, manifesta monstravit. Sequamur ergo evangelizantis huius Angeli vocem, et sicut eam, quum in prophetia loqueretur, probavimus fuisse veridicam, sic hìc, quum in Evangeliis loquitur, cognoscamus esse completam. Ait enim Mariæ Angelus iste: *Ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen eius Iesum. Hic erit magnus, et filius Altissimi vocabitur. Et dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius, et regnavit in domo Iacob in æternum, et regni eius non erit finis.* Ubi post aliqua sequitur: *Factum est quum impleti essent dies ut pareret, et peperit filium suum unigenitum, et pannis eum involvit, et reclinavit eum in præsepio, quia non erat eis locus in diversorio. Et pastores erant in regione eadem, et ecce Angelus Domini stetit iuxta illos, et dixit illis: Ecce, evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David. Et hoc vobis signum: Invenietis infantem pannis involutum, et positum in præsepio.* Ubi post aliqua adhuc dicit: *Venerunt pastores festi-*

v. 31. &c.

Luc. 2. 6. &c.

nantes, et invenerunt Mariam, et Ioseph, et infantem positum in præsepio. Unde et nato iam Iesu in Bethlehem Iudæ, iuxta
Matth. 2. 1. &c. quod Evangelium refert, *Ecce Magi ab Oriente venerunt Hierosolymam, dicentes: Ubi est qui natus est Rex Iudæorum? Vidimus enim stellam eius in Oriente, et venimus adorare eum. Audiens autem Herodes Rex turbatus est, et omnis Hierosolyma cum illo. Et congregans omnes principes Sacerdotum, et Scribas populi, sciscitabatur ab eis, ubi Christus nasceretur. At illi dixerunt: In Bethlehem Iudææ.* (1) *Sic enim scriptum est per Prophetam: Et tu Bethlehem in terra Iuda, nequaquam minima es in Principibus Iudæ, ex te enim exibit Dux, qui regat populum meum Israël.*

3 Hìc iam mihi respondeant volo, qui tantæ dispensationis ingrati sunt sacramento, ad tantam perquisitionis diligentiam, qua Herodes Sacerdotum Principes de Christi nativitate interrogat, atque in tanto Regis metu, et in tanta cura respondentium Scribarum, quomodo non potuit eo tunc tempore hæc quæstio de hac annorum contrarietate per codices Hebræorum aut libata monstrari, aut monstrata evidentia obiici, quo seipsos possent cum rege suo territo consolari? Sic enim scriptum est: *Turbatus est Herodes, et omnis Hierosolyma cum illo.* Et certè Rex iste, licèt prophanus, promissum Christum in libris Hebræorum audierat; ideo ne Christo veniente, regnum perderet, metuebat. Si enim Christum prophetatum in illorum litteris non audisset, nequaquam a Principibus et Scribis, ubi nasceretur, exquireret. Turbatus est autem non solùm Rex ipse, sed et omnis Hierosolyma cum illo. Omnis scilicet conventus docentium, omnia subsellia Iudæorum. Unde et a rege sollicitè perquisiti propheticum indicem protulerunt, quòd in Bethlehem Iudææ Christus Dei filius nasceretur. Turbato enim rege et perterrito, poterat de hac annorum supputatione ex codicibus suis tale aliquid demonstrare, unde Christum nasci tunc adhuc non oportere manifesta annorum supputatione ostenderent, si hoc pro certo in divinis paginis lectitassent. Sed quod in lege et in Prophetis non erat insertum, nec ab illis est dictum: nam qui locum ubi nasceretur, indice Scriptura ostenderunt, poterant similiter et quando nasceretur, id est, adhuc eum sperari debere futurum, legitima ostendere supputatione annorum. Ecce veritas responsionis eorum non personaliter creditur, sed legaliter comprobatur. Hoc enim quod scriptum noverant, veraciter protulerunt. Nil de hac annorum supputatione adhibitum, quòd ex libris suis nato Chri-

(1) Credimus cum B. Hieronymo lib. 1. Comment. in cap. 2. Matthæi, *Iudææ* pro *Iudæ* librariorum errorem esse: sed cum et ille eam lectionem servarit, et MSS. quos citat Petrus Sabbatier, eam quoque retinuerint, non dubitavimus collectores sequi Bibliothecæ Patrum, licèt alii editores Iuliani *Iudæ* reposuerint.

Christo diceretur contrarium. Nam et in reliquo tempore Iudæis ipsis volentibus scire, utrum ipse esset Christus, in omnibus eorum interrogationibus, et responsionibus Christi nusquam hæc annorum obiectio aut ab illis obiecta, aut a Domino terminata est. Denique sic de his in Evangelio legitur: *Ambulabat Iesus in templum, in porticum Salomonis. Circumdederunt ergo eum Iudæi, et dicebant ei: Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam.* Similiter et Princeps Sacerdotum dixisse Domino legitur: *Adiuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus filius Dei.* Quamquàm et a Ioanne quærunt, utrum ipse Christus: et de eis Evangelium dicat, quòd *alii dicebant, Hic est Christus. Quidam autem dicebant: Numquid a Galilæa Christus venit? Nonne Scriptura dicit, Quia ex semine David, et Bethlehem castello, ubi erat David, Christus venit? Dissensio itaque facta est in turba propter eum.* Numquid in hac tam multiplici dissensione Iudaica si aliquid eos supputatio annorum secundùm codices suos iuvisset, non ex hoc audaciùs resultarent, et certis locis Scripturarum illo tunc tempore non debere Christum nasci, sed adhuc sperandum eum oportere ex ipsa evidenti annorum supputatione convincerent? Sed ecce, nec disputatio sive dissensio Iudæorum opinione aliqua annorum perstringitur, nec manifestatio Christi huiusmodi calculationibus declaratur.

Ioan. 10. 23. 24.

Matth. 26. 63.

Ioan. 1. 19. &c.

Ibid. 7. 41. &c.

4 Iam ergo videndum est, quid talibus fuerit a Christo responsum. *Loquor*, inquit, *et non creditis. Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me.* Alio quoque loco sic eis respondit: *Vos misistis ad Ioannem, et testimonium perhibuit veritati. Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere, et illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me: et non vultis venire ad me, ut vitam habeatis. Ego veni in nomine Patris mei, et non accipitis me: si alius venerit in nomine suo, illum accipietis. Nolite putare, quia ego accusaturus sim vos apud Patrem: est qui vos accuset Moses, in quo vos speratis. Si enim crederetis Mosi, crederetis forsitan et mihi: de me enim ille scripsit. Si autem illius litteris non creditis, quomodo verbis meis credetis?* De his etiam alio loco dicit: *Si non venissem, et locutus eis fuissem, peccatum non haberent. Nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Hæc siquidem Domini verba sunt. Post hæc duos iam illos post resurrectionem suam discipulos euntes in castellum quod vocatur Emaus, quum de resurrectione sua dubitantes et colloquentes aspiceret, unde eos instruxerit, unde eos in fide sua firmaverit, audiamus. Sic enim eis locutus est: *O stulti et tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt Prophetæ! Nonne hæc opor-*

Ibid. 10. 15.

Ibid. 5. 33. 39. &c

Ibid. 15. 22.

Luc. 24. 25. &c.

oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam? Et incipiens a Mose, et omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de illo erant. Ecce quomodo se ipse Christus manifestavit ignorantibus, non supputatione a principio mundi annosa, sed testimoniorum veritate conspicua. Ceterum hunc verè Dei filium et multiplices dæmonum legiones confessæ, et elementa ipsa testantia prodiderunt, et resuscitata a mortuis corpora protestata sunt. Si ergo non vis, o Iudæe, de Christo Angelis credere, crede dæmonibus, crede nuntiantibus cælis, patefactis sepulchris, resurgentibus mortuis. Filium enim Dei esse eum, Angelus docuit, et stella ostendit, et Magorum adoratio prodidit, et vox de nube tonans patefecit, et columba monstravit, et Ioannes agnovit.

5 Iam ergo quale Ioannes hic testimonium perhibuerit Christo, diligenter audite, et videte. Ab hinc tamen nubem testium, tantamque numerositatem fidelium adventu præteritæ nativitatis Christi, utrum calculationibus totius sæculi evolutis discendum esse probaverint, an fidei veritate et ipsi cognoverint, et aliis dignoscendum tradiderint? Primus ergo Ioannes iste, vulvâ matris sterilis genitus, novæ vitæ prædicator egregius, fide Christum agnitum credidit, non supputatis annis explorare tentavit. Agnovit enim Christum, et manifestatione prophetica, et corporis veritate monstrata. Ipsis etenim signis Christum agnovit, quibus eum prophetatum Esaiæ vaticiniis didicit. Sic quippe idem Esaias ex persona Dei Patris dicit: *Ecce servus meus, suscipiam eum: dilectus meus, complacuit sibi in illo anima mea. Dedi spiritum meum super eum, iudicium gentibus profert.* In his duabus sententiis Esaiæ, quibus Pater filium et electum et complacentem sibi appellat, necnon quòd spiritum suum daturum se ei pronuntiat, Ioannes hic in baptismo iam ipso Domino ea impleta sic narrat. *Vidi,* inquit, *Spiritum descendentem quasi columbam de cælo, et mansit super eum. Et qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris spiritum descendentem, et manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto. Et ego vidi, et testimonium perhibui, quia hic est Filius Dei.* Nam et baptizato iam Domino, vox de cælo facta est, dicens: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Quod enim Esaias dixit ex voce Patris: *Dedi spiritum meum super eum;* hoc Ioannes præsentia corporali vidit impletum, cum dicit: *Vidi Spiritum descendentem quasi columbam de cælo super eum.* Et quod in Esaia scribitur iterum: *Electus meus, complacuit sibi in illo anima mea;* hoc ab Evangelista reperitur factam videlicet fuisse vocem de cælo dicentis: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Propheta quidem Esaias speciale de Domino vaticinium præ-

Isai. 42. 1

Ioan. 1.

Ioan. 1. 32. &c.

Matth. 3. 17.

præbuit, sed hic Ioannes plusquam Propheta digito Dominum demonstravit, in quo hæc specialiter impleta esse probavit.

6 Ecce quibus signis atque indiciis Ioannes Christum Dei filium didicit. Unde etiam interrogantibus se Iudæis, utrum ipse esset Christus, perfectum illis de Christo testimonium perhibuit, atque dixit: *Non sum ego Christus. Medius autem vestrum stetit, quem vos non scitis. Ipse est, qui ante me factus est.* Ubi etiam sequitur: *Altera die vidit Ioannes Iesum venientem ad se, et ait: Hic est de quo dixi: Post me venit vir, qui ante me factus est, quia prior me erat.* Equidem et Ioannes iam in vinculis tentus, duos e discipulis ad Dominum misit, dicens: *Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* Scire magnopere cupiens, utrum ipse Dei Filius, qui in mundum venisse iam videbatur in carne, ipse per se ad inferna descenderet. In qua sciscitatione satis apparet, quòd si supputatis annis ab Adam adventum Redemptoris mundi posset addiscere, consultum Domini non quæsisset, cui sola annorum calculatio ad hæc sufficeret scienda. Nam ipse sacerdotali genere clarus, et in lege nutritus, illo tunc tempore non potuit hæc obiecta proponere, si hæc nativitati Christi contraria prævidisset, ut diceret: Adhuc necdum supputatio quinque millium est suppleta annorum, adhuc sperandus est Christus, qui redimat mundum. Absit. Nihil tale bonus ille Christi servus obiecit, sed potiùs responsa sibi a Domino credidit. Interrogaverat enim magistrum per discipulos, dicens: *Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* Et Dominus ad illos, *Euntes*, inquit, *renuntiate Ioanni quæ vidistis et audistis. Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur: et beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me.* Ecce non est scandalizatus Ioannes in Christo, sed potiùs evidens perhibuit testimonium Christo.

Ioan. 1. 20. 26. &c.

Matth. 11. 3.

v. 5. 6.

7 Post hunc sequuntur omnes Christi discipuli adventus Christi gratia renovati, qui Christum Dei filium in carne venisse, non calculationis industria, sed testimoniorum divinorum evidentia didicerunt: credentes, non quod secundùm impios digitorum supputatione colligitur, sed quod secundùm pios fidei revelatione sentitur. Sic Andreas fratrem suum Simonem Petrum ex hoc credibilem facit, dicens: *Invenimus Messiam, quod est interpretatum Christus.* Sic Philippus Nathanaëli Christum insinuans, dicit: *Quem scripsit Moses in lege, et Prophetæ, invenimus Iesum filium Ioseph a Nazareth.* Sic Petrus ipse discipulorum omnium primus, nullis calculationum obicibus prædicationem suam obnoxiam cernens, inquit: *Notam autem facimus vobis Domini nostri Iesu Christi virtutem et præsentiam, speculatores facti illius magnitudinis. Accepit enim a Deo Patre*

Ioan. 1. 41.

v. 45.

2. *Petr.* 1. 16. &c.

tre honorem et gloriam, voce delata ad eum huiusmodi: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Et hanc vocem de cælo allatam, cùm essemus cum ipso in monte sancto. Ubi post aliqua sic dicit: *Fuerunt pseudoprophetæ in populo isto, sicut in vobis erunt magistri mendaces, qui subintroducentes sectas perditionis, et eum qui emit eos, Dominum negant.* In qua etiam adhuc epistola sequitur: *Vos igitur, fratres, præscientes cavete, ne insipientum errore seducti, excidatis a propria firmitate.* O quàm dilucidè hic sanctus Apostolus huius temporis malitiam longè ante prædixit, et testimonium Christo non solùm credendo sed etiam videndo perhibuit!

Ibid. 2. 1.

Ibid. 3. 17.

8 Sequamur adhuc magni huius doctrinam Apostoli, et videamus tot millia Iudæorum ad eius prædicationem conversa, utrum aliquid de iis annis prædicanti Petro obiiciant, an auditis eius monitis conquiescant. Quando enim quinquagesimo post resurrectionem Christi die Spiritus sanctus super Apostolos venit, et linguis omnium gentium sunt locuti magnalia Dei, scriptum est: *Stans Petrus, elevavit vocem suam, et locutus est, dicens: Viri Iudæi, et qui habitatis in Ierusalem universi, hoc vobis notum sit, et auribus percipite verba mea. Non enim sicut vos æstimatis, hi ebrii sunt, cum sit hora diei tertia: sed hoc est quod dictum est per Prophetam Ioel: Et erit in novissimis diebus, dicit Dominus: effundam de Spiritu meo super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri, et filiæ vestræ.* Ubi dum de Christi passione et resurrectione eos post aliqua convinceret, sic repetens dicit: *Certissimè ergo sciat omnis domus Israël, quia et Dominum eum et Christum Deus fecit hunc Iesum, quem vos crucifixistis.* Ubi statim subiungitur: *His auditis, compuncti sunt corde. Qui enim receperunt sermonem eius, baptizati sunt; et appositæ sunt illa die animæ circiter tria millia. Et erant perseverantes in doctrina Apostolorum.* Ecce nec prædicatio Petri obnoxia fuit annorum supputationibus, nec ipsa quoque tot millium Iudæorum multitudo de hac supputatione a Petro quicquam explorare tentavit; sed in prolatis tantùm ab eo testimoniis credidit, et compuncto corde quievit.

Act. 2. 14. &c.

v. 36. 37.

v. 41. 42.

9 Hac etiam et simili regula Iacobus Hierosolymam, Thomas Indiam, Macedoniam Matthæus illustrat, ceteraque omnis multitudo Apostolica Christum Dei filium simili doctrina in mundum venisse, verbo prædicavit, et testificata est. Nec enim hi homines prædicationi suæ obvia annorum curricula ex Hebræorum codicibus percensêre, quæ utique ad nativitatis Christi causam nihil pertinent. Nempe nec ipsi quoque Iudæi alicubi leguntur de hac annorum disceptatione aut cum Apostolis decertasse, aut dictis Apostolicis restitisse, præsertim cum eo tunc tempore Iudæi ipsi adhuc et patriam

Gal.

triam tenentes et regnum, et necdum dispersi tanto fulgerent instrumento doctrinæ, quanto utique amplo et regni et honoris sui adhuc fungebantur honore. Si igitur hi nec legisperitia rudes, et numerositate ipsa Scribarum et Principum doctiores nihil sibi tunc de hac annorum disputatione sunt blanditi; qua fronte nunc ista obiiciunt, qui in dispersione gentium traditi, tantò sunt a legisperitia alieni, quantò et a solo proprio probantur exclusi?

10 Transeamus deinde ad Paulum ipsum vas electionis Apostolum, qui et ipse apprimè in lege nutritus, et ad pedes Gamalielis edoctus fuit, ita totius veteris Instrumenti notione præcognitus, ut nefas sit credere eum aliquid in illis litteris latuisse. Etenim ipse ad Galatas refert. *Audistis*, inquit, *conversationem meam aliquando in Iudaismo, quoniam supra modum persequebar Ecclesiam Dei, et expugnabam illam, et proficiebam in Iudaismo supra multos coætaneos in genere meo, abundantiùs æmulator existens paternarum mearum traditionum. Cum autem placuit ei, qui me segregavit de utero matris meæ, et vocavit per gratiam suam, ut revelaret filium suum in me, continuò non acquievi carni et sanguini.* Videte, quæso, vocationem Pauli, quia revelato sibi Christo filio Dei, non acquievit carni et sanguini. Qui ergo revelato sibi Dei filio credidit, utique promissum sibi ex lege Christum agnovit. Nam qui tanto furoris zelo persequebatur Ecclesiam, facilè potuit de hac annorum opinione vanissima agere contra eam, si tamen iuvari ex hoc persensisset in aliquo partem suam. Si enim aliquid ex his annorum numeris traditum sibi percepisset ex lege, utique plus ex hoc posset Dei Ecclesiam expugnare: et ex hoc maiorem contra eam repugnandi materiam sumeret, ex quo id in lege insertum esse monstraret. Nam qui dicebat: *Quando venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere*, potuit dicere: Plenitudo temporis necdum venit, quia sex millium annorum series expleta secundùm Hebræos codices non concurrit. Ergo ideo plenitudinem temporis iam venisse dicebat, quia mysterium temporum revelatum sibi agnoverat. Sic enim ad Ephesios dicit. *Notum*, inquit, *fecit nobis Deus Pater sacramentum voluntatis suæ secundùm bonum placitum eius, quod proposuit in eo, in dispensationem plenitudinis temporum, restaurare omnia in Christo.* Hoc quippe mysterium dispensatio est plenitudinis temporum, ut statuto tempore omnia complerentur. Ergo quando venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, qui ante venire non potuit, nisi mysterium temporis impleretur. Cum ergo semel mihi Christus natus, passus, et sepultus fuerit, et resurrexerit, et ad Patrem victor ascenderit, non necesse habeo veterum numerum: quia iam pro cer-

Act. 22. 3.

Gal. 1. 13. *&c.*

Ibid. 4. 3.

Ephes. 1. 9. 10.

to

to teneo mysterium revelatum, quod evidenter agnoscitur in plenitudine temporum. Hoc quippe modo plenitudinem temporis, quo Christum nasci oportuit, per mysterium sibi revelatum Paulus agnovit, nec tamen illis, annorum numeris didicit. Unde et Galatis volentibus ad Iudaismum transire, annuntians illis Christum, mordaciter scribit: *Miror quòd tam citò transferemini ab eo, qui vos vocavit in gratiam Christi: nisi sint aliqui, qui vos conturbant, et volunt subvertere Evangelium Christi. Sed licèt nos, aut Angelus de cælo evangelizet vobis præter quod evangelizavimus vobis, anathema sit.*

Gal. 1. 6. &c.

11 Hic, inquam, vas electionis, et Apostolus gentium in omnibus disputationibus suis, quas cum Iudæis habuit, sive Græcis, nusquam repertus est his annorum supputationibus, aut oppugnans adhuc Evangelium, usus, aut prædicans Evangelium, delectatus; sed testimonia legis et Prophetarum proponens, in patulo manifestam Iudæorum convincebat insaniam. Sic quippe de eo scriptum est: *Saulus autem magis* (1) *convalescebat, Iudæis, qui habitant Damasci, affirmans, quoniam hic est Christus.* Ecce Paulus affirmabat Christum venisse non completudine annorum ex codicibus Hebræorum adhibita, sed testimoniorum evidentia ex divinis libris prolata. Nam iuxta quod in Actibus Apostolicis scribitur: *Ingressus Paulus et Barnabas in synagogam die Sabbatorum, sederunt. Post lectionem autem legis et Prophetarum, miserunt principes synagogæ ad eos, dicentes: Viri fratres, si quis est in vobis sermo exhortationis ad plebem, dicite. Surgens autem Paulus, et manu silentium indicens, ait: Viri Israëlitæ, et qui timetis Deum, audite: Deus plebis Israël elegit patres nostros, et plebem exaltavit, quum essent incolæ in terra Ægypti, etc.* ex eo tempore sequens usque ad tempus David, ex cuius semine natum Christum ostendit; deinde quæ in Christo acta sunt, per passionem et resurrectionem manifestis testimoniis explicavit. Nec tamen aliquid de hac annorum supputatione secundùm codices Hebræorum elicuit. Quippe cui necesse non fuit ad comprobandum sacramentum tantæ rei supputatio annorum a principio mundi. Sequitur et dicitur in Scriptura: *Secundùm consuetudinem Paulus introivit ad Iudæos, et per tria sabbata disserebat eis de Scripturis, adaperiens et insinuans, quia Christum oportuit pati, et resurgere a mortuis et quia hic est Iesus Christus, quem ego annuntio vobis.* Numquid in his omnibus disputationibus suis, cum quotidie Iudæis Scripturas aperiret, si aliquid ex hac annorum opinione prædicationi suæ contrarium comperisset, non statim planum face-

Act. 9. 22.

Ibid. 13. 14. &c.

Ibid. 17. 2. 3.

(1) Alii ediderunt: *magis convalescebat, et confundebat Iudæos, qui habitabant Damasci*, &c. Nos intactam relinquimus lectionem quam invenimus in Bibliotheca PP.

ceret illis quod latebat, aut respuéret quod debebat?

12 Stephanus quoque primus Christi martyr similiter non supputatione temporum, sed testimoniorum adfluentia contradicentes sibi Iudæos frequentissimè convincebat. Sic enim scriptum est: *Surrexerunt quidam de synagoga, quæ appellabatur Libertinorum, et Cyrenensium, et Alexandrinorum, et eorum qui erant a Cilicia, et Asia, disputantes cum Stephano, et non poterant resistere sapientiæ et Spiritui sancto, qui loquebatur ex eo,* (1) *propter quod redarguebantur ab eo cum omni fiducia.* Ecce redargutos et convictos Iudæos per Stephanum legimus, nec tamen aliquid de hac annorum supputatione in suis disputationibus invenimus. Unde et Iudæis ipsis non de hac opinione obsistentibus, sed in solita obstinatione durantibus, dixit: *Dura cervice, et incircumcisi corde et auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis, sicut et patres vestri.*

Ibid. 6. 9. 10.

Ibid. 7. 51.

13 Quid iam de Iacobo Apostolo fratre Domini referam? qui rogatus a Iudæis, ut testimonium de Iesu eisdem expetentibus perhiberet, docebat esse Salvatorem. Et tamen sive qui verbum eius susceperunt, sive qui ab illo invidia intercurrente discissi sunt, nil tale ab eo requirunt, quod ad hanc supputationem annorum pertinere videatur, cum tamen ipse veritatis testis existens, et hunc eumdem Dei filium prædicans Christum, glorioso martyrio coronatur. Quod etiam et Iacobus frater Ioannis Apostoli hunc ipsum Dei filium Iudæis prædicans Christum, nullis annorum opinionibus prædicationem suam obnoxiam sentiens, longo tractu testimoniorum divinorum docuit, ea omnia quæ prædixerat, in Domino nostro Iesu Christo fuisse completa. Postremò Ioannes, opinabilis ille Christi discipulus, pectoris Dominici suavitate perfusus, in Epistola sua idipsum apertissimè et dilucidè commendans, dicit: *Omnis spiritus, qui confitetur Christum in carne venisse, ex Deo est: et omnis spiritus, qui solvit Iesum, ex Deo non est. Nos ex Deo sumus. Qui novit Deum, audit nos: qui non ex Deo est, non audit nos. In hoc cognoscimus spiritum veritatis, et spiritum erroris.* Item idipsum replicans et commendans dicit: *Scimus quoniam filius Dei venit, et carnem induit nostri causa, et passus est, et resurrexit a mortuis: assumpsit nos, et dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum, et simus in vero filio eius Iesu Christo. Hic verus est Deus, et vita*

1. Ioan. 4. 2. 3. 6.

Ibid. 5. 20

(1) Hoc additamentum, *propter quod redarguebantur ab eo cum omni fiducia* (inquit Petrus Sabbatier) abest a Gr. hodierno; sed Millius notat ita legi in MS. uno Steph. sicut in Cantabr. Græc. διὰ τὸ ἐλέγχεσθαι αὐτῶς ὑπ' αὐτῶ μετὰ πάσης παῤῥησίας· Μὴ δυνάμενοι ὧν ἀντοφθαλμεῖν τῇ ἀληθείᾳ. Et Beda retract. in Act. monet in Græco haberi idem additamentum, quod etiam, auctor est Erasmus, codicem latinum veterem præferre.

æterna. Hic etiam adhuc dicit:
v. 4. 5. *Hæc est victoria quæ vicit mundum, fides vestra. Quis est autem qui vicit mundum, nisi qui credit, quia Iesus Filius Dei est?*

14 Sic ergo definitionem fidei Christianæ accipientes, debemus indubitanter et præterita quæ narrantur in Evangeliis, credere, et futura sine hæsitatione sperare. Nec enim præsentibus, quæ videntur, fides est necessaria, quæ per sensus corporis approbantur indubia: sed illic fides adhiberi debet robusta, quæ non videat esse præsentia. Sic enim quique Christianus Christum Dei filium et in præteritis natum de Virgine plena fide tenebit, et indubitanter eum venturum ad iudicium sperabit: credens et præteritæ eius nativitati, qua pro nobis factus homo dignatus est nasci, et futuræ eius promissioni, qua regnum se fidelibus daturum repromisit. Sic ergo unusquisque et præteritis et futuris, quæ de Christo Dei filio Evangelicis et Apostolicis litteris dicta sunt, indubitatam fidei scientiam præbens, merebitur futurum obtinere cum sanctis omnibus regnum, quia non violavit fidei sanctæ arcanum. Ex hac ergo fide omnes vivimus, per hanc nos fidem coronandos fideliter speramus; iustus enim ex
Hab. 2. 4. fide vivit. Et quomodo iustus ex fide vivit, nisi non videndo quod credit? Hæc ergo est iustitia fidei, qua iustificamur, ut credamus in eum, quem non videmus, et fide mundati eum, in quem nunc credimus, postea videamus. Et certè olim iam natus, et mortuus, et a mortuis resuscitatus est Christus, quem tamen nos corporaliter, sicut neque nascentem, neque morientem vidimus, ita nec resurgentem aspeximus; et tamen indubitata fide hæc de illo veraciter et credimus et fatemur. Et hæc iustitia fidei, qua iustificamur atque mundamur, cum ea quæ oculis non vidimus, cordis oculo contuemur et credimus. Equidem datum est Apostolis ista videre, et ipsum Verbum incarnatum in carne aspicere. Nos autem credere iussit, quod illis videre concessit. Fides ergo, ut dictum est, earum rerum est, quæ non videntur, et tamen sine dubitatione creduntur, id est, si absque hæsitatione credas, quæ in præsenti videre non valeas. Christus ergo iam primùm suo tempore venit in mundum, ut salvaret mundum, et iterum suo tempore veniet, ut iudicet mundum. Illa igitur quæ de ipso facta leguntur, solùm credenda sunt; quæ autem futura promittuntur, et credenda et speranda sunt. Qui ergo eum pro salvatione mundi dudum veraciter credit, veniente illo ad iudicium non peribit. Si quis ergo de hac fide dubitat, quid ultra sperat, nisi æterna supplicia? Agendum ergo nobis est, ut in quibusdam causis fidei etiam non percepta ratione sufficiat credere; scilicet, ut si in quibusdam rebus reddenda nobis ratio non occurrat, fides sola sufficiat, nec ibi admittatur ratiocinationis obiectio, ubi commendatur fidei altitudo. Postponenda enim

est

est omnis humanæ disputationis industria, ubi fides sufficiet sola.

15 Ecce, ut cetera taceam, duo de Christo Dei filio admiranda miracula ponam: nativitatem eius sine Patre de Virgine matre, et ingressum eius ad discipulos ianuis clausis post resurrectionem. Quæ duo, si ratione comprehenduntur, admiranda non erunt, nec fides habebit meritum, cui humana ratio præbet experimentum. Etenim, ut beatus Hilarius ait: "habet non „ tam veniam quàm præmium „ ignorare quod credas: quia ma„ ximum fidei stipendium est „ sperare quod nescias." Ergo innitendum est fidei, amplectenda est fides, quæ etiam percepta ratione, spe et charitate perficitur. Sufficiat rogo omni Christiano credere, quod sensu non valet attingere. Cui datum est, et sublimiter intelligere, et fortiter credere, Deo gratias agat. Cui non datum est intelligere, credat ut intelligat, ut cum credens intellexerit quod audivit, intelligens perfruatur quod credidit. Sicque fiet, ut et credulitas intellectum aperiat, et intellectus fide nutritus, perveniat ad coronam.

Greg. Magn. homil. 26. in Evang. n. 1.

Lib. 8. de Trin. n. 10.

DE COMPROBATIONE ÆTATIS SEXTÆ

LIBER III.

INCIPIUNT (1) TITULI EIUSDEM IN LIBRUM TERTIUM.

Ut facillimè Lectori pro vindicatione ætatis sextæ ratio respondendi occurrat, hæc primùm capitula studiosè attendat.

I. Quòd ætates mundi non in annis, sed in generationibus agnoscantur.

II. Quòd sive in Hebræis, sive in Septuaginta interpretum codicibus per singulas ætates non æqualis numerus reperiatur annorum, ut quasi unaquæque ætas id habeat, an non.

III. Quod instar sex dierum et sexta ætas hominum, et sex ætates sæculi comprobentur.

IV. Distinctio quinque ætatum in generationibus disposita, et per quantas unaquæque ætas generationes discurrat.

V. Quæ sit ratio, ut duæ illæ ætates ab Adam usque ad Abraham denis generationibus includantur, reliquæ autem tres usque ad Christum in quaterdenis generationibus distinguantur.

VI. De exemplis Scripturarum quibus instruimur, quòd ætates sæculi non in annis sed in generationibus debeant computari, eò quòd Matthæus generationes Christi regias, Lucas autem Sacerdotalis generis quasdam lineas exequatur.

VII. Quæ sit ratio, ut Christus in sexta ætate sæculi nasceretur, eò quòd sive plures sive pauciores anni esse videantur, nihil impediat ad plenitudinem generationum.

VIII. De supputatione annorum utrorumque codicum, eò quòd brevitas annorum secundùm Hebræos obiecta nihil obsit ad comprobandam ætatem sæculi sextam.

(1) Hos titulos, a collectoribus Bibliothecæ Patrum omissos, edimus nos ex Menrado Molthero.

IX. De Epiphanio, Augustino, atque Hieronymo quid de annis senserint, vel quam cui Translationem prætulerint.

X. Renotatio annorum per singulas quasque ætates secundùm Septuaginta interpretes.

Calumniatoribus fidei Christianæ tertio adhuc operis libello respondens, qui assumptis annis a principio mundi secundùm codices Hebræorum quintam sæculi ætatem insana temeritate causantur, hoc primùm omne genus Christianorum admoneo, ut quoties quisquis Christianorum a quolibet Iudæo secundùm codices Hebræorum assumptis annis ætates ipsas computare audierit, non illi cor suum inflectat, ut secundùm numerum eorumdem annorum easdem ætates supputandas accipiat; sed secundùm præfinitum numerum generationum eas determinatas agnoscat. Non enim ætates ipsæ annorum numero prænoscuntur, sed anni ipsi distinctis generationum ætatibus colliguntur.

2 Quia verò nequaquam singulæ quæque ætates æquali annorum numero terminantur, alibi enim maior, alibi minor, et per singulas dispar in annis numerus reperitur; quis ergo quantusque annorum numerus habeatur meliùs intra ipsas ætates, prout cuique placuerit, supputandus excipitur. Non enim secundùm Evangelium enumeratis annis, sed supputatis generationibus pervenitur ad Christum. Ergo ætates ipsæ sæculi non in annis, sed in generationibus colligendæ sunt. Nequaquam igitur præpostero ordine est agendum, ut in annis ætates, sed in ætatibus anni agnoscantur. Iam ergo dicam, et rationes sex ætatum aperiam.

3 In sex quippe diebus fecit Deus cælum et terram, et omnem a se formatam distinctis diebus condidit creaturam, unumquemque diem luce initians, vespere consumens, dicente Scriptura: *Factum est vespere et mane dies unus.* Secundùm hos igitur sex dierum numeros atque rationes sex quoque ætates in unoquoque homine prænoscuntur, in quibus vita ipsa perficitur, id est, infantia, pueritia, adolescentia, iuventus, gravitas, senectus. Fac ergo totos homines quicumque ab Adam usque in præsentem diem fuerunt, quasi unum hominem esse, et in persona unius hominis totius sæculi tibi figuram appone, et per quantas ætates sæculum istud, quasi unus homo transierit, vel in qua ætate modò consistit, ratione facillima pervidebis.

Gen. 1. 5.

Simillima his omnibus interpretationibus de sex ætatibus habet August. *lib. 1. de Gen. contra Manich. a num.* 35. usque *ad* 42. *et cap. ult. lib. 22. de Civitate Dei.*

4 Ab Adam enim usque ad diluvium ætas prima porrigitur, quæ denis generationibus terminatur. Secunda post diluvium usque ad Abraham similiter per decem generationes evolvitur. Tertia deinde ætas sæculi usque ad David quatuordecim generationibus protelatur. Quarta post hæc similiter denis et quaternis generationibus a David usque ad transmigrationem Babylonis producitur. Quinta dehinc ætas sæculi sequitur a transmigratione Babyloniæ usque ad Christum: quæ

quæ et ipsa similiter denis et quaternis generationum articulis terminatur. Iam deinde sexta ætas sæculi sequitur, in qua Christus Dei Filius ex Maria Virgine nascitur. Quæ ætas quot annis, quotque generationibus protrahatur, a nullo hominum comprehenditur.

5 Cur autem duæ ætates illæ ante Abraham per denos generationum numeros currant, et tres istæ in Evangelio denis et quaternis generationum lineis serviant, ratio monstrabit adhibita. Ab Adam usque ad diluvium decem generationes excurrunt, quæ ætas prima in infantiam deputatur. Et ut noveritis evidenter prædictarum generationum decem vocabula, attendite hìc ea per ordinem supputata. Adam enim genuit Seth, Seth genuit Enos, Enos genuit Cainam, Cainam genuit Malahel, Malahel genuit Iared, Iared genuit Enoch, Enoch genuit Mathusalem, Mathusalem genuit Lamech, Lamech Noë. Hæc, inquam, prima ætas cum mane suo et vespere supputatur: quia sicut unusquisque dies a luce incipit, et in vesperum finit, sic ætas hæc ab Adam cœpit, et pro vespera diluvium habuit. Secunda igitur ætas a diluvio usque ad Abraham denis similiter lineis generationum porrigitur; Sem enim genuit Arfaxat, Arfaxat genuit Cainam, Cainam genuit Sale, Sale genuit Eber, Eber genuit Faleg, Faleg genuit Reu, Reu genuit Saruc, Saruc genuit Nachor, Nachor genuit Thare, Thare genuit Abraham, a quo ætas sæculi incipit tertia. Hæc, inquam, ætas habuit mane suum post diluvii excessum, cuius vespera fuit confusio illa linguarum. Quod etiam et in subsequentibus ætatibus similiter de mane isto et vespere studiosus lector, si quæsierit, renovatum reperiet.

6 Iam nunc accipe rationem, quare sit factum, ut hæ duæ ætates denis generationibus terminentur. Et certè ætas hominis prima infantia est, secunda pueritia. Quæ duæ ætates, exceptis quinque sensibus corporis, in quibus naturalis sensus aut motus est, nihil evidenter aut cognitione discreta attingit, aut actionis opere perficit. Nam et actio temeraria est sine cognitione, et sine actione ignava cognitio. Et ideo prima vita hominis, cui nulla administratio rectè creditur, quinque sensibus corporis dedita est, qui sunt visus, auditus, olfactus, gustus, tactus. Et ideo propter solos quinque corporis sensus, quibus ætas talium vigere probatur, geminatur idem quinarius numerus propter utrumque sexum: quia iidem quinque corporis sensus, sicut inesse masculis, ita et in feminis comprobantur. Ideo duæ istæ ætates denario generationum numero finiuntur.

7 Tres inde ætates sæculi, quæ in Evangelio computantur, bis septeno generationum numero distinguuntur. Ab Abraham enim usque ad David generationes quatuordecim. Et a David usque ad transmigrationem Babylonis generationes quatuordecim. Et a transmigratione Babylonis usque ad Christum, generationes quatuordecim.

Iam

8 Iam ergo videndum est, cur istæ tres ætates sæculi bis septeno generationum dignoscantur numero terminari. Equidem iam superiùs diximus, duas illas ætates ab Adam usque ad Abraham, quasi infantiam atque pueritiam, solis quinque corporis sensibus deditas extitisse, pro eo quòd non potest in his duabus ætatibus aliquid sublime aut cognitione percipi, aut actione formari. Solis ergo, sicut dictum est, quinque sensibus corporis vigent. Infantia iam deinde et pueritia explicita, succedente adolescentia, accedit homini et cognitio discreta, et actio necessaria. Quæ duo si quinque illis corporis sensibus addantur, septem fiunt. Item septem si propter utrumque sexum iterum duplicentur, quia sicut in viris, ita in feminis accipiuntur, quatuordecim sub uno efficiuntur. Et hæc est ratio, ut duæ illæ ætates denis generationum numeris currant; tres istæ bis septem generationum articulis serviant. Quinque sanè ætates sæculi diximus, quas non in annis, sed in generationibus agnoscamus.

9 Ut ergo agnoscatis, ætates ipsas sæculi non annorum supputatione debere addisci, sed generationum determinatione oportere intelligi, sanctum nobis Evangelium satisfacit. Tres quippe ætates, quas ab Abraham usque ad Christum in ordine ponit, certis et determinatis generationum lineis dirimit. Nec enim ut tres illos ætatum articulos demonstraret, aliquid de annorum numeris posuit, cum tamen tres illas ætates denis et quaternis generationibus explicaverit. Sic enim in Matthæi Evangelio legitur: *Omnes generationes ab Abraham usque ad David, generationes quatuordecim. Et a David usque ad transmigrationem Babylonis, generationes quatuordecim. Et a transmigratione Babylonis, usque ad Christum, generationes quatuordecim.* Quod fortasse nequaquam Evangelista in distinguendis ætatibus observaret, scilicet, ut non eas annorum numeris, sed generationibus proderet, si non hoc ipsum etiam observatum in Lege veteri pro distinguendis ætatibus prævidisset. Iuxta hunc enim modum duas illas ætates, unam ante diluvium, secundam post diluvium invenimus in libro Genesis terminatas. Enumeratis enim illic generationibus ab Adam usque ad Noë, antequam ingrederetur arcam, quæ decem utique generationes erant, sic dicit Scriptura: *Hæ generationes Noë.* Similiter post diluvium secundæ ætatis generationum seriem pandens, sic eadem Scriptura commemorat, dicens: *Hæ generationes Sem*; enumerans easdem generationes a Sem filio usque ad Abraham, numero decem. Tertiam quoque ætatem sæculi sequens similiter agit, a qua Matthæus incipiens Evangelista, digestis generationum articulis, tres sæculi ætates explicuit, duas illas retroactas ætates necessariò prætermittens, quæ quasi infantia et pueritia gignendis filiis aptæ non essent. Quis enim usitata lege naturæ ante 13. ætatis suæ annum po-

Matth. 1. 17.

Gen. 6. 9.

Ibid. 11. 10.

potest gignere filios? Et ideo
Matth. 1. 1. 2. Evangelista nitens secundùm carnem generationem Domini explicare, ab Abraham quasi ab adolescentia narrationem suam cœpit extendere, ex qua ætate potest homo filios generare propter semen Abrahæ, in quo be-
Gen. 12. 3. nedicendæ omnes gentes fuerant repromissæ.

10 Sic ergo reddita ratio docet, et ætates sæculi non in annis, sed in generationibus quærere, pro eo quia cuiuslibet ætatis distinctione non invenimus in Scripturis, Hi sunt anni generationum, sed, Istæ sunt generationes. Sicut dictum est, prima sæculi ætate finita: *Hæ generationes Noë*; vel quum ætas secunda a Sem usque ad Abraham memoratur, ubi similiter scribitur: *Hæ sunt generationes Sem*; cum tamen neque in prima, neque in secunda ætate sæculi sit scriptum, Hi sunt anni generationum, sed, Hæ sunt generationes. Volens ergo Scriptura ostendere, ætates sæculi non in annorum debere opinione constitui, sed librata generationum numerositate rimari; præsertim cum in multis Scripturarum locis, ubi per generationes certus ordo temporum dirigitur, anni penitus taceantur, nec tamen ex hoc tempora ipsa sæculi in quocumque frustrantur. Ergo non satis est attendere summam annorum, ubi per generationes efficientia comprobatur ætatum. Hoc enim more sanctarum Scripturarum quædam videmus lege a Deo promissa, quæ non in annis, sed in præfinitis generationibus prædicuntur implenda. Nec enim hominis cuiusque prophetantis sermone prædicitur, sed ipsius Dei voce signatur, quod ad Abraham Dominus loquitur. *Quarta*, inquit, *generatione fi-* *Gen.* 15. 16. *lii Israël de terra Ægypti revertentur*: quod non in annis, sed in generationibus videtur tunc fuisse impletum. Etenim si replices genealogiam Levi, quarta generatione filios Israël de terra Ægypti egressos esse reperies. Levi genuit Cahat, Cahat genuit Amram, Amram genuit Aaron, Aaron genuit Eleazar, Eleazar genuit Phinees. Cahat autem cum patre suo Levi ingressus est Ægyptum. Rursum Eleazar cum patre suo Aaron egressus est Ægyptum. A Cahat usque ad Eleazar computantur generationes quatuor.

11 Sic ergo futura et plena a Deo liberatio servitutis Israëlitici populi non in annis, sed in generationibus prædicta est adimpleri. Hoc quippe modo et Cain peccatum septena generationum vindicatione expiandum prædicitur. In septima enim generatione Cain peccatum est dissolutum, quia et in septima generatione a Lamech, qui septimus ab Adam est, Cain ipse occiditur. Iam deinde et peccatum ipsius Lamech, qui eum occidisse præscribitur, in septuagesima septima differtur generatione purgandum, iuxta quod de eo scriptum est: *Septuplum ul-* *Gen.* 4. 24. *tio dabitur de Cain, de Lamech verò septuagies septies.* Ab Adam enim usque ad Christum generationes septuaginta septem

per

per ordinem colliguntur, sicut
Luc. 3. 23. *&c.* in Lucæ Evangelio legitur. Ab ipso enim Christo illic incipitur, et usque ad Adam, vel Deum, a quo ipse Adam creatus est, pervenitur. Et ideo Lamech peccatum, quasi totius mundi in septuagesima septima generatione, Christi videlicet adventu, est purgatum. Unde et ipse Dominus huius sacratissimi septuagesimi septimi numeri in Evan-
Matth. 18. 22. gelio sacramentum commendans, remittenda esse peccata docet, non solùm septies, sed etiam septuagies septies.

12 Nec enim 77. istæ generationum lineæ, quas secundùm Lucam ab Adam usque ad Christum historialis ordo commendat, aliquid generationibus
Ibid. 1. 1. *&c.* illis, quæ a Matthæo commemorantur, in quocumque præiudicant. Alias enim generationum lineas Lucas exequitur, alias Matthæus rimatur. Lucas enim sacerdotalis generis prosapiam sequens, et a Christo filio Dei incipiens, usque ad Adam, et ipsum Deum, a quo formatus est, 77. lineas generationum explicuit. Matthæus autem regiæ stirpis generationum executus est numeros, in quibus per quaternos et denos generationum articulos tres mundi ætates expressit. Ætates ergo sæculi, quas prædiximus quinque usque ad Christum fuisse, non secundùm Lucam, qui sacerdotale genus exequitur, sed iuxta Matthæum, qui regias generationes digerit, computandæ sunt. Etenim Christi filii Dei carnem sic ex utroque genere credimus propagatam, ut et regio semine floreat, et sacerdotali propagine sit gloriosa. Iuxta semen ergo regium, quod Matthæus exequitur, adiectis illis duabus ætatibus, id est, quæ ab Adam usque ad Abraham denis generationibus currunt, quinque ætates sæculi computandæ sunt. Sic ergo annorum supputatio attendenda, sed generationum cunctis rimanda est linea.

13 Quando ergo falsitas Iudæorum, o studiosissime Christiane, per annos ex codicibus suis libatos, ætates sæculi coram te noluerit definire, ut quasi per millenos ætates ipsas mundi determinatas videatur ostendere; non illic traharis in spiritu erroris, sed revertere ad spiritum veritatis, ut secundùm Evangelium et exempla Scripturarum, quæ superiùs posita sunt pro dignoscentia harum ætatum, omnem illam annorum supputationem secundùm codices Hebræos despicias, et has solùm enumerationes generationum intendas, quas ab Adam audisti usque ad Christum distinctis lineis terminatas.

14 Iam nunc quæ sit ratio, ut hac sexta ætate eum nasci oporteret, studiose lector addisce. Scilicet, ut qui sexto die fecerat hominem, sexta etiam ætate sæculi veniret ad humani generis reparationem. Hinc ergo iam securi de hac annorum quæstione omnes Apostoli et Apostolici viri, eò quòd harum ætatum summa non in annis, sed in generationibus sit locata, non curarunt quid in Hebræorum codicibus annorum traheretur in summam

Cur Christus sexta sæculi ætate natus fuerit.

mam, dummodò patesceret generationum series plena. Quid enim interest, quantis unusquisque illorum annis advixerit, dummodo generationum numeros pleniùs scit? Si enim aliquid numeri de generationibus subtrahatur, confusio utique ætatum agnoscitur. At ubi plenus numerus generationum consistit, quid opus est de annis sæculi satagi, quando omnis summa ætatum certis et præfinitis generationum numeris currit? Tu, Iudæe, ut annos invenias per generationes, hoc ipsum addiscis: nec enim quot anni a principio mundi fuerint, scire ullo modo poteris, nisi hoc priùs per singulas generationes inveneris. Si igitur generationum ordo frustratur, quæ veritas remanebit annorum? Anni enim per generationes nullo modo cognoscuntur. Quid ergo? Numquid potest ita generationibus agi, scilicet, ut non queant sine annis intelligi? Generatio enim et in paucis, et in multis annis potest addisci. Anni verò sine generationibus nulli poterunt reperiri. Cedo igitur, quòd unaquæque generatio bis denis tantum annis advixerit: numquid aliquid annorum iste numerus me impedit, quando mihi generationum series satisfacit? Ergo hoc tenendum, hoc etiam tota fide servandum est, ut pro hac dignoscentia sextæ ætatis et Dominicæ incarnationis distributos singulis ætatibus generationum ordines observemus, in quibus non solùm nullus error, sed magnæ veritatis est revelata ostensio, et quibus in tantum tuti ab errore erimus, in quantum olim natum Christum supputare serie generationum agnoscimus.

Supputatio annorum iuxta codices Hebræorum et LXX. Interpretum.

15 Iam ergo si placet, et de ipsis annis (1) a principio mundi collectis, quos non aliter nisi per decurrentes generationes colligitis, satagite et inde adhuc aliquid si potestis. Et siquidem iam supra probatum sit, nil officere, nec contrarium esse annorum illam brevitatem ex codicibus Hebræorum libatam, quominus ostendatur ætas sæculi sexta, tamen sine præiudicio quæstionis huius, si verbi gratia, hoc solum vultis scire de annorum summa, id est, ab origine mundi usque ad Christum quot anni transierunt, necnon et quibus ob hoc codicibus oporteat credi, id est, utrum codicibus Hebræorum, an secundùm septuaginta Translatorum, vivi cordis hìc iam apponite sensum. „ Etenim (2) si „ quæramus annos a principio „ mundi usque ad nativitatem „ Christi secundùm codices sep„ tuaginta Translatorum, subse„ quentibus etiam quibusdam hi„ storiis gentium, reperiuntur „ ab Adam usque ad Christum „ an-

(1) Gravem sanè et nodis inextricabilibus implicatam controversiam de numero annorum a principio mundi ad usque Christum natum, quam hinc incipit explicare Iulianus, plerique sacri interpretes edisserunt, sed præ omnibus nobis videtur dignus consuli Thomas Malvenda in opere de Antichristo lib. 1. a cap. 13. usque ad 16.

(2) Hæc ideo verba notamus, quoniam ea allegaverit Isidorus Pacensis in fine sui Chronic. tom. 8. Hisp. Sacræ pag. 325. edit. secund.

„ anni 5200. Et quicquid aliud „ superest secundùm quosdam „ historicos, qui annorum mun- „ di seriem conscripserunt. " Secundùm codices autem vestros multò minus anni inveniuntur: in tantum, ut in solis duabus generationibus ante diluvium, et post, quæ usque ad Abraham per ordinem currunt, in quas hæc ipsa annorum diversitas inter utrosque codices vix mille quingenti quadraginta anni, et parum supra aliquid colligantur. In illa enim prima ætate inveniuntur ab Adam usque ad diluvium anni 1656. Et a diluvio usque ad Abraham reperiuntur anni 292. Secundùm codices autem septuaginta Interpretum reperiuntur ab Adam usque ad diluvium anni 2242. Et a diluvio usque ad Abraham, anni 1072. qui in duabus istis ætatibus computati sunt sub uno anni 3314. Quibus si addantur anni illi, id est, a tertia ætate usque ad Christum quinque millium annorum, et supra quod remanet, summa complebitur. Ecce minor numerus reperitur annorum in codicibus Hebræorum, quàm in codicibus septuaginta Interpretum: in tantum, ut etiam præsentem usque diem necdum adhuc quinque millia annorum videantur expleta, qui tamen et ipsi nihil tempori nativitatis Christi præiudicant, quod sub tanta evidentia generationum ordo commendat.

16 Et quia adstruximus, et de ipsis annis quid utrique codices habent; nunc restat ut consideremus, quibus codicibus maior debeatur auctoritas. Hìc iam dicat unusquisque quod sentit. Numquid brevitas ista annorum ex codicibus Hebræis ostensa, contemptis annis pluribus, qui in editione septuaginta Interpretum continentur, præferenda ullo modo iudicabitur, qui prophetandi potiùs munere, quàm transferendi officio, divinas Scripturas, revelante sibi Domino, transtulerunt, apud quos etiam hæc supputatio reperitur annorum? Ergo illa (1) nobis et sola pro his annis est observanda auctoritas septuaginta Interpretum, quæ meritò omnibus editionibus et translationibus antefertur, quam etiam usque omnes doctores Ecclesiastici tenuerunt, et in hac præcipuè annorum supputatione secuti sunt.

Utri codices maiori polleant auctoritate.

17 De quorum etiam venerabilium septuaginta Interpretum laude atque præpollenti auctoritatis fastigio quid unusquisque doctorum senserit, breviter adnotabo. Epiphanius enim ille Cypri Salaminæ magnæ gravitatis Antistes sic de laude septuagin-

Quid senserit Epiphanius de interpretatione LXX.

(1) Utris codicibus in numerandis Patriarcharum annis adhærendum sit, Græcis LXX. Interpretum, an Hebraicis, quæstio est inter eruditos valde agitata. Favet quidem maior illorum pars Hebraicæ supputationi. Verùm sunt non pauci, nec contemnendi auctores, qui pro LXX. Interpretum chronologia acriter depugnant. Baronius *in Apparatu ad Annales Eccles.* Ioannes Morinus, *exercit.* 7. Vosius, Paulus Pezronius *in Antiquitate temporum restituta*, aliique. Quare minus mirari oportet Iulianum nostrum in eadem fuisse sententia tum cum maximè in Ecclesia florebat editio latina septuag. Interpretum. Vid. Nat. Alexand. *Diss. VIII. in prim. mundi ætatem, tom. I. histor. veteris Testam.*

ginta Interpretum refert in opusculis suis. Dicit enim: "Admirari id oportet, nec audeat quis reprehensione dignum ducere, sed potiùs laudet, quòd ex Dei consilio ac voluntate sit factum, ut Septuaginta duo venerabiles convenerint in insula Fari, quæ Anagoge, id est, superior terra nominatur." De quorum etiam laude idem vir adhuc post aliqua prosequitur: "Non sunt inventi, inquit, dissoni, sed Dei mirabile opus apparuit agnoscendum, quia idem viri donum Spiritus sancti perceperant, cuius Spiritus solius erat tàm consonantissimos facere ipsos interpretes: ita ut ubicumque pro manifestatione sermo erat addendus, omnes simul adiicerent, et ubicumque pro minus ornata repetitione demendum, universi simul adimerent." Ubi etiam post alia subiungit: "Ubicumque ab eisdem translatoribus aliquid est adiectum, congruè apposuere sermones ad intelligentiam et iuvamen Gentium, quæ erant ad fidem Dei vocandæ, et ex divinis veteris ac novi Testamenti monitis hereditatem percepturæ vitæ perpetuæ." Hæc siquidem sanctus Epiphanius refert.

Tract. de Mensuris, et ponderib. pag. 566. edit. Basileæ 1560.

Ibid. pag. 567.

Quid Augustinus.

18 Ceterùm et beatus Augustinus quid de laude talium referat, iam audite. In libro enim 15. Civitatis Dei sic dicit: "Merito creduntur septuaginta Interpretes accepisse prophetico spiritum, ut si quid eius auctoritate mutarent, atque aliter quàm erat, quod interpretabantur, dicerent, neque hoc divinitus dictum esse dubitaretur." De quibus etiam idem vir adhuc in 18. libro eiusdem operis replicat, dicens: "Cum fuerint et alii interpretes, qui ex Hebræa lingua in Græcam sacra illa eloquia transtulerunt, hanc tamen quæ Septuaginta est, (1) quam ut sola sit recipit Ecclesia, eaque utuntur Græci populi Christiani, quorum plerique utrum alia aliqua sit, ignorant. Ex hac Septuaginta interpretatione etiam in Latinam linguam interpretatum est, quod Ecclesiæ Latinæ tenent. Unde (sequitur) Ecclesiæ Christi tot hominum auctoritati ab Eleazaro tunc Pontifice ad hoc tantum opus electorum, nemini iudicant præferendum: quia etsi non in eis unus apparuisset Spiritus sine dubitatione divinus, sed inter se verba interpretationis suæ Septuaginta docti more hominum contulissent, ut quod placuisset, omnibus hoc maneret, nullus eis interpres debuit anteponi." Hæc siquidem de laude septuaginta Interpretum, satis dicta sufficiant.

Cap. 23. num. 3.

Cap. 43. num. 1.

19 Ceterùm de hac annorum diversitate quid inter Hebræos, et nostros codices distet, idem D. Augustinus in prædicto opere eamdem ventilat quæstionem, dicens: "Inter Hebræos et nostros (2) codices de ipso numero annorum nonnulla videtur esse di-

Lib. 15. cap. 10.

(1) Edit. *tamquam sola esset, sic receperit Ecclesia.*

(2) Nostros codices appellat (inquiunt Benedictini ad hunc locum) quibus Ecclesiæ

„ distantia, quod ignoro, qua ra-
„ tione sit factum. Non tamen
„ tanta est, ut illos homines tam
„ longævos fuisse dissentiat. Nam
„ ipse homo primus Adam, an-
„ tequam gigneret filium, qui
„ est appellatus Seth, ducentos
„ triginta vixisse annos reperitur
„ in codicibus nostris, in Hebræis
„ autem centum triginta perhi-
„ betur. Sed postquam eum ge-
„ nuit, septingentos vixisse legi-
„ tur in nostris, octingentos ve-
„ rò in illis, atque in utrisque
„ universitatis summa concordat.
„ Ac deinde per consequentes
„ generationes antequam gigna-
„ tur qui gigni commemoratur,
„ minus vixisse apud Hebræos pa-
„ ter eius invenitur centum an-
„ nis; sed postquam est genitus,
„ idem ipsi centum minus quàm
„ in Hebræis, inveniuntur in no-
„ stris. Atque ita numeri univer-
„ sitas consonat, et hìc et inde.
„ In sexta autem generatione
„ nusquam utrique codices dis-
„ crepant. In septima verò, ubi
„ ille qui natus est Enoch, non
„ mortuus, sed quòd placuerit,
„ translatus esse narratur, eadem
„ dissonantia est, quæ in supe-
„ rioribus quinque de centum
„ annis, antequam gigneret eum,
„ quibus commemoratus est, fi-
„ lium: atque ita in summa si-
„ milis consonantia. Vixit enim
„ annos antequam transferretur,
„ secundùm utrosque codices,
„ trecentos sexaginta quinque.
„ Octava generatio habet qui-
„ dem nonnullam diversitatem,
„ sed minorem ac dissimilem ce-
„ teris. Mathusalem quippe, quem
„ genuit Enoch, antequam gi-
„ gneret eum, qui in ipso ordi-
„ ne sequitur, secundùm He-
„ bræos, non centum minus, sed
„ viginti amplius vixit annos.
„ Qui rursus in nostris postea-
„ quam eum genuit, reperiuntur
„ additi, et in utrisque sibi sum-
„ ma universi numeri occurrit.
„ In sola nona generatione, id
„ est in annis Lamech filii Ma-
„ thusalæ, patris autem Noë,
„ summa universitatis discrepat,
„ sed non plurimum. Viginti
„ enim et quatuor annos plus
„ vixisse in Hebræis, quàm in
„ nostris codicibus invenitur.
„ Namque antequam gigneret fi-
„ lium, qui vocatus est Noë, sex
„ minus habebat in Hebræis quàm
„ in nostris, postea verò quam
„ eum genuit, triginta amplius
„ in eisdem quàm in nostris. Un-
„ de ex illis detractis, restant
„ viginti quatuor, ut dictum est."
Hucusque Divus Augustinus.

20 Quod quare sit factum, ut in prima, secunda, tertia, quarta, quinta, et septima generatione centum plus anni inveniantur secundùm codices Septuaginta, qui detrahuntur in codicibus Hebræorum, quando unusquisque de illis filium genera sset, licèt suprà hic doctor cur factum fuerit, ignorare se dicat, tamen quid sibi ex hoc in posterum videatur, enuntiat. Dicit enim: " In his annis in qui- *Eod. lib. cap. 13.*
„ bus continuatur ipsius mendo-
„ sitatis similitudo, ita ut ante
„ genitum filium, qui ordini in-
se-

clesia tum utebatur latinis ex græca interpretatione Septuaginta: codices verò Hebræos, qui ex hebraica scriptura erant versi.

„ seritur, alicubi supersunt cen-
„ tum anni, alibi desunt, post
„ genitum autem ubi deerant,
„ supersunt, ubi supererant, de-
„ sunt, ut in summa conveniant,
„ et hoc in prima, secunda, ter-
„ tia, quarta, quinta, et septima
„ generatione invenitur, videtur
„ habere quamdam, si dici potest,
„ error ipse constantiam, nec
„ casum redolet, sed industriam."
Qua de re post modicum infert:
" Nimirum quum vellet persua-
„ dere qui hoc fecit, ideo nu-
„ merosissimos annos vixisse an-
„ tiquos, quos brevissimos nun-
„ cupabant, et hoc de maturita-
„ te pubertatis, qua idonei filiis
„ gignendis conarentur ostende-
„ re, atque ideo in illis centum
„ annis decem nostros insinuan-
„ dos putaret incredulis, ne ho-
„ mines tamdiu vixisse recipere
„ in fidem nollent; addidit cen-
„ tum, ubi gignendis filiis habi-
„ lem non invenit ætatem; eos-
„ demque post genitos filios, ut
„ congrueret summa, detraxit.
„ Sic quippe voluit credibiles
„ facere idonearum generandæ
„ prolis convenientias ætatum,
„ ut tamen numero non frauda-
„ ret universas ætates viventium
„ singulorum."

21 Hæc licèt beatus hic doctor subtilis ingenii acumen extendens de tantæ rei ambiguo disputaret, non tamen affirmando, sed existimando, quid sibi videretur, exposuit: scilicet quum in remedium credulitatis eorum hoc factum esse arbitratur, quibus nullo modo credibile esset, tot annos homines illius sæculi vivere potuisse, nisi eos et in hoc matura pubertas gignendorum filiorum credibiles faceret: id est, ut etiam si per brevissimos annos illos hoc ipsum computare voluissent, habilem semper in gignendis filiis invenirent ætatem, qui decem annos quales nunc habemus, centum suos conabantur astruere. Quam tamen opinionem prædictus doctor nec confirmans, nec reprobans, sic finaliter claudit. " Quomodolibet, *Ibid. circa finem.*
„ inquit, istud accipiatur, sive
„ credatur ita factum, sive non
„ credatur, sive postremò ita, si-
„ ve non ita sit, rectè fieri nullo
„ modo dubitaverim."

22 Post hæc iam de incertis ad certa sine dubio mentis oculum dirigens, et de hac ipsa annorum diversitate finalem disputationis suæ sententiam promens, sic sequitur dicens: " Non vacat *Eod. lib. cap. 14. n. 2.*
„ quòd septuaginta Interpretes
„ in plurimis quæ diversa dice-
„ re videntur, ex Hebræis co-
„ dicibus emendare ausus est ne-
„ mo. Non enim est illa diver-
„ sitas putata mendositas; nec
„ ego ullo modo putandum exi-
„ stimo. Sed ubi non est scri-
„ ptoris error, aliquid eos divi-
„ no Spiritu, ubi sensus esset
„ consentaneus veritati, et præ-
„ dicans veritatem, non inter-
„ pretantium munere, sed pro-
„ phetantium libertate aliter di-
„ cere voluisse credendum est.
„ Unde meritò non solùm He-
„ bræis, verumetiam ipsis, cum
„ adhibet testimonia de Scriptu-
„ ris, uti Apostolica invenitur
„ auctoritas." Et hæc siquidem dicens, quid etiam alios de hac annorum varietate sensisse memi-

cap. 13.

minerit, relatione opinabili interponit. Sic enim dicit: " In-
Eod. lib. cap. 11. „ quiunt non esse credibile se-
„ ptuaginta Interpretes, qui uno
„ simul tempore unoque sensu
„ interpretati sunt, errare potuis-
„ se, aut ubi nihil eorum inter-
„ erat, voluisse mentiri; Iudæos
„ verò, dum nobis invident, quòd
„ lex et Prophetæ ad nos inter-
„ pretando transierunt, mutasse
„ quædam in codicibus suis, ut
„ nostris minueretur auctoritas."

23 Ceterùm hic doctor cum in iam dicti operis libro decimo sexto ætatis secundæ faceret men-
Lib. 16. cap. 10. n. 2. tionem, sic dicit: " Secundo
„ igitur anno post diluvium Sem,
„ cum esset centum annorum,
„ genuit Arfaxat. Arfaxat autem
„ cum esset centum triginta quin-
„ que annorum, genuit Cainam.
„ Qui cum esset centum triginta
„ annorum, genuit Sala. Porrò
„ etiam ipse totidem annorum
„ erat, quando genuit Heber.
„ Centum verò et triginta qua-
„ tuor agebat annos Heber, cum
„ genuit Faleg, in cuius diebus
„ divisa est terra. Ipse autem
„ Faleg vixit centum triginta an-
„ norum, et genuit Ragau, qui
„ centum triginta duorum anno-
„ rum genuit Seruch. Et hic
„ centum triginta annorum ge-
„ nuit Nachor. Et Nachor se-
„ ptuaginta novem annorum ge-
„ nuit Thare, qui septuaginta
„ annorum genuit Abraham.
„ Fiunt itaque anni a diluvio
„ usque ad Abraham mille septua-
„ ginta duo secundùm vulgatam
„ editionem, hoc est, Interpre-
„ tum septuaginta. In Hebræis
„ autem codicibus longè paucio-
„ res annos perhibent inveniri,
„ de quibus rationem aut nullam
„ aut difficillimam reddunt."

24 Hæc beatus Augustinus de annis brevibus Hebræorum, unde nulla ratio redderetur, exposuit. Qui tamen egregius doctor, si in brevitatem istam annorum ex Hebræorum codicibus proditam aliquod periculum fidei, quod absit, instare vidisset; aut eamdem brevitatem contrariam temporibus nativitatis Christi quolibet defendente inspiceret, qua coniectatur ab adversariis fidei Christianæ, necdum adhuc sextam ætatem sæculi advenisse, hìc totum se ad respondendum conferret, hìc etiam spirantibus ventis, tota disputationis suæ vela laxaret, ubi eum tale aliquid dicere loci opportunitas expectaret, et non superiùs dicere, De hac ipsa diversitate annorum, quare sit factum ignoro. Cum ignorantiæ huius pœna sit error, in quo Dominicæ nativitatis contradicitur sacramento. Sed quia in hac ipsa annorum distantia nihil vidit esse contrarium, quominus sexta ætas sæculi probaretur; non fuit, quare aliquid quod sciendum sibi esset, ex hac varietate annorum sequeretur pro ætatibus agnoscendis, quas distinctas noverat generationibus præfinitis. Cum sive illi breviores anni secundùm Hebræos, sive isti multiplices secundùm codices nostros, patefacta, ut dictum est, generationum serie, non cogant nos aliud intelligere, nisi sextam ætatem sæculi esse.

25 Iam verò quid ex hoc Divus

vus Hieronymus sentiat, intuendum est, qui omnes annos ab initio mundi usque ad Christum in Chronicorum libro Eusebii, quem de Græco in Latinum vertit, non de Hebræis, sed de septuaginta Interpretum codicibus intelligere voluit, id specialiter in præfatione sua præmittens. Dicit enim: " Neque me fugit in He„ bræis codicibus dissonantes æta„ tum annos inveniri plus vel „ minus, prout interpretibus vi„ sum est lectitari, sequendum„ que illuc potius quod exem„ plariorum multitudo idem tra„ xit." Et hæc vir ipse beatæ memoriæ Hieronymus dixit, qui divinas Scripturas de Hebræo in Latinum eloquium vertit. Quis rogo iam non manifestè videat illis prorsus de hac annorum supputatione septuaginta Interpretibus credere, qui multiplicem annorum seriem illam, prout dictum est, non interpretantium munere, sed prophetantium libertate proscripsisse creduntur?

26 Sufficiat ergo nunc usque probatum vobis fuisse, nullam esse annorum summam, quæ temporibus nativitatis Christi videatur esse contraria. Similiter et quòd ætates sæculi non annorum supputatio æqua, sed generationum numerositas distributa distinguat; ac proinde quia et hoc probatum est vobis, quibus codicibus de ipsis annis fidem adhiberi oporteat, ipsas quoque iam hinc mundi ætates secundùm septuaginta Interpretes cum annis suis [1] supputatas accipite, et quam annorum summam unaquæque ætas intra se videat concludere, tandem aliquando confusi sentite. Hoc tantùm admoneo, ne cuiquam illud videatur esse contrarium, quòd in tertia et quinta ætate sæculi non ipsarum generationum hìc anni ponuntur, quæ secundùm Evangelium Matthæi positæ sunt: quandoquidem generationes ipsas in eadem tertia et quinta ætate sæculi non sic cum suis annis dispositas, sicut in prima et secunda ætate sæculi, et annos pariter et generationes invenimus adscriptas.

PRIMA ÆTAS.

27 Præmissis quinque diebus, in sexto die Adam formatus est. Adam annorum ducentorum triginta genuit Seth. Seth annorum ducentorum quinque genuit Enos. Enos annorum centum nonaginta genuit Cainam. Cainam annorum centum septuaginta genuit Malahel. Malahel annorum centum sexaginta quinque genuit Iared. Iared annorum sexaginta duo genuit Enoch. Enoch annorum centum sexaginta quinque genuit Mathusalem. Mathusalem annorum centum sexaginta septem genuit Lamech. Lamech annorum centum octoginta octo genuit Noë. Noë anno-

(1) Præ oculis Iulianum habuisse Isidori Hispalensis Chronica, et lib. 5. Etym. ut sex ætatum annos computaret, minime dubitamus. An verò ea cognoverit quæ Chronica nuncupantur Melliti edita ab Henrico Florezio tom. 6. Hisp. Sacræ, aliorum esto iudicium: nos certè ad partem affirmantem nimis propendimus. Ut ut sit, Iulianus utrumque compilavit, et alia adiecit quæ in eis desiderantur.

norum quingentorum [1] factum est diluvium.

SECUNDA ÆTAS.

28 Sem [2] anno secundo post diluvium genuit Arfaxat. Arfaxat annorum centum triginta quinque genuit Cainam. Cainam annorum centum triginta genuit Sala. Sala annorum centum triginta genuit Heber. Heber annorum centum triginta quatuor genuit Faleg. Faleg annorum centum triginta genuit Ragau. Ragau annorum centum triginta duorum genuit Seruch. Seruch annorum centum triginta genuit Nachor. Nachor annorum septuaginta novem genuit Thare. Thare annorum septuaginta genuit Abraham. Hæc secunda ætas, quam per denas generationes diximus currere, unam minus habet secundùm codices Hebræos, quæ hìc ponitur, id est, illam quæ dicitur Cainam. Quam tamen generationem et septuaginta Interpretes memorant, et Evangelium secundùm Lucam confirmat. Hæ autem duæ ætates sæculi, id est, una ante diluvium, altera post diluvium, ideò nullam habent difficultatem in perventione annorum, quia directis generationum lineis currunt, sicut est unum ex altero propagatum.

TERTIA ÆTAS.

29 Tertia dehinc ætas sæculi sequitur, in qua ideo post commemorationem Abrahæ, Isaac, Iacob, et Ioseph per Hebræorum servitutem in Ægypto, et tempora Iudicum anni quæruntur, quia in generationes illas quatuordecim, quæ per Matthæum ab Abraham usque ad David commemorantur, non ubique anni ipsi manifestè patescunt. Quod propterea dicimus, ne contrarium aliquid videatur cuiquam, quòd alius illic generationum, alius hìc auctorum ordo servetur, ubi anni quæruntur: cum illic evidens tantumdem ordo generationum texatur, qui pervenit usque ad Christum; hìc autem sola annorum veritas describatur, quæ in annis fidem collocet temporum.

30 Abraham annorum centum genuit Isaac. Isaac annorum sexaginta genuit Iacob. Iacob annorum nonaginta genuit Ioseph. Ioseph annos centum et decem vixit. Hebræorum servitus in Ægypto annis centum quadraginta quatuor. Moses annis quadraginta rexit populum in eremo. Iosue annis viginti septem. Otoniel annis quadraginta. Aoth annis octuaginta. Debora annis quadraginta. Gedeon annis quadraginta. Abimelech annis tribus. Tho-

(1) Ita ediderunt collectores Bibliothecæ PP. errantes absdubio. Alii conformiter ad S. Isidorum lib. 5. Etymol. cap. 39. et in Chronic. *Noe anno sexcentesimo factum est diluvium.* Nos verò malemus legere: *Noe annorum quingentorum genuit Sem. Noe anno sexcentesimo factum est diluvium.* Sed cum MSS. codicibus destituamur, sufficit hæc animadvertere.

(2) Hæc una ratio est quæ nobis suadet Iulianum legisse Mellitum, nam, ut iste, dumtaxat posuit, *Sem anno secundo post diluvium genuit &c.* cum Isidorus in Chronic. scripserit: *Sem anno secundo post diluvium cum centum esset annorum genuit &c.*

Thola annis viginti tribus. Iair annis viginti duobus. Iepte annis septem. Abessa annis septem. Abdon annis octo. Samson annis viginti. Heli sacerdos annis quadraginta. Samuel et Saul annis quadraginta.

QUARTA ÆTAS.

31 In hac quarta ætate si cuiquam fortè contrarium esse videtur, quòd non ipse numerus quatuordecim generationum hìc servetur, qui in Matthæo complectitur; attendat inter Ioram regem, et Ionatham, omissâ Athaliâ, tres reges in medio prætermisisse Matthæum, qui hìc cum annis ponuntur, et in Evangelio detrahuntur, pro eo quòd Ioram generi se miscuerat impiissimæ Iezabel, et idcirco usque ad tertiam generationem memoria tollitur, ne in sanctæ nativitatis ordine poneretur. Quamquam et illud præ ceteris considerare conveniat, quòd plures fuerunt successiones, pauciores autem generationes. Non enim quæ regum, eadem generationum sunt tempora. Unde et Matthæus eos quos ad generationem non putavit pertinere, præteriit. Sic, inquam, fiet, ut usque ad Ieconiam quatuordecim generationum numerus non offendat.

32 David annis quadraginta. Salomon annis quadraginta. Roboam annis decem et septem. Abia tribus. Asaph annis quadraginta et uno. Iosaphat annis viginti quinque. Ioram annis octo. Ochozias anno uno. Atalia annis septem. Ioas annis quadraginta. Amasias annis viginti novem. Ozias annis quinquaginta duobus. Ionatham annis sex. Achaz annis viginti sex. Ezechias annis viginti novem. Manasses annis quinquaginta quinque. Ammon annis duodecim. Iosias annis triginta duobus. Ioachim, qui et Ieconias, annis undecim. Sedecias annis undecim.

QUINTA ÆTAS.

33 Quinta ætas a transmigratione Babylonis usque ad Christum: quam Matthæus per generationes sex sequitur, quia in progeneratoribus ipsis, utpote in captivitate constitutis, quis quot annis vixerit, non facilè noscitur. Ideo meliùs numerus annorum ætatis huius usque ad Christum per historias gentium cognoscendas adhibetur. Hebræorum captivitas septuaginta annis. Darius annis triginta quatuor. Hujus tempore Iudæorum captivitas absoluta est. Xerxes annis viginti. Artaxerxes annis quadraginta. Darius [1] decem et novem annis. Artaxerxes annis quadraginta. [2] Artaxerxes annis viginti sex. [3] Xerxes annis quatuor. [4] Darius annis sex. Alexander quinque annis. Ptolemæus annis qua-

(1) Scilicet *Nothus*, eo cognomine designatus ab Isidoro, et Mellito in chron. ut ab aliis Dariis distinguatur.

(2) Artaxerxes, qui et *Ochus* dictus est, ut eum nominant in chron. iidem Isidorus, et Mellitus.

(3) Xerxes quoque legitur apud Isidor. lib. 5. Etym. sed meliùs in suis chron. ut et apud Mellitum: *Arses Ochi filius.*

(4) Haud malè hunc Darium ad aliorum eiusdem nominis distinctionem, *Arsami filium* cognominavit Mellitus.

draginta. Philadelphus annis triginta octo. Evergetes annis viginti sex. Philopater annis decem et septem. Epiphanes annis viginti quatuor. Philometer annis triginta quinque. Evergetes annis viginti novem. Soter annis decem et septem. Alexander annis decem. Ptolemæus annis octo. Dionysius annis triginta. Cleopatra annis duobus. Iulius Cæsar annis quinque.

SEXTA ÆTAS.

34 „ (1) Octavius Cæsar re-
„ gnavit annos quinquaginta sex.
„ Huius quadragesimo primo an-
„ no , iuxta quod Tertullianus
„ Hieronymusque testantur, Chri-
„ stus Dei filius de Maria sem-
„ per Virgine nascitur, " et Tiberii Imperatoris tempore crucifigitur , qui regnavit annis viginti quatuor. Ab initio itaque sæculi usque ad tempus nativitatis Christi , quando quadragesimus primus annus Octaviani Cæsaris fuit, eveniunt anni 5325. Iam verò residuus annorum numerus a tempore nativitatis Christi usque in præsens in promptu est unicuique , et scire si volet , et supputare si placet, assumptis videlicet annis secundùm Æram ab ipsa Domini incarnatione. Æra enim inventa est ante triginta et octo annos quàm Christus nasceretur. Nunc autem acclamatur Æram esse 724. Detractis igitur triginta et octo annis , ex quo Æra inventa est , usque ad nativitatem Christi, residui sunt 686. anni. Reliquum igitur huius sextæ ætatis tempus , id est , a præsenti die usque in horam ipsam finis sæculi quot annorum spatiis protendatur , soli Deo est cognitum. At nunc sit gloria ipsi unigenito Christo Filio Dei , per quem repudiata interim manifestè patescit opinio illa vestra vanissima, qua et sextam adhuc ætatem sæculi expectatis , et sæculum istud in sex millibus tantùm annis stare confingitis , quos iam et ipsos transactos esse probabitis , si studiosiùs attendatis. Repetendum est igitur quod audistis.

35 Ab initio enim mundi usque ad Christum computatos diximus annos 5325. quibus si addantur anni ab Incarnatione Domini 686. usque in præsentem diem , id est , quando Serenissimus Ervigius Princeps sextum imperii sui videtur habere annum, computati sub uno 6011. anni efficiuntur. Quos etiam si iuxta aliorum historias computare velitis , propensiorem et maiorem fortasse annorum numerum comprobatis. Sic , inquam, transactis sex millibus annis , quid iam nunc Iudæorum falsitas agis, quando perdito regno et sacerdotio , traheris in errorem , et generationum nesciens ordinem , in solis annis tibi futuram collocas fidem? Ecce multipliciter victus et convictus es de ætate sæculi sexta , et Christi nativitate præte-

(1) Ita edidêre collectores Bibliothecæ Patrum ; alii autem , *Octavianus* , ut et Mellitus , et S. Isidor. in Etymolog. sed in Chronic. *Octavius*. Isidorus autem Pacensis , qui transfert verba notata : *Octavianus.... regnat* , *&c.*

terita. Nihil enim verum quod respondeas invenies, quia et per ætates iuxta codices tuos generationum ordine patefacto succumbis, et per ipsam annorum summam secundùm codices vulgatæ editionis manifestè deiiceris. O quam dolendus est error tuus! Nulla enim te prophetalis historia iuvat, nullus historicus ordo confirmat : iam signa tua non vi-
Psalm. 73. 9. des, iam non est Propheta, nubibus enim mandavit, ne pluant *Isai. 5. 6.* super te pluviam; et adhuc dicis nasciturum esse Christum? Expecto, inquies, qui iam olim venit in mundum. Verè multum erras, multum desipis, multum stertis, graviter enim corruisti, ô Israël : in iniquitatibus tuis collisus es, confractus es, conquassatus es. Viam perdidisti, viam ergo sequere, ut per viam venias ad salutem. Amen.

SANCTI IULIANI EPISCOPI TOLETANI

ANTIKEIMENΩN,

HOC EST,

CONTRAPOSITORUM SIVE CONTRARIORUM IN SPECIEM UTRIUSQUE TESTAMENTI LOCORUM LIBRI DUO.

EX ANTIQUO FULDENSI CODICE ERUTI, ET AUCTORI SUO RESTITUTI.

In sequens opusculum Andrææ Scoti præfatio eius editioni præfixa in Bibliotheca magna veterum Patrum Coloniensi.

In sacram Scripturam quæstiones investigando scripsere olim complures. In his Hieronymus et Augustinus, maxima Ecclesiæ lumina, tomo quarto. Tamen quæ huius nomine circumferuntur[1] *Quæstiones veteris ac novi Testamenti* Beati Augustini non esse, sed hæretici alicuius docet Illustrissimus Bellarminus Card. multis argumentis. Iurisconsulti ad hæc Ἀντινομίας, e suis collectas Pandectis atque Codicibus Iuris, conciliare invicem student. In sacris verò litteris, ut in Dei, quæ ipsa est veritas, verbo atque eloquio, nul-

(1) Vide sis admonitionem Benedictinorum in hunc Librum Quæstionum in App. tom. 3. Operum S. Augustini pag. 34.

la existunt reverâ pugnantia, sed in speciem dumtaxat, quæ facilè e sanctis Patribus a Theologis orthodoxæ fidei queant componi ac conciliari. Anonymus quoque in hoc genere podiit olim, Αντικειμένων titulo, hoc est, *Locorum S. Scripturæ in speciem pugnantium*, libris duobus, nimirum in vetus novumque Testamentum; sed quos quidam in tres libellos non recte diviserit, epistolas Apostolicas ab Evangeliis (quibus simul constat novum Testamentum) segregando.

Nos nuper dum beatos Isidorum atque Ildephonsum de Sacris Ecclesiæ Scriptoribus evolveremus, in appendice Felicis de Iuliani Episcopi Toletani scriptis incerti auctoris Libellum huic Iuliano reddi observavimus, puta Αντικειμένων, quem natalibus suoque parenti nunc demum reddimus, auctoritatem Felicis secuti. Sic enim ille: " Scripsit et Iulianus Librum de Contrariis, quod Græ„ ce Αντικειμένων voluit titulo donare: qui in duos divisus est libros, „ ex quibus primus dissertationes continet veteris Testamenti, se„ cundus, novi." Hactenus Felix Hispanus. Porro editum memini hoc opusculum a Ioanne Alexandro Brassicano Iureconsulto, Basileæ 1530. Decimo post anno Coloniæ Cervicor. evulgavit ex codice, ni fallor, Fuldensi longe antiquissimo. Parisiis quoque cum Iunilio in Genesim exiit typis. Tractavit post idem argumentum Seraphinus Cumiranus Feltrensis e familia Sodalium sancti Francisci hoc epigraphe Libri duplicis: *Conciliatio locorum communium sacræ Scripturæ, qui inter se pugnare videntur.* Is hanc nactus spartam mirificè illustravit: nobis verò patrem auctoremque digito veluti commonstrasse sit satis. VALE.

In præsentem editionem monitum nostrum.

Pauca sunt, quæ post Andræam Scotum moneamus lectorem. Sed illud silentio præterire minimè debemus, hocce opusculum ante ipsum sæpe editum, absque auctoris nomine apparuisse: ipsumque primum fuisse, qui eius germanum parentem quasi digito indicaverit, ut ipse loquitur. De quo nos ei gratulamur: verùm quod ille paulo timidius pronuntiavit, nos tamquam exploratum omnino, atque indubitatum asserimus, huius opusculi non alium Auctorem extitisse præter nostrum Iulianum. Nemo enim hactenus dubitavit scripsisse Αντικειμένων *S. Scripturæ in duos libro divisum, teste Felice eius successore. Quòd verò huiusmodi tractatus is ipse sit quem edimus, amplius dubitare nos non patitur Apologeticum Sansonis, Abbatis Monasterii Pinamelariensis in Bætica, et Ecclesiæ S. Zoyli Parochi, scriptum anno 864. adversus Hostigesium: opus ante paucos annos editum*

tum a P. Florez tomo XI. Hispaniæ Sacræ. Cuius testimonium huiusmodi est, cui nemo refragari possit. In eo enim non semel laudatur opusculum Αντικειμένων *S. Iuliani Toletani; neque id solum, sed et verba ipsissima, qualia in interrogationibus, et responsionibus reperiuntur: scilicet (ut nos etiam suis locis adnotamus) in quæstione 16. 59. 115. et 129. libri primi, et 48. libri secundi. Quo luculentissimo argumento omnes difficultates evanescunt, quæ Guillelmo Caveo, et Fabricio visæ sunt præsentem quæstionem de vero huius libri auctore implicatissimam reddere. Itaque si qui sunt MSS. codices in Italia (quales in Bibliotheca Aniciana extare testatur Ioan. Bap. Maro, et in Casinensi Angelus de la Nuce Archiepiscopus Rosanensis) cum nomine S. Bertharii, qui anno 856. Abbas erat Casinensis, vita functus anno 883. vel ideo nomen illius præ se ferre dicendi sunt, quòd ipsius cura, aut opera exscripti fuerint, vel sub eodem titulo diversas quæstiones, vel diversis sententiis explicatas continent, quorum utrumque frequentissimum est, ut nemo prorsus ignorat. Certe quodlibet aliud excogitandum est potius, quàm hocce opusculum abiudicemus Iuliano post apertissima Felicis, et Sansonis testimonia.*

Ad præsentem editionem quod attinet, quoniam Lugdunensis edit. Bibliot. Patr. quam unicè ad manus habuimus, pluribus mendis scatebat, curavimus Patrum sententias, quibus universum opus intextum est, ad meliores illorum editiones conferre atque emendare: sobriè tamen, cauteque id egimus, habentes præ oculis, S. Iulianum non tam sententiarum verba, quàm sensum aliquando referre. Sed neque in ipsis verbis continuò correximus si quid ab editis discrepant: quoniam sæpissimè S. Doctoris lectio probabilis, nonnumquam veromisilior est; ut dubitare nemo possit S. Iulianum emendatissimos codices SS. PP. manibus versasse. Quæstionum deinde ordinem ante perturbatum correximus; ut deinceps quæstiones non solùm librorum S. Scripturæ, sed etiam in unoquoque libro capitum ordinem sequerentur. Insuper ex Sansonis Apologetico supplevimus quæstionem 70. lib. 1. ab ipso laudatam cap. 24. lib. 2. quæque in ceteris editionibus desiderabatur. Nihil deinde non egimus, ut editio sit absolutissima, quantum fieri possit.

LO-

LOCORUM IN SPECIEM PUGNANTIUM

IN HIS ANTIKEIMENΩN LIBRIS DUOBUS

INDEX ALPHABETICUS.

A

	Lib.	Interrog.
Abba, Pater, nos clamamus in Spiritu sancto:	2.	45.
Abba, Pater, Spiritus filii clamat in nobis.		
Accedite ad Dominum et illuminamini:	2.	73.
Lucem inaccessibilem illam nemo videt.		
Adam primùm creatus est, deinde Eva:	1.	12.
Adam et Eva simul creati leguntur.		
Adorabis Dominum Deum tuum:	1.	36.
Adorate scabellum pedum eius.		
Adversarius quis erit, si Deus pro nobis?	2.	47.
Adversarius vester diabolus quærit quem devoret.		
Ægyptiis Dominus Salvatorem mittet:	1.	41.
Ægyptios Dominus percutiet plaga.		
Angeli in cum prospicere desiderant:	2.	78.
Angeli semper vident faciem patris mei.		
Angeli semper vident faciem patris mei:	2.	9.
Angeli omnes in ministerium sunt missi.		
Anima hominis ad patrem advocatur:	1.	73.
Anima domum patris oblivisci iubetur.		
Animæ in Ægyptum venientes septuaginta:	1.	21.
Animæ in Ægyptum venientes septuaginta quinque.		
Animam non possunt occidere:	2.	4.
Anima mea malis repleta est.		
Animalia non revertebantur cum incederent:	1.	50.
Animalia ibant et revertebantur.		
Animalia quædam ex lege Moysi immunda:	1.	15.
Animalia quædam etiam in arca Noë immunda.		
Anni peregrinationis in Ægypto quadringenti:	1.	17.
Anni peregrinationis in Ægypto quadringenti triginta.		
Anno secundo Nabuchodonosor somnium est factum:	1.	55.
Anno tertio pueri adducti sunt.		
Anno primo Cyri Regis Daniel fuit:	1.	56.
Anno tertio Cyri Regis Daniel fuit.		
Aquas in plateis divide:	1.	105.
Aquas tu solus habeto.		
Argue, increpa in omni patientia:	2.	75.
Argue cum omni imperio.		
Ascendit Elias in cælum:	1.	40.
Ascendit in cælum nemo, nisi qui descendit, &c.		

Aver-

Aversus es ab ira tua: 1. 83.
Averte iram tuam a nobis.
Aure audietis, persona filii loquitur: 2. 30.
Aure audietis, persona Spiritus sancti loquitur.

B

Baptismus in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti: 2. 15. 16.
Baptismus in nomine Iesu Christi.
Beatus qui non est compunctus tristitia delicti: 1. 123.
Lugete et plorate.
Beatus qui suffert tentationem: 2. 2.
Ne nos inducas in tentationem.
Beneficium cum electione: 1. 120.
Beneficium sine electione.
Bonum in me non habitat: 2. 58.
Vivo, non ego, sed vivit in me Christus.
Bonum faciens non est usque ad unum: 1. 76.
Bonum faciens est populus Dei.
Bonus homo de bono thesauro profert bona: 2. 7.
Bonus nemo nisi solus Deus.
Bona omnia et Dominus et servus: 1. 6.
Bonus nemo nisi solus Deus.
Bona valde erant omnia: 1. 5.
Bona quædam non erant, sed immunda.

C

Calceamentum solve de pedibus tuis: 1. 23.
Calceamenta habebitis in pedibus vestris.
Calix vini meri plenus: 1. 82.
Calix plenus mixto.
Carne mea videbo Deum Salvatorem meum: 1. 133.
Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt.
Carne non vivimus, nec secundùm carnem militamus: 2. 54.
Carnalis ego sum, Paulus ait.
Caro non prodest quidquam: 2. 24.
Carnem meam non edens non habet vitam.
Christus ex semine David secundùm carnem: 2. 36.
Si novimus Christum secundùm carnem, iam non novimus.
Circumcisio prodest, si legem custodias: 2. 59.
Si circumcidamini, Christus nihil prodest.
Circumcisis Christus nihil prodest: 2. 60.
Circumcidit Timotheum discipulum Paulus.

Clama, ne cesses: 1. 45.
Clamor tollatur a vobis.
Clamans laboravi, raucæ factæ sunt fauces meæ: 1. 79.
Sicut agnus non aperuit os suum.
Confusio est adducens peccatum: 1. 117.
Confusio est adducens gloriam.
Contendere noli verbis: 2. 74.
Contradicentes revincere debent Episcopi.
Cor meum iucundetur: 1. 85.
Cor meum timeat nomen tuum.
Cor Regis in manu Dei est: 1. 109.
Cor Nabuchodonosor secundùm voluntatem suam fuit.
Corruptio carnis Christi negata: 1. 63.
Corruptio carni Christi attributa.

D

Da bono, et non peccatori: 1. 121.
Da omni petenti te.
Deum se vidisse Iacob testatur: 1. 20.
Deum nemo vidit unquam.
Deus auctor et creator boni: 1. 7.
Deus faciens pacem, et creans malum.
Dederunt potum, acetum cum felle: 2. 13.
Dederunt in escam meam fel.
Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi: 2. 55.
Deus, Deus meus, quare me dereliquisti?
Deus ad iracundiam provocatus: 1. 47.
Deus ad iracundiam provocandus.
Deus iustus et verax est: 1. 84.
Deus frustra Iob afflixit.
Deus non mentitur, nec mutatur: 1. 34.
Deus mutavit sententiam cum Ninivitis.
Deus septimo die requievit: 1. 9.
Deus usque modo operatur.
Deus vult omnes homines salvos fieri: 2. 71.
Deus cui vult miseretur, et quem vult indurat.
Diabolus nominavit Christum filium Dei: 2. 8.
Diabolus explorat, an sit filius Dei.
Die primo Angeli, sexto homo creati sunt: 1. 3.
Die una Angeli et homo creati leguntur.
Dies una creationis mundi: 1. 8.
Dies septem creationis mundi.
Dies vespere et mane fuit: 1. 1.
Sidera deinde quarto die facta.

Diligite amicos vestros, et non inimicos: 1. 32.
Diligite inimicos vestros.
Dolores et tribulationes invenerunt me: 1. 64.
Dolores et tribulationes ego inveni.
Dormienti Deo dicitur, exurge Domine: 1. 72.
Neque dormitabit, neque dormiet.
Dulcedo voluminis Ezechielis in ore: 1. 51.
Amaritudo in indignatione spiritus.

E

Ecclesia una est: 1. 113.
Ecclesiis septem scripsit Ioannes.
Escam fenum ut bos comedit: 1. 137.
Esca eius electa est.
Exauditus non est David clamans ad Dominum: 1. 65.
Exauditus est David clamans ad Dominum.

F

Fermentum de sacrificiis abiiciendum: 1. 31.
Fermentatus panis adhibendus.
Filii Abrahæ Iudæi sunt dicti: 2. 26.
Filii diaboli Iudæi dicti.
Filium Dei se fore Paulus expectat: 2. 46.
Filios Dei nos esse, Paulus prædicat.
Filius David Christus est: 2. 19.
Cur David ipsum Dominum vocat?
Fides sine operibus mortua: 2. 77.
Fides, ei qui non operatur, reputatur ad iustitiam.
Frustra nihil facit Deus: 1. 134.
Frustra ipse Iob afflixit.
Fugite persecuti in aliam civitatem: 2. 5.
Fugit mercenarius, dat animam pastor.

G

Gazophylacium sacerdotum ad meridiem: 1. 54.
Gazophylacium sacerdotum ad aquilonem.
Generationem eius quis enarrabit? 1. 43.
Generatio eius sic erat.
Gentes heredes fore notum fuit veteribus: 1. 22.
Gentes heredes esse non notum aliis.
Gloriatio Pauli tantum in cruce Domini: 2. 63.
Gloriatio Pauli in infirmitatibus suis.

H

Heliam se non esse Ioannes ait: 2. 21.
Heliam ipsum esse Christus dixit.
Homo ad imaginem Dei factus: 1. 4.
Deus quis similis tibi?
Homo de limo factus: 1. 11.
Homo manibus Dei factus.
Homo sexto die factus: 1. 10.
Homo non erat qui operaretur terram.
Homo centum viginti annos vivet: 1. 14.
Homo multos plures annos vixit.
Honora patrem, quartum mandatum: 1. 26.
Honora patrem, primum mandatum.

I

Iesus in iudicium in hunc mundum venit: 2. 27.
Iesus venit, non ut iudicet mundum.
Iesus dictus est sedens a dextris patris: 2. 18.
Iesus visus est stans a dextris patris.
Iesus quadraginta dies cum discipulis post resurrectionem: 2. 83.
Iesus dixit discipulis, Cum adhuc essem vobiscum.
Imitatores Dei estote: Paulus ait. 2. 65.
Imitatores mei stote: Paulus ait.
Immutabilis David promissus est: 1. 67.
Mutabilis David mox effectus est.
Impii videbunt in quem pupugerunt: 1. 61.
Impius tollatur, ne videat claritatem Domini.
Inimico tuo ne credideris in æternum: 1. 122.
Inimico tuo esto consentiens in via.
Iniquos persequitur malum: 1. 107.
Iniquis bene est omnibus.
Initium peccati superbia est: 1. 119.
Initium peccati cupiditas est.
Interpres Gabriel erit: 1. 58.
Interpres non erat.
Invocantibus omnibus prope est: 1. 102.
Invocabunt me, et non exaudiam.
Invocabunt me, et non exaudiam: 1. 103.
Invocantibus te omnibus misericors es:
Iob seipsum reprehendit: 1. 138.
Iob amicis tribus præfertur.
Iob desperasse legitur: 1. 126.
Iob parci sibi desideravit.

Iob vias suas redarguit: 1. 131.
Iob scit, quod iustus sit.
Ioannes Christum venisse prædicavit: 2. 22.
Ioannes, an Iesus sit Christus, quæsivit.
Ioannes, non manducans neque bibens: 2. 17.
Ioannis esca locustæ et mel.
Irascimini, et nolite peccare: 1. 62.
Iram omnem deponite.
Iracundia a Deo longe est: 1. 47.
Iracundia et furor cum Deo est.
Israël quarta generatione exiens de Ægypto: 1. 18.
Israël quinta generatione exiens de Ægypto.
Iudicium Patri attributum: 2. 25.
Iudicium omne Filio dedit.
Iudicia oris tui omnia pronunciavi: 1. 96.
Iudicia Dei inscrutabilia sunt.
Iudiciis tuis non declinavi: 1. 97.
Iudicia tua doce me.
Iurabitis per nomen meum: 1. 35.
Iurare nolite omnino.
Iustificabitur in conspectu tuo non omnis vivens: 1. 100.
Elegit nos, ut essemus sancti.
Iustificationes tuas in corde abscondi: 1. 95.
Iustificationes tuas doce me.
Iustus manducans replevit animam suam: 1. 108.
Iustus Paulus esuriit sitivitque.
Iustè omnia disponis: 1. 116.
Non puniendum condemnas.

L

Laus Corinthiorum, quòd nihil desit eis: 2. 50.
Schismata et contentiones in Corinthiis.
Laus eius semper in ore meo: 1. 69.
Laudem septies in die dixi tibi.
Laudabunt te Domine non mortui: 1. 92.
Laudabo nomen tuum in æternum.
Laudet te os alienum: 1. 110.
Laudat se Iob de multis.
Legem Paulus se non destruere testatur: 2. 39.
Legem destrui a Paulo prædicatur.
Lex sancta et iusta est: 2. 42.
Lex virtus peccati est.
Lex ubi non est, ibi nec prævaricatio est: 2. 40.
Prævaricatores omnes peccatores terræ.

Lex iusto non est posita: 2. 70.
Legem pone mihi Domine.
Lex ubi non est, ibi nec peccatum imputatur: 2. 43.
Peccatum Cain et Patriarchæ agnoverunt.
Lex ubi non est, ibi nec prævaricatio est: 2. 37.
Peccato omnes obnoxii sunt.
Locutus sum palam mundo: 2. 35.
Locutus sum hæc in proverbiis.
Longævitas vitæ promissa est: 1. 27.
Longævitas vitæ deplorata est.

M

Magistrum se dici Christus noluit: 2. 10.
Magistrum se Christus et Dominum asseruit.
Magnitudinis eius non est finis: 1. 101.
Magnus super omnes, qui in circuitu eius sunt.
Maior serviat minori: 1. 19.
Maior adoratur a minori.
Maledici regnum Dei non possidebunt: 2. 51.
Maledixit Paulus Ananiæ.
Mandatum non novum scribo vobis: 2. 79.
Mandatum novum do vobis.
Mandatum tuum latum nimis: 1. 98.
Porta angusta est vitæ.
Mendax omnis homo: 1. 93.
Mendax non David hæc loquens.
Mirabilia multi sancti fecerunt: 1. 81.
Mirabilia magna solus Deus facit.
Mori Paulus cupit, et esse cum Christo: 2. 67.
Mori non vult Paulus, sed supervestiri.
Mors super illos veniet: 1. 76.
Viventes descendunt ad inferna.
Mortem quis non videbit? 1. 87.
Mortem non videbit, sermonem Dei servans.
Mulieribus docere non permittitur: 2. 72.
Mulieribus docendi potestas datur.
Multa habeo vobis dicere: 2. 33.
Omnia nota feci vobis.
Multifariam multisque modis locutus est Deus: 1. 78.
Semel locutus est Deus.
Multiplicavit vulnera mea sine causa: 1. 128.
Nihil in terra sine causa.
Multiplicati sunt nimis: 1. 91.
Pauci facti sunt.

Mundi corde Deum videbunt: 1. 124.
Satan inter filios Dei astitit.

N

Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit, &c. 2. 23.
Ubi ego sum, illic et ministri mei erunt.
Nemo potest dicere Dominum Iesum, nisi in Spiritu sancto: 2. 3.
Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, introibit, &c.
Nocens, in opere malo non permaneas: 1. 112.
Nocens noceat adhuc.
Nomen Dei est, Quis est? 1. 24.
Nomen Dei est, Deus Abraham, &c.
Novit Dominus et decipientem et deceptum: 1. 129.
Numquam novi vos, dicit Dominus.
Numerus numquid est militum eius? 1. 136.
Decies millies assistebant ei.
Numquid de bobus cura est Deo? 1. 70.
Homines et iumenta salvos facies, Domine.

O

Oblatio victimarum instituta: 1. 30.
Oblatio victimarum Deo odiosa.
Omnia nuda et aperta oculis eius: 2. 76.
Videbo, ait Dominus, an sit ita.
Omnis hypocrita non veniet in conspectu Dei: 1. 130.
Omnes gentes congregabuntur ante eum.
Onera portate alter alterius: 2. 62.
Onus suum quisque portabit.
Onus meum leve est: 1. 98.
Vias duras ego custodivi.
Opera iustitiæ per peccatum perduntur: 1. 52.
Opera cuiusque per ignem ponderantur.
Opera vestra ne faciatis coram hominibus: 2. 1.
Opera vestra videant homines.
Oratio tua non iteranda: 1. 118.
Oratio sine intermissione fienda.
Oves alias habeo adducendas: 2. 29.
Non sum missus nisi ad oves Israël.

P

Pacem meam do vobis: 2. 32.
Pacem non veni mittere in terram.

Parcis minimè delinquenti: 1. 127.
Parcis peccatis meis.
Pater et ego unum sumus: 2. 30.
Pater maior me est.
Patrem nolite vobis vocare super terram: 2. 11.
Patres nostri omnes sub nube fuerunt.
Paulus aliquando sine lege vixit: 2. 37.
Paulus octava die circumcisus fuit.
Paulus aliquando sine lege vixit: 2. 41.
Paulus Hebræus ex Hebræis.
Paulus abundantiùs se laborasse dicit: 2. 53.
Paulus se infirmum omnium sanctorum ait.
Paulus primùm in Arabiam abiit: 2. 57.
Paulus primùm Damasci commoratus est.
Pax in sublimibus habetur: 1. 135.
Rex Persarum restitit Angelo.
Peccase Iob se accusat: 1. 125.
A corde suo reprehendi se negat.
Peccatum parentum in filiis redditur: 1. 28.
Peccatum parentum non in filiis redditur.
Peccatum Christus non fecit: 1. 44.
Peccatum Christus pro nobis fecit.
Peccatum quod operor non intelligo: 2. 44.
Peccatum non cognovimus, nisi per legem.
Peccatum Iudæi ante adventum Christi habuerunt: 1. 49.
Peccatum non haberent, si non venisset Christus.
Peccatum vestrum nunc manet: 2. 28.
Peccator Paulus primus legitur.
Peccatum non facit, omnis qui est ex Deo: 2. 80.
Peccatum nos non habere si dixerimus, &c.
Peccatum non facit ex Deo natus: 2. 82.
Filios genui, ipsi autem spreverunt me.
Peccato omnes obnoxii sunt: 2. 38.
Peccatores multi per inobedientiam unius.
Peccator cum ingemuerit, salvus erit: 1. 68.
Peccatorem Deus non exaudit.
Peccatoribus se Deus non commiscet: 1. 90.
Peccatoribus se Christus accommodavit.
Perfectionem Paulus abesse testatur: 2. 68.
Perfectionem Paulus adesse significat.
Personam filii loquentis Ioannes demonstrat: 2. 31.
Personam Spiritus sancti loquentis Paulus dicit.
Petite in nomine meo, et accipietis: 2. 34.
Petiit Paulus ter, nec impetravit.

Pla-

Placeat unusquisque proximo suo: 2. 49.
Si hominibus placerem, servus Christi non essem.
Placete omnibus per omnia, sicut ego omnibus placeo: 2. 56.
Si hominibus placerem, servus Christi non essem.
Potestas non est, nisi ex Deo: 2. 48.
Regnaverunt ipsi, sed non ex me.
Præcepta dedi eis non bona: 1. 53.
Præcepta et iusta et bona sunt.
Prædicatores bonos vult Deus: 1. 75.
Prædicatores etiam malos admittit.
Principes mali, non ex Deo: 1. 59.
Principes etiam mali ex Deo.
Prole carentes, maledicti: 1. 38.
Prole etiam carentes, benedicti.
Promissio Dei David facta: 1. 86.
Promissio Dei immutata visa.
Promissio domui Heli facta est: 1. 39.
Promissio eadem immutata est.
Prophetam se esse Amos negat: 1. 60.
Prophetam ipsum esse nos novimus.

Q

Quærentes animam eius vim faciebant: 1. 71.
Quærentes non sunt animam eius.

R

Rector mundi secundùm omnes Scripturas Deus: 2. 66.
Rectores mundi adversarii nostri.
Redemptionem corporis Paulus sperat: 2. 46.
Redemisse nos Christum Paulus prædicat.
Reges regnaverunt, non ex me: 1. 59.
Reges regnare facit, etiam hypocritas.
Regnavit cum Christo mille annos: 2. 69.
Semper cum Domino erimus.
Resurget minimè homo dormiens: 1. 132.
Resurgemus quidem omnes.

S

Sabbatum sanctificandum: 1. 25.
Sabbatum Deo odiosum.
Sacerdos quosdam mortuos non contingat: 1. 29.
Sacerdos mortuos omnino non contingat.

Sacrificium Deo immola: 1. 74.
Sacrificium si voluisses, dedissem.
Salvum me fac de limo profundi: 1. 80.
Infixus sum in limo profundi.
Sanguinem comedere prohibitum: 1. 16.
Sanguinem comedere præceptum.
Sedet Dominus a dextris tuis: 1. 89.
Sede a dextris meis.
Semper vobiscum ero ad consummationem sæculi: 2. 14.
Semper pauperes vobiscum habebitis, me non semper.
Sententiam Dei Daniel immutabilem novit: 1. 57.
Sententiam Dei mutandam persuasit.
Silentium sibi Ieremias indixit: 1. 48.
Silentium idem postea solvit.
Similis quis erit Deo? 1. 88.
Similes erimus ei.
Species non est ei, neque decor: 1. 42.
Speciosus forma præ filiis hominum.
Spiritus Domini replevit orbem terrarum: 1. 114.
Spiritus Domini discurrens, et mobilis dicitur.
Spiritus Domini bonus esse dicitur: 1. 115.
Spiritus Domini malus in Saul.
Spiritus Domini super me, Iesus ait: 1. 46.
Spiritus sanctus nondum erat datus.
Spiritus dona ad mensuram dantur: 2. 52.
Spiritum ad mensuram Deus non dat.
Subiecta omnia sub pedibus Christi: 2. 64.
Subiecta nondum omnia sub pedibus eius.

T

Tempestas demersit me: 1. 80.
Tempestas aquæ non me demergat.
Tentat vos Deus: 1. 37.
Tentat neminem Deus.
Tentatio ut absit oramus: 2. 2.
Tentatio beatos facit.
Terra sexta die creata, non legitur in Genesi: 1. 2.
Terra sexta die creata legimus in Psalmo.
Terra in æternum stabit: 1. 111.
Terra et omnia auferuntur.
Terra fundata super nihilum: 1. 99.
Terra fundata super aquas.
Timeas Dominum, et neminem alium: 1. 106.
Timeat uxor virum, et servus Dominum.

Timor non est in charitate: 2. 81.
Timor Domini castus permanet.
Tristes discipuli fuerunt Domini: 2. 12.
Tristantem mecum non invéni.
Tunicas duas Moyses habere iussus est: 1. 33.
Tunicas duas discipuli prohibiti sunt habere.

V

Viæ universæ Domini misericordiæ et veritas: 1. 66.
Viæ omnes Domini veritas.
Viam iniquitatis ambulans non revertetur: 1. 104.
Viam iniquitatis ambulans Paulus reversus est.
Vias Domini non ambulabunt iniqui: 1. 94.
Vias Domini Paulus iniquus ambulavit.
Virga discipulis prohibita: 2. 6.
Virga tantum ferenda admissa.
Virga Corinthis minatur: 2. 61.
Mansuetudo Galatis præcipitur.
Uxor subiicienda viro: 1. 13.
Uxor audienda a viro.
Uxores odire Christus iubet: 2. 20.
Uxores diligere Paulus docet.

ANTIKEIMENΩN

HOC EST

CONTRARIORUM SIVE CONTRAPOSITORUM

LIBER PRIMUS

Quæstiones ex veteri Testamento in speciem pugnantes, earumque dilucidas solutiones succinctim comprehendens.

EX LIBRO GENESEOS.

INTERROGATIO I. Aliàs 3.

Quomodo in illis primis diebus factum vespere et mane scribitur, cum in quarto die facta sint sidera, per quæ dies a noctibus distinguuntur? Sic enim in quarto die dixisse Dominus legitur: *Fiant sidera in firmamento cæli, ut luceant super terram, et dividant inter diem ac noctem, et sint in signa, et tempora, et dies, et annos.* Quomodo iam Deus diviserat inter diem et noctem, Gen. 1. 14.

ctem, si hoc quarto die sidera faciunt?

RESPONSIO.

Restat ut intelligamus per tres illos dies, qui sine sole vel luna fuerunt, in ipsa quidem mora temporis distinctiones ipsas operum sic appellatas, id est, vesperam propter transactionem consummati operis, mane propter inchoationem futuri operis, de similitudine scilicet humanorum operum, quia plerique mane incipiunt, et ad vesperam desinunt. Hoc autem quod in quarto die dicitur: *Dividant inter diem et noctem*, et cetera, sic debemus accipere, tamquam si diceretur: Sic inter se dividant inter diem et noctem, ut soli dies detur, nox verò lunæ et sideribus ceteris. In tres ergo illos dies iam divisio facta fuerat inter noctem et diem, sed nondum inter sidera, ut iam certum esset de siderum numero, quid per diem, et quid per noctem appareret hominibus.

Aliàs 4.

INTERROGATIO II.

Cum in Genesi non inveniatur scriptum, quia Deus in sexto die fundaverat terram, sed tantùm animalia et hominem: quomodo Psalmista in titulo Psalmi nonagesimi secundi quasi e contrario videtur dicere, *Laus cantici ipsi David, in diem ante sabbatum, quando fundata est terra?*

Gen. 1. 24. *&c.*

RESPONSIO AUGUSTINI.

« (1) Sexto die fecit Deus hominem ad imaginem suam: et „ sexto sæculo venit Dominus „ Iesus Christus, ut reformare„ tur homo ad imaginem Dei. „ Primum enim tempus tamquam „ primus dies, ab Adam usque „ ad Noë: (2) secundum a Noë „ usque ad Abraham: tertium „ tempus, quasi tertius dies ab „ Abraham usque ad David: „ (3) quartum usque ad transmi„ grationem Babyloniæ: (4) quin„ tum usque ad prædicationem „ Ioannis: (5) sextum tempus tam„ quam sextus dies, a Ioanne „ usque in finem. (6) In hoc sex„ to die Christus de Virgine na„ tus est, hoc die spiritalis ter„ ra fundata est, id est, Ecclesia. „ *Fundamentum enim nemo po-* 1. *Cor.* 3. 11. „ *test ponere, præter id quod* „ *positum est, quod est Chri„ stus Iesus.* Cum ergo omnes „ qui credunt per universam ter„ ram immobiles sunt in fide, „ fundata est terra, et tunc fit „ homo ad imaginem Dei, (7) quia „ illic figuratus est.

Enarrat. in Ps. 92. *num.* 1. *post medium.*

INTERROGATIO III.

Aliàs 5.

Cum primo die Angeli, sexto homo creatus sit; quomodo Dominus ad Iob loquitur, quasi simul Angelum et hominem crea-

Gen. 1. 26. *&c.*

ve-

(1) Edit. *sicut ergo sexto die fecit Deus hominem; .... sic invenimus sexto sæculo venisse Dominum, ... ut reformaretur, &c.*

(2) Edit. *secundum tempus, tamquam secundus dies a Noe, &c.*

(3) Edit. *quartum tempus tamquam quartus dies, a David usque ad &c.*

(4) Edit. *quintum tempus tamquam quintus dies, a transmigratione Babyloniæ usque ad &c.*

(5) Edit. *sextus dies iam a prædicatione Ioannis agitur usque ad finem.*

(6) Hæc verba usque ad Pauli sententiam non leguntur in Aug.

(7) Nec inibi reperies: *quia illic &c.*

Iob 40. 10. verit? Dicit enim: *Ecce Beemoth, quem feci tecum.*

RESPONSIO GREGORII.

Lib. 32. Mor. n. 17. "Simul creati sunt, non unitate temporis, sed cognitione rationis. (1) Scriptum namque Gen. 1. 26. de homine est: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Et per Ezechielem ad Satan dicitur: Ezech. 28. 12. 13. *Tu signaculum similitudinis plenus sapientia, et perfectus decore, in deliciis paradisi Dei fuisti.* In cuncta igitur creatura homo et Angelus simul conditus extitit, quia ab omni creatura irrationabili distinctus processit."

Aliàs 14. INTERROGATIO IV.

Cum in Genesi scriptum sit, Gen. 1. 26. 27. *Fecit Deus hominem ad imaginem et similitudinem suam:* quomodo Propheta in Psalm. 70. quasi non sit homo ad similitu- v. 19. dinem Dei formatus, dicit: *Deus, quis similis tibi?*

RESPONSIO.

Aliud est si perversè quis velit fieri similis Deo, id est, per superbiam, sicut diabolus, qui Isai. 14. 14. dixit, *Ero similis altissimo:* et aliud, si per obedientiam et adimpletionem præceptorum eius similitudinem Dei in se reportet. Homo enim suadente diabolo dum perversè voluit fieri similis Deo, captivus est sub seductore suo. Ecce ipse hic clamat, qui ab illo ceciderat, et dicit: *Deus, quis similis tibi?* quia in ipso utique captivo homine similitudo Dei perierat, cum per superbiam Deo esse similis cupiebat. At verò ad suam nos Deus similitudinem facit, cum præceptis suis nos admonet inhærere: cum tales nos vult fieri, sicut et ipse est: cum per Scripturam suam clamat: *Sancti estote, quia et ego sanctus sum.* Lev. 11. 44. Nam etiam cum dicit: *Diligite inimicos vestros, orate pro eis, qui vos persequuntur: benefacite his, qui oderunt vos,* ad similitudinem suam nos hortatur. Matth. 5. 44. Denique quid adiungit? *Ut sitis filii patris vestri, qui in cælis est.* v. 45. Quid enim? ipse facit hoc? facit certè; quia *solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super iustos et iniustos.* Qui ergo bene vult inimico suo, Deo similis est: nec ista superbia, sed obedientia est. Quare? Quia ad imaginem Dei facti sumus. Ergo quisquis vult ita similis esse Deo, ut ad illum stet, fortitudinem suam, sicut scriptum Psalm. 58. 10. est, ab (2) illo custodiat, non ab illo recedat: ei cohærendo signetur tamquam ex annulo cera: verè custodiet imaginem ad quam factus est. Porro autem si perversè voluerit imitari Deum, ut quomodo Deus non habet a quo regatur, sic ipse velit sua potestate uti, quid restat, nisi ut recedens ab eius calore, torpescat? Etiam quodammodo alienus redditus ab imagine Dei, quasi captivus clamet: *Domine quis si-*

Ex Aug. serm. 2. in Ps. 70. n. 6. 7.

(1) Post *rationis* additur in edit. *simul per acceptam imaginem sapientiæ, et non simul per coniunctam substantiam formæ. Scriptum &c.* (2) Edit. *ad illum.*

milis tibi? Tamquam si diceretur: Ecce ego volui perversè esse similis tibi, et factus sum similis pecori; nam sub tua dominatione verè tibi similis eram: sed homo in honore positus non (1) intellexi, comparatus sum iumentis insensatis, et similis factus sum illis. Iam ergo hic non in similitudine Dei positus, sed in similitudine iumentorum constitutus, clamat cum dicit: *Deus, quis similis tibi?*

Psalm.48. 13.

Aliàs 12.

INTERROGATIO V.

Gen. 1. 31. Cum scriptum sit, *Erant omnia valde bona*, quomodo in lege quædam animalia vocantur immunda?

Lev. 11. 4. &c.

RESPONSIO.

Immunda appellata sunt usui, non creationi; horum enim in cibum usus pro quibusdam figuris divina interdictus lege cognoscitur.

Aliàs 13.

INTERROGATIO VI.

Gen. 1. 31. Cum in Genesi omnia valde bona dicantur, et in aliis subsequentibus multa bonitatis nomine censeantur, Christus quoque in Evangelio et bonum hominem, et bonum servum pronuntiet: cur idem Dominus e contrario loquitur, *Nemo bonus, nisi solus Deus?*

Luc. 6. 45. et Matth. 25. 21. 23.

Marc. 10. 18.

RESPONSIO.

Omnia quæ Scriptura bona pronuntiat, secundùm se bona esse dubium non est. Tamen si respiciamus ad bonitatem Dei, nullus eorum pronuntiabitur bonus, dicente Domino: *Nemo bonus, nisi solus Deus.* Cuius intuitu etiam ipsi Apostoli, qui electionis merito bonitatem generis humani multis excesserant modis, mali esse dicuntur, Domino ad eos ita loquente: *Si ergo vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis pater vester, qui in cælis est, dabit bona petentibus se?*

Matth. 7. 11.

(2) INTERROGATIO VII. Aliàs 16.

Cum Deus auctor vel creator mali non sit, (3) dicente Scriptura quod creavit omnia bona valde: quomodo ipse Dominus loquitur per Esaiam quasi e contrario dicens: *Ego Dominus, et non est alter, formans lucem, et creans tenebras, faciens pacem, et creans mala?*

Gen. 1. 31.

Isai. 45. 7.

(4) RESPONSIO.

Bonus Deus, secundùm quod in Genesi legitur, bona cuncta creavit; mala autem, (5) quæ se creare dixit, non similiter per naturam se creare perhibuit. Neque enim mala, quæ nulla sua natura subsistunt, a Deo creantur.

Ex Gregor. Magn. *lib. 3. Mor. n. 15.*

(1) Edit. *intellexit, comparatus est, ... et similis factus est.*

(2) Hanc quæstionem transtulit Samson Abbas in Apologet. lib. 2. cap. 21. num. 7. seu pag. 479. tom. XI. Hispan. Sacræ.

(3) Samson: *dicente Scriptura in Genesi de his quæ a Deo creata fuerant*, omnia valde bona: *quomodo &c.*

(4) Supple ex Samsone: *Si a bono creatore bona cuncta creata sunt, quomodo creare mala Dominus protestatur? Sed hæc duo si diligentiùs attendantur, contraria sibi non erunt. Dominus enim creator creaturarum bona creavit omnia, quæ utique mala dici non poterunt per naturam. Ecce ergo bonus Deus secundùm &c.*

(5) Mendosè in cod. Samsonis, seu in eius editore: *quare creare*, loco, *quæ se creare.*

tur. Sed creare se mala Dominus indicat, cum res bene conditas, nobis malè agentibus in flagellum format: ut ea ipsa et per dolorem, quo (1) feriunt, delinquentibus mala sint, et per naturam qua existunt, bona. Unde et venenum mors quidem est homini, sed vita serpenti. Bene itaque dicitur, *Formans lucem, et creans tenebras:* quia cum per flagella exteriùs doloris tenebræ creantur, intus per eruditionem lux mentis accenditur. *Faciens pacem, et creans mala:* quia tunc nobis pax cum Deo redditur, cum hæc quæ bene sunt condita, sed non bene concupita, in ea quæ nobis mala sunt flagella vertuntur. Per culpam quippe Deo discordes (2) existimus. Dignum ergo est, ut ad pacem illius per flagella redeamus: ut cum unaquæque res bene condita nobis in dolorem vertitur, (3) correcti mens ad auctoris pacem humiliter reformetur.

Aliàs 1.

INTERROGATIO VIII.

Cum in Genesi septem primi dies legantur, per quos Deus universam creationem perfecit, iux-

Gen. 2. 2. ta quod scriptum est, *Et requievit die septimo ab omni opere suo:* quomodo e contra ibi post aliqua unus dies tantùm legitur, in quo universa mundana conditio sit creata? Dicit enim: *Istæ generationes cæli et terræ quando creatæ sunt, in die quo fecit Dominus cælum et terram, et omne virgultum agri, &c.* Ibid. 4. &c.

RESPONSIO.

Qui superiùs per dies singulos condita omnia retulit, qualiter simul omnia uno die creata subiunxit, nisi ut liquidò ostenderet, quòd creatura omnis simul per substantiam extitit, sed non simul per speciem processit? Rerum quippe (4) origo simul creata, sed simul species formata non est: et quod simul extitit per substantiam materiæ, non simul apparuit per (5) substantiam formæ. Cum enim simul factum cælum et terra (6) dicitur, simul spiritalia et corporalia, simul quicquid de cælo oritur, simul factum quicquid de terra producitur, indicatur. (7) Sidera quippe quarto die in cælo facta perhibentur: sed quod quarto die processit in specie, primo die in cæli substantia extitit per conditionem. Item (8) in primo creata terra dicitur, et tertio arbusta condita, et cuncta terræ virentia (9) scribuntur. Sed hoc quod die tertio in (10) specie apparuit, primo die in ipsa, de qua ortum est, terræ substantia conditum fuit. (11) Scriptum est enim: Ex Gregor. Magn. lib. 32. Mor. num. 16.

(1) *Feriunt* posuimus ex Greg. Magn. cum in nostro textu sicut et in Samsoniano *feriuntur* legeretur.
(2) Greg. *extitimus.*
(3) Samson: *correcta*; sed Greg. *correcti*, ut in nostro textu.
(4) Edit. meliùs: *substantia.*
(5) Edit. *speciem.*
(6) Edit. *describitur.*
(7) Edit. *Sol quippe, luna et sidera quarto die, &c.*
(8) Edit. *primo die creata, &c.*
(9) Edit. *describuntur.*
(10) Edit. *se in specie protulit, nimirum primo die in ipsa, &c.*
(11) Ab, *scriptum est*, usque ad *simul* desunt in edit.

Eccli. 18. 1. enim : *Qui vivit in æternum, creavit omnia simul.*

Aliàs 7. INTERROGATIO IX.

Cum in Genesi scriptum sit, Cap. 2. 2. *In septimo die requievit Deus ab omni opere suo :* quomodo e contra Christus in Evangelio di- Ioan. 5. 17. cit : *Pater meus usque modo operatur, et ego operor ?*

RESPONSIO.

Requievit die septimo, quia deinceps nullam creaturam novam fecit. Usque nunc operatur, quia omnia ex eis facit, quæ in illis sex diebus mysticis fecit: quia quæ tunc primordialiter condidit, nunc potentialiter administrata regit. Ergo requievit a condendis generibus creaturæ, non autem cessavit ab opere regendi, vel administrandi omnia quæ creavit.

Aliàs 2. INTERROGATIO X.

Cum Scriptura Genesis in sexto die creatum hominem narret, quomodo post ipsam creationem hominis, vel evolutionem septem Gen. 2. 5. dierum ibi scribitur : *Non enim pluerat Dominus super terram, et homo non erat qui operaretur eam ?* Cur non erat homo qui operaretur terram, qui iam sexto die factus fuerat ?

RESPONSIO.

Hoc recapitulando commemorat. Quia quando fecit Deus viridia agri, nondum pluerat, nondumque homo factus fuerat.

(1) Edit. *de hoc Psalmo.*

INTERROGATIO XI. Aliàs 15.

Cum in Genesi, quando Deus hominem fecit, tantùm simpliciter referatur, *Fecit Deus hominem de limo terræ :* quomodo Gen. 2. 7. Psalmista dicit, *Manus tuæ fecerunt me, et plasmaverunt me?* Psalm. 118. 73.

RESPONSIO AUGUSTINI.

" Cur, inquit, quibusdam vi- Serm. 18. in eum Psalm. n. 1. „ sum fuerit verbo Deum fecis- „ se cetera, hominem verò vel- „ ut aliquid præcipuum fecisse „ manibus suis ; non video, nisi „ fortè quia ex pulvere formatum „ legitur hominis corpus, non „ potuisse fieri nisi manibus ar- „ bitrantur. Nec attendunt quod „ in Evangelio de verbo Dei „ scriptum est, *Omnia per ipsum* Ioann. 1. 3. „ *facta sunt*, non posse consta- „ re, si non per verbum factum „ est etiam corpus humanum. „ Sed adhibent testimonium „ (1) Psalmi, et dicunt : Ecce ubi „ apertissimè clamat homo, *Ma-* „ *nus tuæ fecerunt me, et* (2) *pla-* „ *smaverunt me:* quasi non etiam „ apertè dictum sit : *Videbo cæ-* Psalm. 8. 4. „ *los, opera digitorum tuorum:* „ et illud : *Et opera manuum* Psalm. 101. 26. „ *tuarum sunt cæli :* multòque „ apertius, *Et aridam terram* „ *manus eius finxerunt.* Manus Psalm. 94. 5. „ ergo sunt potestas Dei. Aut si „ pluralis numerus eos movet, „ quia non dictum est, Manus „ tua, sed *manus tuæ*, accipiant „ manus Dei, virtutem et sa- „ pientiam Dei, quæ utraque „ unus dictus est Christus, qui 1. Cor. 1. 24. „ etiam intelligitur brachium Do- „ mi-

(2) Edit. *finxerunt*,

Isai. 53. 1. „ mini, ubi legitur: *Et brachium*
„ *Domini cui revelatum est?*
„ Aut accipiant manus Dei, Fi-
„ lium et Spiritum sanctum, quia
„ et Spiritus sanctus cooperator
„ est Patris et Filii. Unde et
1. Cor. 12. 11. „ Apostolus: *Omnia hæc operatur*
„ *unus atque idem spiritus.*
„ Propterea quippe *unus* dixit,
„ ne tot spiritus quot opera pu-
„ tarentur, non quòd sine Patre
„ et Filio Spiritus operetur."

Aliàs 6. INTERROGATIO XII.

Cum post creationem Adæ specialiter Scriptura dicat, *Immisit Deus soporem in Adam: et tulit unam de costis eius, et replevit carnem pro ea, et ædificavit Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem:* quomodo contra hoc tunc creata esse dicatur mulier, quando et vir, eadem Scriptura dicente de sexto die: *Creavit Deus hominem ad imaginem suam; ad imaginem Dei creavit illum, masculum et feminam fecit eos?* Ecce in sexto die necdum facta Eva describitur, et iam homo masculus et femina perhibetur.

Gen. 2. 21. 22.

Ibid. 1. 27.

RESPONSIO.

Quia ex Adæ latere erat proculdubio femina processura, in illo iam tunc computata fuit per substantiam, a quo fuerat producenda per formam.

Aliàs 10. INTERROGATIO XIII.

Cum in Genesi de coniugio corporali prior illa sententia a Domino prolata sit, ubi mulierem subiici viro voluit, dicens: *Ad ipsum erit conversio tua, et ipse dominabitur tui;* quomodo e contrario Dominus Abrahæ loquitur: *Omnia quæcumque dixerit tibi Sara, audi vocem eius.*

Gen. 3. 16.

Ibid. 21. 12.

RESPONSIO.

Prima illa utique sententia de corporali coniugio a Domino est prolata, ubi obtemperare viro suo uxor iubetur. Contra quam nihil hìc contrarium dicitur, quia non de corporali coniugio dictum esse videtur; sed Sara hìc uxor quasi pro virtute animi ponitur, quam semper unusquisque vir audire præcipitur, id est, ut quodcumque nobis virtus animi suggesserit faciendum, per omnia nobis quasi a viris fortibus impleatur, manente illa sententia de corporali coniugio, ut uxor semper subdita sit viro.

INTERROGATIO XIV. Aliàs 8.

Cum Dominus ad Noë dixerit, *Erunt dies hominis 120. anni:* quomodo contra hoc decretum multò plures annos postea homines vixisse reperiuntur, sicut Iacob interrogatus a Pharaone 130. annos vitæ suæ habere respondit?

Gen. 6. 3.

Ibid. 47. 9.

RESPONSIO.

Non sic accipiendum est, quasi prænuntiatum sit posthac homines 120. annos vivendo non transgredi, quum et post diluvium etiam quingentos excessisse inveniamus. Sed intelligendum est hoc Deum dixisse, cum circa finem quingentorum annorum esset Noë, id est, quadringentos octoginta vitæ annos ageret, quos more suo Scriptura quingen-

gentos vocat, nomine totius maximam partem plerumque significans. Sexcentesimo quippe anno vitæ Noë, secundo mense factum est diluvium. Ac sic 120. anni prædicti sunt futuri vitæ hominum præteritorum, quibus transactis diluvio delerentur.

Gen. 7. 11.

Aliàs 22.

INTERROGATIO XV.

Lev. 11. 2. *&c.*

Cum munda et immunda animalia divina per Moysem lege secreta sint, quomodo etiam ante diluvium de his quæ in arca recipienda erant, immunda appellantur animalia?

Gen. 7. 2.

RESPONSIO.

Moyses inspirante sancto Spiritu Pentateuchi scriptor et conditor est. Et quia in Levitico de mundis immundisque animalibus erat proferenda discretio, etiam in Genesi (quia utriusque libri idem auctor est) eadem animalia appellavit immunda.

Aliàs 20.

INTERROGATIO XVI.

Gen. 9. 4.

Cum in libro Geneseos vel in aliis locis Scripturarum Israëlitico populo prohibitum sit a Deo, ne sanguinem comederent, specialiter tamen in libro Levitici ubi Dominus dicit: *Dixi filiis Israël: sanguinem universæ carnis non comedetis:* Quomodo in libro Numeri e contrario de ipso eodemque populo Israëlitico scribitur, *Non dormiet, donec comedat prædam, et sanguinem vulneratorum bibat?*

Levit. 7. 26.

Num. 23. 24.

RESPONSIO.

Dicant nunc Iudæi, quis est iste populus qui in usu habet sanguinem bibere? Hæc quippe erant quæ in Evangelio audientes, scandalizati sunt, et dixerunt: *Quis potest manducare carnem, et sanguinem bibere?* Sed populus christianus audit hæc, et amplectitur, et sequitur eum qui dicit: *Nisi manducaveritis carnem meam, et biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis ipsis: quia caro mea verè cibus est, et sanguis meus verè potus est.* Et utique quia hæc dicebat, *vulneratus est pro peccatis nostris,* sicut Esaias dicit. Bibere autem dicimus sanguinem Christi non solùm Sacramentorum ritu, sed et cum sermones eius recipimus, in quibus vita consistit, sicut et ipse dixit: *Verba, quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt.* Est ergo ipse vulneratus, cuius nos sanguinem bibimus, id est, doctrinæ eius verba suscipimus. Sed et illi nihilominus vulnerati sunt, qui nobis verbum eius prædicaverunt, et ipsorum etiam, id est, Apostolorum eius verba cum legimus, et vitam ex eis consequimur, vulneratorum sanguinem bibimus.

Ioann. 6. 53. *v.* 54. 56. *Isai.* 53. 5. *Ioan.* 6. 64.

INTERROGATIO XVII. Aliàs 9.

Cum in Genesi Deus ad Abraham dicat, *Sciendo scies, quia peregrinum erit semen tuum in terra non sua, et in servitutem redigent eos, et affligent eos 400. annis:* quomodo e contra scribitur in Exodo, *Habitatio filiorum Israël, qua manserunt in Ægypto, fuit quadringentorum triginta annorum?*

Cap. 15. 13. *Exod.* 12. 40.

RE-

RESPONSIO.

Hæc duo, si liquidiùs computentur, nec 430. annis, nec solùm 400. filii Israël in Ægypto sub servitute manserunt: si tamen a die ipso, quo Iacob, vel filii sui Ægyptum ingressi sunt, usque ipsum ad ultimum diem, quo inde Moyse duce egressi sunt, supputentur. Nam manifestum est, omnes annos quos Hebræi in Ægypto fecerunt, secundùm computationem Eusebii 115. esse. A prima tamen promissione Abrahæ, id est, ab anno 75. vitæ suæ, usque ad tempus illud quando Iacob cum filiis Ægyptum ingressus est, fuerunt anni 215. Post ingressionem autem Iacob in Ægyptum, usque ad tempus illud quo omnes filii Israël in signis et prodigiis de Ægypto egressi sunt, computantur fuisse anni 215. qui in summam redacti, fiunt 430. Ut ergo utraque a se non discrepent, si supputes a 75. anno ætatis Abrahæ, quo ad eum primo die promissio facta est, usque ad exitum filiorum Israël de terra Ægypti 430. reperies. Si autem ab anno quinto nativitatis Isaac usque ad exitum filiorum Israël de terra Ægypti, annorum summam collegeris, ex quo parvulus ipse Isaac, semen utique Abrahæ, ab Ismaele cœpit affligi, 400. annos, secundùm quod Dominus dixit, invenies. Item Augustinus sic: "Quod dictum est ad Abraham, *Scien-*

Euseb. *in Chron. ad mundi ann.* 3260.

De Civit. Dei, lib. 16. cap. 24.

„ *do scies quia peregrinum erit,*
„ et reliqua, de populo Israël,
„ qui erat in Ægypto serviturus,
„ apertissimè prophetatum est.
„ Non quòd in eadem servitute
„ sub Ægyptiis affligentibus 400.
„ annos ille populus fuerat per-
„ acturus, sed in ipsis 400. annis
„ prænuntiatum est hoc futurum.
„ Quemadmodum enim scriptum
„ est de Thara patre Abrahæ,
„ *Et fuerunt dies Tharæ in* Gen. 11. 32.
„ *Carra quinque et ducenti an-*
„ *ni*, non quia omnes ibi acti
„ sunt, sed quia completi sunt:
„ ita et hìc propterea interpositum
„ est, *Et in servitutem redigent*
„ *eos, et affligent eos 400. an-*
„ *nis*, quoniam iste numerus in
„ eadem afflictione completus est,
„ non quia ibi universus peractus
„ est. Quadringenti sanè dicuntur
„ anni propter numeri plenitudi-
„ nem, quamvis aliquanto ampliùs
„ sint, sive ex hoc tempore com-
„ putentur quo ista promittebantur Abrahæ, sive ex quo natus
„ est Isaac propter semen Abrahæ,
„ de quo ista prædicuntur. Com-
„ putantur ergo, ut supra dixi-
„ mus, a (1) promissione Abrahæ
„ usque ad exitum Israël 430.
„ Quorum Apostolus ita memi-
„ nit. *Hoc autem dico*, inquit, Gal. 3. 17.
„ *testamentum confirmatum a*
„ *Deo*, (2) *post 400. et 30. an-*
„ *nos facta lex non infirmat ad*
„ *evacuandam promissionem.*
„ Iam ergo isti 430. anni qua-
„ dringenti poterant nuncupari,
„ quia non sunt multò amplius.
„ Quanto magis cum aliquot iam
„ ex

(1) Edit. *ab anno* 75 *Abrahæ, quando ad eum facta est prima promissio, usque ad exitum Israel ex Ægypto*, 430 *anni: quorum*, &c.

(2) Edit. *quæ post . . . . . facta est lex.*

„ex isto numero præterissent, „quoniam illa in visu demonstra„ta et dicta sunt Abrahæ? "

Aliàs 17.

INTERROGATIO XVIII.

Quomodo promissum sit Abrahæ quarta generatione exire filios Israël de terra Ægypti, cum Moses dicat, *Quinta progenie exierunt filii Israël de Ægypto?*

Gen. 15. 16.

Exod. 13. 18. *sec.* LXX.

RESPONSIO.

Si quartam generationem computes, de Levi tribu eam numerare incipies: si quintam, de Iuda. Replica ergo genealogiam Levi. Levi genuit Caat, Caat genuit Amram, Amram genuit Aaron, Aaron autem genuit Eleazar, Eleazar autem genuit Phinees. Caat cum patre suo Levi ingressus est Ægyptum. Rursum Eleazar cum patre suo Aaron egressus est Ægypto. A Caat usque Eleazar generationes sunt quatuor. Si ergo vis ostendere quomodo secundùm Exodum quinta generatione egressi sunt filii Israël de terra Ægypti, tribus tibi Iudæ ordo numeretur. Iuda enim genuit Phares, Phares Esrom, Esrom Aran, Aran Aminadab, Aminadab Naason, Naason Salmon. Phares enim cum patre suo Iuda ingressus est Ægyptum. Naason princeps tribus Iuda in deserto describitur, cuius filius Salmon terram repromissionis introivit. A Phares ergo usque ad Naason, generationes sunt quinque. Quamvis nonnulli in Esrom initium faciant, et ad Salmon perveniant. Similiter et ab Amram usque ad Phinees. Hæc Hieronymus.

S. Hieronym. epist. 125. ad Damasum, quæst. 2.

Aliàs 11.

INTERROGATIO XIX.

Cum ante nativitatem duorum fratrum Esau et Iacob in Genesi spiritus Dei pro ipsis dicat: *Maior serviet minori:* quomodo iuxta ipsius libri historiam, minor maiorem adoravit, id est, quando Iacob minor de Mesopotamia rediit, Esau maiorem fratrem adoravit?

Gen. 25. 23.

Ibid. 33. 3.

RESPONSIO.

Hoc quod dictum est, *Maior serviet minori*, historiæ veritatem non impedit, sed figuraliter illud spiritus Dei prædixit: iuxta quod populus Iudæorum per Esau, Christianus per Iacob signatur. Et ideo contraria sibi non sunt, quum iuxta historiam minor maiorem adoravit, et iuxta allegoriam maior minori deservit.

Aliàs 18.

INTERROGATIO XX.

Cum in Genesi Iacob Deum se vidisse testetur; quomodo Ioannes Evangelista dicit, *Deum nemo vidit unquam*? Iob etiam sibi concordante, qui ait: *Dei sapientia abscondita est ab oculis omnium viventium.*

Gen. 32. 30.

Ioan. 1. 18.

Iob 28. 21.

RESPONSIO.

Vidit quippe Iacob (1) Deum, qui ait: *Vidi Deum facie ad faciem.* Vidit Moyses Deum, de quo scriptum est: *Loquebatur Dominus ad Moysen facie ad faciem, &c.* Vidit et Iob Dominum, quia dixit: *Nunc autem oculus*

Ex Gregor. *lib. 18. Mor. n. 88. 89. Gen. ubi sup.*

Exod. 33. 11.

Iob 42. 5.

(1) Edit. in utroque loco *Dominum.*

lus meus videt te. Vidit Esaias
Isai. 6. 1. Dominum, qui ait: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum.* Vidit et Mi-
3. Reg. 22. 19. chæas Dominum, qui ait: *Vidi Dominum* (1) *super solium suum.* Quid est ergo, quòd tot Testamenti veteris patres Deum se vidisse testati sunt, et tamen de hac sapientia quæ Deus est, dicitur: *Abscondita est ab oculis omnium viventium;* et Ioannes ait: *Deum nemo vidit unquam,* nisi hoc quod patenter datur intelligi, quia quandiu hìc mortaliter vivitur, videri per quasdam imagines Deus potest, sed per ipsam naturæ suæ speciem non potest; ut anima gratia spiritus afflata, per figuras quasdam Deum videat, sed (2) ad ipsam eius essentiam non pertingat? Hinc est enim quòd Iacob qui Deum vidisse testatur, hunc non nisi in Angelo vidit. Hinc est quòd Moyses, qui cum Deo facie ad faciem loquitur, inter ipsa verba
Exod. 33. 13. suæ locutionis dicit: *Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi teipsum.* Certè enim si Deus non erat cum quo loquebatur, Ostende mihi Deum, diceret, et non, *ostende temetipsum.* Si autem Deus erat cum quo loquebatur, cur petebat videre quem videbat? Sed ex hac eius petitione colligitur, quia eum sitiebat per (3) incircumscriptam naturæ suæ claritatem cernere, quem cœperat per quasdam imagines videre. Et viderunt ergo ii Dominum, et tamen Ioannis voce, *Deum nemo vidit unquam:* quia in hac mortali carne consistentibus videri potuit per quasdam circumscriptas imagines, et videri non potest per incircumscriptum lumen æternitatis. Sin verò a quibusdam potest in hac adhuc corruptibili carne viventibus sanctis quodam contemplationis acumine videri, hoc quoque a beati Iob sententia quam protulimus, non abhorret; nec ab illa Evangelistæ Ioannis, *Deum nemo vidit unquam:* quoniam quisquis sapientiam, quæ Deus est, videt, huic vitæ funditùs moritur, ne iam eius amore teneatur. Nullus quippe (4) eum videt, qui adhuc carnaliter vivit; quia nemo potest amplecti Deum simul et sæculum. Qui enim Deum videt, eo ipso moritur, quo vel intentione cordis, vel (5) effectu operis ab huius vitæ delectationibus tota mente separatur.

(1) Edit. addunt *sedentem.*
(2) Edit. *ad ipsam vim eius essentiæ.*
(3) Edit. *incircumscriptæ.*
(4) Edit. *eam vidit.*
(5) *Effectu* pro *affectu* reposuimus ex Greg.

INTERROGATIO XXI.

Cum in Genesi vel Exodo LXX. tantum animæ cum Iacob Ægyptum scribantur ingressæ: quomodo in Actibus Apostolorum introisse cum Iacob in Ægyptum LXXV. animæ referuntur?
Gen. 46. 27. Exod. 1. 5. Act. 7. 14.

RESPONSIO.

Constat in Ægyptum cum Ioseph, Ephraim, et Manasse 70. tantùm animas introisse: ubi 75. animarum numerus refertur, qua-

si per anticipationem etiam filios nepotesque Ephraim et Manasse enumerandos putavit, quos postea in Ægypto natos divinæ relatio lectionis ostendit.

Aliàs 19.

INTERROGATIO XXII.

Cum inter ceteros Patriarchas et Prophetas Christi pollicentes adventum Iacob specialiter de Christi incarnationis et gentium
Gen.49. 10. vocatione prædicet, dicens, *Non deficiet princeps de Iuda, nec dux de femoribus eius, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit expectatio gentium;* quomodo Paulus in epistola ad Ephesios pro eodem sacramento
Ephes.3. 5. 6. incarnationis Christi dicit: *Aliis generationibus non fuit notum filiis hominum, sicut nunc revelatum est sanctis eius Apostolis, et Prophetis in Spiritu, esse Gentes cohæredes, et concorporales, et comparticipes promissionis in Christo Iesu per Evangelium?*

Ex Hieronym. *Comment. in hoc cap. epist. ad Ephes.*

RESPONSIO.

„ Aut illud est respondendum,
„ quia cautè Paulus signanterque
„ testatus sit, filiis hominum
„ ignotum fuisse mysterium, non
Psalm. 81. 6. „ filiis Dei, ad quos dicitur: *Ego*
„ *dixi: dii estis;* quòd scilicet
„ hi qui spiritum adoptionis ac-
„ ceperunt, de quibus Patriarchæ
„ et Prophetæ fuerunt, Dei scie-
„ runt sacramentum. Aut notan-
„ dum, non definitè et generali-
„ ter dixisse Paulum, aliis gene-
„ rationibus ignotum fuisse omni-
„ no Domini sacramentum; sed
„ sic, quomodo nunc revelatum
„ est sanctis eius et Apostolis,
„ nescisse Patriarchas veteres et
„ Prophetas. Aliud est enim in
„ spiritu ventura cognoscere,
„ aliud ea cernere opere com-
„ pleta." Unde et Ioannes propterea maior Prophetis omnibus *Matth. 11. 9.* dicitur, quia quem ceteri prophetaverunt, ipse conspexerit, et digito demonstrarit. Hoc etiam sentiendum in eo, quia idem Apostolus in eadem Epistola hoc *v. 10.* mysterium non solùm gentibus, sed et Principatibus et Potestatibus per Ecclesiam manifestatum docet. Propter quod idem Doctor exequitur, dicens: " Si *Ubi supr. ad v. 10.*
„ Principatibus et Potestatibus
„ in cælis ignota fuit multiplex
„ sapientia Dei, quæ nunc eis
„ per Ecclesiam revelata est;
„ quantò magis Patriarchis et
„ Prophetis ignota fuit, quos su-
„ prà non ignorasse mysterium
„ Christi, sed ita ut Apostolos
„ nescisse monstravimus? Mul-
„ tiplex quippe sapientia Dei per
„ Ecclesiam Dei nunc et Prin-
„ cipatibus revelata est et Pote-
„ statibus: quam olim Deus fu-
„ turam in sua mente decreve-
„ rat, et nunc esse perfectam,
„ ex eo quod videmus, cogno-
„ scimus. Crux itaque Christi
„ non solùm nobis, sed et An-
„ gelis cunctisque in cælo Vir-
„ tutibus profuit, et aperuit sa-
„ cramentum, quod ante nescie-
„ bant." Hæc Hieronymus.

Aliàs 26.

INTERROGATIO XXIII.

Cum in Exodo Dominus Moysi præcipiat, dicens: *Solve calceamentum de pedibus tuis, locus enim, in quo stas, terra sancta est:* quomodo in eodem libro *Exod. 3. 5.*

ve-

vescentibus pascha præcipitur, *Manducabitis illud lumbis vestris accinctis, et calceamenta vestra habebitis in pedibus vestris:* necnon et Paulus ad Ephesios, calceatos pedes esse præcepit, in præparatione Evangelii pacis?

Ibid. 12. 11.

Ephes. 6. 15.

RESPONSIO.

Si et perfectis calceamenta non esse necessaria, et imperfectis adhuc necessaria esse accipiamus; non erit fortè contrarium, quod pro diversitate meritorum est institutum. Perfectiores etenim sunt, qui sicut Moyses et Iesus Nave Deum iam videre merentur, quàm hi qui ad ipsam visionem tendunt, et adhuc in via positi, agnum in pascha calceatis pedibus manducare iubentur. His ergo forsitan adhuc calceamenta sunt necessaria, quibus in via Domini currentibus utilia esse iudicantur bonorum patrum exempla. Quid enim pedes nostri, nisi opera? Quid verò calceamenta, nisi pelles mortuorum animalium? Calceamenta autem pedes muniunt. Quæ verò sunt mortua animalia, ex quorum pellibus nostri muniuntur pedes, nisi antiqui patres qui nos ad æternam patriam præcesserunt? Quorum dum (1) exemplum perspicimus, nostri operis pedes munimus. Calceamenta verò in pedibus habere, est mortuorum vitam conspicere, et nostra vestigia a peccati vulnere custodire: ut muniti eorum exemplo, vastam huius sæculi eremum transeamus, quamdiu Deum facie ad faciem videamus. Ergo iam ad Dominum perfectè venientibus non erunt fortè necessaria hæc calceamenta: quia videlicet non ibi erunt fortè necessaria patrum exempla, ubi Deus est videntibus se in omnibus plena notitia. Quia si etiam calceamenta propter vitia accipiuntur, non hoc erit contrarium; cum nullus videre Deum possit, nisi qui terrena et mortalia vitia deposuerit. Qui ergo adhuc ambulat, calcetur; qui verò Iordane iam transmisso terram repromissionis intravit, nudet pedem, solvat calceamentum, locus enim in quo stat, terra sancta est. Si quis non est Iesus Nave, nec Apostolus, calcet pedes suos in præparatione Evangelii pacis. Si quis autem Apostolus est, et inter duodecim enumerari potest, nequaquam tollat in via calceamentum suum, nec ad scorpiones et colubros declinandos calcaneum tegat: sed iam consummatus atque perfectus, in terra sancta vivat in Christo, et sequatur agnum quocumque ierit.

Hucusque Greg.

Ex Gregor. Magn. Homil. 22. in Evang. num. 9.

EX LIBRO EXODO.

INTERROGATIO XXIV. Aliàs 23.

Cum in Exodo Dominus nomen suum Moysi indicasset, dicens: *Hæc dices filiis Israël: Qui est, misit me ad vos:* quomodo in sub-

Exod. 3. 14.

(1) Edit. *exempla conspicimus.*

subsequentibus aliud sibi nomen esse quasi e contrario indicat dicens: *Vade, dic filiis Israël: Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Iacob misit me ad vos, hoc mihi nomen est in æternum?* v. 15.

RESPONSIO AUGUSTINI.

Hæc duo didicimus, distinguente Augustino, unum ad divinitatis pertinere naturam, aliud ad humanitatem assumptam. Quod enim dixit Deus Moysi: *Ego sum, qui sum;* et *Qui est misit me ad vos*, divinitatis substantiam signat. Quod autem dicit, *Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Iacob*, mysterium susceptæ incarnationis insinuat: quia de illis secundùm carnem generatus agnosceretur, quorum nomina sub sacramento hìc posuisse cognoscitur.

Aliàs 29. INTERROGATIO XXV.

Cum Dominus in libro Exodi præcipiat dicens: *Memento ut diem sabbati sanctifices. Sex diebus operaberis, et facies omnia opera tua. Septima autem die sabbata Domini Dei sunt:* quomodo per Isaiam e contrario dicit: *Sabbata vestra odivit anima mea?* Exod. 20. 8. &c. Isai. 1. 13.

RESPONSIO.

Sabbatum requies interpretatur: quod Israëlitæ spiritaliter in munere acceperunt, ut hac significatione nullo in hac vita terrenorum desideriorum appetitu fatigarentur. Quod tamen Iudæorum ille populus non intelligens Dominum spiritualiter præcepisse, consumebant sabbata in luxuriis, et ebrietate, et commessatione. Unde se talia sabbata odisse Dominus dicit: quia non sunt illa quæ Dominus spiritaliter præcepit, sed quæ sibi populus carnaliter elegit. Nam de illis dixit: *Sabbata mea prophanastis.* Unde agnoscimus, sabbatum temporale humanum esse; sabbatum autem divinum, illud æternum esse, de quo per Isaiam dicitur: *Et erit mensis ex mense, et sabbatum ex sabbato.* Ergo cum dicit, *Sabbata vestra odit anima mea*, non prioris præcepti immutat oraculum, sed sabbatum ipsum redarguit a carnali populo vitiatum. Ezech. 22. 8. Isai. 66. 23.

INTERROGATIO XXVI. Aliàs 24.

Cum in Exodo inter decem præcepta quæ data sunt, quartum præceptum reperiatur esse, *Honora patrem tuum, et matrem tuam:* quomodo Christus in Evangelio e contra dicit, *Honora patrem tuum et matrem, quod est mandatum primum in lege?* Exod. 20. 12.

RESPONSIO.

Duæ tabulæ fuerunt in quibus Moyses decem præcepta scripta accepit. De ipsis quoque decem præceptis, tria quæ in capite ponuntur, pertinent ad dilectionem divinæ Trinitatis; septem verò reliqua ad dilectionem pertinent proximi. Tria ergo illa ad Dei dilectionem pertinentia, id est: *Dominus Deus tuus unus est;* et *Non assumes nomen Dei tui in vanum;* et *Memento ut dies sabbati sanctifice-* Deut. 6. 4. Exod. 20. 7. v. 8.

cetur; hæc tria in una tabula fuerunt scripta. In secunda verò tabula, septem reliqua præcepta scripta sunt. Et ideo, *Honora patrem tuum et matrem*, inter septem præcepta primum mandatum scriptum est. Si igitur tota decem præcepta in unum computes, quartum hoc præceptum inter decem invenies: a parentibus enim suis homo aperit oculos, et hæc vita ab eorum dilectione sumit exordium. Inde hoc mandatum primum est inter septem. Sed quomodo primum, quia quartum, nisi ut dictum, quia primum est in altera tabula? Vel quia decem præcepta primitus data sunt, potest unumquodque ex illis appellari primum mandatum.

INTERROGATIO XXVII.

Cum Dominus in Exodo honorantibus parentes suos longævitatem vitæ promiserit, dicens: *Honora patrem tuum et matrem, ut bene sit tibi, et sis longævus super terram:* quomodo David hanc ipsam longævitatem vitæ parvipenderit, dicens: *Heu me! quia incolatus meus prolongatus est*; necnon et Salomon mortem potius quàm vitam amplectatur, dicens: *Laudavi omnes mortuos, qui olim mortui sunt, super viventes;* et Hieremias: *Maledicta dies in qua natus sum:* præsertim cum multos fuisse credamus, qui et parentibus obsequentes, citò mortui sint, et erga parentes impii, usque ad extremam venerint senectutem?

Exod. 20. 12.

Psalm. 119. 5.

Eccl. 4. 2.

Ier. 20. 14.

RESPONSIO.

Respondeant Iudæi, et similes Iudæorum: si vitæ istius longitudo est in promissis, et diu in corpore commorari felicitatis est; quid sibi vult illud, quia incolatum vitæ suæ prolongatum David gemit? Si enim laudantur super vivos mortui secundùm Salomonem, et iuxta Hieremiam maledictus est dies in quo nascimur; quomodo nunc repromittitur honorantibus patrem et matrem, quia longævi sint super terram, quam Dominus Deus suus dederit eis? Quærenda est ergo terra, quam Dominus Deus promittit, et tribuit iis qui spiritualem Ægyptum reliquerint, et cum omni potentia magna et terribilia huius vitæ deserta transierint: ii utique possidebunt terram, quæ mansuetis est præparata. *Beati quippe mites; quoniam ipsi possidebunt terram*, quæ vera est terra viventium, iuxta illud: *Credo videre bona Domini in terra viventium.*

Matth. 5. 4.

Psalm. 26. 13.

INTERROGATIO XXVIII. Aliàs 25.

Quomodo in Exodo scribitur, *Qui reddis iniquitatem patrum in filiis ac nepotibus:* cum e contra in Ezechiele dicatur: *Quid est quòd inter vos parabolam vertitis in proverbium istud in terra Israël, dicentes: Patres comederunt uvam acerbam, et dentes filiorum stupuerunt? Vivo ego, dicit Dominus Deus, si erit ultra vobis parabola hæc in proverbium in Israël. Ecce omnes animæ meæ sunt: ut anima patris, ita et anima filii mea*

Exod. 34. 7.

Ezech. 18. 2. &c.

mea est. Anima quæ peccaverit, ipsa punietur.

RESPONSIO.

Redduntur peccata patrum in filiis, dum pro culpa parentis ex originali peccato anima polluitur prolis: et rursum non redduntur parentum peccata in filiis, quia cum ab originali culpa per baptismum liberemur, non iam parentum culpas, sed quas ipsi committimus, habemus.

EX LIBRO LEVITICO.

Aliàs 30.

INTERROGATIO XXIX.

Lev. 1. 2. &c. et alibi sæpè. Cum in libro Levitici iubente Domino instituta sit victimarum oblatio; quomodo Isaias ex voce Domini e contrario loquitur, dicens: *Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus? plenus sum holocaustis arietum, et adipe pinguium, et sanguinem vitulorum, et agnorum nolui.* *Isai. 1. 11.*

RESPONSIO.

Hostiæ et immolatio victimarum non principaliter a Deo quæsita sunt, sed ne idolis fierent, et ut a carnalibus victimis quasi per typum et imaginem ad spiritales hostias transiremus. Dicendo autem se hostiam non quæsisse, ostendit quia lex spiritalis est, et omnia quæ Iudæi carnaliter faciunt, a nobis impleri spiritualiter.

Aliàs 31.

INTERROGATIO XXX.

Cum in Levitico Dominus fermentum penitus abiecerit de sacrificiis, dicens: *Omnis oblatio, quæ offertur Domino, absque fermento fiet, nec quicquam fermenti ac mellis adolebitur in sacrificio Domini:* quomodo in subsequentibus super panes fermentatos sacrificium iubet imponi? *Lev. 2. 11.*

RESPONSIO.

Diligentiùs intuere, quia non ad sacrificium, sed ad ministerium sacrificii fermentatus panis assumitur. Quid ergo hoc sit, videamus. Dominus in Evangeliis humanam doctrinam Pharisæorum, qui tradebant traditiones, præcepta hominum, fermentum appellat, cum dicit discipulis: *Observate a fermento Pharisæorum.* *Matth. 16. 6.* Similiter ergo humana doctrina est, verbi causa, grammatica ars, vel rhetorica, vel dialectica etiam, ex qua doctrina ad sacrificium quidem, hoc est, in his quæ de Deo sentienda sunt, nihil suscipiendum est. Sermo verò lucidus, et eloquentiæ splendor, ac disputandi ratio ad ministerium verbi Dei decenter iubentur admitti.

Aliàs 33.

INTERROGATIO XXXI.

Cum Dominus in Levitico per Moysen, pontificem ordinans, duabus tunicis vestiendum præceperit: quomodo Christus in Evangelio e contrario sacerdotes suos et Apostolos duas tunicas habere prohibuit? *Lev. 8. 7.* *Matth. 10. 10.*

RESPONSIO.

Quod præcepit Iesus duas tunicas non habendas, non est contra-

trarium legi, sed perfectius lege:
Exod. 20. 13. sicut et cum lex homicidium ve-
Matth. 5. 22. tat, Iesus etiam iracundiam rese-
Exod. 20. 14. cat; et cum lex prohibet adulte-
rium, Iesus etiam concupiscen-
Matth. 5. 28. tiam cordis abscindit. Sic ergo videbitur, et duabus ibi tunicis Pontificem, hìc una Apostolos induisse. Siquidem etiam sensus probabilis sibi videtur, ego tamen non intra huius intelligentiæ angustiam pontificalia sacramenta concludo: ampliùs mihi aliquid ex ista forma videtur ostendi. Pontifex est, qui scientiam legis tenet, et uniuscuiusque mysterii intelligit rationes: ut breviter explicem; qui legem et secundùm spiritum et secundùm litteram novit. Sciebat ergo Pontifex ille, quem tunc ordinabat Moyses, quia esset circumcisio spiritalis; servabat tamen et circumcisionem carnis, quia incircumcisus pontifex esse non poterat. Habebat ergo iste duas tunicas, unam mysterii carnalis, et aliam intelligentiæ spiritualis. Sciebat quia et sacrificia spiritalia offerri debent Deo, offerebat tamen nihilominus et carnalia. Non enim poterat esse Pontifex, qui tunc erat, nisi hostias immolaret. Ita ergo convenienter ille Pontifex duabus indutus tunicis dicitur: Apostoli verò, qui di-
Gal. 5. 2. cturi erant, *Quia si circumcidamini, Christus vobis nihil pro-*
Colos. 2. 16. *derit:* et qui dicturi erant, *Nemo vos iudicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut Neomeniæ, aut sabbatorum, quæ sunt umbra futurorum:* isti ergo cum huiusmodi secundùm litteram legis observantiam penitus repudiarent, nec occuparent discipulos Iudaicis fabulis, et imponerent eis iugum quod neque ipsi, neque patres eorum Act. 15. 10. portare potuerunt, meritò duas tunicas habere prohibentur, sed sufficit eis una et hæc interior. Nam istam quæ foris est, et quæ desuper apparet, legis tunicam nolunt. Unam namque eis Iesus, et ipsam interiorem habere permittit.

INTERROGATIO XXXII. Aliàs 28.

Cum in Levitico Dominus præcipiat dicens: *Nec contaminetur* Lev. 21. 1. &c. *sacerdos in mortibus civium suorum, nisi tantùm in consanguineis ac propinquis suis, id est, super patre, et super matre, et filio, ac filia, fratre quoque, et sorore virgine quæ non est nupta viro: sed nec in principe populi sui contaminabitur:* quomodo post paululum e contra videtur dicere: *Pontifex, id est, sacerdos maximus.... ad hominem mortuum non ingredietur omnino: super patre quoque suo, et matre non contaminabitur?* v. 10. 11.

RESPONSIO.

Unum ex his minoribus sacerdotibus præcepit, ubi non iubentur ingredi ad quemlibet mortuum, nisi ad eos cognatos et propinquos, de quibus suprà dictum est. Sacerdos autem magnus, id est, Pontifex, plus aliquid habebat a ceteris sacerdotibus: et ob hoc quia nec pietate illum nec affectu flecti oportebat, ideo præceptum est illi,

ne immundus fieret in supradictis nominibus, et ab omni mortuo generaliter suum cohiberet affectum. Illud ergo quod primum est positum, de minori sacerdotum gradu; hoc verò quod sequitur, de solo magno sacerdote accipi debet.

Aliàs 32. INTERROGATIO XXXIII.

Quomodo Legi præcipienti, *Diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum,* non est contrarium quod Christus dicit: *Diligite inimicos vestros?* *Matth.* 5. 44.

RESPONSIO.

Unusquisque homo in quantum iniquus est, odio habendus est; in quantum homo est, diligendus est. Hæc inquam regula est, qua et oderimus inimicum propter id quod in eo malum est, id est, iniquitatem; et diligamus inimicum propter quod in eo bonum est, id est, socialem rationalemque creaturam.

EX LIBRO NUMERI.

INTERROGATIO XXXIV.

Cum in libro Numeri scriptum
Num. 23. 19. sit: *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur, nec ut filius hominis, ut mutetur:* necnon et
Ezech. 12. 28. illud per Ezechielem: *Verbum quod loquutus fuero, implebitur, dicit Dominus Deus:* quomodo e contrario plerumque Deus videtur mutare sententiam suam, sicut in Ninivitis factum est, quando per Ionam dixit,
Ion. 3. 4. *Quadraginta dies, et Ninive subvertetur;* ubi statim subsequi-
Ibi 4. 11. tur, *numquid et ego non parcam Ninive civitati magnæ?* Et de David in regnum, ubi tribus diebus promissa fuerat mors, ut
2. *Reg.* 24. 15. vastaret populum, et intra unam diem usque ad horam prandii cessavit.

RESPONSIO.

Fortasse hæc, quæ per interrogationem dicuntur, non penitus pro definito accipienda sint: sed talis quædam figura verbi sit, quæ medium aliquid videatur ostendere, non tamen definitæ et irrevocabilis sententiæ declaret affectum: quo temperantius aliquid dictum videatur, in eo quod scriptum est, Ipse cum dixerit, non faciet? quàm si scriptum esset, Ipse cum dixerit, omnimodis faciet. Sed recenseamus et ipsa Scripturæ loca, quæ vel in Iona, vel in Regum libris posita sunt, ne fortè et ibi, ut moris est Scripturæ, divini scripti aliquid habeat scriptum. Ergo in Iona: *Et factum verbum Domini ad Ionam secundò, dicens: Surge, vade in Ninivem civitatem magnam, et prædica in ea secundùm prædicationem quam ego locutus sum ad te.* Et Ionas quidem prædicavit, et dixit: *Adhuc tres dies,* vel ut Hebræi scriptum habere se dicunt: *Adhuc quadraginta dies, et Ninive destruetur. Viri autem Ninivitæ crediderunt Deo, et prædicaverunt ieiunium, et induerunt se ciliciis a minimo usque ad maiorem* *Ion.* 3. 1. &c.

ipso-

v. 10. *ipsorum.* Et post pauca: *Et vidit,* inquit, *Deus opera eorum, quia conversi sunt a viis suis malis, et pœnituit super malitiam, quam locutus est facere eis, et non fecit.* Observa igitur in his quæ assumpsimus de Propheta, quòd non invenitur in sermonibus Dei, quibus ad Prophetam locutus est, dictum, Quia adhuc tres dies et Ninive subvertetur: ut sermo iste, qui dictus est, et non est factus, ab Iona potius quàm a Deo prolatus esse videatur.

Sed et de secundo Regum libro proferamus, quæ scripta sunt: ubi cum David populum numerasset, *Factum est,* inquit, *verbum Domini ad Gad Prophetam videntem, dicens: Vade, et loquere ad David: Hæc dicit Dominus: tria ego levabo super te: elige tibi unum ex his, quod faciam tibi. Et introivit Gad ad David, et denuntiavit ei, dicens: Aut veniet tibi tribus annis fames super terram tuam: aut tribus mensibus, ut fugias ante inimicos tuos qui te persequuntur: aut triduo ut mors fiat in terra tua. Nunc ergo scito, et vide quid respondeam ei, qui misit me. Et dixit David ad Gad: Angustiæ sunt mihi undique. Sed incidam in manus Domini magis, quia multæ miserationes eius sunt, et in manus hominum non incidam. Et dedit Dominus in Israël mortem a mane usque ad horam prandii, et mortui sunt de populo ex Dan usque Bersabee 70. millia virorum. Et extendit Angelus Domini manum suam in Ierusalem, ut corrumperet eam. Et deprecatus est Dominus super malitiam, et ait ad Angelum, qui exterminabat populum: Satis est: remitte manum tuam.* Observa ergo, quomodo nec in his tribus comminationibus Deus invenitur dixisse de morte dierum trium. In verbo enim Gad positum est, non in mandatis Domini: et non semper ea quæ per Prophetam dicuntur, quasi a Deo dicta suscipiantur. Denique per Moysen multa quidem locutus est Deus, aliqua tamen et Moyses propria auctoritate mandavit: quod Dominus in Evangeliis evidenti distinctione secernit, cum dicit de repudio mulieris interrogatus: *Quia ad duritiam cordis vestri scripsit vobis hæc Moyses: ab initio autem non fuit sic.* Vides ergo et hìc Deum quidem non præcepisse, nec fieri voluisse divortium; Moysen verò propter duritiam cordis Iudæorum scripsisse dandum esse repudium. Ostendit hæc et Paulus in litteris suis, cum dicit de quibusdam: *Dominus dicit, et non ego.* Et de aliis: *Hæc autem ego dico, non Dominus.* Et iterum in aliis: *Præceptum Domini non habeo, sed consilium do.* Et iterum: *Quæ loquor, non loquor secundùm Dominum.* Unde similiter etiam in ceteris Prophetis aliqua quidem Dominus locutus est, non Prophetæ; alia verò Prophetæ, et non Dominus. Et sic videbitur obiectio intenta dissolvi, cum non tam sua quàm Prophetæ verba Dominus revocat ac mutat in melius.

1. Reg. 24. 11. &c.

Matth. 19. 8.

1. Cor. 7. 10.

v. 12.

v. 25.

2. Cor. 11. 17.

Sed magis arbitror, absolutionem priorem totius Scripturæ sensibus convenire, et illis præcipuè dictis, quibus patiens et
Psalm. 85. 15. multæ misericordiæ, et pœnitens
Ioel. 2. 13. *Ion.* 4. 2. super malitias dicitur Deus, vel his maximè quæ generaliter ab Ieremia pronuntiantur, in quibus evidenter ostenditur, pro multis miscrationibus et incomprehensibili bonitate sua Deus dicere et non facere, loqui et non permanere. Ait ergo per Ieremiam
Ier. 18. 7. *&c.* Deus: *In finem loquar*, hoc est, ex definito loquar, *super gentem et super regnum, ut auferam eos, et disperdam: et si convertatur gens illa a malitiis suis, pœnitebo de omnibus malis quæ cogitavi facere eis. Et in finem loquar super gentem, et regnum, ut reædificem eos, et repleam: et si fecerint mala in conspectu meo, ut non audiant vocem meam, pœnitebit me de omnibus bonis, quæ locutus fueram, ut facerem eis.* Quomodo ergo possumus his, quæ absolutè per Ieremiam dicta sunt, præferre illa quæ suspensè per Prophetam dicuntur, nisi quia negligentibus et contemptoribus illa confirmanda, hæc verò perfectioribus secretiùs advertenda sunt?

EX LIBRO DEUTERONOMII.

INTERROGATIO XXXV.

Quomodo Dominus in Deute-
Deut. 6. 13. ronomio præcipiat, *Per nomen meum iurabitis*: et e contra in Testamento novo videatur præ-
Matth. 5. 34. cepisse, *Nolite iurare?*

RESPONSIO GREGORII.

Periurare quippe, grave peccatum est; non iurare autem, sicut verum iurare, nullum peccatum est. Sed longiùs remotus est a falso iurando, qui nec iurare consuevit, quàm qui verum iurare proclivis est. Unde maluit nos Dominus, et non iurantes non recedere a vero, quàm verum iurantes propinquare periurio. Ergo admonitio non iurandi conversio est a peccato periurii. Nam omnino qui verum iurat, non peccat. Unde Dominus omnem occasionem voluit amputare periurii, cum nos iurare prohibuit. Nam et Apostolus in sermonibus quos habuisse narratur, neque iuravit, neque iurandi consuetudinem habuit, ne aliquando vel nescius in periurium laberetur. Scriptis autem, ubi est consideratio maior atque propensior, pluribus locis iurasse invenitur: nequaquam quòd putaret etiam iurando peccare, sed potiùs intelligeret humanæ fragilitatis corda non iurando tutiùs a periurio conservari.

INTERROGATIO XXXVI.

Cum Dominus in Deuteronomio præcipiat, dicens: *Dominum Deum tuum adorabis:* quomodo Psalmista e contrario in Psalmo nonagesimo octavo terram nos iubet adorare præcipiendo: *Adorate scabellum pedum eius?* Quod utique terra est, iuxta quod alius Propheta dicit: *Cælum mihi sedes est, terra au-*
Deut. 6. 13.
Psalm. 98. 5.
Isai. 66. 1.

autem scabellum pedum meorum?

RESPONSIO.

Ex Ambr. *lib. 3. de Spirit. Sanct. cap. 11.*

Illam terram dicit adorandam Propheta, quam Dominus Iesus in carnis assumptione suscepit. Itaque per scabellum terra intelligitur, per terram autem caro Christi, quam hodie quoque in mysterio adoramus, et quam Apostoli in Domino Iesu adorarunt. Suscepit enim de terra terram, quia caro de terra est, et de carne Mariæ carnem accepit. Et quia in ipsa carne hìc ambulavit, et ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit, nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit; inventum est quemadmodum adoretur scabellum pedum Domini, ut non solùm non peccemus adorando, sed peccemus non adorando.

Ex Aug. *Enarrat. in Psalm. 98. num. 9.*

INTERROGATIO XXXVII.

Cum scriptum sit in libro Deuteronomii: *Maledictus qui non reliquerit semen in Israël:* quomodo contra hanc divinam sententiam plurimi et in veteri Testamento, et in novo nec coniugia sortiti sunt, nec semen suæ carnis ullo modo reliquerunt, sicut in veteri Testamento Helias, Ieremias, et Daniel, in novo autem Ioannes Baptista, et Ioannes Evangelista, ceterique quamplures fecisse monstrantur, qui semen secundùm carnem non reliquerunt?

Deut. 7. 14. in cod. græco.

RESPONSIO.

Hæc duo quæ sibi videntur esse contraria, ita ab Origine reperimus explanata. Ait enim: *Hom. 11. in Genes.*

„ Qui consummatæ et perfectæ
„ virtutis est, semper necesse
„ est, ut in aliqua eruditione
„ versetur, quam eruditionem
„ coniugem eius sermo divinus
„ appellat. Secundùm hoc puto,
„ quod in lege cælebs et sterilis
„ maledicto subiacet: quia si hæc
„ de carnali semine dici puten-
„ tur, omnes Ecclesiæ virgines
„ sub maledicto positæ videbun-
„ tur, similiter et Ioannes Ba-
„ ptista, et alii sanctorum pluri-
„ mi. Sed certum est illos spiri-
„ tale semen reliquisse, et ha-
„ buisse unumquemque coniu-
„ gem sapientiam, sicut et Pau-
„ lus per Evangelium filios ge-
„ neravit."

INTERROGATIO XXXVIII.

Quomodo in Deuteronomio Moyses dicat: *Tentat vos Dominus Deus vester:* et e contra Iacobus Apostolus prædicet, *Deus neminem tentat?*

Deut. 13. 3.

Iac. 1. 13.

RESPONSIO.

Duas esse tentationes in Scripturis sanctis solet intelligi. Una quæ decipit, altera quæ probat. Secundùm eam quæ probat, dictum est, *Tentat vos Dominus Deus vester.* Secundùm eam verò quæ decipit, Iacobus Apostolus prædicat, *Deus neminem tentat.*

EX

EX LIBRIS REGUM.

INTERROGATIO XXXIX.

Cum in libro Regum primo Deus ad domum Heli loquens promiserit, dicens : *Hæc dicit Dominus : Domus tua, et domus patris tui ministrabunt in conspectu meo usque in sempiternum :* quomodo e contra quasi mutata promissione subiiciat, dicens : *Ecce dies venient : et præcidam brachium tuum, et brachium domus patris tui, ut non sit senex in domo tua?* Et post aliqua subiungit : *Suscitabo mihi sacerdotem fidelem, qui iuxta cor meum et animam meam faciat, et ædificabo ei domum fidelem, et ambulabit coram Christo meo cunctis diebus.*

1. *Reg.* 2. 30.

v. 31.

v. 35.

RESPONSIO AUGUSTINI.

Lib. 17. *de Civ. Dei, cap.* 6.

" Cum hæc tanta tunc altitudine prænuntiata sint, tanta nunc (1) prænuntiatione clarescant, non frustra tamen moveri quispiam potest, ac dicere: Quomodo confidimus venire omnia quæ in illis libris ventura prædicta sunt, si hoc ipsum quod ibi divinitùs dictum est, *Domus tua et domus patris tui* (2) *ministrabunt coram me in æternum*, effectum habere non potuit? Quoniam videmus illud sacerdotium fuisse mutatum, et quod illi domui promissum est, nec sperari aliquando complendum : quia illud quod ei reprobato mutatoque succedit, hoc potiùs prædicatur æternum. Hoc qui dicit, nondum intelligit, aut non recolit, etiam ipsum secundùm ordinem Aaron sacerdotium tamquam umbram futuri (3) et æterni sacerdotii constitutum, ac per hoc, quando (4) æternitas eius promissa est, non ipsi umbræ ac figuræ, sed ei quod per ipsam adumbrabatur figurabaturque, promissum est : sed ne putaretur ipsa umbra esse mansura, ideo etiam mutatio eius debuit prophetari."

(1) Edit. meliùs *manifestatione.*
(2) Edit. *transibunt.*
(3) Deest in edit. *et.*

INTERROGATIO XL.

Cum in libro Regum scriptum sit, quòd *elevatus fuerit Helias per turbinem in cælum :* quomodo Dominus in Evangelio dicit, *Nemo ascendit in cælum?* et reliqua.

4. *Reg.* 2. 11.

Ioan. 3. 13.

RESPONSIO.

Aliud est cælum aëreum, aliud æthereum : cælum quippe aëreum, terræ est proximum. Unde et aves cæli dicimus, quia eas volitare in aëre videmus. In cælum itaque aëreum Helias sublevatus est, ut (5) in secreta quadam terræ regione repente duceretur, ubi in magna iam carnis et spiritus quiete viveret, quousque ad finem mundi redeat, et mortis debitum solvat.

Ex Gregor. Magn. *hom.* 29. *in Evang. n.* 5.

(4) *Ei æternitas.*
(5) Edit. melius *in secretam quandam... regionem.*

EX

EX ISAIA.

Aliàs 46.

INTERROGATIO XLI.

Cum Isaias dicat pro Ægyptiis: *Clamabunt ad Dominum a facie tribulantis, et mittet eis salvatorem, et propugnatorem, qui liberet eos:* quomodo quasi e contrario statim subiungit, dicens: *Et percutiet Dominus Ægyptum plaga?*

Isai. 19. 20.

v. 22.

RESPONSIO.

Percussio hæc Domini super Ægyptios, parcentis est, non perdentis, quia potiùs per plagam pœnitentiæ animam possit perducere ad salutem: et ideo contrarium illud non erit, ubi a facie tribulantis salvator et propugnator eis mittendus promittitur. Quia et hæc percussio vel plaga, quæ subiicitur, non ad reprobationem, sed ad sanitatem conversionis inducitur. Hoc enim valet supra quod dicitur, *Mittet eis salvatorem et propugnatorem, qui liberet eos:* quia et hìc subsequitur, *Et percutiet Dominus Ægyptum plaga, et sanabit eam:* quod ut manifestiùs aperiretur, addidit, dicens: *Et revertentur ad Dominum, et placabitur eis, et sanabit eos.*

Aliàs 44.

INTERROGATIO XLII.

Quomodo Isaias dicat pro persona Christi filii Dei, *Non est species ei, neque decor: et vidimus eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum: despectum, et novissimum virorum, virum dolorum, et scientem infirmitatem, et quasi absconditus vultus eius et despectus, unde nec reputavimus eum:* et e contra Psalmista dicit, *Speciosus forma præ filiis hominum?*

Isai. 53. 2. 3.

Psalm. 44. 3.

RESPONSIO.

Quod Isaias dicit pro nostro sponso Christo (quo nihil est pulchrius) quòd quasi fœdus apparuit, de interfectoribus Christi hoc dicit, quibus Christus ipse vilis apparuit. *Si enim cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Quod autem Psalmista dicit, quòd speciosus fuerit præ filiis hominum, ad fidem credentium reputatur; qui sic illum videre meruerunt, ut verum illum Deum et hominem fide integra faterentur. Restat igitur, quòd et fœdus apud persequentes, et speciosus existimatus est apud credentes.

1. Cor. 2. 8.

INTERROGATIO XLIII.

Quomodo Isaias de Christo dicit, *Generationem eius quis enarrabit?* cum Evangelista Christi generationem dinumerans, inter cetera dicat, *Christi autem generatio sic erat?*

Isai. 53. 8.

Matth. 1. 18.

RESPONSIO.

Propheta de divinitatis generatione prædixit: Evangelista incarnationis mysterium sequens, generationem Christi secundùm humanitatem exposuit.

INTERROGATIO XLIV.

Aliàs 42.

Quomodo Isaias pro Christo dicit, *Qui peccatum non fecit, nec*

Isai. 53. 9.

nec inventus est dolus in ore eius: cum Paulus e contra videatur dixisse, *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit?* 2.Cor.5.21.

RESPONSIO.

Quod enim Isaias dicit, quia peccatum non fecerit, apertissimè ostendit, quòd persona ipsa Filii peccatis coinquinata non extitit. Ipse est enim agnus sine macula, sine peccato. Quod autem Paulus dicit, *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit:* hoc ipsum quod dixit, *fecit*, ad Patris personam retulit, id est, quòd Deus Pater Filium suum, qui peccatum non fecit, hostiam illum pro peccatis nostris fecit, cum eum pro salvatione mundi immolari permisit. Dicitur enim, quòd eum Pater peccatum fecit, quia eum hostiam pro peccato fieri voluit: sicut dicitur, *Peccata populi mei comedent*, cum non peccata comedantur, sed oblationes quæ pro peccatis offeruntur. Osee 4.8.

INTERROGATIO XLV.

Cum Dominus Isaiæ prophetæ præcipiat, dicens: *Clama ne cesses:* quomodo e contrario videtur Apostolus clamorem prohibens dicere: *Ira, et indignatio, et clamor tollatur a vobis?* Isai. 58.1. Ephes. 4.31.

RESPONSIO.

Alius est clamor, qui de prædicatione vel postulatione, alius qui de ira descendit: et ideo clamorem hunc qui de ira descendit, Apostolus prohibuit; non illum quo aut Isaias prædicare iubetur, aut contritorum corda ad Dominum gemebundos clamores emittunt.

INTERROGATIO XLVI. Aliàs 41.

Quomodo Isaias dicat, *Spiritus Domini super me;* vel ceteri Prophetæ, sive Simeon, sive Zacharias per Spiritum sanctum futura pronuntiasse credantur; cum in Evangelio dicatur: *Nondum erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus?* Isai. 61.1. Ioann. 7.39.

RESPONSIO.

Utique non sine Spiritu sancto antiqui Patriarchæ atque Prophetæ futura pronuntiaverunt. Sed quod dicit, *Spiritus nondum erat datus,* id est, illa abundantia gratiæ spiritalis adhuc antea illis sic nunquam fuerat data, sicut postea cum congregati in unum discipuli linguis omnium gentium sunt locuti: ac sic in linguis omnium gentium futura est pronuntiata Ecclesia.

EX IEREMIA.

INTERROGATIO XLVII.

Quomodo Ieremias utrumque dicat, quæ sibi contraria esse videntur? Dicit enim ex voce filii Dei: *Filii colligunt ligna, et patres succendunt ignem, et mulieres conspergunt adipem, ut faciant placentas reginæ cæli, et libent diis alienis, et me ad iracundiam provocent. Numquid me ad iracundiam provocant?* Ier. 7.18.19.

cant ? dicit Dominus. Ubi statim quasi e contrario subiungit:
v. 20. *Ecce furor meus, et indignatio mea conflatur super locum istum, super viros, et super iumenta, &c.* Qui supra dixerat, *Numquid me ad iracundiam provocant?* quomodo nunc dicit: *Ecce furor meus et indignatio mea stillabit super locum istum ?*

RESPONSIO.

Iste est sensus: Ego quidem naturaliter non irascor; sed illi ita agunt, ut me ad iracundiam provocent, et meam videar mutare naturam. Sentiant igitur iratum, quod quantum in se est facere conantur.

INTERROGATIO XLVIII.

Cum noverimus, quòd Ieremias propheta silentium sibi prædicationis indixerit, per hoc quod di-
Ier. 20. 9. cit, *Non recordabor eius, neque loquar ultra in nomine illius:* quomodo quasi e contrario statim subiungit: *Factus est in corde meo quasi ignis exæstuans, claususque in ossibus meis, et*
v. 10. *defeci ferre non sustinens. Audivi enim contumelias multorum ?*

RESPONSIO.

Pro eo enim quod se minimè audiri conspexit, silentium appetiit. Sed cum crescentia mala cerneret, in eodem silentio non permansit. Quòd enim foris tacuit ex tædio locutionis, intus ignem pertulit de zelo caritatis. Ex Gregor. Magn. *lib.* 23. *Moral. n.* 18.

INTERROGATIO XLIX.

Cum multiplicia et dura peccata Iudæorum ante adventum Christi Prophetarum vocibus prædicata sint, sicut illud: *Peccatum sicut Sodoma prædicaverunt, nec absconderunt:* et in Ieremia: *Peccatum Iuda conscriptum est stilo ferreo in ungue adamantino, &c.* quomodo Christus in Evangelio quasi e contrario videtur de Iudæis dixisse, *Si non venissem, peccatum non haberent?* Quid est hoc ? numquid sine ullo peccato erant, antequam Christus in carne nasceretur, et ex quo venit, nunc cœperunt habere peccatum ? Isai. 3. 9. Ierem. 17. 1. Ioann. 15. 22.

RESPONSIO.

Peccatum quoddam certum, id est, infidelitatis intelligi voluit, quoniam non crediderunt in eum qui iustificat impium.

EX EZECHIELE.

INTERROGATIO L. Aliàs 51.

Quomodo Ezechiel Propheta motus animalium narrat, dicens:
Ezech. 1. 9. 14 *Non revertebantur cum incederent;* et paulo post quasi e contrario subiiciens, dicit: *Et animalia ibant, et revertebantur ?*

RESPONSIO.

Sancta quippe animalia aliquando vadunt, et minimè redeunt; aliquando vadunt et protinus reverturtur: quòd electorum mentes cum per collatam sibi activæ vitæ gratiam erroris Ex Gregor. Magn. *lib.* 10. *Moral. n.* 31.

vias [1] destruunt, redire ad mala mundi nesciunt quæ reliquerunt. Cum verò per contemplationis aciem ab hac se eâdem activa vita suspendunt, eunt et redeunt: [2] quòd per hoc quamdiu persistere minimè in contemplatione sufficiunt, sese iterum ad operationem fundunt: ut in his quæ sibi iuxtà sunt, se exercendo refoveant, et super se rursum surgere contemplando convalescant.

Aliàs 53.

INTERROGATIO LI.

Cum in Ezechielis libro de volumine quod acceperat, scriptum
Ezech. 3. 3. sit: *Et factum est in ore meo, sicut mel dulce;* qua ratione postmodum Ezechiel ipse de se lo-
v. 14. quatur, dicens: *Abii amarus in indignatione spiritus mei?*

RESPONSIO.

Ex Greg. lib. 1. hom. in Ezech. hom. 10. n. 45.

Mirum quippe valde est, si dulcedo simul et amaritudo conveniant. Sed sciendum est, quia cui sermo Dei [3] in ore dulcescere cœperit, huius proculdubio contra semetipsum animus amarescit. [4] Quum enim in nullo subtiliter discit, qualiter se reprehendere debeat, eò se duriùs per amaritudinem pœnitentiæ castigat; [5] quòd tantò sibi magis displicet, quantò in sacro volumine ampliùs de omnipotente Deo videt quæ amet.

Aliàs 50.

INTERROGATIO LII.

Si iuxta Ezechielis verba, *Iu-*
Ezech. 18. 24. et 33. 12. 13. *stitiæ iusti oblivioni tradentur in quacumque die peccaverit:* quomodo consequens est quod Paulus scribit, quia *Deus reddit* Rom. 2. 6. *unicuique secundùm opera sua:* cum si quid de iustitiæ operibus iustus habuit, tunc id perdidit quum deliquit, præsertim cum et Paulus Apostolus scribat, quòd *uniuscuiusque opus quale sit,* 1. Cor. 3. 13. *ignis probabit,* id est, et bona et mala per ignem sint ponderanda?

RESPONSIO.

Videamus ne fortè absolutionem sui in scipso sermo divinus inveniat, si observemus quomodo scriptum est, quia dicit: *Cum aversus fuerit iustus a iustitia sua.* Et non sufficit ut diceret: *Cum aversus fuerit a iustitia sua;* sed addidit: *Et fecerit omnem impietatem, secundùm omnes iniquitates quas fecerit iniquus.* In quo videtur latenter huiusmodi inseruisse intellectum, ut si fortè non secundùm omnes iniquitates quas fecit iniquus, fecerit et iustus, non omnes iustitiæ eius de memoria auferantur. Si verò omnes iniquitates fecerit, quas fecit iniquus, tunc demum omnes iustitiæ in lapsu eius de memoria subtrahuntur. Hæc quamvis occultaverit in Scripturis Spiritus sanctus propter hos qui divitias bonitatis et patientiæ eius contemnunt, non tamen penitus abstulit. Si igitur sub isto intellectu accipiatur illud quod Paulus dixit, non erit omnino contrarium. Nam et beatus Gregorius iuxta Translationem novam hoc testimonium sub isto intelle-

(1) Edit. *deserunt.*
(2) Ed. *quia per hoc quod diu persistere, &c.*
(3) Edit. *in ore cordis dulcis esse cœperit, &c.*
(4) Edit. *quò.*
(5) Edit. *qui.*

lectu edisserit, dicens : "Cum „ dicitur, *Iustus in peccato suo „ moritur, et non erunt in me- „ moria iustitiæ eius, quas fe- „ cit;* hoc nobis maximè consi- „ derandum est, quòd quum ma- „ la committimus, sine causa ad „ memoriam bona nostra trans- „ acta revocantur, quoniam in „ perpetratione malorum nulla „ debet esse fiducia bonorum „ præteritorum."

Aliàs 52.

INTERROGATIO LIII.

Cum Dominus per Ezechielem
Ezech. 20. 25. dicat, *Ego dedi eis præcepta non bona :* quomodo Paulus quasi e
Rom. 7. 12. contrario dicit, *Lex quidem sancta, et mandatum sanctum, et iustum, et bonum ?*

RESPONSIO.

Ex Gregor. Magn. *lib.* 28. *Mor. num.* 41. Mala enim quasi mala esse desinunt comparatione peiorum, et bona quasi bona non sunt comparatione meliorum. Nam sicut peius delinquenti Iudææ de So-
Ezech. 16. 51. doma atque Samaria dicitur, *Iustificasti sorores tuas in omnibus abominationibus tuis, quas operata es;* ita melioribus Testamenti novi præceptis subsequentibus, præcepta bona quæ rudibus data sunt, non bona esse memorantur.

INTERROGATIO LIV.

Cum in visione spiritalis ædifi-
Ezech. 40. 44. cii Ezechiel propheta priùs dicat, se vidisse, quòd gazophylacia ad australem viam facies haberent : qua ratione post subiicit, quòd *gazophylacium quod respicit viam meridianam, sacerdotum est, qui excubant in custodiis templi, et gazophylacium quod respicit viam aquilonis, sacerdotum qui excubant ad ministerium altaris ?* Si utraque facies ad australem viam tendebat, quomodo nunc unum ad meridianam, aliud ad aquilonis viam respicere dicitur ? *v.* 45. 46.

RESPONSIO.

Ex Gregor. Magn. *lib.* 2. *hom. in Ezech. hom.* 10. *n.* 14. In his verbis agnoscimus, quòd gazophylacium sacerdotum qui (1) excubabant in custodiis templi, ita positum fuerat, ut solam meridianam viam respiceret : gazophylacium verò sacerdotum qui (2) excubabant ad ministerium altaris, ita erat in atrio, (3) ut australem viam et aquilonis faciem intenderet : quatenus et cum gazophylacio sacerdotum, qui (4) excubabant in custodiis templi, meridianam viam (5) respiceret, et tamen sine gazophylacio eorumdem sacerdotum (6) ab aquilonis via videret. Sed quid est hoc, quod in his verbis (7) mysticis possumus intueri, nisi hoc quod secundùm ea, quæ præmissa sunt, iam spiritalis auditor intelligit: quòd sacerdotes maioris ordinis, qui excubant in custodiis templi, solam meridianam viam respiciunt, quoniam solis studiis spiritalibus occupati, his quæ amoris Dei sunt, sollicitè intendunt;

(1) Edit. *excubant.*
(2) Edit. *excubant.*
(3) Edit. *ut et ad australem viam..... tenderet.*
(4) Edit. *excubant.*
(5) Edit. *aspiceret.*
(6) Edit. post *sacerdotum* addunt *gazophylacium sacerdotum qui excubant ad ministerium altaris, aquilonis viam videret.*
(7) Edit. *mysticum.*

sacerdotes autem minoris ordinis, qui discutiendis peccatis delinquentium præsunt, etiam ad aquilonis viam oculos reflectunt, ut in mente peccantium, quæ sint torporis frigora, videant, et hæc verbis correctionis usque ad pœnitentiæ gemitus (1) reducentes, quasi carnes in altare Domini incendant? (2) Respiciebant etiam cum magnis sacerdotibus ad meridianam viam: quia quantum ad semetipsos est, fervent igne caritatis, et succensi sunt flammis amoris Dei. Sed quia (3) peccatum delinquentium crebrò corrigunt, etiam ad aquilonis viam oculos reducunt.

EX DANIELE.

INTERROGATIO LV.

Si post tres annos, sicut in principio Danielis scriptum est, pue-
Dan. 1. 5. 18. ri ipsi ingressi sunt in conspectum Nabuchodonosor; quomodo in subsequenti visione scribitur:
Ibid. 2. 1. *Anno secundo Nabuchodonosor, vidit Nabuchodonosor somnium?* Hæc magnam inter se videntur habere contrarietatem, pro eo quòd pueri ipsi, qui nusquam antea nisi post tres annos in conspectum prædicti regis primùm introducti atque interrogati sunt, nunc in secundo Nabuchodonosor anno et ipsum Nabuchodonosor vidisse, et Danielem interpretationem somnii ipsius aperuisse Scriptura commemorat.

RESPONSIO.

Ex Hieronym. *in cap.* 2. *Dan.* Hoc ita solvunt Hebræi; secundum hìc annum dici regni eius, omnium gentium barbararum, non Iudææ tantum et Chaldæorum, sed Assyriorum quoque, et Ægyptiorum, et Moabitarum, et reliquarum nationum, quas Domino concedente superaCap. 12. rat. Unde et Iosephus in decimo Antiquitatum scribit libro: „ Post annum secundum Ægyptiæ vastitatis rex Nabuchodo„ nosor vidit somnium mirabile."

INTERROGATIO LVI. Aliàs 57.

Cum in Danielis libro in fine primæ visionis pro ipso Daniele scribatur, *Fuit Daniel usque* *Dan.* 1. 21. *ad annum primum Cyri regis:* quomodo in eodem libro e contrario scribitur: *Anno tertio Cy-* *Ibi* 10. 1. *ri regis Persarum, verbum revelatum est Danieli?*

RESPONSIO.

Quod dicitur fuisse Danielem usque ad annum primum Cyri regis, non vitæ illius tempus accipiendum est, sed hoc significatur, quòd usque ad primum annum Cyri regis, qui Chaldæorum destruxit imperium, Daniel potens fuit in Chaldæa. Postea verò a Dario translatus est in Medos. Item in expositione Da- *Ad cap.* 10. v. 1. nielis idem Hieronymus sic dicit: „ Fuisse Danielem apud Chal„ dæos in pristina dignitate pur„ pura byssoque vestitum, usque „ ad

(1) Edit. *perducentes.* (2) Edit. *respiciant.* (3) Edit. *peccata.*

„ ad primum annum Cyri regis „ intelligimus, quando subvertit „ Chaldæos, et postea cœpit esse „ cum Dario filio Assueri de se„ mine Medorum, qui impera„ vit super regnum Chaldæorum. „ Aut certè iam Dario mortuo, „ cuius anno primo LXX. hebdo„ madarum sacramenta cognove„ rat, nunc tertio anno Cyri re„ gis hæc vidisse narrantur."

Aliàs 56.

INTERROGATIO LVII.

Cum Daniel sententiam Dei, quam incommutabilem noverat, iam priùs Nabuchodonosor regi de ultione regni sui prædixisset
Dan. 4. 22. implendam, dicens: *Eiicient te ab hominibus, et cum bestiis feris erit habitatio tua:* quomodo in subsequentibus eumdem Nabuchodonosor pro immutatione eiusdem sententiæ ad pœniten-
v. 24. tiam cohortatur, dicens: *Quamobrem rex, consilium meum placeat tibi, et peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum: forsitan ignoscat Deus delictis tuis?*

RESPONSIO.

Ex eod. B. Hieron. in cap. 4. Dan. v. 24. 4. Reg. 20. 1. &c. Hoc facilè solvitur Ezechiæ regis exemplo, quem Isaias dixerat moriturum esse, et Ninivitarum, quibus dictum erat,
Ion. 3. 4. *Adhuc tres dies, et Ninive subvertetur;* et tamen ad preces Ezechiæ, et Ninives Dei sententia mutata est, non vanitate iudicii, sed eorum conversione, qui meruerunt indulgentiam. Alioquin et in Ieremia loquitur Deus se mala minari super gentem, et si bona fecerit, minas clementia commutare. Rursum bona agenti se asserit polliceri, et si mala fecerit, dicit se suam mutare sententiam, non in homine, sed in operibus, quæ mutata sunt. Neque enim Deus hominibus, sed vitiis irascitur: quæ cum in homine non fuerint, nequaquam punit, quia mutatus est.
Ier. 18. 7. 8. &c.

INTERROGATIO LVIII.

Cum in libro Danielis scriptum sit pro visione quam Angelo interpretante cognovit, ut ait: *Cum viderem ego Daniel visionem, et quærerem intelligentiam, audivi vocem viri dicentis: Gabriel, fac intelligere istam visionem virum istum:* quomodo statim subiungitur e contrario, ubi ipse Daniel ait, *Et stupebam ad visionem, et non erat qui interpretaretur?* Si non erat, qui interpretaretur, quomodo supra interpretatus est Angelus?
Dan. 8. 15. 16.
v. 27.

RESPONSIO.

Quod dicit, hoc est: Reges audierat, et eorum nomina nesciebat: futura cognoverat, et quo futura essent tempore, dubius fluctuabat.
Ex eod. Hieronym. ad hunc versic.

EX PROPHETIS MINORIBUS.

INTERROGATIO LIX. (1)

Cum Dominus per Oseam Prophetam de reprobis regibus dicat:

(1) Samson Abbas lib. 2. Apolog. cap. 27. num. 6. seu pag. 512. tom. XI. Hisp. Sacræ ita

Oseæ 8. 4. cat : *Ipsi regnaverunt, et non ex me : principes extiterunt, et non cognovi :* quomodo e con-
Iob 34. 30. trario Iob dicit, *Qui regnare facit hypocritam propter peccata populi?* Quis enim rectè sentiens dicat, quòd fecit Dominus quod minimè cognoscit?

RESPONSIO.

Ex Gregor. Magn. *lib.* 25. *Mor. num.* 41. Scire Dei, approbare est; nescire, reprobare. Unde quibus-
Luc. 13. 25. dam quos reprobat, dicit : *Nescio vos, unde sitis.* Et aliquando facere Dei est, id quod fieri prohibet, irascendo permittere.
Exod. 4. 21. Unde et Regis Ægypti cor se obdurare asseruit, quòd videlicet obdurari permisit. Miro modo hypocritas Dominus et regnare facit, et nescit : facit sinendo, nescit reprobando.

INTERROGATIO LX.

Quomodo Amos propheta in-
Amos 7. 14. quisitus respondit, *Non sum Propheta :* quum et Prophetam eum noverimus, et verba prophetiæ illius teneamus?

RESPONSIO.

Ex eod. Greg. *lib.* 2. *Mor. num.* 89. Eadem hora qua requisitus est, prophetiæ sibi spiritum deesse sensit, et de semetipso testimonium veraciter intulit dicens : *Non sum Propheta.* Qui tamen secutus adiunxit, *Et nunc audi verbum Domini. Hæc dicit Dominus : Uxor tua in civitate* v. 16. 17. *fornicabitur, et filii tui et filiæ tuæ in gladio cadent, et humus tua funiculo metietur, et tu in terra polluta morieris.* Quibus Prophetæ verbis apertè ostenditur, quòd dum de se illa loqueretur, impletus est, et mox habere prophetandi spiritum meruit, quia se Prophetam non esse humiliter agnovit.

INTERROGATIO LXI.

Cum Zacharias dicat pro derisoribus Christi, *Videbunt in quem* Zach. 12. 10. *pupugerunt :* quomodo quasi e contrario de ipsis videtur Isaias dixisse, *Tollatur impius, ut non* Isai. 26. 10. sec. LXX. *videat claritatem Domini.*

RESPONSIO.

Excæcatur impius, ut aliquid non videat. Visurus est formam hominis, de qua dictum est, *Sic* Act. 1. 11. *veniet ;* non visurus est formam Dei, de qua dicitur, *Ostendam* Ioan. 14. 21. *me ipsum illi :* quam non impii, sed soli iusti videbunt. Unde propter solam formam hominis, quæ et a iustis et ab iniustis videnda est, dictum est, *Videbunt in quem pupugerunt:* propter formam autem Dei, quæ a solis iustis videbitur, dictum est : *Tollatur impius, ne videat, &c.*

ita transtulit hanc quæstionem : *Quæri rationabiliter potest, quomodo in hoc loco* (Iob 34. 30. qui deest in Codice, vel eum omisit editor) *dicitur, quòd regnare hypocritam facit, cum hac de re per prophetam specialiter queratur dicens,* Ipsi regnaverunt, sed non ex me : principes extiterunt, et non cognovi? *Quis enim rectè sentiens dicat, quia facit Dominus quod minimè cognoscit? Sed quia scire Dei, approbare est ; nescire, reprobare: miro modo hypocritas, &c.* ut hic in fine.

EX

EX LIBRO PSALMORUM.

INTERROGATIO LXII.

Cum David in Psalmo quarto dicat, *Irascimini, et nolite peccare:* quomodo Paulus in epistolis suis dicit, *Deponite omnem iram, et indignationem?*

Psalm. 4. 5.

Colos. 3. 8.

RESPONSIO.

Alia est ira, qua zelo iustitiæ commovemur; alia, qua irrationabili motu ferimur. Non ergo illam Apostolus quæ de iustitia descendit, abscindere voluit, præsertim cum idipsum testimonium de Psalmo in epistola ad Ephesios adsumpserit, dicens: *Irascimini, et nolite peccare.* Ac si dixisset: Sic irascimini, ut a culpa abstineatis; sed omnem potiùs iram, quæ de irrationabili motu procedit, voluit amputari.

Ephes. 4. 26.

INTERROGATIO LXIII.

Quomodo David in Psalmo quintodecimo dicat: *Caro mea requiescit in spe: quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem:* cum quasi e contra videatur dicere in Psalmo vigesimonono, *Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem?*

Psalm. 15. 9. 10.

Psalm. 99. 10.

RESPONSIO.

Quod dicit, *Caro mea requiescit in spe, quoniam non derelinques animam, &c.* utique Psalmista ex persona Christi id affirmativè pronuntiat, ac si diceretur ex voce filii Dei ad Deum patrem: Caro mea in spe resurrectionis obdormiet, quia non dabis animam meam inferis possidendam, neque sanctificatum corpus meum, per quod et alii sanctificandi sunt, corrumpi patieris. Hoc autem quod videtur esse contrarium, hoc est quod et illud, nec diversum est. Dicit enim quodammodo Christus ad patrem: Quæ utilitas in effusione sanguinis mei, si sic fuerit corrupta caro mea, quomodo et ceterorum hominum, ut in fine resurgam? Numquid confitebitur tibi pulvis, id est, turba impiorum, quæ nisi me resurgente iustificari non poterit? Ergo sic intellecta, non sunt contraria.

Carptim ex August. Enarrat. in hos Ps.

INTERROGATIO LXIV.

Cum Psalmista dicat, *Dolores inferni invenerunt me*; necnon et illud, *Deus noster refugium et virtus, adiutor in tribulationibus quæ invenerunt nos nimis:* quomodo immutato alio locutionis genere, non se a tribulationibus inventum esse, sed se tribulationem potiùs invenisse testatur, dicens, *Tribulationem et dolorem inveni?*

Psalm. 17. 6.

Psalm. 45. 2.

Psalm. 114. 4.

RESPONSIO.

Aliæ sunt tribulationes vel dolores, quas nos invenimus; et aliæ, quæ nos inveniunt. Nam quando sine alicuius admonitione vel percussione homo considerat factum suum, et rogans Deum, plangit et contremiscit, iste utique tribulationem et dolorem invenit: qui sic aut alio increpante, aut altero admonente, aut per-

percutiente conteritur, hunc tribulationes et dolores inveniunt.

INTERROGATIO LXV.

Cum David Propheta in vigesimoprimo Psalmo non exauditum se conqueratur, dicens, *Deus meus, clamabo per diem, nec exaudies : et nocte, &c.* quomodo e contra in eodem Psalmo testatur, dicens, *Non avertit faciem suam a me ; et dum clamarem ad eum, exaudivit me ?*

Psalm. 21. 3.

v. 25.

RESPONSIO.

Dominus Christus ex persona veteris hominis, cuius mortalitatem portabat, verbis delictorum clamare se dicit die ac nocte, et non exaudiri : verba enim delictorum sunt, et non iustitiæ, cum clamatur ad Dominum per diem, id est, in prosperitate, ut hæc ipsa prosperitas non mutetur ; et cum clamatur nocte, ut adversitas prosperetur. Hæc igitur talis petitio, longè est a salute. Nam inde et sequitur, *et non ad insipientiam mihi*, id est, neque hoc facias ad insipientiam mihi, sed potiùs ut sapiam, quid velis me clamare, non verbis delictorum et desiderio temporalis vitæ, sed verbis conversionis ad te in vitam æternam. Ex his igitur verbis conversionis atque iustitiæ, in subsequentibus idem exauditum se commemorat dicens : *Non sprevit, neque despexit precem pauperis ; neque avertit faciem suam a me : et dum clamarem ad eum, exaudivit me :* id est, non illius qui verbis delictorum clamans ad Deum, viam istam, id est, prosperitatem transire nolebat, sed precem pauperis exaudivit. Qui ergo verbis delictorum superiùs clamasse, et non exauditum se contestatur, ipse verbis iustitiæ deprecans, se commemorat exauditum. Clamavit superiùs verbis delictorum (ex persona veteris hominis) exauditus non est. Clamavit subteriùs verbis iustitiæ et conversionis ad Deum (ex persona hominis ad novam vitam pertinentis) et exauditus est.

Ex Aug. *Enarrat.* 1. *in hunc Psalm.*

INTERROGATIO LXVI.

Cum Psalmista in Psalmo vigesimoquarto dicat, *Universæ viæ Domini misericordia et veritas :* quomodo in alio Psalmo e contrario dicit, *Omnes viæ tuæ veritas :* vel sicut in alia translatione legitur, *Omnia mandata tua veritas ?*

Psalm. 24. 10.

Psalm. 118. 151.

RESPONSIO.

Erga sanctos et universæ viæ Domini misericordia, et universæ viæ Domini veritas : quia et in iudicando subvenit, atque ita non deest misericordia ; et in miserando id exhibet quod promisit, ne veritas desit. Erga omnes autem et quos liberat, et quos damnat, omnes viæ Domini misericordia et veritas : quia ubi non miseretur, vindictæ veritas exhibetur. Multos quippe immeritos liberat, immeritum autem neminem damnat.

Ex Aug. *serm.* 29. *in Psalm.* 118. *n.* 8.

INTERROGATIO LXVII.

Quomodo Psalmista in vigesimo nono Psalmo contraria de se prædicare videtur, ait enim: *Ego dixi in abundantia mea : non movebor in*

Psalm. 29. 7. 8.

æternum : et post modicum subiungit, *Avertisti faciem tuam a me, et factus sum conturbatus.*

RESPONSIO.

Quia de confidentia virtutis intumuit, dicit : *Ego dixi in abundantia mea, &c.* Sed paulo post quid pertulit, adiunxit: *Avertisti faciem tuam, &c.* acsi aperte dicat : Fortem me inter virtutes credidi, sed quantæ infirmitatis sim, derelictus
Psalm. 118. 106. agnovi. Hinc rursus dicit, *Iuravi et statui custodire iudicia iustitiæ tuæ.* Sed quia eius virium non erat manere in custodia quam iurabat, debilitatem suam protinus turbatus invenit. Unde et ad preces et opem re-
v. 107. pentè se contulit, dicens : *Humiliatus sum usquequaque : vivifica me secundùm verbum tuum.*

INTERROGATIO LXVIII.

Psalm. 31. 5. Quomodo David dicat : *Dixi, pronuntiabo adversum me iniustitias meas Domino, et tu remisisti, &c.* Et illud quod
ai. 30. 15. sec. LXX. alibi dicitur, *Peccator cum ingemuerit, salvus erit :* cum e contra in Evangelio ille cæcus
Ioan. 9. 31. dixerit, *Nos scimus quia peccatores Deus non exaudit ?*

RESPONSIO.

Quia Deus peccatores audiat, ex multis Scripturarum locis monstratur, sicut de publicano
Luc. 18. 14. illo, vel de aliis in Evangelio scribitur. Hoc autem quod cæcus iste dixit, quasi adhuc inunctus loquitur. Ac proinde non est ita accipiendum, quod Deus peccatores non audiat. Si non exaudit in miraculis, exaudit pro culpis.

INTERROGATIO LXIX.

Cum Psalmista in Psalmo trigesimotertio dicat, *Semper laus eius in ore meo :* quomodo e contrario specialem numerum tenet in Psalmo centesimo decimo octavo ? Dicit enim : *Septies in die laudem dixi tibi.*

Psalm. 33. 2.

Psalm. 118. 164.

RESPONSIO.

Septenarium laudis numerum posuit propter septem dies, quibus mundus iste peragitur, in quibus semper laus Deo refertur.

INTERROGATIO LXX.

Cum Psalmista dicat, *Homines et iumenta salvos facies Domine :* quomodo Paulus Apostolus quasi e contrario videtur dicere, *Numquid de bobus cura est Deo ?*

Psalm. 35. 7.

1. Cor. 9. 9.

RESPONSIO.

Hæc Sanctus Augustinus ita distinguit dicens : " Ecce dicitur, „ quod de bobus non sit cura „ Deo. Rursumque dicitur : *Homines et iumenta salvos facies Domine.* Numquid contraria sunt „ ista ? Non. Ad præcepti ergo „ tenorem non est de bobus cu„ ra Deo. Ad providentiam uni„ versitatis cura est illi de omni„ bus. Quid ergo ait Apostolus? „ *Numquid de bobus pertinet* „ *ad Deum ?* Ubi præceptum „ dedit : *Bobi trituranti os non* „ *infrænabis ;* ibi de bobus non „ cogitavit Deus ? Itaque quos„ dam boves voluit significare. „ Non enim hoc curat Deus mo„ ne-

Enarrat. in Psalm. 145. n. 13. 14.

Deut. 25. 4.

„ nere, quid agas cum bobus „ Habet hoc natura ipsa humana. Sic factus est homo, ut „ norit consulere iumentis suis, „ nec inde a Deo præcepta accepit: sed insinuatum est illi „ in mente a Deo, ut possit et „ sine præcepto facere: fecit illum talem Deus. Sed quomodo regit pecus, regendus ab „ alio: ab eo qui regit, præceptum accepit. Ad præcepti ergo tenorem non est de bobus „ cura Deo. Ad providentiam „ universitatis, qua creavit omnia, et mundum regit, homines et iumenta salvos facies „ Deus.(1) Intendat charitas vestra. Hìc fortè aliquis dicat mihi: De novo Testamento est, „ quia de bobus non pertinet ad „ Deum. Homines et iumenta „ (salvos facies (2) Domine) de „ veteri Testamento est. Sunt qui „ calumnientur, et dicant, non „ sibi consonare ista duo Testamenta. Ne fortè aliud dicat in „ Veteri, aliud in Novo; et flagitet de me sententiam de Novo talem (3) qualis est hæc: *Psalm. 35. 7.* „ *Homines et iumenta salvos* „ *facies Domine;* quid facio? „ Nihil tam in capite novi Testamenti, quam Evangelium. In „ Evangelio invenio, quia omnia „ ista pertinent ad Deum. Nemo „ erit iam, qui contradicat. Numquid enim Apostolus Evangelio contrarius erit? Audiamus „ ipsum Dominum, Principem, „ et Magistrum Apostolorum. „ *Respicite*, inquit, *volatilia* *Matth. 6. 26. 28. &c.* „ *cæli, quia non seminant, ne-* „ *que metunt, neque congre-* „ *gant in horreum, et Pater* „ *vester cælestis pascit illa....* „ *Et de vestimento quid soliciti* „ *estis? Considerate lilia agri* „ *quomodo crescunt. Non labo-* „ *rant neque nent. Dico autem* „ *vobis, quoniam nec Salomon* „ *in omni vita sua coopertus* „ *est, sicut unus ex istis. Si* „ *enim fœnum agri quod hodie* „ *est, et cras in clibanum mit-* „ *titur, Deus sic vestit, quan-* „ *to magis vos modicæ fidei?* „ Ergo et præter hominem animalia et herbæ (4) pertinent ad „ curam Dei, ut pascantur, non „ ut legem accipiant. Quod ergo „ ad legem dandam attinet, de „ bobus cura non est Deo. Quod „ autem ad credenda, pascenda, „ gubernanda, et regenda, omnia „ ad Deum pertinent." Hinc etiam in Evangelio dicitur Matthæi: *Nonne duo passeres asse* *Matth. 10. 29.* *væneunt: et unus ex illis non cadet sine Patre vestro super terram?* Lucas verò sic dicit: *Nonne quinque passeres væ-* *Luc. 12. 6.* *neunt dipondio: et unus ex illis non est in oblivione apud Deum?* Quos enim recordatur, et pascit, gubernat, et regit, et sine quo unus ex illis super terram non cadit, non solùm cum ipsis et in-

(1) Hìc fortè Iulianus quæstionem absolvit; sed quoniam Samson Abbas, cuius testimonio unicè nitimur, nihil annotavit, non potuimus non usque ad finem capitis transferre.

(2) Desunt in MS. inquit Florezius, verba uncinis inclusa, sed extant apud Augustinum loco citato.

(3) MS. *denotabilem*, Augustinus verò, *talem*, ait idem auctor.

(4) August. herbarum non meminit, quia testimonium liliorum et fœni non intulit.

intra ea est; verùm etiam in illis, unde ea pascere potentialiter ipse disposuit, cui æqualis de omnibus cura manet.

Aliàs 70.

INTERROGATIO LXXI. (1)

Quomodo Psalmista in Psalmo trigesimoseptimo ex persona Christi dicat, *Vim fecerunt, qui quærebant animam meam:* cum e contra similiter ex persona Christi in centesimo quadragesimo primo redarguens dicat, *Non est qui quærat animam meam?* Si quosdam redarguit quasi inimicos, qui non quærant animam eius: ergo amici erant quærentes animam eius?

Psalm. 37. 13.

Psalm. 141. 5.

RESPONSIO.

Ex Aug. *Enarrat. in Psalm.* 37. *n.* 18.

Quæritur anima Christi et benè, et malè: Benè, qui incorporari cupiunt membris eius; malè autem, qui vim faciunt, et persequuntur vel illum vel membra ipsius. Quis est, qui quærit benè animam ipsius? Qui eius passiones imitatur. Qui sunt qui quærebant malè animam eius? Qui ei vim faciebant, et crucifigebant eum.

INTERROGATIO LXXII.

Quomodo David in Psalmo quadragesimo tertio dicit, *Exurge, quare obdormis Domine?* et quasi e contra in Psalmo centesimo vigesimo, *Ecce non dormitabit neque dormiet, qui custodit Israël?* Si non dormit neque dormitat, qui custodit Israël, quomodo clamatur ad eum, *Exurge, quare obdormis Domine?*

Psalm. 43. 23.

Psalm. 120. 4.

RESPONSIO.

Dormit Dominus in cordibus infidelium, non dormit in cordibus christianorum. Ergo cum canitur, *Exurge, quare obdormis Domine?* pro infidelibus hoc Ecclesia clamat, qui Christum mortuum, sed resurrexisse non credunt, et ideo, quasi in cordibus talium semper dormit Christus. Quia Christum adhuc mortuum putant, ad hoc petitur ut resurgat in illis, id est, ut fides præstetur illis, qua credant eum resurrexisse a mortuis. Cum autem canimus, quòd *non dormit, neque dormitat, qui custodit Israël;* quia Israël videns Deum interpretatur, ad solos fideles hoc testimonium refertur, qui Christum a somno mortis suscitatum, non dormientem, id est, mortuum, sed viventem in sæcula confitentur.

INTERROGATIO LXXIII.

Cum in quadragesimo quarto Psalmo ex voce advocantis Dei, animæ dicatur humanæ: *Audi filia, et vide, et inclina aurem tuam:* quomodo alterius patris mentionem faciens subiungit e contrario dicens, *Et obliviscere populum tuum, et domum patris tui?*

Psalm. 44. 11.

RESPONSIO.

Advocat hìc Deus pater filiam, id est, animam hominis, ut de domo alterius patris sui, id est,

(1) Ab hac interrogatione usque ad 92 inclusivè una monade superior est editis nostra enumeratio, propter quæstionem septuagesimam ex Samsone adiectam.

mundi huius exeat, et ad speciem patris creatoris utique sui redire contendat. Quod ita fit,
Col. 2. 20. quum mortificati cum Christo ab elementis huius mundi, *contem-*
2. Cor. 4. 18. *plamur* secundùm Apostolum *iam non ea quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt : quæ autem non videntur, æterna.*

INTERROGATIO LXXIV.

Quomodo unus idemque pro-
Psalm. 49. 14. pheta David cum dixisset, *Immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua;* quasi
Psalm. 50. 18. e contrario videtur dicere : *Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique, holocaustis verò non delectaberis?* Quomodo delectari et non delectari Deum humanis sacrificiis dicit?

RESPONSIO.

Sacrificium visibile, invisibilis sacrificii sacramentum, id est, sacrum signum est. Unde ille pœnitens apud prophetam, vel ipse propheta quærens Deum peccatis suis habere propitium : *Si voluisses*, inquit, *sacrificium, dedissem utique, holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo spiritus contribulatus : cor contritum et humiliatum Deus non spernit.* Intuemur quemadmodum ubi Deum dixit nolle sacrificium, ibi Deum ostendit velle sacrificium? Non vult ergo sacrificium trucidati pecoris, sed vult sacrificium contriti cordis. Illo igitur quo eum nolle dixit, hoc significatur quod eum velle subiecit. Ac per hoc ubi scriptum est, *Misericordiam volo, et non sacrificium*, nihil aliud quàm sacrificium sacrificio prælatum oportet intelligi, quum illud quod ab hominibus appellatur sacrificium, signum est veri sacrificii. Porro autem misericordia verum sacrificium est. Unde et Apostolus ait : *Benefacere, et communicatores esse, nolite oblivisci; talibus enim sacrificiis placetur Deo.*
Osee 6. 6.
Hebr. 13. 16.

INTERROGATIO LXXV.

Cum David Propheta dicat, *Peccatori dixit Deus: quare tu enarras iustitias meas?* Quomodo Paulus videatur e contrario præcipere, ubi etiam malos in prædicationem admittat, dicens, *Sive per occasionem, sive per veritatem Christus adnuntietur?* Et illud Evangelicum: *Quod dicunt, facite : quæ autem faciunt, facere nolite?*
Psalm. 49. 16.
Phil. 1. 18.
Matth. 23. 3.

RESPONSIO.

Sed hæc dicta sunt, ne timeant qui audiunt a quocumque audiant : non ut securi sint, qui dicunt bona, et faciunt mala. Sed noluit Deus sine correptione dimittere illos qui dicunt; ne hoc solo quòd dicunt, securi obdormiscant in mala vita, et dicant sibi, Neque enim perdet nos Deus, per quorum os voluit tanta bona dici populo suo. Secundùm hunc igitur intellectum, prædicatores peccatores admonentur ne vivant malè, et prædicent benè, non ut os suum prohibeant a prædicamento iustitiæ.
Ex Aug. Enarrat. in Psalm. 49. n. 23.

IN-

INTERROGATIO AUGUSTINI LXXVI.

Enarrat. in hunc Psalm.

Psalm. 52. 4. 5.

Cum in Psalmo quinquagesimo secundo scriptum sit: *Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum:* quomodo statim bonorum nomen subiungitur, dicendo: *Qui devorant populum meum?* Si non est qui faciat bonum, non est usque ad unum; quis est iste populus, qui Dei tantùm populus nominatur? Nec enim potest Dei populus dici, nisi bonum faciendo, et inhærendo illi.

RESPONSIO.

Ecce in uno eodemque Psalmo, et boni, id est, Dei populus describuntur, et quod non sit qui faciat bonum usque ad unum, sententia superiori præfertur. Propheta enim volens distinguere filios Dei a filiis hominum, dixit: *Non est qui faciat bonum, &c.* quod pertinet ad filios hominum, qui adhuc filii Dei nondum sunt. De his enim superiùs dixerat: *Dominus de cælo prospexit super filios hominum.* Idem dixit, *qui devorant populum meum.* Ecce hìc populum Dei nominavit, quod utique pertinet ad filios Dei. Ista voce filii Dei sumus. Tolle ergo quod homines filii Dei sunt, remanet quod filii hominum sunt, id est, reprobi et peccatores, de quibus dictum accipitur: *Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Cum autem inter malos quidam boni inveniuntur, ipsi filii Dei sunt, qui hoc loco populus Dei nominatur. Qui etiam sicut cibus panis a filiis hominum, id est, ab iniquis devoratur, quum a persequentibus lacerantur. Cum autem et ipsi mali boni efficiuntur, iam non filii hominum, sed filii Dei sunt. Si ergo superiorem versum, quo dicitur, *Non est qui faciat bonum,* filiis hominum tribueris: et subsequentem versum quo dicitur, *qui devorant populum meum,* filiis Dei adscripseris: nulla erit in his repugnantia quæstionis.

INTERROGATIO LXXVII.

Cum David in Psalmo quinquagesimo quarto pro quibusdam schismaticis imprecetur, dicens, *Veniat mors super illos:* quomodo quasi e contrario videatur subiungere, *Et descendant in infernum viventes?* *Psalm. 54. 16.*

RESPONSIO.

Veteris historiæ factum, quo Dathan et Abiron viventes terra absorbuit, populum autem illis consentientem ignis consumpsit, Psalmus iste replicans, dicit: *Veniat mors super illos, et descendant in infernum viventes.* Sed si iam mors super eos venerat, quomodo vivi ad inferos descendebant? aut quomodo potest fieri, ut priùs venisse videantur in mortem, et postea approbentur viventes ad inferna descendere? Sed quod dicit, *veniat mors super illos,* ad populum pertinet illis consentientem, qui igne consumptus est; quod autem subiicit, *descendant in infernum viventes,* ad duces eorum malorum Dathan et Abiron pertinet, quos vivos terra absorbuit. Primum quippe illud schisma- *Num. 16. 31. 32. &c.*

smatis initium nova mors perdidit. Vel viventes ad infernum descendere, est viventes sentientesque per pravum opus ad inferni claustra descendere.

INTERROGATIO LXXVIII.

Cum in sexagesimo primo Psalmo loquatur Propheta dicens, *Semel locutus est Deus:* quomodo quasi e contra videtur subiungere, *duo hæc audivi*, præsertim cum et Paulus Apostolus ad Hebræos scribat, *Multifariè multisque modis olim Deus locutus est patribus nostris in Prophetis?*

Psalm. 61. 12.

Hebr. 1. 1.

RESPONSIO.

Ex Aug. *Enarrat. in Psalm.* 61. *n.* 17. *&c.*

Omnino investigare difficile est, quemadmodum positum sit priùs, *semel locutus est Deus*, deinde, cum ille *semel locutus est*, ego *duo audivi*. Si enim diceret, semel locutus est Deus, unum hoc audivi, videbatur partem quæstionis huius amputavisse, ut tantummodo quæreremus quid sit, *semel locutus est Deus*. Nunc verò quæsituri sumus, et quid sit, *semel locutus est Deus;* et quid sit, *duo hæc audivi*, quum ille semel locutus sit. Sed sciendum, quòd inter homines hominibus sæpe multis modis, multis partibus, per multiformem creaturam locutus est Deus. Apud se semel locutus est Deus. Quod unum Verbum genuit Deus, in illo Verbo sunt omnia, quia per Verbum facta sunt omnia. Unum Verbum habet, ibi omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi. Duo verò, quæ audisse sese dixit, ista sunt: *potestas et misericordia*. Ista planè: intelligite potestatem Dei, intelligite misericordiam Dei. His duobus continentur prope omnes Scripturæ: propter hæc duo Prophetæ, propter hæc Patriarchæ, propter hæc lex, propter hæc ipse Dominus noster Iesus Christus, propter hæc Apostoli, propter hæc annuntiatio omnis, et celebratio verbi Dei in Ecclesia. Potestatem eius timete, misericordiam eius amate. Nec sic de misericordia præsumatis, ut potestatem contemnatis; nec sic potestatem timeatis, ut de misericordia desperetis. Apud illum potestas, apud illum misericordia: hunc humiliat, et hunc exaltat: hunc humiliat potestate, illum exaltat misericordia.

Ioan. 1. 3.

Colos. 2. 3.

Psalm. 74. 9.

INTERROGATIO LXXIX.

Cum in Psalmo sexagesimo octavo Propheta ex persona Christi dicat, *Laboravi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ:* quomodo Evangelium dicit, quòd in passione sua Dominus non responderit eis verbum? Necnon et illud quod Isaias dicit, *Sicut agnus coram tondente se, sic non aperuit os suum.*

Psalm. 68. 4.

In Evang. sæpè.

Isai. 53. 7.

RESPONSIO.

Ex Aug. *serm.* 1. *in Psalm.* 68. *n.* 7.

Ideo iam tunc tacebat, quòd raucus erat, quòd sine causa tantum clamaverat. Et illam quidem eius vocem de Psalmo alio in cruce novimus: *Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquisti?* Sed quanta illa vox fuit, aut quam diuturna, ut in ea raucæ factæ essent fauces eius? Diu clamavit, *Væ vobis Scribæ et Pharisæi.* Diu clamavit, *Væ mundo ab scandalis.* Et revera quo-

Psalm. 21. 2.

Matth. 23. 13. 14. *&c. Ibid.* 18. 7.

quomodo raucus clamabat, et ideo non intelligebatur, quando dicebant Iudæi : *Quid est quod dicit ? Durus est hic sermo. Quis potest illum audire ? Non scimus quid dicat.* Ille omnia verba dicebat, sed illis raucæ fuerunt fauces eius, qui voces eius non intelligebant. Hæc igitur sub tali intellectu promissa, non erunt sibi contraria : ut iuxta quod superiùs dicit, clamor ipse unde raucæ fauces eius factæ fuisse dicuntur, non ipso passionis tempore, sed ante passionem factus accipiatur.

Ioann. 6. 61.

INTERROGATIO LXXX.

Cum Propheta ex persona Christi in Psalmo sexagesimo octavo præmiserit primùm dicens, *Veni in altitudinem maris, et tempestas dimersit me :* quomodo quasi e contrario in subsequentibus deprecatur de profundo aquarum, *non me dimergat tempestas aquæ?* Necnon et alia, quæ superiùs in eodem Psalmo contraria sibi esse videntur : Primum quod dixit, *In limum profundi ;* aliudque e contra subsequitur, *Salvum me fac de luto, ut non inhæream?*

Psalm. 68. 3. v. 16. v. 3. v. 15.

RESPONSIO.

Quod superiùs dictum est, *tempestas dimersit me*, pro corpore quod iam in passione tenebatur, hoc dictum accipitur. Quod autem sequitur, *non me dimergat tempestas aquæ*, pro spiritu deprecari videtur : ut quia corpus tenebatur ad passiones, saltem pro anima precaretur, ut in tempestate passionum non mergeretur. Hoc quippe et in his aliis duobus sentiendum est, quibus ait : *Infixus sum in limo profundi :* et quod repetiit, *salvum me fac de luto, ut non inhæream*, cum secundùm sententiam priorem deberet dicere, salvum me fac de luto ubi (1) eram, eruendo me, non agendo ut non (2) hæream. Ergo hæserat carne, sed non hæserat spiritu. Dicit hoc ex infirmitate membrorum suorum. Quando fortè caperis ab eo qui te premit ad iniquitatem, tenetur quidem corpus tuum, secundùm corpus infixus es in (3) limum profundi : sed quamdiu non consentis, non hæsisti ; si autem consentis, hæsisti. (4) Hæsisti ? Oratio tua ibi sit, ut quomodo iam tenetur corpus tuum, non teneatur et anima tua. Item et de profundo aquarum, *non me dimergat tempestas aquæ.* Sed iam dimersus erat. *Veni in altitudinem maris*, tu dixisti; *et tempestas dimersit me*, tu dixisti. Dimersit secundùm carnem, non dimersit secundùm spiritum. Quibus dictum est, *Si vos persecuti fuerint in* (5) *unam civitatem, fugite in aliam*, hoc eis dictum est, ut nec carne hærerent, nec spiritu.

Ex eod. serm. D. August. *n.* 18.

num. 19.

Matth. 10. 23.

INTERROGATIO LXXXI.

Cum veteris et novi Testamenti patres, Moysen, Aaron, Heliam, Heliseum, vel ceteros illius temporis sanctos, atque ipsos

(1) Edit. *hæseram.*
(2) Edit. *inhæream.*
(3) Edit. *in limo.*
(4) In edit. deest : *Hæsisti ?*
(5) Edit. *in una civitate.*

ipsos Christi filii Dei Apostolos diversa mirabilia et signa legerimus fecisse : cur e contrario in
*Psalm.*71. 18. Psalmo septuagesimo primo scribitur, *Benedictus Dominus Deus Israël, qui facit mirabilia magna solus?*

RESPONSIO.

Deus facit mirabilia solus; quoniam quicumque faciunt, ipse in eis operatur, qui facit mirabilia solus.

INTERROGATIO LXXXII.

De eo quòd in Psalmo septua-
Psalm. 74. 9. gesimo quarto scriptum est: *Quia calix in manu Domini vini meri plenus est mixto;* videtur esse contrarium, quòd et vini meri plenum ipsum calicem dixit, et mixto subsecutus adiunxit.

RESPONSIO.

Prima quæstio, iuxta quod
Enarrat. in hunc Psalm. n. 11. sanctus Augustinus ait, ista occurrit: „ *Vini meri plenus est mix-*
„ *to.* Quomodo *meri* si *mixto.*
„ Non ergo vos terreat, (1) quod
„ dicit, et merum et mixtum:
„ merum propter sinceritatem,
num. 12. „ mixtum propter fæcem. Calix
„ enim vini meri plenus mixto
„ videtur mihi esse lex quæ da-
„ ta est Iudæis et omnis illa Scri-
„ ptura veteris, quod dicitur Te-
„ stamenti. Ibi sunt pondera o-
„ mnium sententiarum, nam ibi
„ novum Testamentum absconditum latet tamquam in fæce
„ corporalium sacramentorum.
„ Circumcisio carnis magni sacramenti res est, et intelligi-
„ tur inde circumcisio cordis.
„ Templum illud (2) in Ierusalem
„ magni sacramenti res est, et
„ intelligitur ex eo corpus Do-
„ mini. Terra (3) repromissionis
„ intelligitur regnum cælorum.
„ Sacrificium victimarum et pe-
„ corum magnum habet sacra-
„ mentum: sed in omnibus illis
„ generibus sacrificiorum intelli-
„ gitur unum illud sacrificium,
„ et unica victima in cruce
„ (4) Domini: pro quibus omnibus
„ sacrificiis unum nos habemus,
„ (5) quod illa figurabant, et hæc
„ ex illis figurabantur. Accepit
„ populus ille legem, accepit
„ mandata iusta et bona. Quid
„ tam iustum, quàm *Non occi-* *Exod.* 20. 7. &c.
„ *des, Non mœchaberis, Non*
„ *furaberis, Non falsum testi-*
„ *monium dices, Honora pa-*
„ *trem et matrem, Non con-*
„ *cupisces rem proximi tui, Non*
„ *concupisces uxorem proximi*
„ *tui, Unum Deum adorabis,*
„ *et ipsi soli servies?* Omnia
„ ista ad vinum pertinent. Illa
„ verò carnalia quasi resederunt,
„ ut remanerent apud illos, et
„ (6) funderetur inde omnis spiri-
„ talis intellectus. *Calix in manu*
„ *Domini*, id est, in potestate
„ Domini: *vini meri*, id est, le-
„ gis synceræ: *plenus est mix-*
„ *to*, id est, cum fæce corpo-
„ ralium sacramentorum. Et
„ quia *hunc humiliat*, superbum
„ Iudæum; *et hunc exaltat*, con-
„ fitentem Gentilem, *inclinavit ex*

(1) Edit. *quia et merum et mixtum.*
(2) In edit. deest *in.*
(3) Edit. *promissionis.*
(4) Edit. *Dominus.*
(5) Edit. *quia illa figurabant hæc, id est, illis hæc figurabantur.*
(6) Edit. *effunderetur.*

„ *ex hoc in hunc*, id est, a Iu-
„ daico populo, in Gentilem po-
„ pulum. Quid inclinavit? Le-
„ gem eliqüatus est: inde spiri-
„ talis intellectus. *Verumtamen*
„ *fæx eius non est exinanita*,
„ quia omnia Sacramenta carna-
„ lia apud Iudæos remanserunt.
„ *Bibent omnes peccatores ter-*
„ *ræ*. Qui bibent? *Omnes pecca-*
„ *tores terræ*. Iudæi erant qui-
„ dem peccatores, sed superbi:
„ et Gentiles erant peccatores,
„ sed humiles. Omnes peccato-
„ res bibent, sed vide, qui fæ-
„ cem, qui vinum. Etenim illi
„ bibendo fæcem, evanuerunt;
„ isti bibendo vinum, iustifica-
„ ti sunt.

INTERROGATIO LXXXIII.

Cum Psalmista in Psalmo octogesimoquarto quasi præterita narrans, dicat: *Benedixisti Domine terram tuam, avertisti captivitatem Iacob. Remisisti iniquitatem, &c.* usque *aversus es ab ira indignationis tuæ:* quomodo quasi facta non fuerint, statim subiungit, *Converte nos Deus salutaris noster, et averte iram tuam a nobis. Ne in æternum irascaris nobis?* Quomodo narrat quasi factum esset, et quomodo orat ut fiat?

Psalm. 84. 2. &c.

RESPONSIO.

Ex Aug. enarrat. in hunc Psalm. n. 6.

Nisi quia voluit ostendere præterita verba se in prophetia dixisse? Nondum autem factum esse quod dicebat iam factum, hinc ostendit, quia orat ut fiat. Nam sic tibi Propheta respondet: Illa dico quasi facta, (1) quæ video futura. Quia verò nondum facta sunt, oro ut veniant quæ iam vidi.

INTERROGATIO LXXXIV.

Cum de Deo Propheticæ et Apostolicæ litteræ clament, quòd sit idem Deus iustus et verax, præsertim Psalmista dicente in Psalmo octogesimo quinto, *Et tu Domine miserator et misericors .... et .... verax:* quomodo quasi e contrario videtur Deus ipse in libro Iob de se contra Satan dixisse, *Tu autem commovisti me adversùs Iob, ut affligerem illum frustra?* Qui enim iustus est, affligere frustra non potuit. Et rursùm quia verax, non potuit aliter dixisse, quàm fecit.

Psalm. 85. 15.

Iob 2. 3.

RESPONSIO.

Ex Gregor. Magn. lib. 3. Mor. n. 3.

Ut ergo iusto et veraci utraque conveniant, quatenus et vera dicat, et iniusta non faciat; cognoscamus beatum Iob et iuxta aliquid frustra, et rursum iuxta aliquid non frustra percussum. Beatus ergo Iob et non frustra percutitur, quia augetur meritum: et tamen frustra percutitur, quia nullum in eo punitur admissum. Deus ergo verax secundùm modum illum locutus est, quo beatus Iob non pro puniendis culpis, sed pro augendis meritis percussus esse cognoscitur.

INTERROGATIO LXXXV.

Quæritur quomodo sibi utraque concordent, id est, iucunditas et timor, iuxta quod in Psal-

(1) Edit. *quia video.*

Psalm. 85. 11. mo octogesimo quinto scribitur: *Iucundetur cor meum, ut timeat nomen tuum.* Quomodo iucunditas sit timor ? Nonne timor amarus solet esse ?

RESPONSIO.

Ex Aug. *enarrat. in hunc Psalm. n.* 16. Erit aliquando iucunditas sine timore : modò iucunditas cum timore. (1) Non est enim plena securitas, nec perfecta iucunditas. Si nulla iucunditas, deficimus ; si plena securitas, malè exultamus. Ergo et iucunditatem aspergat, et timorem incutiat, ut de dulcedine iucunditatis perducat nos ad sedem securitatis. Dando timorem, non nos faciat malè exultare, et recedere de via.

Psalm. 2. 11. Ideo dicit in (2) Psalmo : *Servite Domino in timore, et exultate ei cum tremore.* Sic et Apostolus :

Philip. 2. 12. *Cum timore et tremore* (3) *vestram salutem operamini.*

INTERROGATIO LXXXVI.

Cum in Psalmo octogesimo octavo legatur Deus ad David iurasse, dicens :

Ps. 88. 36. 37. *&c.* *Semel iuravi in sancto meo, si David mentiar, semen eius in æternum manebit. Et sedes eius sicut sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta in æternum manebit : et testis in cælo fidelis* ; quomodo e contrario subiungit : *Tu verò repulisti, et ad nihilum deduxisti : distulisti Christum tuum. Evertisti Testamentum servi tui, &c.* usque, *perfudisti eum confusione ?* Numquid ita falsum promittit Deus (quod dici summa dementia est) aut falsum iurat ? Quare ergo illa promisit, et ista fecit ?

RESPONSIO.

Ex Aug. *serm.* 2. *in hunc Psalm. n.* 6. David positus erat cui promitterentur hæc omnia in semine eius, (4) qui est Christus, implenda. Propter promissa ergo quæ dicta sunt ad David, expectabant homines ea impleri in David. Proinde ne quisquam Christianus cum diceret, De Christo dixit, alius diceret, Non, sed de illo David dixit, et erraret, cum (5) diceret impleta omnia esse in David ; destruxit ea in David. Ut cum vides ea in illo non impleta quæ necesse est impleri, quæras alterum, in quo ostenderentur impleri. Ita etiam in Esau et Iacob invenimus maiorem adoratum a minore, cum scriptum sit, *Maior serviet minori :* ut cum in illis duobus præcedentibus vides non impletum, expectes duos populos in quibus impleatur, quia non mendax Deus polliceri dignatur. Ecce *ex semine tuo,* (6) dixit ad David, *ponam super sedem tuam.* Promisit ex semine eius in æternum aliquid, et natus Salomon factus est tantæ sapientiæ, ut promissio Dei de semine David in illo putaretur impleta. Sed cecidit Salomon, et dedit locum sperando Christo ; ut quoniam Deus nec falli possit, nec fallere, quem sciebat casurum, non in eo poneret promissum suum, sed post casum eius respiceres tu Deum, et flagitares promissum tuum. Ergo

Gen. 25. 23.

Psalm. 131. 11.

3. *Reg.* 11. 1. *&c.*

(1) Edit. melius : *Nondum est.*
(2) Edit. *Psalmus.*
(3) Edit. *vestram ipsorum.*
(4) Edit. *quod.*
(5) Edit. *videret.*
(6) Edit. *dixit David.*

go Domine mentitus es, non implens quod promisisti, non exhibens quod iurasti? Fortè hìc dicturus erat tibi Deus: Iuravi quidem et promisi, sed iste noluit perseverare. Quid ergo? Tu Domine Deus non præsciebas istum non perseveraturum? utique sciebas. Quare ergo hoc non perseveraturo, mihi, quia in æternum esset, promittebas? Nonne tu
v. 31. &c. dixisti, *Si dereliquerint legem meam, et mandata mea non custodierint, et testamentum meum prophanaverint*, manebit tamen promissio mea, implebitur iuratio mea? *Semel iuravi in sancto meo*, intus in secreto quodam, in ipso fonte, unde prophetæ biberunt, qui nobis hæc ructaverunt. *Semel*, inquit, *iuravi, si David mentiar.* Exhibe ergo quod iurasti, redde quod promisisti. Sublatum est de isto David, ne expectaretur in isto David. Expecta ergo quod (1) promisi.

Novit illud et ipse David. Vide enim quid dicat: *Tu verò repulisti, et ad nihilum deduxisti.* Ergo ubi est quod promisisti? *Distulisti Christum tuum.* Quamvis tristia quædam enumeret, in hoc tamen verbo reficit nos. Manet omnino, Deus, quod promisisti: nam Christum tuum non abstulisti, sed distulisti. In hoc (2) ergo David, in quo sperabant ignari promissa sua Deum completurum, videte quid accidit, ut promissa Dei firmiùs in alio sperata compleantur. *Evertisti testamentum servi tui.* Ubi est enim testamentum vetus Iudæorum? Ubi est terra illa promissionis, in qua habitantes peccarunt, qua deleta migrarunt? Regnum Iudæorum quæris? non est. *Prophanasti in terra sanctitatem eius.* Sancta illa quæ habebant, terrena esse ostendisti. *Destruxisti omnes macerias eius*, quibus eum munieras. Quando enim diriperetur, nisi maceriæ dirutæ fuissent? *Posuisti munitiones eius* (3) *in formidinem.* Quid est *formidinem?* Ut dicatur peccantibus: Si Deus naturalibus ramis non pepercit, neque tibi parcet. *Diripuerunt eum omnes transeuntes viam.* Omnes scilicet Gentes. *Per viam*, hoc est, per vitam istam transeuntes diripuerunt Israël, diripuerunt David. Primùm videte frusta eis in omnibus Gentibus. De ipsis enim dictum est, *Partes vulpium erunt.* Reges quippe impios vulpes appellavit Scriptura, dolosos et timidos, quos terret virtus aliena. Ideo Dominus ipse quum de Herode comminante loqueretur, *Dicite*, inquit, *vulpi illi.* (4) Rex qui neminem hominum timet, ipse vulpes. Non est Leo ille de Tribu Iuda, cui dicitur: *Ascendisti, recumbens dormisti sicut Leo.* Pote-

Rom. 11. 21.

Psal. 62. 11.

Luc. 13. 32.

Gen. 49. 9.

(1) Sic MSS. inquiunt Benedictini, at editi, *promisit*. Ergo textus noster congruit MSS.
(2) Edit. *Huic.... David.*
(3) Abest *in* ab edit.
(4) Edit. aliter: *Rex, qui neminem hominum timet, ipse vulpes non est: leo ille... cui dicitur, Ascendisti recumbens, dormisti, &c.* ita ut Rex de quo sermo fit, Christus intelligatur: in textu verò nostro Herodes omnino est, qui sicut Iudex ille iniquus, cuius meminit Lucas Evangelista, hominem non reverebatur.

state ascendisti, potestate dormisti: quia voluisti, (1) dormisti.

Psalm. 3. 6. (2) Unde et illud, *Ego dormivi.* Ergo de quibus dictum erat, *Partes vulpium erunt*, de his nunc dictum est, *Diripuerunt eum omnes transeuntes viam, factus est opprobrium vicinis suis. Exaltasti dexteram inimicorum eius, iucundasti omnes inimicos eius.* Advertite Iudæos, et videte omnia impleta, quæ prædicta sunt. *Avertisti adiutorium gladii eius.* Quomodo solebant pauci dimicare, (3) non multos prosternere. *Avertisti adiutorium gladii eius, et non es opitulatus ei in bello.* Meritò victus, meritò captus, meritò a regno suo alienatus, meritò dispersus. Eam enim terram perdidit, pro qua Dominum occidit. *Dissolvisti eum ab emundatione.* Quid est hoc? Inter omnia mala magnus hic terror. Si enim dissolvit ab emundatione, iam non habet mundandum, sed proiiciendum. A qua ergo emundatione

Hab. 2. 4. dissolvitur Iudæus? A fide. Ex fide enim vivimus, et (4) ex fide

Act. 15. 9. dictum est, *Fide mundans corda eorum.* Et quia sola fides Christi mundat, non credendo in Christum soluti sunt ab emundatione. *Sedem eius in terra collisisti:* meritò et fregisti. *Minuisti dies sedis eius:* putabant se in æternum regnaturos. (5) *Perfudisti confusione.* Hæc omnia (6) venerunt Iudæis. Non tamen ablato Christo, sed dilato.

(1) Hic addunt editi, inquiunt Benedictini, *quia voluisti, adscendisti*: quod a MSS. abest. Iterum advertas velim, textum Iuliani manuscriptis congruere.

(2) Edit. pro *Unde et illud* habent: *Ideo in alio Psalmo dicit.*

(3) Melius edit. carent particula *non.*

(4) Edit. meliùs *de fide.*

(5) In editis repetebatur hìc, inquiunt Benedictini: *Minuisti dies sedis eius*: sed abest a MSS. Rursum ergo Iuliani textus MSS. congruus est.

(6) Edit. *evenerunt.*

INTERROGATIO LXXXVII.

Cum Psalmista dicat, *Quis est homo qui vivit, et non videbit mortem?* quomodo Christus in Evangelio e contrario videtur promisisse, dicens, *Si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum.*

Psalm. 88. 49.

Ioan. 8. 51.

RESPONSIO.

De alia morte Psalmista egit, de alia quoque Salvator prædixit. Et Psalmista quidem dicens, *Quis est homo qui vivit, et non videbit mortem?* de morte carnis sciscitans loquebatur, et confirmans prænuntiavit, quia nullus omnino sit, qui vivat et non videat mortem. Tamquam si diceret: Nullus est alius homo, qui vivit et non videat mortem, nisi ipse solus qui animam suam eruit de manu inferni, id est, qui pro nobis mortuus est, et ultra non moriens resurrexit. Quia verò Dominus in Evangelio loquitur promittens, *Si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum;* non de hac corporali morte dixit, qua omnes moriuntur, sed de morte æterna, id est, morte damnationis cum diabolo et angelis eius. Ipsa est vera mors, nam ista migratio est. Secundùm hunc ergo sensum, non sunt hæc duo contraria.

IN-

INTERROGATIO LXXXVIII.

Psalm. 88. 7. Cum Psalmista dicat, *Quis similis erit Deo inter filios Dei?* 1. Ioan. 3. 2. quomodo Apostolus dicit, *Cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est?*

RESPONSIO.

Ex Gregor. Magn. lib. 18. Moral. n. 79. Unde ergo similes, et unde non similes, nisi quia huic sapientiæ et similes erunt ad imaginem, et non erunt similes ad æqualitatem? Aspiciendo quippe æternitatem Dei, fit eis ut æterni sint: et dum visionis eius donum percipiunt, ex perceptione beatitudinis imitantur quod vident. Et similes ergo sunt, quia beati fiunt; et tamen creatori similes non sunt, quia creatura sunt. Et habent itaque quamdam Dei similitudinem, quia non habent finem; et tamen incircumscripti æqualitatem non habent, quia habent circumscriptionem.

INTERROGATIO LXXXIX.

Cum David de Christo dicat Psalm. 109. 5. in Psalmo centesimo nono *Dominus a dextris tuis*, quasi significet Deum Patrem ad dexteram assistere Filii: quomodo Paulus quasi e contra in epistola ad Ephesios, Christum ad dexteram Patris sedere pronun- Ephes. 1. 20. tians, dicat: *Sedere eum fecit ad dexteram suam in cælestibus;* præsertim cum idipsum quod Paulus dicit, et Psalmista in principio prædicti Psalmi testetur, dicens: *Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis?*

RESPONSIO.

Cum dicitur, *Sede a dextris meis*, Pater Filium ad dexteram suam collocasse intelligitur. Et cum dicitur, *Dominus a dextris tuis*, ad ipsum Patrem sermo dirigitur, quasi ei dicatur: O Deus Pater, ecce Dominus Christus a dextris tuis sedens, confringet in die iræ suæ reges. Et nihilominus utroque testimonio insinuatur Filius ad Patris dexteram sedens.

INTERROGATIO XC.

Cum Psalmista dicat, *Superbo oculo, et insatiabili corde, huic non convescebar:* quomodo e contrario Dominus in Evangelio legitur, cum superbis et peccatoribus manducasse? Psalm. 100. 5. Matth. 10. 10. &c.

RESPONSIO.

Quid est, *non convescebar?* non cum illo manducabam. Vesci enim manducare est. Cur ergo ipsum primò Dominum invenimus manducasse cum superbis? nam superbus quidam invitaverat illum: ipse est cui displicuit, quia mulier peccatrix, quæ erat in civitate famosa, accessit ad pedes Domini. Iste Pharisæus superbus erat, sed convescebatur cum illo Deus. (1) Quomodo nobis proponit hæc? Quando ipse non fecit, ad imitationem suam nos hortatur. Videmus eum convivatum esse cum superbis; quomodo nos prohibet ne Ex Aug. Enarrat. in hunc Psal. n. 8. et 9. Luc. 7. 36. &c.

(1) Edit. aliter: *Quomodo nobis proponit hæc, quæ ipse non fecit? Ad imitationem suam nos hortatur: videmus &c.* Postea: *Nos quidem, Fratres, propter correptionem aliquam tenemus, &c.*

ne convivemur cum eis? Convivamur nos quidem cum fratribus propter correctionem aliquam: tenemus nos etiam a fratribus nostris, et non cum eis convivamur, ut corrigantur. Cum extraneis potiùs convivamur et cum paganis, quàm cum his qui (1) nobis hærent, si viderimus eos malè vivere, ut erubescant, et corrigantur, sicut dicit Apostolus: *Si quis non obaudit verbo nostro per epistolam, hunc notate, et nolite commisceri cum eo: et non ut inimicum* (2) *existimetis, sed corripite ut fratrem.* Facimus hoc plerumque propter medicinam, et tamen cum extraneis multis, et cum impiis sæpè vescimur. Quid est hoc, *Superbo oculo, et insatiabili corde, huic non convescebar?* Habet epulas suas cor pium, habet epulas suas cor superbum. Nam propter cibos ipsos cordis superbi, ideò dixit, *insatiabili corde.* Cor superbum unde pascitur? Si superbus est, invidus est, et aliter non potest. Superbia mater (3) invidentiæ est. Omnis ergo superbus, invidus est. Si invidus est, malis alienis pascitur. Unde dicit Apostolus, *Si mordetis, et comeditis invicem, videte ne ab invicem consummamini.* (4) Videntes ergo comedentes, nolite his convesci, fugite tale convivium. Neque enim se satiant gaudendo de malis alienis, quia insatiabili corde sunt: cave ne capiaris in epulis eorum.

2. *Thes.* 3. 14. 15.

Gal. 5. 19.

(1) *Nobis hærent* ut in MSS. iuxta Benedictinos; non autem ut in edit. Erasm. et Lovan. *qui nobiscum erant, et nobis adhærent.* Textus Iuliani congruit, ut semper MSS.

(2) Edit. addunt: *eum.*

(3) Edit. *invidiæ.*

(4) Edit. *videtis.*

INTERROGATIO XCI.

Cum in Psalmo centesimo sexto Psalmista dicat, *Et benedixit eos, et multiplicati sunt nimis, et iumenta eorum non sunt minorata:* quomodo quasi e contrario videtur subiungere dicens, *Pauci facti sunt, et vexati sunt?* *Psalm.* 106. 38. 39.

RESPONSIO.

(5) Iumenta et pecora dicuntur in Ecclesia simpliciter ambulantia, seu vitilia, non multum docta, sed fide plena. Ergo et spiritales et carnales *benedixit eos, et multiplicati sunt nimis, et iumenta eorum non sunt* (6) *minorata.* Istud capitulum Psalmi ad fideles populos refertur; hoc autem quod subsequitur, *Pauci facti sunt, et vexati sunt*, de hæreticis dicitur: quia omnes qui se dividunt ab unitate, pauci fiunt. Multi enim sunt sed in unitate, dum non (7) separantur ab unitate. Cùm enim cœperit ad eos non pertinere multitudo unitatis, in hæresi et in schismate pauci sunt. Ex Aug. *Enarrat. in hunc Psalm. n.* 13. *et* 14.

INTERROGATIO XCII.

Cum Psalmista dicat, *Non mortui laudabunt te Domine*: quomo- *Psalm.* 113. 17.

(5) Edit. *Iumenta et pecora dicuntur, in Ecclesia simpliciter ambulantia, sed utilia; non multùm docta, sed fide plena.*

(6) Edit. *deminuta*, nam ita legit Augustin. in textu Psalmi.

(7) Sic MSS. inquiunt Benedictini; at editi: *sed in unitate dum non sunt, separantur ab unitate.*

modò idem quasi e contrario
Psalm. 144. 2. videtur dicere, *Laudabo nomen tuum in æternum, et in sæculum sæculi*: necnon et illud,
Psalm. 83. 5. *Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.*

RESPONSIO.

Ex Aug. *Enarrat. in Psalm.* 144. n. 5. Dictum est quidem, *Non mortui laudabunt te Domine*: sed
Eccli. 17. 26. in (1) illis de quibus dicitur, *A mortuo velut qui non sit, periit confessio*: non illis de qui-
Ioan. 11. 25. bus ait, *Qui credit in me, licèt moriatur, vivit.* Quia et Deus
Matth. 22. 32. Abraham, et Deus Isaac, et (2) Deus Iacob, non est (3) mortuorum, sed vivorum. Si enim numquam nisi ipsius eris, numquam a laude ipsius tacebis. Au-
Rom. 14. 7. 8. 9. di Apostolum: *Nemo enim*, inquit, *sibi vivit, et sibi moritur. Sive enim vivimus, Domino vivimus: sive morimur, Domino morimur. Ad hoc enim*, iterum inquit, *Christus mortuus est*, (4) *ut et mortuorum et vivorum dominetur.* Ergo quia
Psalm. 144. 3. *magnitudinis eius non erit finis*, laudis quoque nostræ, qui Deo placebimus, etiam cum mortui fuerimus, finis non erit.

Aliàs 220. INTERROGATIO XCIII.

Psalm. 115. 11. Cum Psalmista dicit, *Omnis homo mendax*, ei responderi potest: Si omnis, et tu: falsaque tam erit sententia quam mendax ipse protulisti. Si verò ipse non mendax, vera iam sententia non erit: quia dum tu verax, non omnis homo cognoscitur mendax.

RESPONSIO.

Sed notandum quod præmittitur, *Ego dixi in excessu mentis meæ.* Per excessum ergo mentis etiam semetipsum transiit, cum de hominis qualitate definivit. Ac si patenter dicat: De falsitate omnium hominum inde veram sententiam protuli, unde ego ipse super hominem fui. In tantum verò et ipse mendax, in quantum homo; in tantum autem omnino non mendax, in quantum per excessum mentis super hominem.

INTERROGATIO XCIV. (5)

Cum Psalmista dicat, *Non enim qui operantur iniquitatem, in viis eius ambulabunt:* quomodo credendus est Paulus Apostolus in viis Domini ambulasse, cum de seipso confiteatur dicens, *Non enim quod volo, facio bonum, sed quod volo malum, hoc ago?* præsertim cum e contra idem Paulus in viis Domini se ambulasse fixis sententiis protestatur dicens: *Nonne eodem spiritu ambulabimus?* et ad Timotheum: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi.* Quid est hoc? Aut ergo sancti Domini non ambulant in viis Domini, aut si ambulant, non operantur iniquitatem. Si non operantur iniquitatem,

Psalm. 118. 3. Rom. 7. 15. 2. Cor. 12. 18. 2. Tim. 4. 7.

(1) Edit. hic et infra *illi.*
(2) Hic in edit. deest *Deus.*
(3) Hic edit. habent *Deus.*
(4) Hic addunt edit. *et resurrexit*; sed alibi legit Aug. ut Iulian. quemadmodum ceteri quos adducit Petrus Sabbatier.
(5) Ab hac quæstione ad usque 98 inclusive duabus monadibus enumeratio nostra excedit eam, quæ habetur in editis, propter interrogationem 93 interpositam.

tem, non habent peccatum, quo-
1. Ioan. 3. 4. niam *peccatum iniquitas est.* Peccatum autem quomodo non
Ibid. 1. 8. habent, quum dicitur, *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas, in nobis non est?*

RESPONSIO.

Ex Aug. serm. 2. in Psalm. 118. n. 2. Audiamus ipsum Apostolum Paulum de hac quæstione si placet. Immò quia placet, interrogemus. Dic nobis, Paule beatissime, utrum ambulaveris in viis Domini, cùm in carne adhuc
2. Cor. 12. 18. viveres? Respondet: *Nonne eodem spiritu ambulavimus? Nonne iisdem vestigiis?* et illud:
2. Cor. 5. 7. *Per fidem enim ambulamus,*
2. Timoth. 4. 7. *non per speciem.* Et illud: *Bonum certamen certavi*, et reliqua. Satis ergo sint ista responsa, quibus Apostolum Paulum in viis Domini ambulasse didicimus. Sed ab illo et aliud inquiramus. Dic, obsecro Paule, quando adhuc in carne vivens in viis Domini ambulabas, habebas peccatum, an sine peccato eras? Et hìc ergo respondet: Nonne legistis ubi confiteor, dicens: *Non enim quod volo, facio bonum, sed quod nolo malum, hoc ago?* et hoc audivimus. Iam itaque illud interrogamus. Quomodo in viis Domini ambulabas, si malum quod nolebas, hoc agebas, cum (1) Psalmista sanctus intonet dicens, *Non enim qui operantur iniquitatem*, et reliqua. Audi continuò respondentem per sententiam consequentem: (2) *Si quod nolo, hoc*, inquit, *facio, iam ego non operor illud, sed quod habitat in me peccatum.* Ecce quemadmodum qui ambulant in viis Domini, non operantur peccatum, et tamen non sunt sine peccato; quia iam non ipsi operantur (3) iniquitatem, sed quod habitabat in eis peccatum.

Verùm ita soluta est ista quæstio, ut difficilior altera nasceretur. Quomodo agat homo, quod ipse non agit? Utrumque enim Ex Aug. ibid. serm. 3. n. 1. dixit, et, *Non quod volo, ago,* et, *Non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.* Unde et intelligere debemus, quando peccatum quod habitat in nobis, operatur in nobis, tunc nos id non operari, quando nequaquam voluntas nostra ei consentit, et tenet etiam corporis membra ne obediant desideriis eius. Quid enim operatur peccatum nolentibus nobis, nisi sola illicita desideria, quibus si voluntatis non adhibeatur assensus, movetur quidem nonnullus affectus, sed nullus ei relaxatur effectus? Hoc præcepit idem Apostolus ubi dicit: *Non ergo regnet* Rom. 6. 12. *peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum desideriis eius.* Sunt itaque desideria peccati, quibus nos prohibuit obedire. Operantur ergo peccatum hæc desideria, quibus si obedimus, et nos operamur. Si autem obtemperantes Apostolo, non eis obedimus, non illud nos operamur, sed quod in nobis habitat peccatum. Si autem desideria nul-

(1) Edit. *Psalmus.*
(2) Edit. *si quod nolo, inquit, ego hoc facio, iam, &c.*
(3) Edit. *illud.*

nulla haberemus illicita, nec nos, nec peccatum mali aliquid operaretur in nobis. Motum porrò illiciti desiderii, cui non obediendo non eum nos operamur, ideo et nos agere dicimur, quoniam non est naturæ vigor alienæ, sed languor est noster, a quo languore omnimodo salvi erimus, cum et animo et corpore immortales facti fuerimus. Quapropter, et quia in viis Domini ambulamus, non obedimus desideriis peccati; et quia non sumus sine peccato, habemus desideria peccati. Ac per hoc iam nos ea non operamur, non eis obediendo, sed quod in nobis habitat peccatum, eadem commovendo. *Non enim qui operantur iniquitatem*, id est, qui obediunt desideriis peccati, in *viis* Domini *ambulaverunt*.

Ex eod. Aug. n. 2. Et quoniam tentatio est vita humana super terram; etiamsi a criminibus longè simus, non tamen deest, ubi desideriis peccati vel facto vel dicto vel cogitato obediamus, quando adversùs maiora vigilantibus, quædam incautis minuta subrepunt, quæ si adversùs nos colligantur, etsi non singula suis (1) motibus conterunt, omnia tamen acervo nos obruunt. Et propter hæc etiam hi qui ambulant in viis Domini, dicunt: *Dimitte nobis debita nostra*: quoniam ad vias Domini et ipsa oratio pertinet, et ipsa confessio, quamvis non ad eas peccata pertineant.

Iob 7. 1.

Matth. 6. 12.

Itaque in viis Domini, quas omnes fides una complectitur, qua in eum creditur qui iustificat impium, qui etiam dixit, *Ego sum via*, nemo (2) peccata operatur, sed confitetur. Deviat ergo cùm peccat; et ideo peccatum viæ non tribuitur, quod a deviante committitur, sed in via fidei pro non peccantibus habentur, quibus peccata non imputantur. De quibus Apostolus Paulus iustitiam fidei commendans, in (3) Psalmis scriptum esse monstravit, *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum.* In hac autem via, id est, in fide pia quisquis ambulat, aut peccatum non operatur, aut si quid a deviante committitur, propter viam non imputatur, et tamquam non fuerit operatus accipitur, et ideo bene etiam sic intelligitur, *Non enim qui operantur iniquitatem, in viis eius ambulaverunt*, ut hanc iniquitatem significaverit, quæ recedit a fide, aut non accedit ad fidem. *Qui* ergo *operantur iniquitatem*, id est, infidelitatem, *non in viis eius ambulaverunt*, quia in Christum non crediderunt.

Ibid. num. 3.

Rom. 4. 5.

Ioan. 14. 6.

Rom. 4. 7.

Psalm. 31. 1. 2.

INTERROGATIO XCV.

Cum Psalmista dicat, *In corde meo abscondi eloquia tua*, et reliqua: quomodo consequens est, ut subiungere videatur dicens:

Psalm. 118. 11. 12.

(1) Sic edit. inquiunt Benedictini; at MSS. *molibus*. Fortasse hanc lectionem Iulianus secutus est, et typographi vel editores eam correxêre; cum aliàs semper, ut notavimus, congruus sit eius textus manuscriptis.

(2) Edit. *peccatum*.

(3) Edit. meliùs *in Psalmo*.

Benedictus es Domine, doce me iustificationes tuas?

RESPONSIO.

Ex serm. 5. D. Aug. n. 4. Quomodo adhuc ea quærit discere, quæ abscondita iam custodit in corde, quod utique non fecisset, nisi ea didicisset; nisi quia eas vult faciendo discere, non loquendo, vel memoria retinendo? Quoniam ergo sicut in *Psalm. 85. 8.* alio Psalmo legitur, benedictionem dabit, qui legem dedit; ideo *benedictus es Domine, doce me iustificationes tuas.* Quia enim in corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi, legem dedisti; da etiam benedictionem gratiæ, ut faciendo discam, quæ intimando iussisti.

INTERROGATIO XCVI.

Psalm. 118. 13. Quomodo David dicit, *In labiis meis pronuntiavi omnia iudicia oris tui:* cùm Paulus Apo- *Rom. 11. 33.* stolus dicat, inscrutabilia esse iudicia Dei, et investigabiles vias eius? Quis omnia iudicia Dei enuntiare possit, quum investigare non possit?

RESPONSIO.

Ex serm. 6. num. 1. & 2. Numquid iudicia Dei nescit Ecclesia? Scit planè. Nam scit utique qualibus dicturus sit iu- *Matth. 25. 34.* dex vivorum et mortuorum, *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum;* et qualibus dicturus sit, *Ite in ignem æternum.* Scit, inquam, neque fornicatores, neque idolis servientes, (1) neque hos, neque illos, *1. Cor. 6. 9.* quos ibi Apostolus Paulus enumerat, regnum Dei possessuros. Scit iram et indignationem, tribulationem et angustias in omnem *Rom. 2. 9. 10.* animam hominis operantis malum, Iudæi primùm et Græci: gloriam verò, et honorem, et pacem omni operanti bonum, Iudæo primùm et Græco. Hæc atque huiusmodi iudicia Dei evidenter expressa novit Ecclesia: sed non ipsa sunt omnia, quum sint quædam inscrutabilia, et sicut multa abyssus profunda et occulta. An et ipsa nota sunt quibusdam excellentioribus membris hominis huius, qui cum suo capite Salvatore totus est Christus? Inscrutabilia enim fortasse dicta sunt homini, quia viribus suis ea non potest perscrutari. Sed cur non possit dono Spiritus sancti, cuicumque hoc Dominus conferre dignatur? Sic enim et illud dictum est, *Deus habitat* *1. Tim. 6. 16.* *lucem inaccesibilem:* et audimus tamen, *Accedite* (2) *ad me, et* *Psalm. 33. 5.* *illuminamini:* quæ utique quæstio ita solvitur, ut inaccessibilis sit viribus nostris, accedatur autem ad eum muneribus suis. Quamquam etsi nemini omnino sanctorum, quamdiù corpus quod corrumpitur, aggravat animam, *Sap. 9. 15.* omnia iudicia Dei scire conceditur, quia reverà multum est ad hominem, cum profectò (ut aliquid exempli gratia dicam, unde iudiciorum Dei coniiciatur immensitas) nemo sine iudicio Dei sit tardus in animo, vel claudus in corpore: habet tamen unde dicat Ecclesia, hoc est, populus adquisitionis, et veraciter di-

(1) Edit. *neque illos atque illos.*

(2) Edit. *ad eum.*

dicat, *In labiis meis enuntiavi omnia iudicia oris tui*, id est, nihil iudiciorum tuorum tacui, quæ mihi per eloquia tua innotescere voluisti, sed omnia prorsus in labiis meis enuntiavi. (1) Hoc enim significatur; quia non ait, omnia iudicia tua, sed *omnia iudicia oris tui*, id est, quæ mihi dixisti: ut per os eius eloquium eius intelligamus. (2) Quod factum nos in revelationibus sanctorum pluribus, et Testamentis duobus scimus. Quæ omnia iudicia usquequaque in labiis suis enuntiare non cessat Ecclesia.

INTERROGATIO XCVII.

Cum Psalmista in centesimo decimo octavo Psalmo dicat, *A iudiciis tuis non declinavi:* quomodo in subsequentibus ipse quasi e contrario expetere videtur, dicens, *Iudicia tua doce me?* Quomodo ergo a iudiciis non declinavit, si ea non noverat? Porrò si noverat, quomodo ea doceri se petebat?

Psalm. 118. 102.

v. 108.

RESPONSIO.

Augustinus hoc ita exponit, dicens: " Ut intelligeremus ver„ ba proficientis, et addi sibi ad „ id quod acceperat, postulantis."

Serm. 23. *in hunc Psalm. n.* 4.

INTERROGATIO XCVIII.

Quomodo concordantia approbentur, quæ contraria sibi videntur de his quæ Psalmista dicit, *Latum mandatum tuum nimis.* Et iterum: *Statuisti in spatioso loco pedes meos.* Si igitur lata est caritas, per quam pervenitur ad Deum; quomodo e contra in Evangelio Dominus dicit: *Intrate per angustam portam?* Item alia duo similia, quæ sibi videntur esse contraria. Dicit enim Psalmista: *Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras.* Et quasi e contra Dominus in Evangelio dicit: *Iugum enim meum suave est, et onus meum leve.* Quomodo ergo lata est caritas, si angusta porta? quomodo iugum suave est, et onus leve, si in præceptis Dei hæ viæ duræ sunt, quæ custodiuntur?

Psalm. 118. 96.

Psalm. 30. 9.

Matth. 7. 13.

Psalm. 16. 4.

Matth. 11. 30.

RESPONSIO.

Sed hanc nobis quæstionem citiùs (3) ipsa caritas solvit; quia via Dei et inchoantibus angusta est, et perfectè iam viventibus lata. Et dura sunt quæ contra (4) usum spiritaliter in animo proponimus, et tamen onus Dei leve est, postquam hoc ferre cœperimus: ita ut pro amore eius et persecutio placeat, et omnis pro eo (5) afflictio in mentis dulcedinem veniat; sicut sancti quoque Apostoli gaudebant, cum pro Domino flagella tolerabant. Ipsa ergo angusta porta amantibus lata fit; ipsæ viæ duræ spiritaliter

Ex Gregor. Magn. *lib.* 2. *hom. in Ezech. hom.* 5. *n.* 13.

Act. 5. 41.

(1) Edit. *Hoc.... mihi videtur significare voluisse, quòd non ait, &c.*

(2) Edit. *Quod fecit ad nos...., Testamentis duobus, quæ omnia &c.*

(3) Sic legere cogunt, inquiunt Benedictini, omnes MSS. nostri: editoribus autem satiùs visum est scribere, *ipsa veritas.* Eu denuo Iulianum conformem manuscriptis.

(4) Edit. *consuetudinem.*

(5) Sic legendum ex omnibus MSS. iuxta Benedictinos; *non affectio*, ut habent omnes editi. Ab his, ut solet, discrepat Iulianus.

currentibus molles et planæ fiunt. Dum [1] enim [2] sciat animus se pro temporalibus doloribus gaudia æterna recipere, et hoc incipit, [3] per quod affligitur, amare.

Aliàs 121.

INTERROGATIO XCIX.

Psalm. 135. 6. Cum Psalmista dicat, *Qui fundavit terram super aquas:* quo-
Iob 26. 7. modo Iob dicit, *Qui fundavit terram super nihilum?*

RESPONSIO.

Ut duo hæc sibi non videantur esse contraria, id ex maiorum disputatione collegimus. Di-
Lib. 1. Hexamer. cap. 6. sed paulò aliter. cit etiam Ambrosius: De terræ qualitate sive positione sufficiat Scriptura. Secundùm Iob sciendum, quia *suspendit terram in nihilo.* Philosophi quoque similiter opinantur, aëre denso terram sustineri, et quasi spongiam in medio aëris mole sua immobilem pendere: sicque ut æquabili motu hinc atque inde, veluti alarum suffulta remigiis ex omni parte libera propendeat, nec in partem possit inclinari alteram. De hoc verò quod Psalmista dicit: *Qui fundavit terram super aquas*, ut superiori intelligentiæ non videatur esse contrarium, sic Beatus Augustinus disputationis suæ texit oraculum. Ait enim:
Enarrat. in eum Psalm. num. 7. „ Quid est, *qui firmavit terram*
„ *super aquas?* Obscura [4] etiam
„ quæstio est: quia terra gravior
„ videtur, ut non portari aquis,
„ sed aquas potiùs portare creda-
„ tur. De qua re ne adversùm
„ eos, qui se putant ista certis
„ rationibus comperisse, contentiosè Scripturas nostras defendere videamur, sive illud ita,
„ sive aliter sit, habemus quod
„ de proximo intelligamus. [5] Terra quæ habitatur ab hominibus,
„ et terrestria continet animalia,
„ quæ alio modo in Scripturis
„ arida dicitur, super aquas esse
„ fundata dicitur, quòd aquis circumfluentibus superemineat.
„ Non enim quæ dicitur littoraria civitas super mare fundata, ita sub ea mare est,
„ quemadmodum sunt aquæ sub
„ speluncarum cameris, aut sub
„ navibus supernatantibus: sed
„ ideo super mare dicitur, quia
„ inferiori mari supereminet. Sic
„ dictus est Pharao exisse *super*
„ *aquam*; ita enim habet Græ-
„ cus, quod quidam Latini ha- *Exod.* 14. 23.
„ bent, *ad aquam.* Sic Dominus
„ super puteum sedebat: quòd *Ioan.* 4. 6.
„ ambo superiores essent, quàm
„ flumen et puteus, ille iuxta
„ flumen, iste iuxta puteum."
Ergo si hæc secundùm prædictum intellectum rimentur, in nullo sibi contraria erunt.

INTERROGATIO C. Aliàs 97.

Dum David in Psalmo centesimo quadragesimo secundo dicat, *Non iustificabitur in conspectu* *Psalm.* 142. 2.
tuo omnis vivens: quomodo quasi e contrario Paulus videtur dicere, *Elegit nos in Christo ante* *Ephes.* 1. 4.
constitutionem mundi, ut essemus sancti et immaculati coram

(1) Restitutio voculæ *enim* quam propria auctoritate fecerunt Benedictini; confirmatur ex Iuliano, quem non legerunt.
(2) Edit. *scit.*
(3) Abest *per* ab edit.
(4) Edit. *enim.*
(5) Edit. *Terram .... super aquas esse fundatam, quod aquis, &c.*

ram ipso? Aut enim sancti et immaculati coram Deo Ephesii sunt, quibus Apostolus scribit, et falsum est hoc quod dicitur, *Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens;* aut si nemo iustificabitur in conspectu Dei, falsum est quod præcessit, sanctos et immaculatos esse in conspectu Dei.

RESPONSIO.

Ad hæc bifarie respondendum est. Non enim ait Paulus, Elegit nos ante constitutionem mundi, cum essemus sancti et immaculati; sed *elegit nos, ut essemus*: hoc est: Qui sancti et immaculati ante non fuimus, ut postea essemus. Quod et de peccatoribus ad meliora conversis dici potest, et stat illa sententia, *Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens*, id est, in tota vita sua, in omni quod in mundo isto versatus est tempore. Nam eliguntur Paulus et qui similes ei, non quia erant sancti et immaculati; sed eliguntur et prædestinantur, ut in consequenti vita per opera et virtutes sancti et immaculati fiant. Deinde et sic sentiendum est, quia dixerit *non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens*, id est, non iustificabitur omnis, iustificabuntur aliqui.

Aliàs 98.

INTERROGATIO CI.

Cum in centesimo quadragesimo quarto Psalmo scribatur de Deo, *Magnitudinis eius non est finis:* quomodo in Psalmo octogesimo octavo quasi e contrario dicitur, *Deus qui glorificatur in consilio iustorum, magnus et terribilis super omnes, qui in circuitu eius sunt?* Si ubique Deus, qui poterunt esse in circuitu eius, ut ille quasi in medio positus ab aliis circumdetur? Si enim habet aliquos in circuitu, quasi undique finitus intelligitur. Porrò si verum dictum est de Deo, *Magnitudinis eius non est finis;* qui remanent qui sint in circuitu eius?

Psalm. 144. 3.

Psalm. 88. 8.

RESPONSIO.

Nisi quia ille qui ubique est, voluit per carnem in uno loco nasci, in una gente conversari, in uno loco crucifigi, ex uno loco resurgere, ex uno loco ad cælum ascendere? Ubi hoc fecit, in circuitu eius gentes sunt. Si ibi remaneret, ubi ista fecit, non esset magnus et terribilis in omnes qui in circuitu eius sunt. Quia verò ibi sic prædicavit, ut inde sui nominis mitteret prædicatores (1) per omnes gentes, toto orbe terrarum faciendo miracula per servos suos, factus est *magnus et terribilis in omnes qui in circuitu eius sunt.*

Ex Aug. *serm.* 1. *in Psalm.* 88. *n.* 8.

INTERROGATIO CII. Aliàs 99.

Cum Psalmista dicat, *Prope est Dominus omnibus invocantibus se in veritate:* quomodo Salomon dicit, *Invocabunt me, et non exaudiam?*

Psalm. 144. 18.

Prov. 1. 28.

RESPONSIO.

Multi Dominum invocant, sed non in veritate, quærentes ab illo terrenarum rerum lucra vel præ-

Ex Aug. *enarrat. in eum Psalm. n.* 22. ad sensum non ad litteram.

(1) Edit. *per omnes gentes toto orbe terrarum; faciendo &c.*

prædia. Alia ab illo quærunt, et ipsum non quærunt. Qui autem Dominum ipsum, a quo acceperunt de quibus gaudent, præponunt omnibus rebus quas acceperunt, et ipsum Deum non propter aliud aliquid, sed propter semetipsum quærunt, et amare videntur, ii omnes in veritate invocant Dominum, et prope esse eis Dominus creditur. Non omnibus scilicet, qui et mala ab illo petunt, et transitoria quærunt; sed hos tantùm omnes dicit, quibus invocantibus se in veritate proximus fit, qui ea sibi a Domino dari expetunt, quæ ipsi Domino placita sunt.

EX LIBRIS SAPIENTIÆ.

INTERROGATIO CIII. Aliàs 100.

Cum in Proverbiis Salomonis Scriptura ex voce Dei loquatur
Prov. 1. 28. dicens, *Invocabunt me, et non exaudiam eos:* quomodo in Psalmo octogesimo quinto scribitur,
Psalm. 85. 5. *Tu Domine suavis et mittis es, et multum misericors omnibus invocantibus te?* Si omnes invocantes se Deus exaudit, quomodo hìc dicit: *Invocabunt, et non exaudiam eos?*

RESPONSIO.

Sunt enim qui invocant Deum propter Deum, et sunt qui invocant propter aliud, quod Deus dare non vult. Illi qui secundùm Domini voluntatem petunt, quæ Deus utique iussit, inveniuntur in Psalmi huius versu quo scribitur: *Multùm misericors omnibus invocantibus te.* Illi autem qui Deum non propter Deum invocant, sed aliquid sibi dari contra Dei voluntatem petunt, hi reprobantur Domini voce, qua
Ex Aug. enarrat. in Psalm. 85. n. 8. dicitur: *Invocabunt, et non exaudiam eos.* Quidam invocantes, non invocant Dominum, de qui-
Psalm. 52. 6. bus dicitur, *Dominum non invocaverunt:* sed propterea invocant, ut veniat ad eos pecuniæ hereditas et sæcularis dignitas. Qui sic invocat Dominum, sibi adiutorem ponit cupiditatum, non exauditorem desideriorum. Vide invocantem Deum in alio Psalmo: *Unam petii a Domino,* Psalm. 26. 4. *hanc requiram.* Quid est quod petiit? *Ut inhabitem in domo Domini per omnes dies vitæ meæ.* Ut quid hoc? Ut *contempler delectationem Domini.* Si ergo amator es, sincerissimis medullis castisque suspiriis ipsum dilige, ipsum ama, illi flagra, illi inhia, quo iucundius nihil invenis. Si ergo sic diligis, et sic invocas Deum, pertines ad istum versum: *Et multum misericors omnibus invocantibus te.*

INTERROGATIO CIV. Aliàs 101.

Cum Salomon in Proverbiis de via iniquitatis loquatur, dicens,
Omnis qui ambulat in ea, non Prov. 2. 19. *revertetur:* quomodo Paulus a persecutione et blasphemia rediens dicit, *Qui fui blasphemus* 1. Tim. 1. 13. *et persequutor:* et Petrus a negatione ad fletum conversus, re-
Luc. 22. 61. spectum Christi promeruit?

RESPONSIO.

Per seipsum homo potest in illa

illa via iniquitatis ambulare, non potest autem per seipsum redire, nisi gratiâ.

Aliàs 104. INTERROGATIO CV.

Quomodo Salomon pro divisione aquarum utrumque præcipiat, id est, et in plateis aquas suas quisquis ille dividat, et e contra ut solus eas habeat? Ait enim, *Deriventur fontes tui foràs, et in plateis aquas tuas divide:* et e contra, *Habeto eas solus, &c.* *Prov. 5. 16. 17.*

RESPONSIO.

Ex Gregor. Magn. Reg. Pastor. pars 3. cap. 24. Aquam prædicator de cisterna sua bibit, quum ad cor suum rediens, priùs audit ipse quod dicit. (1) Bibat sui fluenta putei, sui irrigatione infundetur verbi. Ubi bene subiungitur: *Deriventur fontes tui foràs, et in plateis aquas* (2) *tuas divide.* Rectum quippe est, ut priùs ipse bibat, et tunc prædicando aliis influat. Fontes namque foràs derivare, est exteriùs aliis vim prædicationis infundere. In plateis autem aquas dividere, est magna auditorum amplitudine iuxta uniuscuiusque qualitatem divina eloquia dispensare. Et quia plerumque inanis gloriæ appetitus subrepit, dum sermo Dei ad multorum notitiam currit, postquam dictum est, *In plateis aquas* (3) *tuas divide*, rectè subiungitur: *Habeto eas solus, nec sint alieni participes tui.* Alienos quippe, malignos spiritus vocat, de quibus per Prophetam tentati voce hominis dicitur: *Alieni insurrexerunt in me.* Ait ergo: Aquas (4) tuas in plateis divide, et solus eas habe. Acsi apertiùs dicat: Sic necesse est ut prædicationi exteriùs servias, quatenus per elationem (5) malignis spiritibus non coniungas, ne in divini verbi ministerio hostes tuos ad te participes admittas. (6) Aquam ergo et in plateis dividimus, et tamen soli possidemus, quando exteriùs prædicationem latè fundimus, et tamen per eam humanas laudes assequi minimè ambimus. *Psalm. 53. 5.*

INTERROGATIO CVI. Aliàs 120.

Quomodo Salomon præcepit dicens, *Fili, præter Dominum ne timeas alium*: cum Apostolus in Epistola ad Ephesios quasi e contrario prædicet, dicens: *Servi, obedite dominis carnalibus cum timore et tremore:* necnon, *Uxor timeat virum?* *Prov. 7. 2. sec. LXX.* *Ephes. 6. 5. & 5. 33.*

RESPONSIO.

Cum uxores viris, et servi dominis cum timore servire iubentur, quid aliud quàm ad Deum timor ipse refertur, a quo eis subiectio ipsa præcipitur, et ut serviant maritis suis et dominis, imperatur? Sicut enim si benè obediatur dominis propter Deum, ad Dominum ipsa bona obsequia referuntur; ita si dominis contradicatur, non ad eos, sed ad Deum ipsa iniuria refertur

(1) Edit. *Bibit .... si infunditur.*
(2) Deest in edit. *tuas.*
(3) Etiam hìc in edit. deest *tuas.*
(4) Edit. *Aquas et in plateis divide, et tamen solus habe.*
(5) Edit. *immundis.*
(6) Edit. *aquas.*

Exod. 16. 8. tur, dicente Moyse: *Nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum. Nos enim quid sumus?*

Aliàs 105. INTERROGATIO CVII.

Prov. 13. 21. Quomodo Salomon dicat, *Peccatores persequitur malum:* et Ier. 12. 1. e contra Ieremias, *Bene est omnibus qui prævaricantur, et iniquè agunt?*

RESPONSIO.

Propheta cum Deo super hac impiorum prosperitate disceptans, anxius pro afflictione sanctorum, videns eos ærumnis variis ac tentationibus subiacere, et e contra peccatores non solùm absque ullo humiliationis flagello cursum mundi istius pertransire, sed etiam affluentiâ divitiarum, ac summa rerum omnium prosperitate gaudere; intolerabili zelo ac spiritus sui fervore succensus, exclamat: *Quare via impiorum prosperatur, bene est omnibus, qui prævaricantur, et iniquè agunt?* Hæc Propheta dicendo, non approbavit quòd bona præsentia peccatores pro meritis consequantur, sed cur eis qui malè agunt, hìc benè sit, quodammodo anxiosè conqueritur. Duo itaque superiora sibi contraria non sunt, dum peccatores sic in præsenti sæculo bona præsentia sequantur, ut tamen futurum eos malum excipiat, dum malè viventes, et benè in præsenti sæculo habentes, subitò ad inferna descendere prædicuntur.

Aliàs 102. INTERROGATIO CVIII.

Prov. 13. 25. Cum Salomon dicat, *Iustus manducans replet animam suam, animæ autem impiorum in egestate sunt:* quomodo Paulus Apostolus, qui utique iustus erat, quasi e contrario dicebat, *Usque ad hanc horam et esurimus, et sitimus,* necnon et illud ubi dicit, *In fame, et siti, et in ieiuniis multis?* 1. Cor. 4. 11. 2. Cor. 11. 27.

RESPONSIO.

Iustus sine intermissione cibo sermonis Dei alitur, cui impius non participatur. Hoc pane cælesti et iustus satiatur, et impius abstinetur: et ideo Paulus non de isto pane cælesti se dicebat esurire, de quo pleniùs satiatus erat, sed de isto corporeo pane, quo vita hominis sustentatur.

INTERROGATIO CIX. Aliàs 103.

Cum Salomon dicat, *Cor regis in manu Dei est, et ubi voluerit, vertet illud:* quomodo Daniel e contrario videtur de Nabuchodonosor dixisse: *Quos volebat, interficiebat, et quos volebat, percutiebat: quos volebat, exaltabat, et quos volebat, humiliabat?* Si in huiusmodi honoribus et percusionibus, exaltatione et humiliatione non est Dei providentia nec præceptum, sed eorum voluntas, qui percutiunt quos voluerint et exaltant, quomodo ergo accipitur, cor regis in manu Dei esse? Prov. 21. 1. Dan. 5. 19.

RESPONSIO.

Nisi fortè sanctum aliquem dicamus regem, cuius non regnat peccatum in mortali corpore, et cuius ideo servatur cor, quia in manu Dei est? Quicquid autem Rom. 6. 12.

in

Ioan. 10. 29. in manu Dei Patris fuerit, nullus potest rapere ex ea: et quicumque raptus fuerit, intelligitur in manu Domini non fuisse.

Aliàs 106. INTERROGATIO CX.

Quomodo Salomoni præcipienti, *Laudet te os alienum, et non tuum, extranei magis quàm labia tua;* videatur Iob contraria dixisse, cum laudes suas sic enarrat dicens, *Oculus fui cæco, et pes claudo, &c.*

Prov. 27. 2.

Iob 29. 15.

RESPONSIO.

In eo quod dicit, *laudet te os alienum, et non tuum*, appetitum vanæ gloriæ prohibet, id est, ut cum bona nostra aliis nuntiamus, non nostram, sed Dei gloriam augere cupiamus. Quia qui plausibiliter facere intendunt, ut verè immundi a Domino reprobantur. Scriptum est enim: *Immundus est apud Deum omnis qui exaltat cor.* Iam verò cum viri sancti de se bona pronuntiant, non contra superioris præcepti regulam agunt, qui in virtutibus quas de se prædicant, et in bonis quæ se egisse commemorant, non suam, sed Dei gloriam narrant. Nec ut ipsi apud homines sua ostensione proficiant, sed ut eos quibus prædicant, exemplo suo ad vitam trahant. Ergo cùm sic suas laudes nuntiant, non ore suo se laudant: quia non suam, sed Domini gloriam in se prædicant. Unde non erunt præcepta superiori contraria; quia non ore suo, id est, vitio appetendæ laudis de se bona pronuntiant, sed spiritu Dei, quo introrsus aguntur, dona Dei, quæ in se cernunt, utique narrant: et ideo alieno quasi ore laudantur, quum spiritu Dei, qui alienus est utique a mundano contagio, bona talium prædicantur. Unde et Apostolus: *Qui gloriatur, in Domino glorietur. Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat.* Nam et Moyses non ore suo, sed alieno laudasse se visus est, cum Spiritus sancti vegetatione compulsus, sic de se tamquam si de alio laudem protulit, dicens: *Erat Moyses vir mitissimus super omnes homines qui morabantur in terra.*

Prov. 16. 5.

2. *Cor.* 10. 17. 18.

Num. 12. 3.

INTERROGATIO CXI. Aliàs 107.

Cum Salomon dicat, *Generatio præterit, et generatio advenit, terra verò in æternum stabit:* quomodo Iob dicit, omnia hæc humiliari et auferri.

Eccl. 1. 4.

Iob 24. 24.

RESPONSIO.

Quod tamen facilè discutimus, si terra et cælum vel qualiter transeat, vel qualiter maneat, distinguamus. Utraque namque hæc per eam, quam nunc habent imaginem, transeunt, sed tamen per essentiam sine fine subsistunt. Hinc namque per Paulum dicitur: *Præterit enim figura huius* (1) *mundi.* Quæ quidem

Ex Gregor. Magn. *lib.* 17. *Mor. num.* 11.

1. *Cor.* 7. 31.

(1) Post *mundi* desunt hìc omnino quæ leguntur in edit. nempe: *Hinc per semetipsam veritas dicit*: Cælum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt. *Hinc ad Ioannem angelica voce perhibetur*: Erit cælum novum, et terra nova. *Quæ quidem &c.*

dem non alia condenda sunt, sed hæc ipsa renovantur. Cælum igitur et terra (1) transiet, et erit, quia et ab ea quam nunc habet specie, per ignem tergitur, et tamen in sua semper natura servatur. Unde et per Psalmistam
*Psalm.*101. 28. dicitur: *Mutabis ea, et mutabuntur.* Quam quidem ultimam commutationem suam ipsis nunc nobis vicissitudinibus nuntiant, quibus nostris usibus indesinenter alternant. Nam terra a sua specie hyemali ariditate deficit, vernali humore viridescit: cælum quotidie caligine noctis obducitur, et diurna claritate renovatur.

Aliàs 108. INTERROGATIO CXII.

Eccl. 8. 3. Cum Salomon dicat, *Non permaneas in opere malo:* quomodo in Apocalypsi Angelus loqui-
Apoc. 22. 11. tur e contra, *Qui nocet, noceat adhuc: et qui in sordibus est, sordescat adhuc?*

RESPONSIO.

Omnis qui Deo veraciter per timorem subditur, novit voluntatem Domini iubentis, ut de-
*Psalm.*33. 15. clinet a malo, et faciat bonum. Ergo quod Angelus Ioanni loquitur dicens, *Qui nocet, noceat adhuc: et qui in sordibus est, sordescat adhuc;* non præcipiendo, sed prædicendo, vel prophetando id loquitur. Nec præceptum inducit, ut hominibus expediat nocere, vel sordidare, sed prædicit potiùs vel prophetat, quid pro consummata iniquitate talibus evenire possit. Ad hoc etiam pertinet versus ille Psalmi, ubi dicitur, *Consummetur nequitia peccatorum,* quod Augustinus ita exponit. *Psalm.* 7. 10.

„ Consummetur, inquit, perfi- *Enarrat. in hunc Psalm. n.* 9.
„ ciatur, secundùm illud quod
„ est in Apocalypsi: *Iustus iu-* *Apoc.* 22. 11.
„ *stior fiat, &c.* Videtur enim
„ consummata nequitia homi-
„ num, qui crucifixerunt filium
„ Dei; sed eorum maior est, qui
„ nolunt rectè vivere, et ode-
„ runt præcepta veritatis, pro
„ quibus crucifixus est Filius
„ Dei. *Consummetur* ergo, in-
„ quit, *nequitia peccatorum,* id
„ est, perveniatur ad summam
„ nequitiam, ut possit iustum
„ iam venire iudicium."

INTERROGATIO CXIII. Aliàs 109.

Cum una sit Ecclesia, testante Salomone, *Una est perfecta* *Cant.* 6. 8.
mea, una est columba mea: dicente quoque Apostolo, *Eccle-* 1. *Tim.* 3. 15.
sia Dei vivi, quæ est columna et firmamentum veritatis: quomodo Ioannes in Apocalypsi *Apoc.* 1. 4.
septem scripsit Ecclesiis?

RESPONSIO.

Nisi ut una Catholica septiformi plena spiritu designetur, sicut et de Domino novimus dixisse Salomonem: *Sapientia ædi-* *Prov.* 9. 1.
ficavit sibi domum, excidit columnas septem? Quæ tamen septem una esse non ambigitur, dicente Apostolo: *Ecclesia Dei vivi, quæ est columna, et firmamentum veritatis.*

INTERROGATIO CXIV. Aliàs 110.

Cum scriptum sit in libro Salo-

(1) Edit. *transit.*

Sap. 1. 7. lomonis, *Spiritus Domini replevit orbem terrarum:* quomodo e contrario in Ezechiele, idem Ezech. 1. 13. ipse Spiritus *discurrens* dicatur, Sap. 7. 22. 23. vel in libro Sapientiæ modò *mobilis*, modò *stabilis* nominetur?

RESPONSIO.

Ex Gregor. Magn. lib. 1. Hom. in Ezech. hom. 5. n. 10. 11. (1) Cur iste Spiritus qui implet omnia, simul mobilis et stabilis dicatur; si ad usum consuetudinis humanæ recurrimus, sensum citiùs loquentis invenimus. Homo quippe, (2) quia in ea regione in qua est, ubique discurrit, proculdubio ubique obviam venit, et repente ubi non creditur invenitur. (3) Omnipotentis ergo Spiritus ut ubique præsentia signaretur, et *mobilis*, et *stabilis* dicitur. Stabilis, quia per naturam omnia continet; mobilis autem dicitur, quia ubique, etiam nescientibus, occurrit. Tenens ergo omnia, *stabilis;* præsentem se omnibus exhibens, *mobilis* appellatur. Potest et aliter intelligi. In sanctorum quippe cordibus iuxta quasdam virtutes semper (4) manet; iuxta quasdam verò recessurus venit, et venturus recedit. In fide etenim, spe, atque caritate, et in bonis aliis, sine quibus ad cælestem patriam non potest perveniri, sicut et humilitas, caritas, iustitia, atque misericordia, perfectorum corda non deserit. In prophetiæ verò virtute, doctrinæ facundia, miraculorum exhibitione electis suis aliquando adest, aliquando se subtrahit. (5) Adest, ut eleventur ad semetipsum; subtrahit, ut humilientur.

INTERROGATIO (6) CXV. Aliàs III.

Cum in utroque Testamento Spiritus Domini bonus esse legatur, sicut inter cetera illud in Salomone est, *Spiritum tuum bonum dedisti eis Domine*: quomodo in libris Regum scribitur, 1. Reg. 18. 10. et 19. 9. quòd *Spiritus Domini malus irruebat in Saul*, utrumque videlicet sonans, et *Domini, et malus?* Si Domini, cur malus? Si malus, quomodo Domini dicitur?

RESPONSIO.

Spiritus Dei sanctus, qui tertia est in Trinitate persona, bonus est utique, de quo in Libro Sapientiæ legitur, quòd sit *multiplex, subtilis, mobilis, disertus, incoinquinatus, certus, suavis, amans bonum, acutus, qui nihil vetat benefacere.* Hic autem Spiritus, qui et Domini dicitur, et malus, non nisi diabolus debet intelligi: Domini videlicet per licentiam potestatis iustæ, malus autem per desiderium voluntatis iniustæ. Omnis enim voluntas diaboli, iniusta est: et tamen permittente Deo, Sap. 7. 22. 23. Ex eod. Greg. lib. 2. Mor. n. 17. et lib. 18. n. 4.

(1) Edit. *cur .... Spiritus .... dicatur? Sed si ad usum.*
(2) Edit. *qui.*
(3) Edit. *omnipotens.*
(4) Edit. *permanet.*
(5) Edit. *Adest, ut eleventur; et semetipsum subtrahit, &c.*
(6) Hanc quæstionem ita proponit Samson lib. 2. cap. 27. num. 6. seu pag. 510. eod. Tom. Postquam allegat locum Lib. Reg. irruebat in Saul spiritus Domini malus, ait: *Quod tractans in ... Antichimenon ... Iulianus, dicit: A quibusdam quæritur: si Domini, cur malus? &c. Ecce unus idemque spiritus et Domini appellatur et malus. Domini videlicet per licentiam, &c.*

omnis potestas justa. (1) Nam et ipse dicitur spiritus malus propter nequissimam voluntatem; Spiritus Domini propter acceptam iustissimam potestatem.

Aliàs 112. INTERROGATIO CXVI.

Quomodo in Sapientiæ Libro *Sap.* 12. 15. dicitur Deo, *Cum sis iustus, iustè omnia disponis ;* cum statim e contra ibidem subiungatur, *Ipsum quoque, qui non debet puniri, condemnas, et exterum extimas a tua virtute?* Quomodo iustus est, et omnia justè disponit, si eum qui non debet puniri, condemnat ?

RESPONSIO.

Ex eod. Greg. *lib.* 3. *Mor. n.* 27. Mediator etenim noster puniri pro semetipso non debuit, quia (2) nullæ culpæ contagium perpetravit. Sed si ipse indebitam non susciperet, numquam nos a debita morte liberaret. Pater ergo quum iustus sit, iustum puniens, omnia iustè disponit : quia per hoc cuncta iustificat, (3) quo eum, qui sine peccato est, pro peccatoribus damnat : ut eo electa omnia ad culmen iustitiæ surgerent, quo is, qui est super omnia, damna iniustitiæ nostræ sustineret.

INTERROGATIO CXVII. Aliàs 113.

Cum Salomon (4) dicat, *Est confusio adducens peccatum:* quomodo idem quasi e contrario ibi subiungit, *Est confusio adducens gloriam ?* *Eccli.* 4. 25.

RESPONSIO.

Ex eod. Greg. *lib.* 1. *Hom. in Ezech. homil.* 10. *n.* 17. Sicut verecundia laudabilis est in malo, ita reprehensibilis est in bono. Erubescere enim malum, sapientiæ est ; bonum verò erubescere, fatuitatis. Qui enim erubescit, pœnitendo mala quæ fecit, ad vitæ libertatem pervenit ; qui verò erubescit bona facere, ab statu rectitudinis cadit, atque ad damnationem tendit.

INTERROGATIO CXVIII. Aliàs 114.

Cum Salomon dicat, *Ne iteres verbum in tua oratione :* quomodo Paulus quasi e contra præcipit, dicens, *Sine intermissione orâte.* *Eccli.* 7. 15. 1. *Thes.* 5. 17.

RESPONSIO.

Ex eod. Greg. *lib.* 10. *Mor. n.* 28. Solerter debemus meminisse quod dicitur, *Ne iteres verbum in tua oratione.* Quo videlicet dicto vir sapiens nequaquam nos prohibet sæpe veniam petere, sed culpas iterare. Acsi apertè dicat : Cum malè gesta defleveris, nequaquam rursus facias, quod in precibus iterum plangas. Qui er-

(1) Post *iusta*, supple ex Samsone : *Ex se enim tentare quoslibet injustè appetit, sed eos qui tentandi sunt, non nisi tentari Deus justè permittit. In his ergo duobus verbis, quibus et Domini spiritus dicitur, et tamen malus, comprehensa est et potestas iusta in diabolo, et voluntas iniusta. Nam et ipse, &c.*

(2) Edit. *nullum.*

(3) Edit. *quòd.*

(4) Lector doctus haud mirabitur a Iuliano nostro Librum Ecclesiastici insignitum esse nomine Salomonis, quemadmodum fecisse constat plerosque veteres Ecclesiæ Patres, ut Africani in Concilio III. Carthaginensi, Innocentius I. in Epist. ad Exsuper. Tolosan. Cyprianus, Basilius, Ambrosius, et alii passim. *Hic enim* (Liber), inquit Isidor. Hispal. *propter nimiam sensus similitudinem et eloquii parilitatem Salomonis titulo prænotatur. Constat autem .... a Iesu filio Sirach editum fuisse.*

ergo verbum in oratione iterari vetuit, non orationis frequentiam interdixit, sed culpas iterari prohibuit.

Aliàs 115. INTERROGATIO CXIX.

Cum (1) Iesus filius Sirach dicat, *Eccli.* 10. 15. *Initium omnis peccati superbia:* quomodo item Apostolus dicit, 1. *Tim.* 6. 10. *Radix omnium malorum cupiditas?*

RESPONSIO.

Sermonem propheticum Paulus Apostolus, hoc dicendo, ut solet, exposuit: quandoquidem sive initium omnis peccati, sive radicem omnium malorum dicas, unum idemque significas. Porrò cupiditas atque superbia in tantum unum est malum, ut nec superbus sine cupiditate, nec sine superbia possit cupidus inveniri. Siquidem et diabolus in quo tenet superbiæ principatum, propriæ potestatis ac perditionis humanæ cupidus fuit, et ipse homo per appetitum arboris interdictæ, ac divinæ similitudinis affectationem, morbo se affectum cupiditatis ostendit. Ideoque si volumus consummare nostri certaminis cursum, caveamus in primis cupiditatem atque superbiam, non duo mala, sed unum, a quo trahunt omnes mali actus initium. Nam sine superbia, quæ possunt saltem inchoari peccata, quum dicatur, *Initium omnis peccati superbia?* Aut sine cupiditate, quæ est malorum omnium radix, quæ possunt fieri mala, quum sine radice omnium aut nulla deputentur, aut mortua? Deinde si quodlibet peccatum perpetrare non possum, nisi meæ delectationi consentiam, quod cupiditatis est proprium, et Dei præcepta contemnam, quod est superbiæ malum; quomodo non ex cupiditate, quæ est radix omnium malorum, et ex superbia, quæ initium omnis peccati dicitur, procedit omne peccatum?

De hoc etiam quidam alius Doctor ita dicit. Ait enim: „Cum „superbia sit amor excellentiæ „propriæ, (2) invidentia verò sit „odium felicitatis alienæ: quid „unde nascatur, satis in prom„ptu est. Amando enim quisque „excellentiam suam, vel pari„bus invidet, (3) qui ei coæquen„tur; vel inferioribus, ne sibi „coæquentur; vel superioribus, „quòd eis non coæquetur. Su„perbiendo igitur invidus, non „invidendo quisque superbus est. „Meritò *initium omnis peccati* „*superbia.* Cui testimonio non „inconvenienter aptatur etiam „illud, quod Apostolus ait, *Ra„dix omnium malorum est ava„ritia:* si avaritiam generalem „intelligamus, qua quisque ap„petit aliquid ampliùs quàm „oportet, propter excellentiam „suam, et quemdam propriæ „rei amorem: cui sapienter no„men latina lingua indidit, quum „appellavit privatum, quod po„tiùs a detrimento, quàm ab in„cremento dictum elucet. Omnis „enim privatio minuit. Unde ita„que vult eminere superbia, in„de in angustias egestatemque „con-

S. Aug. *lib.* 11. *de Genes. ad litter. n.* 18. 19.

(1) Fortè Iulianus scripserat ut in superioribus, *cum Salomon dicat*, et ab alio emendatum est ineptè.

(2) Edit. *invidia.*

(3) Edit. *quòd.*

„ contruditur, cum (1) ad com-
„ mune Reipublicæ damnum sui
„ amore redigitur. Specialis est
„ autem avaritia, quæ usitatiùs
„ appellatur amor pecuniæ. Cu-
„ jus nomine Apostolus per spe-
„ ciem genus significans, uni-
„ versalem avaritiam volebat in-
„ telligi, dicendo: *Radix o-*
„ *mnium malorum est avaritia.*
„ Hac enim et diabolus cecidit,
„ qui utique non amavit pecu-
„ niam, sed propriam (2) volun-
„ tatem. Proinde perversus sui
„ amor privat sancta societate
„ turgidum spiritum, eumque
„ coarctat miserià iam per ini-
„ quitatem (3) servari cupientem."

Aliàs 116. INTERROGATIO CXX.

Quomodo in Ecclesiastico habetur, *Si benefeceris, scito cui benefeceris, et erit gratia in donis tuis multa?* Cui contrarium illud videtur esse præceptum, *Ne eligas cui benefacias.*

Eccli. 12. 1.

RESPONSIO.

Hoc loco in quo scribitur, *Ne eligas cui benefacias*, nihil mihi probabilius aliud occurrit, quàm quod Christus in Evangelio dicit, ubi ait: *Cum facis prandium aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos tuos, neque vicinos divites, ne fortè et ipsi te invitent, et fiat tibi retributio. Sed quum facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos, cæcos: et beatus eris, quia non habent unde retribuant tibi.* Ergo hoc est quod dicit, *Ne eligas cui benefacias*, quod et Christus modò confirmat dicendo, *Noli vocare divites.* Dicitur ergo, *Ne eligas cui benefacias*, acsi diceretur: Ne usus eleemosynæ tuæ in divitum personis expendas: ne electione libitus tui non egentem considerando reficias, sed personas eligendo, divitem pascas. Nam ut quidam sapiens dixit, Quid est aliud habenti dare, quàm perdere? Iam verò illud quod ait, *Si benefeceris, scito cui benefeceris*, sic intelligitur, ut consideretur in largiendo ætas, atque debilitas, nonnumquam etiam verecundia, quæ ingenuos prodit natales: ut senibus plus largiaris, qui sibi labore iam non queunt victum quærere. Similiter et debilitas corporis, et hæc iuvando promptius tunc, si quis ex divite cecidit in egestatem, et maximè si non vitio suo, sed aut latrociniis, aut proscriptione, aut calumniis quæ habebat amisit. Hæc si diligentiùs secundùm quod dictum est, considerentur, repugnare sibi nullo modo videbuntur. In uno enim eodemque præcepto Domini, utraque exposita invenimus. In eo enim quod dicit, *Noli vocare amicos tuos, fratres, cognatos, vel divites*; intelligitur illud, *Ne eligas cui benefacias.* Quod autem in eadem Evangelica lectione subiungitur, *Voca pauperes, debiles, claudos, cæcos*; ad hoc pertinet, quod in Ecclesiastico scribitur: *Si bene-*

Luc. 14. 12. &c.

fe-

(1) Edit. *cum ex communi ad proprium dammoso sui amore redigitur.*

(2) Edit. *potestatem.*

(3) Edit. *satiari.*

feceris, scito cui benefeceris. Ergo cùm scribitur, *Ne eligas*, subaudire necesse est, habentes, *quibus benefacias.*

Aliàs 117.

INTERROGATIO CXXI.

Cum scriptum sit in libro Iesu filii Sirach, *Da bono, et non receperis peccatorem. Benefac humili, et non dederis impio: prohibe panes illi dare:* quomodo Christus in Evangelio quasi e contrario videtur præcipere, dicens: *Omni petenti te da?*

Eccli. 12. 5. 6.

Luc. 6. 30.

RESPONSIO.

Hæc a Beato Augustino ita reperimus explanata. Ait enim: „ Fac misericordiam iniquo, non „ tamquam iniquo: nam ipsum „ iniquum, in quantum iniquus „ est, ne suscipias, id est, ne „ quasi intentione et amore iniquitatis illius suscipias eum. „ Occurrit etiam tibi homo peccator: Cum dico, occurrit tibi homo peccator, duo nomina dixi: hæc duo nomina non „ superflua sunt. Duo nomina, „ aliud quod homo, aliud quod „ peccator: quod homo, opus „ Dei est; quod peccator, opus „ hominis est. Da operi Dei, „ noli operi hominis. Quid est „ dare operi hominis? qui donat „ (1) venatoribus, qui donat histrionibus, aurigis, meretricibus. (2) Quare donant? Numquid Domino et ipsis hominibus donant? Non enim ibi attendunt naturam operis Dei, „ sed nequitiam operis humani. „ Vis videre quid honores in „ venatore, quando illum vestis? „ Si tibi dicatur, (3) Tales sunt „ filii tui, Iniuria est, inquis. „ Quare iniuria est, nisi quia illa „ iniquitas, nisi quia illa turpitudo? Non ergo donas, cum donas, fortitudini, sed turpitudini. Quoniam ergo qui venatori donat, non homini donat, „ sed arti nequissimæ, (nam si homo tantum esset, et venator „ non esset, non donares) honoras in eo vitium, non naturam: sic contra, si des iusto, „ si des Prophetæ, si des discipulo Christi aliquid cuius indiget, et non ibi cogites quia „ discipulus Christi est, quia minister Dei est, sed cogites ibi „ aliquod commodum temporale, ut fortasse causæ tuæ necessarius quandoque fuerit, quia „ ei aliquid porrexisti; (4) iam non „ dedisti iusto, si sic dederis, „ quemadmodum ille non dedit „ homini, quando dedit venatori. Qui tale ministerium de illo „ quæ-

Enarrat. in Ps. 102. num. 13.

(1) Venator hoc loco est (inquiunt per quam rectè editores Benedictini) qui cum bestiis in arena congrediebatur; aurigæ autem vocabantur, qui curules equos in circo regebant et agitabant.

(2) Paulò aliter in edit. locus hic legitur, nempe: *Qui donat histrionibus, qui donat aurigis* (non satis benè Amerbachius et Erasmus *auguribus* posuere), *qui donat meretricibus, quare donat? Numquid non et ipsi hominibus donant? Non tamen ibi adtendunt, &c.*

(3) Hunc locum ad melioris notæ MSS. sic restitutum ediderunt Benedictini, cum in editis multò aliter legeretur, videlicet: *Si tibi de meretricibus dicatur, Tales sunt filiæ tuæ, Iniuria est, &c.* Quocirca Iulianus noster, ut sæpe aliàs notavimus, correctiores Augustini MSS. evolvit; ut et hìc posteà patet in lectione, *cum donas*, cuius loco editi habebant, *cum non das.*

(4) Edit. *tam tu non dedisti, &c. quàm ille non dedit, &c.*

„ quæris, [1] negabit tibi Domi-
„ nus mercedem iusti, nisi cum
Matth. 10. 41. 42. „ additamento. Ait enim: *Qui*
„ [2] *recepit iustum in nomine*
„ *iusti*, id est, ideo [3] recipit,
„ quia iustus est, *amen dico vo-*
„ *bis, non perdet mercedem*
„ *suam.* Quomodo ergo intelligis,
„ *Qui* [4] *recipit iustum in nomine*
„ *iusti, mercedem iusti acci-*
„ *piet:* sic intellige, Qui [5] re-
„ cipit peccatorem in nomine
„ peccatoris, perdet mercedem.“
Hoc ergo testimonio sub generalitatem excepto, quo præcipitur, *Omni petenti te, da;* cætera non erunt contraria, quia voluntas dantis in his attenditur sola, sicque et iustum et peccatorem pascere, non erit contra præceptum, si et iusto propterea quòd iustus est; et peccatori non propter hoc quòd peccator est, sed propter hoc quòd creatura Dei est, salubriter et piè impendatur humanitatis officium.

Aliàs 118. INTERROGATIO CXXII.

Eccli. 12. 10. Quomodo Salomon dicit, *Ne credideris inimico tuo in æternum:* cum Dominus in Evange-
Matth. 5. 25. lio præcipiat, *Esto consentiens adversario tuo, dum es cum illo in via?*

RESPONSIO.

Quòd Salomon non credendum inimico præcepit, de diabolo accipitur, ne nosipsos ei unquam credamus. Quòd autem Dominus consentientes nos esse adversario præcepit, pro præcepto legis suæ hoc dicitur: ut consentientes illi, non tradamur iudici, ab eo tamquam dissidentes arsuri.

INTERROGATIO CXXIII. Aliàs 119.

Eccli. 14. 1. Quomodo Salomon dicit, *Beatus qui non est compunctus tristitia delicti:* quum Iacobus
Iacob. 4. 9. præcipiat, *Miseri estôte, et lugete, et plorate?*

RESPONSIO.

Beatum utique illum dicit, qui nullum attigit delictum, cuius delicti tristitiâ compungeretur. Potest fieri, ut nonnulli beatè viventes, non tristitiâ flagitiorum, sed æternorum desiderio compungantur. Hoc autem quod Iacobus lugendum et plorandum præcepit, in utrumque accipi potest, seu in his qui mala sua deplorant, seu in illis qui solùm de cælestis patriæ amore suspirant.

EX LIBRO IOB.

INTERROGATIO CXXIV. Aliàs 122.

Iob 1. 6. Quomodo Iob dicit, Satan inter filios Dei assistere coram Domino: cùm in Evangelio scribatur, quia nisi mundo corde Deum videre non possint? Dicit enim: Matth. 5. 8. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Satan, qui mundo corde esse non potest, quo-

(1) Edit. *negavit.*
(2) Edit. *receperit.*
(3) Edit. *recipiens.*
(4) Edit. *receperit.*
(5) Edit. *receperit.*

(1) quomodo videndo Domino affuisse potest?

RESPONSIO.

Ex Gregor. Magn. *lib.2. Mor. n.4. 5.*

Intuendum, quia affuisse coram Domino, non autem Dominum vidisse perhibetur. (2) Venit quippe Satan, ut videretur a Domino, non ut videret Dominum. Ipse in conspectu Domini, non autem in conspectu eius Dominus fuit. Sicut cum cæcus in sole consistit, ipse quidem radiis solis perfunditur, sed tamen lumen non videt, quo illustratur. Ita ergo etiam inter Angelos in conspectu Domini Satan adfuit; quia vis divina, quæ intuendo penetrat omnia (3) in ordine subtilioris naturæ, non se videntem immundum spiritum vidit.

Aliàs 123.

INTERROGATIO CXXV.

Iob 7. 20. et 13. 26. et 27. 6.

Quomodo Iob dicat, *Peccavi, qui faciam tibi, o custos hominum?* vel illud, *Consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ;* cùm contra idem videatur dixisse, *Neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea?* Quo pacto a corde suo reprehendi se denegat, qui se peccasse superiùs accusat?

RESPONSIO.

Ex eod. Greg. *lib.* 18. *Mor. n.* 10. 11.

Sciendum est, quia sunt peccata, (4) quæ a iustis vitari non possunt. Cuius enim cor in hac corruptibili carne (5) subsistens, in sinistra cogitatione non labitur, vel si usque ad consensus foveam non mergatur? Et tamen hæc ipsa (6) parva agitare, peccare est. Sed dum cogitationi resistitur, a confusione sua animus liberatur. Mens ergo iustorum, etsi libera est a perverso opere, aliquando tamen corruit in perversa cogitatione. Ea (7) ergo labitur in peccato, quia saltem in cogitatione declinatur: et tamen unde semetipsam postmodum flendo reprehendat, non habet, quia antè se reparat, quàm per consensum cadat. Rectè ergo is, qui peccatorem se (8) fassus est, nequaquam se a suo corde reprehendi confitetur: quia etsi qua illicita cogitando fortasse defuit unquam rectitudini, forti tamen mentis certamine restitit cogitationi.

INTERROGATIO CXXVI. Aliàs 124.

Quomodo Iob desperationem præmittens dicat, *Desperavi, nequaquam ultra iam vivam:* cùm statim subiungat, *Parce mihi, nihil sunt dies mei?* Neque enim duo hæc verba sibi conveniunt, *desperavi*, et *parce*. Nam qui desperat, nequaquam sibi parci iam postulat: et qui adhuc parci sibi desiderat, profectò minimè desperat? *Iob 7. 16.*

RESPONSIO.

Aliunde est quod desperat, Ex eod. Greg. *lib.* 8. *Mor. num.* 46. Ee aliun-

(1) Edit. Benedictinor. *quomodo ad videndum Dominum adfuisse potest*; sed ipsi notant, in plurib. MSS. legi ut in textu nostro, cui adstipulatur Samson Abbas in Apolog. lib. 2. cap. 27. tom. 11. Hisp. Sacr. pag. 512.

(2) Edit. contractiùs: *Venit quippe ut videretur, non ut videret.*

(3) Desunt in edit. verba: *In ordine subtilioris naturæ.*

(4) Edit. *quæ a iustis vitari possunt; et sunt nonnulla, quæ etiam a iustis vitari non possunt.*

(5) Edit. *consistens.*

(6) Edit. *prava.*

(7) Edit. *Et in peccatum ergo labitur.*

(8) Edit. *confessus.*

aliunde verò quod parci sibi sanctus vir postulat: quia nimirum dum bona vitæ transeuntis per desperationem deserit, ad obtinenda quæ permanent, in spe robustior exurgit. Desperando itaque meliùs ad spem veniæ ducitur, qui cò certiùs ventura appetit, quò præsentia veriùs et ex
num. 45. desperatione derelinquit. (1) Iusto quippe desperare, est præsentis vitæ bona æternitatis electione deserere, mansura quærere, et in rebus temporalibus fiduciam non habere. Qui hæc (2) agit, nequaquam se ultra vivere asserit: quia videlicet vivificatrici morte quotidie a vita se passionis occidit. Qui ergo tam ordinatè desperat, rectè sibi parci desiderat.

Aliàs 125. INTERROGATIO CXXVII.

Quomodo utrumque Iob dicit, *Iob 9. 28. et 14. 16.* *Scio quòd non parcis delinquenti:* et e contra, *Tu gressus meos dinumerasti, et parcis peccatis meis.* Si delinquenti non parcitur, quis ab æterna morte eripitur, cùm a delicto mundus nemo reperitur?

RESPONSIO.

Ex eod. Greg. ibid. lib. 9. num. 54. Delinquenti Dominus nequaquam parcit, quia delictum sine ultione non deserit. Aut enim ipse hoc homo in se pœnitens punit, aut hoc Deus cum homine vindicans percutit. Nequaquam igitur peccato parcitur, quia nullatenus sine vindicta laxatur. Ab electis enim suis Deus iniquitatum maculas studet temporali afflictione tergere, quas in eis in perpetuum non (3) vult videre. Parcit enim Deus, et non parcit peccatis hominum. Non parcit etiam in eo, quia delictum sine ultione non deserit: parcit autem, cum illatam ultionem ad expiationem delictorum inducit. Benè ergo dicitur, quòd Deus delinquenti non parcat: quia delicta nostra sive per nos, sive per semetipsum resecat, etiam cùm relaxat.

INTERROGATIO CXXVIII. Aliàs 126.

Quomodo Iob, qui iam superiùs dixerat, *Nihil in terra sine causa fit*, videtur post aliqua e contra subiungere, dicens, *Multiplicavit vulnera mea etiam sine causa?* *Iob 5. 6. et 9. 17.*

RESPONSIO.

De hoc quod dicitur, *Nihil in terra sine causa fit*, B. Gregorius ita dicit: " Idcirco enim *Lib. 6. Mor. n. 13.*
„ sæpe et desidiosus ingenium
„ accepit, ut de negligentia iu-
„ stiùs puniatur; quia quod sine
„ labore assequi potuit, scire
„ contemnit. Et idcirco (4) stu-
„ diosus nonnumquam tarditate
„ intelligentiæ premitur, ut eo
„ maiora præmia retributionis
„ inveniat, quo magis in studio
„ inventionis elaborat. Nihil er-
„ go in terra est sine causa, quan-
„ do et studioso tarditas ad præ-
„ mium

(1) Edit. *iusti.*
(2) Edit. *agens.*
(3) *Non vult videre* restituerunt Benedictini ex omnibus MSS. quos citant, cum in edit. legeretur, *Non vult vindicare.* Nota ergo iterum congruentiam Iuliani ad MSS.
(4) Edit. post *studiosus*, iuxta Benedictinos, addunt, *et ingeniosus*, quod ab omnibus eorum MSS. aberrat, sicut et in textu nostro deest.

„ mium proficit, et desidioso ve-
„ locitas ad supplicium crescit."
Ergo hìc intelligendum est nihil in terra fieri sine causa, id est, sine causa divinæ distributionis, vel permissionis. Illud autem quod dicit, *Multiplicavit vulnera mea etiam sine causa*, hoc modo intelligitur. Beatus namque Iob vocem humani generis in se suscipiens, pro illis hoc dixit, qui reatu culpæ originalis astricti, antè moriuntur quàm baptismi gratiâ expientur, et qui priùs a præsenti luce subtrahuntur, quàm ad promerenda bona malave merita activæ vitæ perveniant. Quos quia a culpa originis salutis sacramenta non liberant, et hìc ex proprio nihil egerunt, illuc ad tormenta perveniunt. Quibus unum vulnus est, (1) corruptibiles nasci: aliud carnaliter mori. Sed quia post mortem quoque æterna mors sequitur, occulto eis iustoque iudicio, (2) quantum ad humanam intelligentiam attinet, etiam sine causa vulnera multiplicantur. Qui itaque nullum proprium adiungens delictum, ex solo originis reatu perimitur, quid iste, nisi sine causa vulneratur? Potest et aliter utrumque intelligi. Beatus etenim Iob nequaquam percussus est, ut in eo percussio vitium tergeret, sed ut meritum augeret. Nihil ergo in terra sine causa fit, quando percussio divina hominem aut ad emundationem ferit, aut ad probationem. Hìc verò B. Iob vulneratum se sine causa asserit: quia non est ad hoc percussus, ut in eo percussio vitium tergeret; et hoc de se forìs loquitur, quod de illo Veritas in occulto testatur, dicens: *Commovisti me adversùs eum, ut affligerem illum frustra.* Iob 2. 3.

Ex lib. 9. num. 32.

INTERROGATIO CXXIX. Aliàs 127.

Quomodo Iob dicat, *Ipse novit et decipientem, et eum qui decipitur:* cùm Dominus in Evangelio iniquis dicere videatur, *Numquam novi vos: discedite a me, qui operamini iniquitatem?* Ibi 12. 16. Matth. 7. 23.

RESPONSIO.

Scire Dei, aliquando cognoscere dicitur, aliquando approbare. (3) Et scit iniquum, quia cognoscendo iudicat, et nescit, quia non approbat. Neque iniquum quempiam iudicasset, si nequaquam cognosceret. Et tamen iniquum nescit, quia eius facta non approbat. Et novit ergo, quia deprehendit; et non novit, quia hunc in suæ sapientiæ specie non recognoscit. Sicut de veraci quolibet viro dicitur, quia falsitatem nesciat: non quia vel cum ab aliis falsum dicitur, hoc reprehendere ignorat; sed eamdem ipsam fallaciam et scit

Ex eod. Greg. lib. 11. Moral. num. 18.

(1) Edit. Benedict. *corruptibiliter*; nonnulli alii MSS. *corruptibiles*, ut noster textus.
(2) Deest hìc in edit. *quantum ad humanam intelligentiam attinet.*
(3) Edit. *Et scit iniquum, quia cognoscendo iudicat* (*neque enim iniquum quempiam iudicasset, si nequaquam cognosceret*); *et tamen, &c.* Sed nos intactum relinquimus Iuliani textum, cum aliunde constet Samsonem Abbatem ita eum transtulisse, ut videre est lib. 2. Apolog. cap. 27. tom. 11. Hisp. Sacr. pag. 513.

in examine, et nescit in amore: ut videlicet ipse hanc non agat, (1) cum actam ab aliis damnat.

Aliàs 128.

INTERROGATIO CXXX.

Iob 13. 16. Cum Iob dicat, *Non veniat in conspectu Dei omnis hypocrita:* quomodo quasi e contra Evangelista videtur dicere, *Et congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos abinvicem, oves a dextris, et hædos a sinistris statuens?*

Matth. 25. 32, 33.

RESPONSIO.

Ex eod. lib. num. 49. Sciendum est, quia duobus modis in conspectum Domini venimus. Uno quidem, quòd hìc peccata nostra subtiliter perpendentes, in eius nos conspectu ponimus, et flendo diiudicamus. Nam quoties conditoris nostri potentiam ad sensum reducimus, toties in conspectu illius stamus. Unde rectè quoque per virum Dei Heliam dicitur: *Vivit Dominus Deus Israël, in cuius conspectu sto.* Alio quoque modo in conspectum Domini venimus, cum in extremo iudicio ante tribunal eius assistimus. Hypocrita igitur per examen ultimum ante conspectum iudicis veniet. Sed quia modò culpas suas considerare et deflere dissimulat, in conspectum venire Domini recusat: qui dum placere humanis oculis concupiscit, districtionem Dei ante suos oculos non ponit.

3. Reg. 17. 1.

Aliàs 134.

INTERROGATIO CXXXI.

Iob 13. 15. Cùm B. Iob de se fateatur, *Vias meas in conspectu Dei redarguam:* necnon et illud, *Consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ:* atque illud, *Signasti quasi in sacculo delicta mea;* quomodo quasi e contra videtur superiùs dixisse, *Si fuero iudicatus, scio quia iustus inveniar?* Neque enim simul conveniunt peccata et iustitia.

v. 26. *et* 14. 17. *et* 13. 18.

RESPONSIO.

Ex eod. lib. num. 51. Sanctus iste vir sibi iniquitatem tribuens, et omnipotenti Domino purgationem suam; et peccatorem se cognoscit ex se, et iustum se factum non ignorat ex munere: quia in recto quoque opere positus, (2) ex abundantia gratiæ meruit flagella sustinere, (3) iamque in iudicium iustum venire gaudet, qui ante iudicium percusum se videt. Unde et cùm longè post dicat, *Signasti quasi in sacculo delicta mea:* statim (4) subdidit, *sed curasti iniquitatem meam.* Qui ergo iustum inveniri se in iudicio memorat, nequaquam se iustè flagellatum negat, quamvis in flagello eius Dominus non peccata studuit tergere, sed merita augere.

Aliàs 129.

INTERROGATIO CXXXII.

Iob 14. 12. Quomodo Iob dicit, *Homo cum dormierit, non resurget:* cum Paulus dicat, *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur?*

1. Cor. 15. 51.

RESPONSIO.

Ex lib. 12. *Moral. n.* 11. 12. Hæc quidem non erunt contra-

(1) Edit. *quam.*
(2) Edit. *ex abundanti gratia.*
(3) Edit. Benedictinor. *iamque se in iudicio iustum inveniri gaudet, &c.* Antiquiores edition. *iustum invenire.*
(4) Edit. *subdit.*

traria, si subiuncta statim in Iob attendatur sententia. Nam ubi dicit, *Homo cum dormierit, non resurget:* statim subiungit, *Donec atteratur cælum, non evigilabit, nec consurget de somno suo.* Liquet enim quia non resurget, (1) sed donec atteratur cælum. Quia nisi mundi huius finis advenerit, humanum genus a somno mortis ad vitam non evigilabit. Non ergo quia (2) omnimodo non resurgat; sed quia ante contritionem cæli humanum genus minimè resurgat, insinuat.

Aliàs 136. INTERROGATIO CXXXIII.

Cùm Iob clarificata carne resurgere se sperans dicat, *In novissimo die de terra surrecturus sum, et in carne mea videbo Deum*, iuxta quod et Apostolus dicit, *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem:* quomodo quasi e contrario idem ipse Apostolus dicit, *Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt?*

Iob 19. 25. 26.

1. *Cor.* 15. 53.

v. 50.

RESPONSIO.

Adæ peccata respiciens Apostolus, quæ veniunt de corruptione carnis et sanguinis, ait: *Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt.* Nam utique secundùm fidem veram eiusdem Apostoli caro ita resurget, iuxta illud: *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, &c.* Quia ergo corruptio ista de peccato est, ipsius nomine et peccata appellantur. Ergo si nomine carnis et sanguinis corruptio vel peccata intelligantur, quæ de carne utique et sanguine oriuntur, contraria sibi non erunt. Ergo et caro nostra, in qua vivimus, pro bene gestis habitura Dei regnum; et caro, id est, corruptio, quia carnis et sanguinis nomine nuncupata est, regnum non possidebit divinum.

INTERROGATIO CXXXIV. Aliàs 135.

Cum omnipotens Deus (3) iuxta plurimas Scripturæ sacræ sententias frustra nihil faciat, cur B. Iob frustra se aflixisse (4) testatur?

Iob 34. 12. *Ezech.* 6. 10. *et* 14. 23.

Iob 19. 6.

RESPONSIO.

Iustus conditor noster tot verberibus in B. Iob, non vitia curavit extinguere, sed merita augere. Æquum ergo fuit, quod fecit (5) propter augmentum boni meriti: non tamen videbatur æquum, quod credebatur (6) causam punire peccati. Unde et B. Iob peccata sua illis flagellis deleri credidit, non merita augeri: et idcirco non æquum iudicium vocat, quia (7) vitia sua cum flagellis examinat. Ergo si (8) vitia et flagella pensantur, non æquum fuit quod B. Iob per iram districtionis sibi fieri credidit. Si verò misericordia iudicis attendatur, quòd per pœnam iusti viri vitæ eius merita cumulantur, æquum vel potius misericors iudicium fuit.

Ex lib. 14. *Mor. n.* 38.

(1) Edit. *scilicet donec, &c.*
(2) Edit. *omnino.*
(3) Deest in edit. *iuxta plurimas Scripturæ sacræ sententias.*
(4) Edit. *testetur.*
(5) Edit. *per.*
(6) Edit. *causas.*
(7) Edit. *vitam suam.*
(8) Edit. *vita.*

IN-

Aliàs 131.

INTERROGATIO CXXXV.

Si pax in sublimibus summa te-
Iob 25. 2. netur, dicente Iob, *Potestas et terror apud eum est, qui facit concordiam in sublimibus suis:* quid est quod per Ange-
Dan. 10. 13. lum Danieli dicitur: *Ego veni propter sermones tuos: princeps autem regni Persarum restitit mihi viginti et uno diebus: et ecce Michaël unus de principibus primis venit in adiuto-*
v. 20. *rium mihi.* Et paulò post: *Nunc revertar ut prælier adversùs principem Persarum, cùm enim egrederer, apparuit princeps Græcorum adveniens?*

RESPONSIO.

Ex lib. 17. Moral. num. 17.

Quos itaque alios principes gentium, nisi Angelos appellat, qui sibi resistere exeunti potuissent? Quæ ergo esse pax in sublimibus potest, si inter ipsos angelicos spiritus præliandi certamen agitur, qui semper conspectui veritatis assistunt? Sed quia certa Angelorum ministeria dispensandis singulis quibusque gentibus sunt prælata, cum subiectorum mores adversùm se vicissim præpositorum spirituum opem merentur, ipsi qui præsunt spiritus, contra se venire referuntur. Is namque Angelus qui Danieli loquebatur, captivis Israëlitici populi in Perside constitutis, prælatus agnoscitur. Michaël autem eorum, qui ex eadem plebe in Iudææ terra remanserant, præpositus invenitur. Unde ab hoc eodem Angelo paulò post Danieli dicitur: *Nemo est adiutor meus in omnibus his, nisi Michaël princeps vester.* De quo et hoc, quod præmisimus, dicit: *Et ecce Michaël unus de principibus primis venit in adiutorium mihi.* Qui dum nequaquam simul esse, sed venire in adiutorium dicitur, apertè ei populo prælatus agnoscitur, qui [1] captus in alia parte tenebatur. Quid est ergo Angelum dicere, *Ego veni propter sermones tuos, princeps autem regni Persarum restitit mihi,* nisi sua subditis opera nuntiare? Acsi apertè dicat: Precum quidem tuarum merita exigunt, ut Israëliticus populus iugo suæ captivitatis exuatur; sed est adhuc quod in eodem populo Persarum dominio purgari debeat: [2] unde ereptioni illius Persarum princeps mihi iure contradicat, quamvis preces tuas eorum quoque lacrymæ qui in Iudæa sunt relicti, adiuvent. Unde hoc quoque quod diximus, adiungit: *Michaël princeps vester venit in adiutorium mihi.* [3] Cumque adversùm Persarum principem præliari egreditur, Græcorum sibi princeps adveniens apparet. Qua ex re innuitur, quòd adversùm Græcos quoque aliquid Iudæa commiserat, quorum profectò causa ereptioni illius resistebat. Prophetæ igitur preces Angelus exaudit, sed Persarum princeps resistit: quia etsi iam vita iusti deprecan-

(1) Edit. *captivus.*

(2) Edit. Benedictinor. *ut de ereptione* conformiter ad nonnullos MSS. quos citant. Sed in posteriorib. editionib. *unde ereptionem*, quæ lectio ipsis displicuit.

(3) Edit. *Cumque ut adversus principem Persarum prælietur, egreditur, Græcorum. &c.*

cantis ereptionem populi [1] exegit, eiusdem tamen populi hanc vita contradicit: ut quia necdum plenè ii, qui in captivitatem fuerant ducti, purgati sunt, iure eis adhuc Persæ dominentur. Michaël adiuvat, sed Græcorum princeps ad prælium venit: quia mereri quidem veniam tam longa oppresorum captivitas poterat; sed ereptionis eorum beneficio hoc quoque quod in Græcos deliquerant, obviabat. Rectè ergo dicitur, quòd contra se Angeli veniunt, quia subiectarum sibi gentium vicissim merita contradicunt. Nam sublimes spiritus eisdem gentibus principantes, nequaquam pro iniustè agentibus decertant, sed eorum facta iustè iudicantes examinant. Cumque uniuscuiusque gentis vel culpa vel iustitia ad supernæ curiæ consilium ducitur, eiusdem gentis præpositus [2] obtinuisse vel non obtinuisse perhibetur. Quorum tamen omnium una victoria est sui super se opificis voluntas summa, [3] quem dum semper aspiciunt, quod obtinere non valent, numquam volunt.

Aliàs 130. INTERROGATIO CXXXVI.

Cum Iob dicat pro Angelis: *Numquid est numerus militum eius?* quomodo Daniel præfixum numerum Angelorum statuens, dicit, *Decies millies centena millia assistebant ei?*

Iob 25. 3.

Dan. 7. 10.

RESPONSIO.

In cognitione humanæ rationis supernorum spirituum numerus non est, quia quanta sit frequentia invisibilis exercitus, nescit. Supernorum namque civium [4] numerus et infinitus est, et definitus exprimitur: ut qui Deo est numerabilis, esse [5] nobis innumerabilis demonstretur.

Ex cod. lib. Mor. num. 18.

INTERROGATIO CXXXVII. Aliàs 132.

Cùm pastum diaboli Beemoth ad Iob loquens significet, dicens, *Fœnum ut bos comedit:* et de quo Isaias, *Leo quasi bos comedet paleas:* quomodo Propheta de pastu eius videtur e contrario dicere, *Esca eius electa?* Quomodo Beemoth iste fœnum vel paleas comedens, vitam spiritualium consumere dicitur, si fœni et palearum nomine vita carnalium designatur? Esca quoque eius electa iam non erit, si fœnum comedens [6] carnalis sapit?

Iob 40. 10.

Isai. 11. 7.

Habac. 1. 16.

RESPONSIO.

Nonnulli hominum et apud Deum fœnum sunt, et apud homines sanctitatis nomine censentur: cùm et ante humanos oculos aliud ostendit vita, et ante divina iudicia aliud [7] ostendit conscientia. Hi itaque apud humana iudicia electi sunt, sed [8] ad subtile Domini examen, fœnum.

Ex lib. 32. n. 18. 19.

(1) Edit. *exigit.*
(2) Edit. *vel obtinuisse in certamine, vel non, &c.*
(3) Edit. *quam.*
(4) Edit. *numerus infinitus et definitus exprimitur.*
(5) Edit. *hominibus.*
(6) Edit. *carnalem rapit.*
(7) Edit. *intendit.*
(8) Edit. *apud.*

IN-

Aliàs 133. INTERROGATIO CXXXVIII.

Cum Iob a Domino reprehensus, ipse quoque se reprehenderit, dicens, *Idcirco ipse me reprehendo:* quomodo item Dominus eum præferens amicis suis, locutus sit dicens: *Non estis locuti coram me rectum, sicut servus meus Iob?* Quomodo superiùs B. Iob reprehenditur, si in comparatione eius rectitudinis amici illius nequaquam coram Domino locuti rectum memorantur? An adhuc illa de eo sententia confirmatur, qua antiquo hosti dicitur: *Vidisti servum meum Iob, quòd non sit ei similis super terram?*

Iob 42. 6. 7.

Ex lib. 35. *num.* 9.

Iob 1. 8.

RESPONSIO.

Quid est hoc, quòd laudatur hosti, et in seipso reprehenditur, et tamen amicis loquentibus antefertur; nisi quia sanctus vir cunctos meritorum suorum virtute transcendit? Sed eo ipso quòd homo fuit, ante Dei oculos esse sine reprehensione non potuit. In sancto quippe homine in hac interim vita commorante, divini examinis regula habet adhuc quod iudicet, quamvis iam ex comparatione ceterorum hominum habeat quod laudet. Beatus igitur Iob pro culpa se credidit, et non pro gratia flagellari: resecari in se æstimavit vitia, non autem merita augeri: et in eo reprehenditur, (1) quo intentionem flagelli fuisse aliam suspicatur, et tamen amicis resistentibus interni iudicii definitione prælatus est. Unde (2) aptè colligitur, quantæ iustitiæ fuerit in eo quod contra amicorum verba innocentiam suæ operationis adstruxit, qui divino iudicio etiam ipsis eiusdem divini iudicii defensoribus antefertur.

ANTIKEIMENΩN

LIBER SECUNDUS.

QUÆSTIONES EX NOVO TESTAMENTO.

EX EVANGELIO SECUNDUM MATTHÆUM.

INTERROGATIO I. (3)

Quomodo Christus dicit, *Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus ut videamini ab eis?* Et rursum: *Cum facis eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua?* Et iterum: *Cum ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes?* Et: *Cum ieiunas, unge caput tuum et faciem tuam lava?* Et: *Ne thesaurizetis vobis thesauros in terra?* Et: *Nolite iudicare?* Et: *Nolite dare sanctum canibus?* Et: *Petite et dabitur vobis?* Et: *Omnis qui petit accipit?* Et: *Quærite et invenietis?* Et: *Pulsate et aperietur vobis?* Et: *Omnis qui se exaltat humiliabitur?* Et: *Qui se humiliat exaltabitur?* Et: *Qui vult primus esse sit omnium minimus?* Et: *Qui vult inter vos maior esse sit minister vester?* Et: *Qui vult post me venire abneget semetipsum?* Et: *Qui vult animam suam salvam facere perdat eam?* Et: *Qui vult vitam suam salvam facere perdat eam?* Et: *Qui vult vitam suam salvam facere perdat eam?* Et: *Qui vult vit

ciatis coram hominibus, ut videamini ab eis: et alibi dicit,
Ibid. 5. 16. *Videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum?*

RESPONSIO.

Ex Reg. Past. Gregor. Magn. part. 3. cap. 35.

Quid est ergo quòd opus nostrum ita faciendum est, ne videatur, et tamen ut debeat videri, præcipitur; nisi quòd ea quæ agimus, et occultanda sunt ne ipsi laudemur, et tamen ostendenda sunt, ut laudem cælestis Patris augeamus? Nam cùm nos iustitiam nostram coram hominibus facere Dominus prohiberet, illicò adiunxit, *ut videamini ab eis.* Et cùm rursum videnda ab hominibus bona opera nostra præceperit, protinus subdidit: *ut glorificent Patrem vestrum qui in cælis est.* Qualiter igitur videnda essent, vel qualiter non videnda, ex sententiarum fine monstravit: quatenus operantis mens opus suum et propter se videri non quæreret, et propter cælestis Patris gloriam non celaret. Unde fit plerumque, ut bonum opus et in occulto sit, cùm fit publicè; et rursùs in publico, cùm agitur occultè.

INTERROGATIO II.

Cùm Dominus in Evangelio docens nos orare, præcipiat, ut dicamus, *Ne inducas nos in tentationem:* quomodo Apostolus Iacobus videtur quasi e contra
Matth. 6. 13. *Iacob. 1. 12.* prædicasse dicens, *Beatus vir qui suffert tentationem?* necnon et illud quod alibi scribitur:
Eccli. 34. 9. 11. *Omnis vir, qui non est tentatus, non est probatus?*

RESPONSIO.

Utilem esse tentationem, quæ probat, non quæ in tentationem inducit, quis fidelium nesciat? Nam de his Cassianus ita dicit. Ait enim: Non ergo hoc sonat, *Ne inducas nos in tentationem,* id est, ut non permittas nos aliquando tentari; sed ne permittas nos in tentatione positos superari. Tentatus est enim Iob, sed non est inductus in tentationem. Tentatus est Abraham et Ioseph, sed neuter illorum inductus est in tentationem, quia nullus eorum consensum præbuit tentatori. Denique sequitur, *Sed libera nos a malo,* id est, ne permit- *1. Cor. 10. 13.*
tas nos a diabolo tentari supra id quod possumus, sed fac cum tentatione et exitum, ut sustinere possimus.

INTERROGATIO III.

Quomodo Dominus in Evangelio dicat, *Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnum cælorum:* et e *Matth. 7. 21.*
contra Paulus, *Nemo in spiritu* *1. Cor. 12. 3.*
Dei loquens dicit anathema Iesu: et nemo potest dicere Dominum Iesum, nisi in Spiritu sancto?

RESPONSIO.

Ex Aug. lib. 2. de Serm. Dom. in mont. num. 83.

Ecce, neque aliquos habentes Spiritum sanctum possumus dicere non intraturos in regnum cælorum, si perseveraverint usque in finem; neque illos qui dicunt, *Domine Domine,* et tamen non intrant in regnum cælorum, possumus dicere habere Spiritum sanctum. Quomodo ergo nemo dicit Dominum Iesum, nisi in Spiritu sancto; nisi quia pro-

priè Apostolus posuit verbum quòd est, *dicit*, ut significet voluntatem atque intellectum dicentis: Dominus verò generaliter posuit verbum, quod ait: *Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnum cælorum?* Videtur enim dicere etiam ille, qui nec vult, nec intelligit quod dicit; sed ille propriè dicit, qui voluntatem ac mentem suam sono vocis enuntiat.

INTERROGATIO IV.

Cùm Dominus in Evangelio dicat, *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere:* quomodo in Psalmo ex persona Christi dicitur, *Repleta est malis anima mea?* Audemusne dicere animam Christi repletam malis, cum illa passionis afflictio in carne valuerit, quidquid valuit?

Matth. 10. 28.

Psalm. 87. 4.

RESPONSIO.

Ex Aug. *enarrat. in hunc Psalm. n.* 3.

Occidi a persecutoribus anima non potest, malis autem repleri potest. Non enim vitiis, per quæ homini dominatur iniquitas, animam illam repletam possumus dicere; sed fortè doloribus, quibus anima suæ carni in eius passione compatitur. Non enim vel ipse, qui dicitur corporis dolor, potest esse sine anima, quem inevitabiliter imminentem præcedit tristitia, quæ solius animæ dolor est. Dolere ergo anima, etiam non dolente corpore, potest; dolere autem corpus sine anima non potest. Cur itaque non dicamus non humanis peccatis, sed tamen humanis malis repletam fuisse animam Christi, de quo alius Propheta dicit quòd pro nobis doluerit, et Evangelista, *Cœpit contristari, et mæstus esse*, et ipse Dominus de seipso, *Tristis est anima mea usque ad mortem?* Hæc futura prævidens Propheta Psalmi huiuscemodi conscriptor, inducit eum loquentem: *Quoniam repleta est*, inquit, *malis anima mea, et vita mea in inferno appropinquavit.* Nam ipsam omnino sententiam verbis aliis explicavit, quibus dictum est: *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Quod enim ait, *Tristis est anima mea:* hoc dictum est, *Repleta est malis anima mea:* et quod sequitur, *usque ad mortem*, hoc dictum est, *et vita mea in inferno appropinquavit.*

Isai. 53. 4. *Matth.* 26. 37. *v.* 38.

INTERROGATIO V.

Quomodo Christus in Evangelio utrumque dicat, *Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam:* et e contrario, *Pastor bonus animam suam dat pro ovibus. Mercenarius autem, et qui non est pastor, cuius non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, et dimittit oves, et fugit: et lupus rapit, et dispergit oves?*

Matth. 10. 23.

Ioann. 10. 11. 12.

RESPONSIO.

Has duas Dominicas verasque sententias ita intelligere debemus, ut contrarias inter se nullo modo prædicemus. Etenim ut breviter exponatur, sine culpa quisque corporaliter fugit, qui se a persecutoribus non timore, sed utilitate necessaria subtrahit: id est, qui non spiritu fugit mortem,

tem, sed se pro tempore utilitati eorum servat, sicut Paulus
Philip. 1. 24. dicit, *Manere in carne necessarium propter vos.* Hæc est fuga licita, et a Domino nobis permissa. Qui autem timore persecutionis vel potestatis cuiuslibet, terrore spiritûs superatus, aut veritatem refugit prædicare, aut loci eligit mutationem appetere, hic quasi mercenarius arguitur, et talis fuga omnino culpatur. His enim verbis has duas sententias a beato Augustino explanatas reperimus. Ait
Tract. 46. *in Ioan.* num. 7. 8. enim: „ (1) Audivimus in Epi-
2. *Cor.* 11. 33. „ stola Paulum fugientem per „ murum, et in sporta submissum, ut manus persequentis „ evaderet. Non ergo illi cura „ fuit de ovibus, quas lupo veniente deserebat? Fuit planè: „ sed eas pastori in cælo sedenti orationibus commendabat, se „ autem ad (2) utilitatem earum „ fugiendo servabat, sicut quo-
Philip. 1. 24. „ dam loco ait, *Manere in car-* „ *ne necessarium propter vos.* „ Ab ipso namque pastore omnes „ audierant: *Si vos persecuti* „ *fuerint in una civitate, fu-* „ *gite in aliam.* Hanc quæstio- „ nem nobis Dominus dignetur „ exponere. Domine, tu dixisti „ eis quos fideles pastores esse „ utique volebas, quos tua mem- „ bra esse formabas, *Si vos per-*

„ *secuti fuerint, fugite.* Iniuriam „ ergo illis facis, quando repre- „ hendis mercenarios (3) fugien- „ tes. Rogamus indices nobis „ quid habeat altitudo quæstio- „ nis. Pulsemus, (4) aderit qui „ aperiat; sed ostiarius est ostii, „ quod est ipse.

„ Quis est mercenarius (5) qui „ vidit lupum, et fugit? Qui sua *Philip.* 2. 21. *1. Tim.* 5. 20. „ quærit, non quæ Iesu Christi, „ peccantem non libere audet „ arguere. Ecce nescio quis pec- „ cavit, graviter peccavit, increpandus est, excommunicandus „ est. Sed excommunicatus, erit „ inimicus, insidiabitur, noce- „ bit cùm potuerit. Iam ille qui „ sua quærit, non quæ Iesu Chri- „ sti, ne perdat quod sectatur, „ humanæ amicitiæ commoditatem, et inimicitiarum humanarum incurrat molestiam; tacet, non corripit. (6) Ecce lupus ovi guttur apprehendit: „ diabolus fideli adulterium persuasit; Tu taces, non increpas: O mercenarie, lupum venientem vidisti, et fugisti. „ (7) Respondit fortè, et dicit: „ Ecce hîc sum, non fugi. (8) Fu- „ gisti, quia tacuisti, quia timui- „ sti. Fuga animi timor est. Cor- „ pore stetisti, spiritu fugisti, „ quod ille non faciebat, qui „ dicebat: *Etsi corpore absens* *Colos.* 2. 5. „ *sum*, (9) *sed spiritu vobiscum*

 „ *sum.*

(1) Edit. *Vidi... fugientem Paulum: per murum in sporta submissus est, ut manus, &c.*
(2) Edit. *utilitati.*
(3) Edit. *mercenarios qui vident lupum venientem, et fugiunt. Rogamus, &c.*
(4) Edit. *aderit qui aperiat se ostiarius ostii, quod &c.*
(5) Edit. *Quis est mercenarius? Qui videt lupum venientem, et fugit: qui sua quærit, non quæ Iesu Christi: peccantem, &c.*
(6) Editio Iuliani habebat: *Ecce lupus, cui guttur, &c.* fortè erraverunt editores legentes *cui*, pro *ovi* in MSS. quod nos ex Aug. edit. emendamus.
(7) Edit. *respondet.*
(8) Edit. *Fugisti, quia tacuisti: tacuisti, quia timuisti.*
(9) Deest in edit. *sed.*

„ *sum.* Quomodo enim spiritu „ fugiebat, qui etiam corpore „ absens, fornicatores litteris ar- „ guebat? Affectiones nostræ mo- „ tus animorum sunt: lætitia, ani- „ mi diffusio; tristitia, animi „ contractio; cupiditas, animi „ progressio; timor, animi fuga „ est. Diffunderis enim ani- „ mo, cùm delectaris; contrahe- „ ris animo, cùm molestaris; „ progrederis animo, cùm appe- „ tis; fugis animo, cùm metuis. „ Ecce unde mercenarius ille vi- „ so lupo dicitur fugere. Quare? „ *Quia non est ei cura de ovi-* „ *bus.* Quare non est illi cura „ de ovibus? *Quia mercenarius* „ *est.* Quid est, *mercenarius est?* „ Temporalem mercedem (1) quæ- „ rit, in domo in æternum non „ habitabit."

INTERROGATIO VI.

Matth. 10. 10. *Luc.* 9. 3. Quomodo Matthæus et Lucas commemoraverunt dixisse Dominum discipulis suis, ut nec virgam ferrent: cum dicat Mar-

Marc. 6. 8. cus, *Et præcepit discipulis suis, ne quid tollerent in via, nisi virgam tantùm?*

RESPONSIO.

Ex eod. B. Aug. *lib.* 2. *de Consensu Evang. n.* 73. 74. Utrumque accipiendum est a Domino Apostolis dictum. Hæc ergo loquens Dominus discipulis, id agebat, quod Apostolus Paulus apertiùs explicat, ita di-

1. *Cor.* 9. 13. *&c.* cens: *Nescitis,* (2) *quòd qui in templo operantur, quæ de templo sunt, edunt: qui altari deserviunt, altari compartiuntur? Sic et Dominus ordinavit his, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere. Ego autem* (3) *nullo horum usus sum.* Cùm itaque dicit, ita Dominum ordinasse, se autem usum non esse; utique ostendit utendi potestatem datam, non impositam (4) servandi necessitatem. Hoc ergo ordinans Dominus, quod eum ordinasse dicit Apostolus, *qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere;* illa Apostolis loquebatur, ut securi non possiderent, neque portarent huic vitæ necessaria, nec magna, nec minima. Ideò posuit *nec virgam,* ostendens a fidelibus suis omnia deberi ministris suis, nulla superflua requirentibus. Ac per hoc addendo, *Dignus est operarius* *Matth. ubi sup.* *cibo suo,* prorsus aperuit et illustravit, unde et quare hæc omnia loqueretur. Hanc ergo potestatem virgæ nomine significavit, cum dixit, *ne quid tollerent in via, nisi virgam tantùm.* Potuit etiam sic breviter dici: Nihil necessariorum vobiscum feratis: *nec virgam: nisi virgam tantùm:* ut illud quod dictum est, *nec virgam,* intelligatur, nec minimas quidem res; quod verò adiunctum est, *nisi virgam tantùm,* intelligatur, quia per potestatem a Domino acceptam, quæ virgæ nomine significata est, etiam quæ non portantur, non deerunt.

INTERROGATIO VII.

Cum Christus in Evangelio dicat,

(1) Edit. *quærens, et in domo, &c.*
(2) Edit. *quoniam.*
(3) Edit. *nullius.*
(4) Edit. *serviendi* non tam rectè.

Matth. 12. 35. cat, *Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona:* quomodo ibi quasi e contra vi-
et 19. 17. detur dicere, *Nemo bonus, nisi solus Deus?*

RESPONSIO.

Nonne stimulavit nos ad quærendum et ad distinguendum quid sit bonum, alio bono bonum, et bonum seipso bonum? Ergo quàm bonum est, per quod sunt omnia bona, ut omninò nullum invenias bonum, quod non ab ipso sit bonum, bonum bona faciens. Ita enim Deus dicitur bonus, ut in eius comparatione ea quæ facta sunt, bona penitus non sint. Illo autem non comparato, bona omnia dici possunt, quæ a bono auctore sunt facta; illi verò comparata, bona penitus non dicenda sunt.

INTERROGATIO VIII.

Cùm diabolus sciens Christum Filium Dei esse, evidenter in Evangelio per turbam dæmo-
Matth. 8. 29. niorum locutus sit, *Quid nobis et tibi Fili Dei? Venisti huc ante tempus torquere nos?* quomodo e contra in illa tentatione, ubi assumptus Christus a spiritu legitur, dubitando eum an Christus esset, exploravit, et dixit:
ibid. 4. 6. *Si tu es Christus Filius Dei, mitte te deorsum?*

RESPONSIO.

Innotuit Christus dæmonibus, non per id quod est vita æterna et lumen incommutabile, quod illuminat pios, cum videndo per fidem quæ in illo est, corda mundantur; sed per quædam temporalia suæ virtutis effecta, et occultissima signa præsentiæ, quæ angelicis sensibus, etiam malignorum spirituum potiùs quàm infirmitati hominum possint esse conspicua. Denique quando ea paululum supprimenda iudicavit, et aliquanto altiùs latuit, dubitavit de illo dæmonum princeps, eumque tentavit an Christus esset, et explorans quantum se tentari ipse permisit, ut hominem quem gerebat, ad nostræ imitationis temperaret exemplum. Post illam verò tentationem cum *Angeli*, sicut scriptum est, *ministrabant ei*, boni utique et sancti, ac per hoc spiritibus immundis metuendi et tremendi, magis magisque innotescebat dæmonibus quantus esset, ut ei iubenti, quamvis in illo contemptibilis videretur corporis infirmitas, resistere nullus auderet. Matth. 4. 11.

INTERROGATIO IX.

Quomodo Christus in Evangelio dicit: *Angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris mei:* cum Paulus e contra videatur dicere, *Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capiunt salutis?* Si semper assistunt, quomodo exteriùs mitti dicuntur? Matth. 18. 10. Hebr. 1. 14.

RESPONSIO.

Si Angeli conditoris aspectum exeuntes amitterent, nec iacentes erigere, nec ignorantibus vera nuntiare potuissent. Et mittuntur ergo, et assistunt: quia et ad nos spirituali præsentia foràs exeunt, et tamen ibi se unde re-
Ex Gregor. Magn. lib. 2. Mor. n. 3.

ces-

cesserant, per internam contemplationem servant.

INTERROGATIO X.

Cum Dominus interroganti se iuveni, et dicenti, *Magister bone, quid faciam ut habeam vitam æternam?* responderit, *Quid me dicis bonum? Nemo bonus, nisi solus Deus*, quasi nolens se aut bonum, aut magistrum debere intelligi: quomodo quasi e contrario ad Apostolos dicit, *Vos vocatis me, Magister, et Domine, et benè dicitis: sum etenim;* necnon et illud, *Ne vocemini magistri: quia magister vester Christus est?*

Matth. 19. 16. 17.

Ioann. 13. 13.

Matth. 23. 10.

RESPONSIO.

Iuvenis enim insolens per observantiam legis, et finem legis, qui est Christus, nesciens, tamquam eum omnium præceptorum, et in lege scriptorum magistrum, interrogat Dominum, hominem tantùm illum, non Deum existimans. Christus tamen hanc de se irreligiosam fidei professionem exprobrans, quòd tamquam magister legis interrogaretur, respondit: *Quid me vocas bonum?* Atque ut significaret qualiter intelligendus esset, subiecit: *Nemo bonus, nisi unus Deus.* Non igitur bonitatis nomen refugit, neque magistri nomen recusavit; sed fidem eius, qui in se nihil nisi corporeum et carnale sapuisset, coarguit. Ubi enim Christus cum fide magister est, ibi adeo laudat, ut et profiteatur hoc nomen: hìc verò boni magistri nomen non recognoscit, ubi nec Dominus intellectus est esse, nec Christus.

Rom. 10. 4.

INTERROGATIO XI.

Cum Christus præcipiat discipulis, dicens, *Patrem nolite vocare vobis super terram; unus enim est Pater vester, qui in cælis est:* quomodo Paulus Apostolus contra hoc audet dicere, *Patres nostri omnes sub nube fuerunt?*

Matth. 23. 9.

1. Cor. 10. 1.

RESPONSIO.

In his duabus sententiis, nisi fallor, claret, quòd aliquando propter naturam pater dicatur. Nam Christus mundum istum patrem hominum de imitamento volens intelligi, dicit: *Patrem nolite vocare vobis super terram*, id est, mundum istum. Paulus autem naturâ nominans patrem ait: *Patres nostri sub nube fuerunt.* Pater enim hominum hic mundus est, de quo carnaliter nascuntur, quicumque carnaliter generantur: qui mundus si contemnatur, ut veraciter quis dicere possit, *Mundus mihi crucifixus est, et ego mundo*, iam huic tali pater est mortuus, id est, iste mundus, et fit veraciter pupillus, cui pater est Dominus. Ergo quòd dicit Christus, *Patrem nolite vocare vobis super terram*, mundum istum insinuare videtur patrem, a quo eos avertere cupiebat, ut Christus ipse unus illis pater efficeretur. Quòd autem Apostolus dicit, *Patres nostri omnes sub nube fuerunt*, de carnali generatione istius mundi loquebatur. De qua et carnis originem mundi trahebant, et homines nati de hominibus inter homines consistebant. Docet quippe Dominus pupillos fieri discipulos suos,

Gal. 6. 14.

suos, quibus dicit, *Ne vobis dicatis patrem in terris.* Cuius rei exemplum præbuit ipse, dicendo: *Quæ mihi mater, aut qui fratres?* De his namque pupillis dicitur: *Pupillo tu eris adiutor.* De hoc Hieronymus ita dicit: "Quæritur, quare adversùm hoc „ præceptum doctorem Gen„ tium se esse Apostolus dixerit; „ aut quomodo vulgato sermone, „ maximè in Palæstina et in Ægy„ pti monasteriis se invicem pa„ tres vocent. Quod sic solvitur: „ aliud esse naturâ patrem vel „ magistrum, aliud indulgentiâ. „ Nos si hominem patrem voca„ mus, honorem ætati deferimus; „ non auctorem nostræ ostendi„ mus vitæ. Magister quoque di„ citur ex consortio veri magi„ stri. Et, ne infinita replicem, „ quomodo unus pater naturâ „ Deus, et unus filius non præ„ iudicat ceteris, ne per adoptio„ nem dii vocentur et filii; ita „ et unus pater et magister non „ præiudicat aliis, ut abusivè ap„ pellentur patres et magistri."

Matth. 12. 48.

Psalm. 10. sec. Heb. v. 14.

In Comment. ad v. 8. cap. 23. Evang. sec. Matth.

INTERROGATIO XII.

Cum Evangelium dicat, Tristes fuisse discipulos in passione Domini, mulieres quoque flevisse, ita ut et de discipulis dicatur, *Erant oculi eorum gravati præ tristitia:* et mulieribus ipse Dominus responderit, *Nolite flere super me:* quomodo quasi e contrario in Psalmo sexagesimo octavo Christus ipse de tempore passionis suæ dicit, *Sustinui qui simul mecum contristaretur, et non fuit: et consolantes, et non inveni?*

Matth. 26. 43.

Luc. 23. 28.

Psalm. 68. 21.

RESPONSIO.

Discipuli enim vel mulieres de passione corporea Domini vel morte tristabantur; Dominus tamen aliâ tristitiâ urgebatur, qua dicit: *Sustinui, qui simul mecum contristaretur, et non inveni.* Quia ipse Dominus volebat salvare, et persecutores cupiebant sævire. Ille ut eis parceretur, orabat; illi, ut phrenetici medico bono iniuriam faciebant: et ideo alia tristitia erat discipulorum et mulierum, quæ morituram carnem Domini, vel mortuam lugebant. Ideo qui simul cum eo contristaretur, non fuit, quia comitem huius tristitiæ non invenit: cum neque discipuli, neque mulieres ea tristitia, qua Dominus doluit, contristarentur, sed prorsus carnaliter de vita Christi mortali, quæ mutanda fuerat morte, et reparanda resurrectione. Non enim ait, *Sustinui, qui contristaretur, et non fuit;* sed, *qui simul contristaretur;* id est, ex ea re, qua ego contristatus sum, non inveni qui contristaretur. In qua tamen tristitia, quia persequentium se Christus cæcitatem dolebat, consolantes non invenit, quia proficientes non habuit. Ipsi enim nos consolantur, qui proficiunt, et ipsi sunt solatio omnibus prædicatoribus veritatis.

Ex Aug. serm. 2. in hunc Psalm. n. 5.

INTERROGATIO XIII.

Cum Domino in passione secundùm quod loquitur Evangelium, acetum cum felle mixtum oblatum fuisset ad bibendum, non esca ad manducandum: quomodo in Psalmo sexagesimo octavo

Matth. 27. 34. 48.

vo ex persona Christi commemoratur, quòd et utique in passione Domini testimonium ipsum assumitur, ubi dicit: *Dederunt in escam meam fel: et in siti mea potaverunt me aceto?* *Psalm.68. 22.*

RESPONSIO.

Si escam Domini unitatem corporis sui accipiamus, quam tunc significare voluit, quando pascha illud cum discipulis suis comedit, ubi aptissimè Sacramentum sui corporis demonstravit: et in hanc escam, id est, in unitatem corporis Christi iniectum fel accessisse, non aliud quàm contradictores Evangelii tamquam persecutores Christi sub fellis nomine accipiamus; contraria sibi non erunt, quæ superiùs lecta sunt. Non ipsum namque quod dederunt, esca erat: potus enim erat; sed in escam dederunt, quia Dominus iam escam acceperat, et in ipsam iniectum est fel. Acceperat autem ipse escam suavem, quando pascha manducavit cum discipulis (1) suis, ubi Sacramentum corporis sui demonstravit. In hanc escam tam suavem, tam dulcem unitatis Christi, quam commendat Apostolus, dicens, (2) *Quomodo unus panis, unum corpus multi sumus*, in hanc escam tam suavem, quis est qui det fel, nisi contradictores Evangelii, tamquam illi persecutores Christi? Minus enim peccaverunt Iudæi crucifigentes in terra ambulantem, quàm qui contemnunt in cælo sedentem. Quod ergo fecerunt Iudæi, in escam, quam iam acceperat, (3) dantes bibendum amarum illum potum, hoc faciunt, qui malè vivendo scandalum inferunt Ecclesiæ: hoc faciunt hæretici amaricantes: sed non exaltentur in seipsis. Dant fel super tam iucundum cibum: sed quid facit Dominus? Non admittit ad corpus suum. Hoc Sacramento ipse Dominus, quando illi obtulerunt fel, gustavit, et noluit bibere.

Luc. 22. 15. &c.

Ex cod. serm. D. August. n. 6.

1. Cor. 10. 17.

Psalm. 65. 7.

Matth. 27. 34.

INTERROGATIO XIV.

Quomodo Christus in Evangelio dicit, *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi:* cum alibi idem dicat, *Pauperes vobiscum habetis, me autem non semper habebitis.*

Matth. 28. 20.

et 26. 11.

RESPONSIO.

Quod dicit, *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi*, de maiestatis suæ præsentia dicit, qua Ecclesiam suam usque in finem nullo modo se relicturum promisit. Quod vero ait, *Me autem non semper habebitis*, de præsentia corporis sui dixit. Rectè ergo accipitur dictum esse unum propter præsentiam carnis, aliud propter præsentiam maiestatis.

INTERROGATIO XV.

Cum Christus in Evangelio discipulos præmonens doceat: *Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris, et Filii, et Spiri-*

Matth. 28. 19.

(1) Edit. *suis: ibi sacramentum, &c.*

(2) Edit. *Quia.*

(3) Edit. *darent.*

ritus Sancti : quomodo in Actibus Apostolorum Petrus Iudæos alloquens, dicit : *Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrûm in nomine Iesu Christi ?* Nam et hi qui a Philippo et Paulo baptizati inibi leguntur, non dicitur quia in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, sed in nomine Iesu tantùm baptizati sunt.

Act. 2. 38.

et 8. 31.

et 19. 5.

RESPONSIO.

Numquid prævaricatores mandati Salvatoris Apostoli effecti sunt, et contradictione Salvatoris baptizaverunt tantam multitudinem ? Non enim scriptum est, quia baptizaverunt in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, sed tantùm in nomine Domini Iesu. Sed non sunt prævaricatores. Absit. Nam licèt Filii nomen tantummodo dicatur, habet tamen Patrem et Spiritum sanctum secum pronuntiatum, sicut in Scripturis sanctis satis probatum est.

Ex Vigil. Tapsensi l. 12. de Trinit. in tom. 8. Biblioth. PP. edit. Lugdun. 1677. pag. 803.

INTERROGATIO XVI.

Cum Dominus dixerit discipulis, *Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti :* cur Paulus solius Christi in baptismo nomen adsumpserit, dicens, *Quicumque baptizati sumus in Christo:* cum utique non habeatur legitimum baptismum nisi sub nomine Trinitatis ?

Matth. ubi sup.

Rom. 6. 3.

RESPONSIO.

Intuere prudentiam Pauli, quomodo quidem in præsenti loco non tam baptismatis rationem, quàm mortis Christi discutere cupiebat : ad cuius similitudinem etiam nos suaderet, mori debere peccato, consepeliri Christo. Et non erat utique conveniens, ut ubi de morte dicebat, vel Patrem nominaret, vel Spiritum sanctum. *Verbum* enim *caro factum est:* et meritò ubi caro est, ibi de morte tractatur : nec conveniebat ut diceret, Quicumque baptizati sumus in nomine Patris, et Spiritus sancti, in morte ipsius baptizati sumus.

Ioan. 1. 14.

EX EVANGELIO SECUNDUM MARCUM.

INTERROGATIO XVII.

Cum iuxta Evangelium Matthæi dicatur, *Venit Ioannes non manducans, neque bibens, et dicunt : Dæmonium habet. Venit Filius hominis manducans, et bibens, et dicunt : Ecce homo vorax, et vinarius, amicus publicanorum et peccatorum:* quomodo e contra de Ioanne dicitur : *Esca autem eius erat locusta et mel silvestre?*

Matth. 11. 18. 19.

Marc. 1. 6.

RESPONSIO.

Ioannis quidem escam et potum novimus. Non enim dictum est, quòd omninò non biberet, sed quòd vinum et siceram non biberet. Bibebat ergo aquam, cibus autem eius non omnis, non nullus erat, sed locusta et mel silvestre. Unde ergo dictum est, *non manducans, neque bibens*, nisi quia illo victu, quo Iudæi utebantur, non utebatur?

Luc. 1. 15.

Hoc ergo Dominus nisi uteretur, non in eius comparatione manducans bibensque diceretur. Non ergo Dominus Evangelistæ dicenti, quòd locustas et mel silvestre comedisset, contraria dixit : cum non de his, sed de victu, quo Iudæi utebantur, nec comedisse, nec bibisse illum narravit.

INTERROGATIO XVIII.

Cum Marcus in Evangelio suo de Christo dicat : *Sedet a dextris Dei :* quomodo e contrario Stephanus in Actibus Apostolorum dicit : *Video cælos apertos, et filium hominis stantem a dextris Dei.*

Marc. 16. 19.

Act. 7. 55.

RESPONSIO.

Quid est, quòd Marcus hunc sedentem, Stephanus verò stantem se [1] vidisse testatur ? Sed scimus quia sedere iudicantis est, stare verò pugnantis est vel iuvantis. Quia igitur Redemptor noster assumptus in cælum, et nunc omnia iudicat, et ad extremum iudex omnium venit, hunc post assumptionem Marcus sedere describit, quia post Ascensionis suæ gloriam iudex in fine videbitur. Stephanus verò [2] in laboris certamine positus, stantem vidit quem adiutorem habuit. Quia ut iste in terra persecutorum infidelitatem vinceret, pro illo de cælo illius gratia pugnavit.

Ex Gregor. Magn. *hom.* 29. *in Evang. num.* 7.

EX EVANGELIO SECUNDUM LUCAM.

INTERROGATIO XIX.

Cum Angelus in Evangelio de Christo exponat, *Dabit illi Deus sedem David patris sui,* et Christus ipse in multis Scripturarum locis filius esse dicatur David : quomodo quasi e contrario Christus ipse quærit a Iudæis in Evangelio, dicens : *Si filius David Christus est, quomodo in spiritu vocat eum Dominum ?*

Luc. 1. 32.

Matth. 21. 43.

RESPONSIO.

Dictum est hoc imperitis : quia quamvis venturum Christum sperarent, secundùm hominem tamen eum spectarent, non secundùm quod virtus et Dei sapientia est. Docet ergo ibi fidem verissimam et sincerissimam, ut et Dominus sit regis David secundum quod est Verbum in principio, Deus apud Deum, per quod facta sunt omnia : et filius secundùm quod factus est ei ex semine David secundùm carnem. Non enim dicit, Non est filius David Christus ; sed si iam tenetis quòd filius eius sit, discite quomodo Dominus eius sit, ne teneatis in Christo, quòd filius hominis est, ita enim filius David est ; et relinquatis, quòd filius Dei est, ita enim Dominus eius est.

1. Cor. 1. 24.

Ioan. 1. 1. *&c.*

Rom. 1. 3.

INTERROGATIO XX.

Cum Dominus inter cetera dicat, *Si quis non odit uxorem suam, non potest meus esse discipulus :* quomodo Paulus e contra

Luc. 14. 26.

(1) Edit. *videre.*

(2) Edit. *in labore certaminis.*

Ephes. 5. 25. tra videtur dicere, *Viri, diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam?* Numquid aliud iudex nuntiat, aliud præco clamat? An simul et odisse possumus, et diligere?

RESPONSIO.

Ex Gregor. Magn. hom. 37. in Evang. num. 2. Si vim præcepti perpendimus, utrumque agere per discretionem [1] possumus: ut eos qui nobis carnis cognatione coniuncti sunt, et quos proximos novimus, diligamus; et quos adversarios in via Dei patimur, odiendo et fugiendo nesciamus. Quasi enim per odium diligitur, qui carnaliter sapiens, dum prava nobis ingerit, non auditur. Ut autem Dominus demonstraret hoc erga proximos odium non de [2] inaffectione procedere, sed de caritate, addidit protinus, dicens: *Adhuc autem et animam suam.* Odisse itaque præcipimur proximos, odisse et animam nostram. Constat ergo, quia amando debet odisse proximum, qui sic eum odit, sicut semetipsum. Etenim benè nostram animam odimus, cum eius carnalibus desideriis non acquiescimus, cum eius appetitum frangimus, eius voluptatibus reluctamur. Quæ ergo contempta ad melius ducitur, quasi per odium amatur. Sic nimirum exhibere proximis nostris odii discretionem debemus, ut in his et diligamus quod sunt, et habeamus odio quod in Dei nobis itinere obsistunt.

EX EVANGELIO SECUNDUM IOANNEM.

INTERROGATIO XXI.

Quomodo in Evangelio interrogantibus se Ioannes dixerit, *Ioan.* 1. 21. *Non sum Helias:* cum Domi- *Matth.* 11. 14. nus dicat, *Ipse est Helias?*

RESPONSIO.

Ioannes propriè respondit, Dominus figuratè dixit. Ioannes enim secundùm proprietatem personæ non se esse Heliam respondit; Dominus autem secundùm præfigurationem ipsum Heliam prædixit, id est, quia in eodem spiritu et virtute Heliæ Ioannes Christi adventum venerat nuntiare, quo Helias secundum Christi adventum nuntiaturus adveniet.

INTERROGATIO XXII.

Cum Ioannes Baptista venientem ad baptisma Dominum ostenderet, dicens, *Ecce agnus Dei,* *Ioan.* 1. 29. *&c.* qui et humilitatem suam, et divinitatis eius potentiam considerans, dicit: *Qui est de ter-* *Ibid.* 3. 31. *ra, de terra loquitur: qui autem de cælo venit, super omnes est;* cur in carcere positus, mittens discipulos, requirit dicens, *Tu es qui venturus es, an alium* *Matth.* 11. 3. *expectamus?* Tamquam si ignoraret quem ostenderat, et an ipse sit nesciat, quem ipsum esse prophetando, baptizando, ostendendo, clamaverat.

(1) Edit. *valemus.*

(2) Sic legitur in pluribus CC. quos citant hìc Benedictini, cum antea in edit. RE- legeretur, *affectione*, ut habet noster Iulianus, qui ut semper, adhæret melioribus codicibus.

RESPONSIO.

Ex Gregor. Magn. *Hom. 6. in Evang. num. 1.*

Hæc citiùs quæstio solvitur, si gestæ rei tempus et ordo pensatur. Ad Iordanis enim fluenta positus, quia ipse Redemptor mundi esset, asseruit. Missus verò in carcerem, (1) utrum alium expectent, an ipse veniat, requirit: non quia ipsum mundi Redemptorem dubitat, sed (2) requirit, ut sciat si is, qui per se in mundum venerat, per se etiam ad (3) inferna claustra descendat. Quem enim præcurrens (4) nascendo, mundo nuntiaverat, hunc moriendo ad inferos præcurrebat. Ait ergo: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Acsi apertè dicat: Sicut pro hominibus nasci dignatus es, an etiam pro hominibus mori digneris, insinua: ut qui nativitatis tuæ præcursor extiti, mortis etiam præcursor fiam: et (5) venturum in inferno nuntiem, quem iam venisse mundo enuntiavi.

INTERROGATIO XXIII.

Cum Veritas in Evangelio di-
Ioan. 3. 13. cat, *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, Filius hominis, qui est in cælo:* quomodo hæc eadem Veritas e contra videtur dicere, cum ait:
et 17. 24. *Pater, volo ut ubi ego sum, et ipsi sint mecum?*

RESPONSIO.

Ex eod. Greg. *lib. 27. Mor. n. 30.*

Hæc sibi in verbis suis non discrepant, sed ad requirenda hæc quasi discordantia studium nostræ mentis inflammatur. Omnes enim qui (6) ad eius fidem nati sumus, eius proculdubio corpus existimus. Quia igitur mira dispensatione pietatis membrorum suorum caput Dominus factus est, repulsa reproborum multitudine, solus est etiam nobiscum. *Nemo* (7) ergo *ascendit in cælum, nisi qui de cælo descendit, Filius hominis, qui est in cælo:* quia dum nos unum cum illo iam facti sumus, unde solus venit in se, illuc solus redit, etiam in nobis: et is qui in cælo semper est, ad cælum quotidie ascendit: quia qui divinitate super omnia permanet, humanitatis suæ compage (8) quotidie ad cælos trahit.

INTERROGATIO XXIV.

Quomodo Christus dicat, *Ca-* *Ioan. 6. 64.*
ro non prodest quicquam: cum
e contrario dicat, *Nisi quis man-* *v. 54.*
ducaverit carnem meam, et biberit sanguinem meum, non habebit in se vitam?

RESPONSIO.

Caro quippe sine vivificante spiritu ita non prodest quicquam, sicut scientia sine caritate inflat potiùs quàm ædificat. De hac fortasse Apostolus loquitur: *Caro* *1. Cor. 8. 1.*
et sanguis regnum Dei non pos- *et 15. 50.*
sidebunt. Iam verò quod ait: *Nisi quis manducaverit carnem meam, et biberit sanguinem meum, non habebit in se vitam;* Sacramentum manducationis carnis suæ, et potationis sanguinis sui

(1) *Utrum alium expectent.* Quamvis Benedictini hæc verba in textum non admiserint, nihilominus ibi notant reperiri in nonnullis codicibus.
(2) Edit. *quærit.*
(3) Edit. *inferni.*
(4) Deest in edit. *nascendo.*
(5) Edit. *venturum inferno te nuntiem.*
(6) Edit. *in eius fide.*
(7) Edit. *igitur.*
(8) In edit. post *compage* addit *sese.*

sui mavult intelligi, per quod et nos in illo maneamus, et ipse in nobis.

INTERROGATIO XXV.

Quomodo Christus in Evangelio dicat pro Patre, *Ego non quæro gloriam meam: est qui* Ioan. 8. 50. *quærat et iudicet:* et contra, *Pater* et 5. 22. *non iudicat quemquam, sed iudicium omne dedit Filio.*

RESPONSIO.

Iudicium in sanctis Scripturis duobus modis accipi solet. Uno pro damnatione, alio pro discretione. Pro damnatione iudicium ponitur, sicut in Evangelio dicitur: et v. 29. *Procedent, qui malè fecerunt, in resurrectionem iudicii.* Item iudicium pro discretione in Psalmis Psalm. 42. 1. ponitur, ubi dicit: *Iudica me Deus, et discerne causam meam de gente non sancta.* Unde hìc quod Salvator dicit, *Ego non quæro gloriam meam: est qui quærat et iudicet;* iudicium in hoc loco pro discretione posuit: quia discretione iudicii Pater gloriam filii sui ab humana inflatione discrevit, et secundùm hoc iudicium dictum est quod iudicet Pater. Nam illud quod dicit, *Iudicium omne datum est filio,* de futuro examinationis iudicio debet intelligi. Ac per hoc cum et hìc Pater per iudicium discretionis gloriam Filii sui a gloria hominum secernat, et post Filius iudicium vivorum et mortuorum potentialiter exerat, in nullo hæc quæ dicta sunt, videntur sibi esse contraria.

INTERROGATIO XXVI.

Cum Christus in Evangelio secundùm Ioannem dicat Iudæis, *Scio quia filii Abrahæ estis:* Ioan. 8. 37. 44. quomodo quasi e contrario videtur eisdem Iudæis in eodem Evangelio statim subiicere dicens, *Vos ex patre diabolo estis?*

RESPONSIO.

Quòd enim Iudæos filios Abrahæ dicit, de generatione carnali testatur, de qua illi utique descendebant. Quòd autem patrem eorum diabolum esse asserit, de opere quod illi imitabantur, innotuit.

INTERROGATIO XXVII.

Quomodo in Evangelio Christus pro se dixit, *Ego in iudi-* Ioan. 9. 39. *cium in hunc mundum veni:* et e contra, *Non veni ut iudicem* et 12. 47. *mundum?*

RESPONSIO.

Hoc est quod dicit, *Ego veni, ut qui non vident videant, et videntes cæci fiant:* discretionem scilicet istam, per quam hoc fit, vocavit iudicium, quo discernit causam humilium credentium et confitentium a superbis se videre putantibus, et ideo graviùs excæcatis. Qui enim videre se putabant, de iustitia sua confidentes, et superbi et cæci erant, quia medicum non credebant. Humiles verò credentes, quia se non videre confessi sunt, medicum quæsierunt, ut videre mereantur. Iam verò illud quod ait, *Non veni ut iudicem mundum,* pro futuro iudicio posuit. Acsi diceret: Misericordiam impartire veni, non iudicio mundum discutere, sicut in futuro agendum est.

IN-

INTERROGATIO XXVIII.

Cum Dominus in passione sua pro persequentibus se, id est, pro peccatoribus oraverit, et ante passionem Iudæis ipsis dixerit, *Nunc verò peccatum vestrum manet*: quomodo Paulus Apostolus, qui tanto post tempore ad fidem Christi accessit, dicere videtur: *Christus Iesus venit in hunc mundum, ut peccatores salvos faceret, quorum primus ego sum?* Si peccatores alii eum præcesserunt, quomodo iste primum se fuisse peccatorem eloquitur? Numquid ante illum non erant peccatores?

Ioan. 9. 41.

1. *Tim.* 1. 15.

RESPONSIO.

Quid est ergo, *Quorum primus ego sum*, nisi antecedens omnes, non tempore, sed malignitate?

INTERROGATIO XXIX.

Quomodo Dominus dicit, *Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili:* cum dicat, *Non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt domus Israël?*

Ioan. 10. 16.

Matth. 15. 24.

RESPONSIO.

Quid est, *Non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt domus Israël*, nisi quia præsentiam suam corporalem non exhibuit, nisi populo Israël? Illud tamen quod dicit, *et alias oves habeo*, pro gentibus hoc intelligi voluit, ad quas gentes non perrexit ipse, sed misit. Ad populum verò Israël et misit, et per se venit.

INTERROGATIO XXX.

Quomodo utrumque Christus dicat, *Ego, et Pater unum sumus;* et quasi e contra, *Pater maior me est?*

Ioan. 10. 30. *et* 14. 28.

RESPONSIO.

Cum unum ex his secundùm divinitatis naturam, aliud secundùm humanitatis substantiam dixit, nequaquam contrarium prædicavit. Quod enim dicit, *Ego, et Pater unum sumus*, de substantia divinitatis egit, qua Deus de Deo, filius de patre, perfectus de perfecto, sine initio vel fine natus est. Quod verò dixit, *Pater maior me est;* de natura humanitatis egit, per quam Filius minor a Patre accipitur.

INTERROGATIO XXXI.

Cum Ioannes Evangelista verba illa, quibus Isaias scribit, *Vade, dic: Aure audietis, et non intelligetis*, hunc ipsum qui ad Isaiam loquebatur, in persona Filii Dei ponat: quomodo Paulus quasi e contrario Spiritum sanctum, eum qui ad Isaiam loquitur, esse testatus est? Nam ubi Ioannes Filium Dei vult intelligi, quem Isaiæ ita dixisse scribit: *Propterea non poterant credere, quia dixit Isaias: Excæcavit oculos eorum, et induravit eorum cor; ut non videant oculis, et intelligant corde, et convertantur, et sanem eos.* Ubi etiam ipsam personam Filii demonstrans, subiunxit, dicens: *Hæc dixit Esaias, quando vidit gloriam eius, et locutus est de eo.* Paulus autem in Actibus Apostolorum hoc testimonium lo-

Isai. 6. 9.

Ioan. 12. 39. 40.

Act. 28. 25. 26.

Ioan. ubi supr.

v. 41.

locutum fuisse Spiritum sanctum commemorat, ubi ait: *Bene Spiritus sanctus locutus est per Esaiam Prophetam ad patres vestros, dicens: Vade ad populum istum, et dic: Aure audietis, et non intelligetis, &c.*

Act. ubi sup.

RESPONSIO.

Ex Vigil. Tapsensi lib. 2. de Trinit. in tom. 8. Bibliothec. PP. edit. Lugdun. 1677. pag. 803. col. 1.

Hanc quæstionem ita sanctus (1) Augustinus solvit. Dicit enim contra hæreticos: " Quem igi-
„ tur hunc esse volunt, asserant.
„ Dicent enim fortè Filium. In
„ Evangelio enim (2) κατὰ Ioan-
Ioan. ubi sup. „ nem scriptum est: *Et propter-*
„ *ea non poterant credere in Je-*
„ *sum, quia dixit Isaias Pro-*
„ *pheta: Excæcavit eorum ocu-*
„ *los, et obduravit eorum cor,*
„ *ne fortè videant oculis, et in-*
„ *telligant corde, et convertan-*
„ *tur, et sanem eos. Hæc dixit*
„ *Isaias, cum vidisset gloriam*
„ *eius, et locutus est de eo.* Et
„ quid faciunt de Paulo, qui Spi-
„ ritum sanctum dicit in illa glo-
„ ria visum esse Isaiæ, et lo-
„ cutum esse ei, et misisse eum
„ ad populum supradicta dicere?
„ Scriptum est enim in Actibus
Act. ubi supr. „ Apostolorum: *Convenientes*
„ *autem alter ad alterutrum*
„ *Iudæi dimittebantur, dicente*
„ *Paulo verbum unum: Quia*
„ *bene Spiritus sanctus locutus*
„ *est ad patres nostros per Pro-*
„ *phetam Esaiam, dicens: Va-*
„ *de ad populum istum, et dic*
„ *ei: Aure audietis, et non in-*
„ *telligetis, &c.* Ecce Ioannes
„ quidem Filium, Paulus verò
„ Spiritum sanctum dicit esse,
„ qui sit visus Esaiæ, sedens su- *Isai. 6. 1.*
„ per thronum altum et eleva-
„ tum, qui et adoratur, et lau-
„ datur, et glorificatur a Sera-
„ phim. Ecclesiæ autem Christi
„ omnes ab oriente usque ad oc-
„ cidentem convenienter Patrem
„ a Seraphim laudari profitentur
„ in mysteriorum relatione. Di-
„ cant itaque nobis, qui venera-
„ tionem Spiritui sancto abne-
„ gant, quidnam ex his verum di-
„ cit, aut quis fallit? utrum Ioan-
„ nes, an Paulus, an verò omnes
„ Ecclesiæ Christi? Quoniam qui-
„ dem omnes Ecclesiæ Patrem
„ profitentur esse, qui adoratur
„ a Seraphim, Ioannes Filium,
„ Paulus verò Spiritum sanctum.
„ Si verò nemo eorum fallit, sed
„ omnes veritatem dicunt; ma-
„ nifestè probatum est, quòd etsi
„ solius Patris nomen dicatur, ha-
„ bent tamen Filium et Spiritum
„ sanctum secum pronuntiatum.
„ Patrem et Filium sic venieren-
„ tur, qui sic adorant, venera-
„ tionem cælestium animantium
„ imitati, et non suas cogitatio-
„ nes sequantur."

INTERROGATIO XXXII.

Quomodo Christus in Evangelio utraque dicit, quæ sibi videntur

(1) Quare hìc Iulianus Augustinum alleget, non facilè dixerim, cum hæc omnia verba sint Vigilii Tapsensis loco ad oram citato. Nihilominus quoniam apud eruditos non constat, quidquid dicat Chifletius Vigilii Operum editor, an liber duodecimus de Trinitate fœtus sit Episcopi Tapsensis, dubii hærere cogimur, sapientiorum iudicium spectantes. Si verò codices Augustiniani quos apud se Iulianus habuit, sub Augustini nomine hunc librum continebant, eum forsitan iniuria Augustino abiudicabimus, quamvis hucusque nullibi editus fuerit sub eius nomine.

(2) Κατὰ præpositio græca est, quæ latinè vertitur *secundùm*.

dentur esse contraria? Dicit enim,
Ioan. 14. 27. *Pacem meam do vobis:* et e contra,
Matth. 10. 34. *Non veni pacem mittere in terram, sed gladium.*

RESPONSIO.

Alia est pax Christi, quam discipulis dedit; alia mundi. Istam pacem quam habet mundus, negat se dare Christus. Dicit enim: *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis: non sicut hic mundus dat pacem, et ego do vobis.* Negat ergo se pacem mundi dare discipulis suis, quia et alibi dicit: *Non veni pacem mittere, sed gladium.* Vis ergo videre quam pacem dat
Matth. 13. 8. Deus super terram nostram? Si terra illa bona, quæ adfert fructum centesimum, aut sexagesimum, &c. illam pacem suscipiet a Deo, quam dicit Apostolus:
Philip. 4. 7. *Pax autem Dei, quæ exuperat omnem mentem, custodiat corda vestra, et sensus vestros.* Hæc est ergo pax, quam dat Deus super terram nostram.

INTERROGATIO XXXIII.

Quomodo in Evangelio dicit,
Ioan. 15. 15. *Omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota vobis feci:* cum ipse item ibi post paululum di-
et 16. 12. cat: *Adhuc multa habeo dicere vobis, sed non potestis ea portare modo?*

RESPONSIO.

Quod dicit, *Omnia quæ audivi a Patre meo, nota vobis feci:* non quia ea nota iam fecisset, sed ea quæ ad futurum nota facere debuit, dixit. Ac proinde contrarium non est loco isti, ubi dicit, *Adhuc multa habeo vobis dicere:* quia utique multa nos utiliter nescire in præsenti Dominus voluit, quæ tamen salubriter nobis in futurum scienda servabit.

INTERROGATIO XXXIV.

Cum Dominus in Evangelio dicat, *Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis:* quomodo Paulus ter se rogasse Dominum dicit, ut spiritus Satanæ ab eo deberetur auferri, quod tamen impetrare non potuit?
et 15. 16.
2. *Cor.* 12. 8. 9.

RESPONSIO.

Si omne quod petimus in nomine Filii, dat nobis Pater; quid est quòd Paulus ter Dominum rogavit, et exaudiri non meruit, sed dictum est illi, *Sufficit tibi gratia mea, nam virtus &c?* Numquid ille tam egregius (1) doctor in Filii nomine non petiit? Quare autem non accepit quod petiit? Quomodo ergo verum est, quia quicquid petierimus Patrem in nomine Filii, dat nobis Pater, si auferri a se Angelum satanæ petiit Apostolus Paulus in nomine Filii, et tamen quod petiit non accepit? Sed quia nomen Filii Iesus est, Iesus autem Salvator, vel etiam salutaris dicitur; ille ergo in nomine Salvatoris petit, qui id quod ad salutem pertinet, petit: nam si id quod non expedit petitur, non in nomine Iesu petitur Pater. Unde et eisdem Apostolis adhuc infirmantibus
Ex Gregor. Magn. *hom.* 27. *in Evang num.* 6.

(1) Edit. *prædicator.*

Ioan. 16. 24. bus Dominus dicit: *Usque modo non petistis quicquam in nomine meo.* Acsi aperte diceretur: Non petistis in nomine Salvatoris, quia nescitis (1) petere æternam salutem. Hinc est quòd et Paulus non exauditur, quia si liberaretur a tentatione, ei non proderat ad salutem.

INTERROGATIO XXXV.

Cum in Evangelio Ioannis agnoet 18. 20. scatur, Christum dixisse, *Ego palàm locutus sum mundo:* quomodo quasi e contra in eodem Evangelio videtur promisisse ad et 16. 25. discipulos suos dicens: *Hæc in proverbiis locutus sum vobis. Venit hora cum iam non in proverbiis loquar vobis, sed palàm de Patre meo annuntiabo vobis?* Si ergo ipsis coniunctioEx Aug. tract. 113. in Ioan. Evang. n. 3. ribus discipulis non loquebatur palàm, sed horam promittebat quando palàm fuerat locuturus; quomodo palàm locutus est mundo? Deinde illis ipsis, sicut aliorum quoque Evangelistarum testatur auctoritas, in eorum comparatione, qui discipuli eius non erant, multùm utique manifestiùs loquebatur, quando cum solis erat, remotus a turbis: tunc enim eis et parabolas aperiebat, quas clausas proferebat ad alios. Quid est ergo, *In occulto locutus sum nihil?* Ioan. 18. 20.

RESPONSIO.

Sed intelligendum ita eum dixisse, *Palàm locutus sum mundo;* acsi dixisset, Multi me audierunt. Ipsum autem *palàm,* modo quodam erat palàm, modo autem quodam non erat palàm. Palàm quippe erat, quia multi audiebant; et rursum non erat palàm, quia non intelligebant. Et quod seorsum discipulis loquebatur, non in occulto utique loquebatur. Quis namque in occulto loquitur, qui coram tot hominibus loquitur, cum scriptum sit, *In ore duorum, aut* Deut. 19. 15. *trium testium stabit omne verbum?* præsertim si hoc loquitur paucis, quod per eos velit innotescere multis, sicut ipse Dominus ait illis quos adhuc paucos habebat: *Quod dico vobis in te-* Matth. 10. 27. *nebris, dicite in lumine: et quod in aure auditis, prædicate super tecta.* Ergo et hoc ipsum quod dici ab eo videbatur occultè, quodammodo non dicebatur in occulto; quia non ita dicebatur, ut ab eis, quibus dictum fuerat, taceretur; sed ita potiùs, ut usquequaque prædicaretur.

EX EPISTOLIS B. PAULI APOSTOLI.

EX EPISTOLA AD ROMANOS.

INTERROGATIO XXXVI.

Quomodo Paulus Apostolus utrumque dicit de Christo, quæ sibi videntur esse contraria, id est: *Qui natus est ex semine* Rom. 1. 3. *David secundùm carnem,* vel cetera talia: et e contra: *Etsi* 2. Cor. 5. 16. *noveramus Christum secundùm*

(1) Edit. *quærere.*

carnem, sed iam nunc non novimus.

RESPONSIO.

Ex eod. Aug. *lib.* 11. *contr. Faust. cap.* 7.

Quòd Filius Dei ex semine David homo (1) natus est, nec idem Apostolus uno loco dicit, et sanctæ Scripturæ apertissimè prædicant. Quod verò dicit, *Et si noveramus Christum secundùm carnem, sed iam nunc non novimus*, ea ipsa circumstantia Scripturæ loci eius satis ostendit, quid loquatur Apostolus. Suo quippe more vitam nostram futuram, quæ iam in ipso homine mediatore Christo Iesu capite nostro resurgente completa est, ita spe certa meditatur, tamquam iam adsit, præsensque teneatur: quæ utique vita non erit secundùm carnem, sicut iam Christi vita non est secundùm carnem. Carnem quippe hoc loco appellat, id est, carnalem corruptionis qualitatem, quæ tunc iam non erit, quia mutata caro non corrumpetur. Noveramus ergo Christum secundùm carnem, id est, secundùm carnis mortalitatem, antequam resurgeret: sed nunc iam non novimus, quia sicut dicit idem Apostolus, *Christus resurgens a mortuis, iam non moritur, &c.* Ergo utrumque in nullo sibi repugnare videtur, quod Apostolus dixit: quia et antequam resurgeret Christus, carnem eum noverat habuisse mortalem; et postquam resurrexit, nulla eum attingi credidit mortis corruptione.

Rom. 6. 9.

INTERROGATIO XXXVII.

Cum Paulus Romanis scribat, *Iudæos et Græcos omnes sub peccato esse* definiens, atque sub hac occasione omne genus hominum sub peccato esse designet: quomodo ipse quasi e contrario loquitur, dicens: *Ubi non est lex, nec prævaricatio?* Aut quomodo de se dicit, *Vivebam aliquando sine lege:* qui rursum de semetipso dicit, quod circumcisionem octava die secundùm legem susceperit?

Rom. 3. 9. *et* 4. 15. *et* 7. 9. *Philip.* 3. 5.

RESPONSIO.

Ex Origen. *in cap.* 3. *Epist. ad Rom.*

Apud Iudæos quidem legem Moysi esse manifestum est. Apud Gentiles verò legem naturæ, non dubium est, quæ testimonio conscientiæ arguat delinquentem. Ubi ergo quæremus hominem, in quo non sit lex, et qui per hoc non videatur in prævaricatione peccati? Quia et ipse Paulus de semetipso dicit, *Ego autem vivebam sine lege aliquando.* Et quando Paulus sine lege vixit, qui rursum de semetipso dicit, circumcisionem octavo die se habere, *Hebræum ex Hebræis;* quomodo ergo verum erit, eum aliquando sine lege vixisse, qui octava die nativitatis suæ signum circumcisionis ex lege suscepit? Unde constat tunc fieri hominem sub lege, quando ad id ætatis venerit, ut eligere possit et discernere quid sit lex: nec priùs legis ullius extrinsecùs iugum suscipere, quàm internæ et naturalis legis habere incipiat firmitatem. Denique in eo ubi dixit, *Ego autem vivebam sine lege aliquando*, addidit: *Sed ubi venit mandatum, peccatum revi-*

Philipp. ibid.

Rom. 7. 9.

(1) Edit. *factus.*

vixit. In quo hoc est quod ostendit, quia in pueritia priusquam discretionem quis habeat boni vel mali, sine lege esse dicitur : cum etiamsi peccat, quia lex in eo non est, peccatum ei non imputatur. Cum verò discretionem boni malique acceperit, venisse ei dicitur lex, et venisse mandata. Ubi autem est vis mandati, hoc est, conscientia redarguens, peccatum, quod priùs in eo mortuum erat, dicitur revixisse.

INTERROGATIO XXXVIII.

Cum Paulus Apostolus ad Romanos scribat, *Iudæos et Græcos omnes sub peccato esse:* quomodo idem in subsequentibus non omnes, sed multos per inobedientiam unius hominis peccatores constitui definit, dicens : *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi : ita et per unius obedientiam iusti constituentur multi?*

Rom. 3. 9.

et 5. 19.

RESPONSIO.

Ex eod. Origen. *ad cap.* 5. *v.* 19. *Epist. ad Rom.*

Peccatores quomodo multi, et non omnes videantur, cum idem Apostolus dicit, quia *omnes peccaverunt*, debemus ostendere. Aliud est peccasse, aliud peccatorem esse. Peccator dicitur is, qui multa delinquendo, in consuetudinem et (ut ita dicam) studium peccandi iam venit. Sicut e contrario iustus non dicitur is, qui semel aut bis aliquid iustitiæ fecerit ; sed ille qui semper iustè agendo, usu et consuetudine iustitiam habet. Nam si quis in ceteris ferè omnibus iniustus sit, semel autem vel bis aliquid iusti operis egerit ; iste in eo quidem opere in quo iustitiam tenuit, iustè egisse diceretur, non tamen ex hoc iustus appellabitur. Ita et iustus peccasse quidem dicitur, si aliquid commiserit aliquando quod non licet. Non tamen ex hoc peccator appellabitur, qui peccandi usum et consuetudinem non tenet. Sicut et medicus non ille dicitur, qui et leviter ruptæ capitis cuti scit imponere araneam, aut qui tumorem vulneris aqua calida fovere, quamvis etiam hoc medicinæ esse videatur ; sed ille dicitur medicus, qui usum et studium et disciplinam habet medendi. Ex quibus omnibus puto sufficienter ostendi, quòd aliud sit peccare, aliud peccatorem esse. Omnes enim potest fieri ut peccaverint, etiamsi sancti fuerint ; quia *nemo mundus a sorde, nec si unius diei fuerit vita eius*. Quis enim est, qui non aut in facto, aut in verbo (aut qui cautissimus certè est), vel in cogitatione peccaverit? Et ideo dixi, peccasse quidem meritò omnes dicentur, peccatores verò facti, non omnes, sed multi.

Rom. 3. 23.

Iob 14. 4. *secc.* LXX.

INTERROGATIO XXXIX.

Quomodo Paulus ad Romanos scribens, legem se non destruere, sed confirmare testetur, dicens : *Legem destruimus per fidem? Absit : sed legem statuimus :* cum e contrario in secunda ad Corinthios Epistola destructionem eiusdem legis prædicet, dicens : *Si ministerium mortis litteris formatum in lapidibus, factum est in gloria, ita ut non possent intendere filii Israël in faciem Moysi propter glo-*

Rom. 3. 31.

2. *Cor.* 3. 7. 8.

gloriam vultus eius, qui destruitur: quomodo non magis ministerium spiritus erit in gloria? Et paulò post: *Si enim quod destruitur, per gloriam est, multò magis quod manet, in gloria est:* quomodo ergo Paulus Apostolus testatur se legem non destruere, sed confirmare, cum gloriam vultus Moysi, quam legem esse demonstrat, destrui prædicet?

v. 11.

RESPONSIO.

Non est idem quod dixit, *Legem destruimus*, et lex destruitur. Paulus ergo in præsenti loco hoc pronuntiat, quòd legem ipse non destruat. Nam etsi destruitur lex, per eam quæ supereminet gloriam, et non per Paulum, neque per alium aliquem sanctorum, destruitur. Unde et ipse Dominus dicebat, *Non veni solvere legem, sed adimplere.* Nullus ergo sanctorum, nec ipse Dominus destruet legem. Sed gloria eius temporalis et pertransiens a gloria æterna permanente destruitur et superatur.

Ex eod. Orig. in cap. 3. v. 31. Epist. ad Rom.

Matth. 5. 17.

INTERROGATIO XL.

Cum lex, quæ a Deo data est, non omnibus tunc gentibus tradita fuisset, quando et Iudæis, et ex hoc dicere videatur Apostolus, *Ubi non est lex, nec prævaricatio:* quo pacto, quod in Psalmo legitur, verum sit: *Prævaricatores existimavi omnes peccatores terræ?*

Rom. 4. 15.

Psalm. 118. 119.

RESPONSIO.

Si non est prævaricatio, ubi lex non est; cur prævaricatores a Propheta dicuntur, qui legem non acceperunt? Sed si consideremus, omne genus hominum de primo parente trahere originale peccatum, ipsum solum et primum testamentum est sub quo omnes homines, etiam sine lege, prævaricatores esse dicuntur. Sed cum lex evidenter postea data sit, et dicat Apostolus, *Ubi non est lex, nec prævaricatio:* quo pacto in Psalmo quod legitur verum est, *Prævaricatores existimavi, &c.* nisi quia omnes legis eius prævaricatæ sunt rei, qui aliquo peccato tenentur obstricti? Quamobrem si etiam parvuli, quod vera fides habet, nascuntur non propriè sed originaliter peccatores, unde illis gratiam remissionis peccatorum necessariam confitemur; profectò eo modo quo sunt peccatores, etiam prævaricatores legis illius, quæ in paradiso data est, agnoscuntur: ut verum sit utrumque quod scriptum est, et *prævaricatores existimavi omnes peccatores terræ;* et *ubi lex non est, nec prævaricatio.*

Ex Aug. lib. 16. de Civ. Dei, cap. 27.

INTERROGATIO XLI.

Utrum sine lege Moysi credatur Paulus aliquando vixisse, per hoc quod dicit, *Ego autem vivebam sine lege aliquando:* cum specialiter se fateatur Hebræum ex Hebræis, et octava die circumcisum secundùm legis præceptum?

Rom. 7. 9.

Philip. 3. 5.

RESPONSIO.

Si lex naturalis a lege, quæ Hebræo populo data est, discreta agnoscitur, quid de qua lege dixerit Paulus, faciliùs reperitur. Ori-

In cap. 5. v. 13. Epist. ad Rom. et in cap. 7. v. 9.

Origenes sine lege peccatum mortuum esse in nobis ostendit, hoc est, antequam per ætatem rationabilis intra nos sensus vigeret, exemplum quoque pueruli percutientis patrem aut matrem, vel maledicentis adducens: "in quo, ut asserit, „ secundùm legem quidem pro„ hibentem percuti vel maledici „ patrem aut matrem, peccatum „ fieri videtur; sed istud pecca„ tum mortuum esse dicit, quia „ lex nondum adest in puero, „ quæ eum doceat hoc quod fa„ cit, fieri non licere. Sine hac „ autem lege naturali vel ratio„ nabili et Paulum et omnes ho„ mines certum est aliquando vi„ xisse, hoc est, in ætate pueri„ li. Omnes enim similiter per „ illud tempus nondum capaces „ huius naturalis legis existunt." Nam aliter utique non videretur de hoc Pauli esse vera professio, qua dicit, *Ego autem vivebam sine lege aliquando.*

lib. 16. de cap. 27.

INTERROGATIO XLII.

Rom. 7. 12. Quomodo dicit Apostolus, *Lex quidem sancta, et iusta, et bona:* cum e contra videatur dicere, 1. Cor. 15. 56. *Virtus peccati lex?* Quomodo bonam eam legem dicit, quam virtutem peccati esse narravit?

RESPONSIO.

A Deo bona lex data, semper est bona: lex tamen ideo virtus peccati est dicta, cum auget ipsius peccati noxiam delectationem per severam exhibitionem: nec tamen etiam sic mala est.

INTERROGATIO XLIII.

Cum Paulus dicat, *Peccatum non imputatur, cum lex non est:* Rom. 5. 13. necnon et illud quod dicit, quia *per legem fit agnitio peccati:* et 3. 20. quomodo Cain cum peccasset, ait, *Maius est peccatum meum, quàm ut remittatur?* Gen. 4. 13. Sed et Patriarchæ cum ad Ioseph descendissent in Ægyptum, et simulata ab eo confutatione arguerentur, ita ad alterutrum dicunt: *In peccatis sumus pro fratre nostro, quia despeximus tribulationem animæ eius, cum rogaret nos, et non exaudivimus: en propter hoc venit super nos tribulatio hæc.* et 42. 21. Sed et Iob ante legem fuisse constat, cum ita dicit: *Quòd et si peccavi invitus, si occultavi peccatum meum, aut confusus sum multitudine populi, quominus annuntiarem delictum meum.* Iob 31. 33. 34. Qui omnes evidenter docentur agnovisse peccatum suum.

RESPONSIO.

Ex his colligitur, Paulum Apostolum non de lege Moysi dixisse, sed de naturali lege, quæ scripta est in cordibus hominum. Secundùm ergo hanc legem naturalem consequenter Apostolus dixisse videbitur, omne os ob- Rom. 3. 19. struendum, et omnem mundum obnoxium Deo: iudicio enim legis, quæ naturaliter hominibus inest, nullus est expers, neque Iudæorum neque Gentilium.

INTERROGATIO XLIV.

Quomodo Paulus Apostolus duo hæc contraria sibi dixisse videatur, ut illic ubi de corpore mortis

tis huius loquebatur, diceret, Rom. 7. 15. *Quod enim operor, non intelligo:* et e contrario, v. 7. *Peccatum non cognovi nisi per legem:* et, et 3. 20. *per legem cognitio peccati?* quomodo enim peccatum ignorabat, quod per legem sciebat?

RESPONSIO.

Illud ubi ait Apostolus, *Quod enim operor, ignoro*, quid est aliud, quàm, Nolo, non approbo, non consentio, non facio: alioquin contrarium est his quæ suprà dixit: *Per legem cognitio peccati*, et, *Peccatum non co-* Rom. 7. 13. *gnovi nisi per legem, &c. Peccatum, ut appareat peccatum, per bonum mihi operatum est mortem.* Quomodo enim peccatum per legem cognovit, quod ignorat? quomodo apparet peccatum, quod ignoratur? Sic ergo dictum est, ignoro, non facio (quia nulla consensione id ego ipse committo), quomodo dictu- Matth. 7. 23. tus est Deus impiis, *Non novi vos*, quem proculdubio latere nemo potest. Et sicut dictum 2. Cor. 5. 21. est, *Eum qui non noverat peccatum*, quod est, non fecerat. Neque enim noverat quod arguebat.

INTERROGATIO XLV.

Cùm Paulus Apostolus dicat in Rom. 8. 15. Spiritu sancto nos clamare Abba (Pater): quomodo rursum alio Gal. 4. 6 loco dicit: *Dedit Deus spiritum Filii sui in corda nostra clamantem: Abba, Pater?* quomodo nos clamamus, si ipse clamat in nobis?

RESPONSIO.

Nisi quia clamare nos facit, dum habitare cœperit in nobis? Hoc itaque agit acceptus, ut largiùs accipiendus, petendo, quærendo, pulsando poscatur. Sive enim vita bona petatur, sive ut bene vivatur, quotquot spiritu Dei aguntur, hi filii Dei sunt. Rom. 8. 14. Sive ergo cum dicitur, nos clamare per Spiritum sanctum, sive ipsum in nobis clamare Spiritum, non est contrarium: quia et cum nos clamare dicimur, non ex nobis, sed ex illo clamare probamur; et cum ille clamare in nobis legitur, quid aliud nisi efficientia sui operis, quo nos agimus, demonstratur?

INTERROGATIO XLVI.

Cum ad Romanos scribens Apo- Rom. 8. 23. stolus, adoptionem filiorum Dei, et redemptionem corporis sui expectare se dicat: quomodo ibi quasi iam sit filius Dei, et non sit quod ultra expectet, velut e contrario dicit: *Qui Spiritus* v. 16. *testimonium reddit spiritui nostro, quia sumus filii Dei?* Et iterum, quomodo redemptionem corporis sperat, qui aliis dicit: *Christus nos redemit?* Gal. 3. 13.

RESPONSIO.

Hæc interim Origenes sic solvit. " Ut mihi videtur, inquit, „ ipse hoc eo solvit sermone, qui „ in consequentibus habetur."

INTERROGATIO XLVII.

Cum Paulus ad Romanos scribens, *Si Deus pro nobis, quis* Rom. 8. 31. *adversùm nos?* quasi absolutè pronuntiet, neminem nobis esse adversarium: quomodo Petrus e contra videtur prædicare, dicens: *Ad-*

1. Petr. 5. 8. *Adversarius vester diabolus, sicut leo rugiens, circuit, quærens quem devoret?*

RESPONSIO.

Dicit quidem Apostolus, *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* non quòd omnino nullum nobis inesse dicat adversarium, sed hoc est, quod ostendit, quia Deo agente pro nobis, contemptibilis et nullus efficitur adversarius noster.

INTERROGATIO XLVIII.

Rom. 13. 1. Cum Paulus dicat, *Non est potestas nisi a Deo:* quomodo Dominus per Prophetam de quibusdam loquitur dicens, Osee 8. 4. *Ipsi regnaverunt, sed non ex me?*

RESPONSIO.

Quasi diceret, non me propitio, sed (1) me irato. Unde inferiùs per eumdem Prophetam dicit: Osee 13. 11. *Dabo*, (2) inquit, *tibi regem in furore meo:* quo manifestiùs elucet, bonam malamque (3) ordinationem a Deo ordinari, sed (4) bona propitio, mala irato.

INTERROGATIO XLIX.

Rom. 15. 2. Cum Paulus ad Romanos scribat: *Unusquisque vestrum proximo suo placeat in bono ad ædificationem:* quomodo in aliis Gal. 1. 10. dicit: *Si hominibus placerem, Christi servus non essem?*

RESPONSIO.

Aliud est studium habere placendi hominibus, ut laudem ab eis quærat; et aliud est studium habere placendi hominibus, in eo quòd vita sua irreprehensibilis est apud homines, sed proficiunt ex eo omnes, qui vel vident talem, vel audiunt. Ibi ergo placendum non est hominibus, ubi contra fidem, contra honestatem, contra religionem est, in quo placeat. Et ideo dicit, *Quia si hominibus placerem*, hoc est, incredulis et infidelibus Iudæis, *Christi servus non essem.*

EX EPISTOLA PRIMA AD CORINTHIOS.

INTERROGATIO L.

Cum Paulus Apostolus ad Corinthios scribens, laudet eos in principio Epistolæ suæ dicens: *Gratias ago Deo meo semper* 1. Cor. 1. 4. &c. *pro vobis in gratia Dei, quæ data est vobis in Christo Iesu: quia in omnibus divites facti estis in illo, in omni verbo, et in omni scientia, sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis: ita ut nihil vobis desit in ulla gratia:* quomodo contra laudem a se prolatam subiungere videtur, dicens: *Obsecro autem vos, fratres, per nomen Domini nostri Iesu Christi, ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata:* v. 10. 11. et illud: *Significatum est enim mihi de vobis fratres mei ab his, qui sunt Cloes, quia contenten-*

(1) Samson lib. 2. Apolog. cap. 27. n. 6. seu pag. 513. tom. XI. Hispan. Sacræ: *etiamsi me irato.*

(2) Rectè Samson hoc verbum omisit.

(3) Aptiùs Samson *potestatem.*

(4) Idem: *sed bonum propitius, malum iratus.*

tentiones in vobis sunt &c?

RESPONSIO.

Ex Gregor. Magn. lib. 1. Hom. in Ezech. hom. 11. num. 18. 19.

Ecce quos in omni verbo, et in omni scientia laudaverat, quibus nihil deesse in ulla gratia dixerat, paulisper loquens, ad increpandum leniter veniens, divisos erga se ipsos reprehendit: et quorum priùs salutem narraverat, postmodum vulnera patefacit. Peritus enim medicus vulnus secandum videns, sed ægrum timidum esse conspiciens, diu palpavit, et subitò percussit. Priùs enim (1) blandam manum laudis posuit, postmodum ferrum increpationis fixit. Nisi enim verecundæ mentes fuerint palpando reprehensæ, ita ut ex aliis rebus audiant, quod in consolationem sumant, per increpationem protinus ad desperationem cadunt. Sed numquid mentitus est Paulus, ut priùs eis nil deesse in omni gratia diceret, quibus postmodum dicturus erat unitatem deesse? Absit hoc. Quis de illo talia vel desipiens credat? Sed quia erant inter Corinthios quidam omni gratia repleti, et erant quidam in personarum favoribus (2) excussi; cœpit a laudibus perfectorum, ut modesta invectione ad reprehensionem pertingeret infirmorum.

INTERROGATIO LI.

Rom. 12. 14. Quomodo Paulus dicat, *Nolite maledicere:* vel illud: *Neque maledici regnum Dei possidebunt;* cum ipse maledictionis sententiam protulerit dicendo: *Alexander faber ferrarius multa mala mihi fecit, sed reddet illi Deus secundùm opera sua:* vel illud quod Ananiæ dixit: *Percutiet te Deus, paries dealbate?*

1. Cor. 6. 10.

1. Tim. 4. 14.

Act. 23. 3.

RESPONSIO.

Ex Gregor. Magn. lib. 4. Mor. num. 2. Sciendum est, quòd Scriptura sacra duobus modis maledictum memorat. Aliud videlicet quod approbat, aliud quod damnat. Aliter enim maledictum profertur iudicio iustitiæ, aliter livore vindictæ. Maledictum quippe iudicio iustitiæ in (3) ipso primo homine peccante prolatum est, quum audivit: *Maledicta terra in* (4) *operibus tuis.* Et illud quod ad Abraham dicitur: *Maledicam maledicentibus tibi.* Et rursum, quia maledictum livore vindictæ promitur, voce Pauli prædicantis admonemur: *Benedicite, et nolite maledicere.* Deus ergo maledicere dicitur, et tamen maledicere homo prohibetur: quia quod homo agit malitia vindictæ, Deus non facit nisi examine et virtute iustitiæ. Cum verò sancti viri maledictionis sententiam proferunt, non hanc ex voto ultionis, sed ex (5) iustitia examinis erumpunt. Intùs enim subtile Dei iudicium aspiciunt, et mala foràs exurgen-

Gen. 3. 1.

et 12. 3.

Rom. ubi sup.

(1) Edit. iuxta Benedictinos, *blanda manu laudes*; sed *blandam manum laudis* omnes habere MSS. ipsi notant, sicut et noster Auctor.

(2) Edit. *excisi.*

(3) Edit. Benedictinor. *ipsi primo homini peccanti*; sed ibi notant, aliquos esse MSS. qui legunt, ut Sanctus Iulianus.

(4) Edit. *in opere tuo.*

(5) Edit. Benedictinor. *ex iustitiæ examine*, ut ferè omnes eorum MSS. Hìc Iulianus legit quemadmodum veter. edit. et aliæ.

gentia, (1) quæ maledicto debeant ferire, cognoscunt : et eo in maledicto non peccant, quo ab interno iudicio non discordant. Hinc est quòd Petrus in offerentem sibi pecuniam Simonem sententiam maledictionis intorsit, dicens : *Pecunia tua tecum sit in perditione.* Qui enim non ait, *est*, sed, *sit ;* non in indicativo, sed optativo modo se hæc dixisse signavit. Hinc Helias duobus quinquagenariis ad se venientibus dixit : *Si homo Dei sum, descendat ignis de cælo, et consumat vos.* Quorum utrorumque sententia quanta (2) veritatis ratione convaluit, terminus causæ monstravit. Nam et Simon æterna perditione interiit, et duos quinquagenarios desuper veniens flamma (3) combussit. Virtus ergo subsequens testificatur, qua mente sententia maledictionis promitur. Cum enim et maledicentis innocentia permanet, et tamen eum qui maledicitur, usque ad interitum maledictio absorbet ; ex utriusque partis fine colligitur, quia ab uno et intimo iudice in reum sententia sumpta iaculatur.

Act. 8. 20.

4. *Reg.* 1. 10.

INTERROGATIO LII.

Quomodo divisiones gratiarum, quæ nobis per Spiritum dantur, ad mensuram dari dicat Apostolus : cum in Evangelio dicatur, *Deus non dat Spiritum ad mensuram?*

1. *Cor.* 12. 4. 11.

Ephes. 4. 6.

Ioan. 3. 34.

RESPONSIO.

In hominibus datur secundùm Apostolum ad mensuram Spiritus : *Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii autem sermo scientiæ secundùm eumdem Spiritum, &c.* Unico autem Filio suo Pater non dat Spiritum ad mensuram, *quia in ipso omnis plenitudo divinitatis corporaliter inhabitat.*

1. *Cor.* 12. 8.

Col. 2. 9.

INTERROGATIO LIII.

Cum Paulus in Epistola ad Corinthios prima de suis coapostolis dicat, *Abundantiùs illis omnibus laboravi :* quomodo in Epistola ad Ephesios extremum se omnium electorum existimans, dicit : *Mihi infimo omnium sanctorum data est gratia hæc, In Gentibus evangelizare?*

1. *Cor.* 15. 10.

Ephes. 3. 8.

RESPONSIO.

Non puto Apostolum Paulum cum mentis suæ concordasse secreto, ut verè omnibus sanctis infimum se esse dixerit. Verbi causa, his qui erant Ephesi, qui Corinthi, qui Thessalonicæ, vel qui in toto orbe crediderant. Quod cum humanitatis iudicium sit, se omnibus sanctis infimum dicere, mendacium est reatus, aliud in pectore clausum habere, aliud lingua promere. Reperiendum ergo est argumentum, quòd et Paulus verè omnibus sanctis infimus fuerit, et tamen de Apostolica non ceciderit dignitate. Loquitur Dominus in Evangelio ad discipulos : *Qui vult in vobis maior esse, sit omnium minor: et qui vult esse primus, sit*

Matth. 20. 26. 27.

(1) Edit. *quia.*

(2) Sic legi in omnibus MSS. et in veter. edit. Paris. et Basil. notant Benedictini, cum in aliis loco, *veritatis*, habeatur, *severitatis.*

(3) Edit. *consumpsit.*

omnium novissimus. Quod Paulus opere complebat, dicens: *Puto enim quia Deus nos Apostolos novissimos ostendit, quasi morti destinatos.* Omnibus igitur, qui se propter Christum infimos esse cupiebant, Apostolus Paulus infimior erat, et idcirco maior. *Omnibus enim*, inquit, *illis plus laboravi: non autem ego, sed gratia Dei, quæ mecum est.* Propter quam humilitatem, dum omnium sanctorum est infimus, data est hæc ei gratia in Gentibus, ut evangelizaret investigabiles divitias Christi, et doceret dispensationem Christi mysterii absconditam a sæculis in Deo, qui universa creavit.

1. Cor. 4. 9.

Ibid. ubi supr.

Ephes. 3. 8. 9.

EX EPISTOLA SECUNDA AD CORINTHIOS.

INTERROGATIO LIV.

Cum Paulus dicat de semetipso in Epistola ad Corinthios, *Non secundùm carnem vivimus, neque secundùm carnem militamus:* quomodo ad Romanos e contrario scribit dicens, *Ego autem carnalis sum?* Et cum alio loco dicat vivere in se Christum, et Spiritum sanctum, dicendo: *Propter inhabitantem Spiritum eius in nobis:* quomodo et quasi e contrario loquitur, *Quia non habitat in me, hoc est, in carne mea, bonum?*

2. Cor. 10. 3.

Rom. 7. 14.

Gal. 2. 20.

Rom. 8. 11.

et 7. 18.

RESPONSIO.

Si cui ista quæ dicuntur, contraria Apostolicæ dignitati esse videntur, sic dicta accipiat, ut Apostolus hæc ipsa non de sua persona, sed personam infirmorum in se suscipiens dixerit, hæc fortasse contraria non putabit: qui et carnalem se nominans, et non habitare in se bonum pronuntians, iuxta quod Origenes refert, non in sua persona Apostolus dixit; sed tamquam doctor Ecclesiæ, personam in semetipso suscipiens infirmorum, elicuit, iuxta quod et alibi idem Apostolus ait: *Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrarer.* Quamquam et Beatus Augustinus ad Bonifacium Papam scribens, hoc ipsum de persona Apostoli accipi posse testetur, quod dicit, *Ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato:* quia nondum spiritale corpus habebat Apostolus. Sicut possit dicere, Ego autem mortalis sum: quod utique non nisi secundùm corpus intelligitur dixisse, quod nondum fuerat immortalitate vestitum. Quod etiam etsi iuxta hunc modum sentiatur, nec sic erit bene intelligenti contrarium.

In cap. 7. v. 14. Epist. ad Rom.

1. Cor. 9. 22.

Lib. 1. contr. duas Epist. Pelagianor. n. 17.

INTERROGATIO LV.

Cum Paulus dicat, *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi:* quomodo Christus in passione sua clamavit, *Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti?*

2. Cor. 5. 19.

Matth. 27. 46.

RESPONSIO.

Vox ista, qua Christus clamavit, *Deus meus, Deus meus, &c.* non ex persona Verbi, qua unus cum Patre et Spiritu sancto permanet Deus, sed ex veteri homine, non quem ipse susceperat, accipienda est. (1) Ille nam-

(1) Edit. *ille enim, qui potentiâ magna, &c.*

Ex Aug. *serm.* 1. *in Psalm.* 70. *num.* 12. namque qui per potentiam magnæ divinitatis, qua Patri æqualis est, resuscitaverat mortuos, subitò inter manus inimicorum infirmus factus est, et quasi nihil valens, apprehensus est. Sed quando prehenderetur, ni primò *Psalm.* 70. 11. illi in corde suo dicerent, *Deus dereliquit eum?* Unde illa vox est in Cruce, *Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquisti?* Numquid Deus dereliquit Christum, cum *Deus* esset *in Christo mundum reconcilians sibi*, cum esset et Christus Deus, ex Iudæis quidem secundùm carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula, Deus (1) dereliquit illum? Absit. Sed in veteri *Rom.* 9. 5. *et* 6. 6. nostro vox nostra (2) est: quia simul crucifixus (2) est vetus homo noster cum illo, qui de ipso veteri nostro corpus acceperat, quia Maria de Adam erat. Ergo quod illi putaverunt, hoc de Cruce dixit: *Quare me dereliquisti?*

EX EPISTOLA AD GALATAS.

INTERROGATIO LVI.

Quomodo Paulus Apostolus dicat, *Gal.* 1. 10. *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem:* quum item alio loco præcepit, 1. *Cor.* 10. 32. 33. *Placete omnibus per omnia, sicut ego omnibus per omnia placeo?*

RESPONSIO.

Hæc qui non intelligunt, contraria putant. Sed non est ita: nam et non se placere hominibus rectè dicebat, quia in eo ipso non ut hominibus, sed ut Deo placere, intuebatur. Item placendum esse hominibus, rectè præcipiebat, non ut hoc appeteretur, tamquam merces rectè factorum; sed quia Deo placere non possit, qui non se his quos salvos fieri vellet, præberet imitandum. Placet ergo Paulus, et non placet: quia in eo quod placere appetit, non se, sed ipsam hominibus placere veritatem quærit. Greg. *Reg. Past. part.* 2. *cap.* 8.

INTERROGATIO LVII.

Cum Paulus Apostolus in Epistola ad Galatas, referat per ordinem, ubi primùm post conversionem suam accesserit, dicens, *Abii in Arabiam, et iterum reversus sum Damascum:* quomodo Lucas in Actibus Apostolorum eumdem Paulum post acceptam fidem Christi non in Arabiam, sed in Damasco priùs commoratum fuisse testatur? *Gal.* 1. 17. *Act.* 9. 8. *&c.*

RESPONSIO.

Hæc a beato Hieronymo sic explanata reperimus. De eo quod Apostolus dixit, *Abii in Arabiam, et iterum reversus sum Damascum*, " non sibi videtur „ historiæ ordo convenire, re„ ferente Luca in Actibus Apo„ stolorum, quòd cum Paulus „ post fidem Christi per dies „ multos Evangelium Damasci „ loqueretur audenter, factæ fue„ rint ei insidiæ, et in sporta „ nocte per murum demissus sit, „ et venerit in Ierusalem ten„ tans se coniungere discipulis, „ a quibus cum vitaretur, et ti- „ me- *Comment. in Epist. ad Gal. lib.* 1. *cap.* 1. *v.* 17. *v.* 23. *&c.*

(1) Edit. hìc *reliquit*.

(2) Edit. utrobique *erat*.

„ merent ad eum accedere, a
„ Barnaba ad Apostolos illum
„ esse perductum, et ibi narras-
„ se quomodo Dominum vide-
„ rit in itinere, et Damasci fidu-
„ cialiter egerit in nomine Iesu.
v. 28. &c. „ *Erat*, inquit, *cum illis in-*
„ *trans, et exiens in Ierusalem,*
„ *et fiducialiter agens in nomi-*
„ *ne Domini, loquebatur quo-*
„ *que, et disputabat cum Græ-*
„ *cis: illi autem quærebant oc-*
„ *cidere eum. Quod cum cogno-*
„ *vissent fratres, deduxerunt*
„ *eum Cæsaream, et dimiserunt*
„ *Tharso.* Hìc autem dicit se pri-
Gal. ubi sup. „ mùm isse in Arabiam, et ite-
„ rum reversum Damascum, post
„ triennium venisse Hierosoly-
„ mam, vidisse Petrum, et cum
„ eo mansisse diebus quindecim,
„ nec præter Iacobum fratrem
„ Domini, alterum cognovisse.
„ Quæ ut vera credantur (dubia
„ quippe videri absentibus pote-
„ rant), sub testatione confirmat,
Ibid. v. 20. „ dicens: *Quæ autem dico vo-*
„ *bis, ecce coram Deo, quia*
„ *non mentior.* Possumus æstima-
„ re, isse quidem Paulum secun-
„ dùm Lucæ historiam in Hie-
„ rosolymam, non quasi ad an-
„ tecessores Apostolos, ut aliquid
„ ab illis disceret, sed ut perse-
„ cutionis impetum declinaret,
„ qui sibi Damasci propter Evan-
„ gelium Christi fuerat concita-
„ tus: et sic venisse Hierosoly-
„ mam, quasi ad quamcumque
„ aliam civitatem, et inde cum
„ statim propter insidias reces-
„ sisse, et venisse Arabiam sive
„ Damascum, atque inde post
„ triennium ad videndum Petrum
„ Hierosolymam revertisse. Vel
„ certe ita. Statim ubi baptizatus
„ sit, et accepto cibo confortа-
„ tus, fuisse eum cum discipulis,
„ qui erant Damasci, per dies ali-
„ quot, et stupentibus cunctis in
„ synagogis Iudæorum prædicas-
„ se continuò, quòd Iesus esset
„ filius Dei, et tunc isse in Ara-
„ biam, et de Arabia Damascum
„ revertisse, et ibi fecisse trien-
„ nium, quos dies multos Scri-
„ ptura testatur, dicens: *Cum im-* *Act. 9. 23. &c.*
„ *plerentur autem dies multi,*
„ *consilium fecerunt Iudæi, ut*
„ *eum interficerent. Notæ au-*
„ *tem factæ sunt Paulo insidiæ*
„ *eorum, et custodiebant por-*
„ *tas die ac nocte, ut eum in-*
„ *terficerent. Accipientes autem*
„ *discipuli eius nocte, per mu-*
„ *rum dimiserunt eum, submit-*
„ *tentes in sporta. Cum autem*
„ *venisset Ierusalem, tentabat*
„ *coniungere se cum discipulis.*
„ Lucam verò idcirco de Arabia
„ præterisse, quia forsitan nihil
„ dignum Apostolatu in Arabia
„ perpetrarat, et ea potiùs com-
„ pendiosa narratione dixisse, quæ
„ digna Christi Evangelio vide-
„ bantur. Nec hoc segnitiæ Apo-
„ stoli deputandum, si frustra in
„ Arabia moratus sit; sed quòd
„ aliqua dispensatio et Dei præ-
„ ceptum fuerit, ut taceret."

INTERROGATIO LIX.

Cum Paulus Apostolus de se dicat, *Vivo iam non ego, vivit verò in me Christus:* quomodo quasi e contrario sibi videtur respondere, dicens: *Scio quia non habitat in me, hoc est, in carne mea, bonum?* *Gal. 2. 20.* *Rom. 7. 18.*

RE-

RESPONSIO.

Hæc quæ sibi videntur contraria, ita a Beato Augustino solvuntur, ubi contra Iulianum disputans, ait: "Non est contrarium
Lib. 6. num. 71. „ sicut putas, ut qui dicit, *Vivo*
„ *iam non ego, vivit verò in*
„ *me Christus*, dicat etiam, *Scio*
„ *quia non habitat in me, hoc*
„ *est, in carne mea, bonum.*
„ In quantum quippe in illo vi-
„ vit Christus, in tantum expu-
„ gnat et superat quod non ha-
„ bitat bonum in eius carne, sed
„ malum. Neque enim rectè cu-
Gal. 5. 17. „ iusquam spiritus (1) concupiscit
„ adversùs carnem suam, nisi ha-
„ bitaret in illo (2) Spiritus san-
„ ctus."

INTERROGATIO LIX.

Cum Paulus Galatis prædicet,
v. 2. *Si circumcidamini Christus vobis nihil prodest:* quomodo quasi e contrario Romanis prædica-
Rom. 2. 25. re videtur: *Circumcisio quidem prodest, si legem custodias?* Et
Ibi 3. 1. 2. infra: *Quid ergo amplius est Iudæo? aut quæ utilitas circumcisionis? Multum per omnem modum. Primùm quidem quia credita sunt illis, &c.*

RESPONSIO.

Comment. in Epist. ad Gal. lib. 2. cap. 5. v. 2. Hæc duo quæ sibi videntur esse contraria, ita a beato Hieronymo solvuntur: "Si enim
„ his, qui circumcisi sunt Chri-
„ stus nihil prodest, quomodo
„ legem custodientibus prodest
„ circumcisio? Quod quidem hac
„ responsione solvitur, ut dica-
„ mus Epistolam, quæ ad Roma-
„ nos scripta est, ad eos esse dire-
„ ctam, qui ex Iudæis Gentibus-
„ que crediderant: et hoc egisse
„ Paulum, ut neuter populus of-
„ fenderetur, quo scilicet suum
„ utraque plebs privilegium pos-
„ sideret, ut nec Gentiles cir-
„ cumderentur, nec circumcisi
„ adducerent præputium. Ad Ga-
„ latas autem scribens, alio usus
„ sit argumento. Non enim erant
„ ex circumcisione, sed ex Genti-
„ bus, qui crediderant, nec po-
„ terat eis prodesse circumcisio,
„ qui post Evangelii gratiam ite- Gal. 4. 9.
„ rum ad legalia reverterentur
„ elementa. Et in Actibus Apo- Act. 15. 1. &c.
„ stolorum narrat historia, cum
„ quidam de circumcisione sur-
„ gentes asseruissent eos qui ex
„ Gentibus crediderant, debere
„ circumcidi, et legem custodi-
„ re Moysi; seniores qui in Hie-
„ rosolymis erant, et Apostolos
„ pariter congregatos statuisse
„ per litteras, ne superponere-
„ tur eis iugum legis, nec am-
„ pliùs observarent, nisi ut cu-
„ stodirent se tantùm ab idolo-
„ thytis, et a sanguine, et a for-
„ nicatione, sive, ut in nonnullis
„ exemplaribus scriptum est, et
„ a soffocatis. Et ne resideat ulla
„ dubitatio, quòd circumcisio ni-
„ hil prosit, sed propter eos, qui
„ ex Iudæis crediderant, ad Ro-
„ manos de circumcisione sen-
„ tentiam temperarit; paulatim
„ ad Epistolæ eiusdem posterio-
„ ra descendens, nec circumci-
„ sionem, nec præputium aliquid
„ valere monstravit, dicens: *Cir-* 1. Cor. 7. 19.
„ *cumcisio itaque nihil est, et*
„ *præputium nihil est: sed ob-*
„ *ser-*

(1) Edit. *concupisceret.*

(2) Edit. *Spiritus Christi.*

„ *servatio mandatorum Dei.* In
„ tantum enim circumcisio nihil
„ est, ut Israëliticæ quoque do-
„ mui se circumcisione iactanti
„ nihil profuerit, Propheta me-
Ier. 9. 26. „ morante: *Omnes Gentes incir-*
„ *cumcisæ carne, domus autem*
„ *Israël incircumcisa corde*; et
Gen. 14. 19. „ incircumcisus Melchisedech
„ circumcisum benediceret Abra-
„ ham."

INTERROGATIO LX.

Cum Paulus Apostolus in Epistola ad Galatas prædicet, dicens, *Gal. 5. 2.* *Quia si circumcidamini, Christus vobis nihil prodest:* cur in Actibus Apostolorum contra suam prædicationem videatur egisse, cum Timotheum ipse discipulum *Act. 16. 3.* circumcidit?

RESPONSIO.

Utraque prudenti salubrique consilio in principio nascentis Ecclesiæ acta sunt, ut et carnalis circumcisio in Christo impleta, prædicante Apostolo, iam cessare deberet, et tamen in primis illis christianis, qui ex circumcisione crediderant, contra diuturnam consuetudinem non statim carnis circumcisio prohiberetur, ne ex hoc scandalum Ecclesiæ nasceretur, sed paulatim persuadendo ad intellectum perfectum ducerentur. Sic enim de eiusmodi quæstione in libris contra Faustum beatus disputat *Lib. 19. cap. 17.* Augustinus. Ait enim: " Primos „ illos christianos, qui ex Iudæis „ crediderant, qui secundùm le- „ gis veteris præcepta nati erant „ atque instituti, (1) iusserunt eos „ Apostoli patrium ritum tradi- „ tionemque servare, et eos qui- „ bus hoc opus erat, ut congrue- „ rent illorum tarditati moribus- „ que, monuerunt. Inde est quòd „ Timotheum Iudæa matre et *Act. 16. 1. &c.* „ Græco patre natum, propter „ illos ad quos (2) talis cum eo „ venerat, etiam circumcidit „ Apostolus, atque ipse inter „ eos (3) morem huiusmodi cu- „ stodivit, non simulatione fal- „ laci, sed consilio prudenti. Ne- „ que enim ita natis, et ita in- „ stitutis noxia erant ista, quam- „ vis iam non essent significan- „ dis futuris necessaria. Magis „ quippe noxium erat, hæc tam- „ quam noxia prohibere in his „ hominibus usque ad quos du- „ rare debuerunt. Quoniam Chri- „ stus, qui omnes illas prophe- „ tias implere venerat, sic eos „ initiatos invenerat, ut iam de „ cetero qui nulla tali necessitu- „ dine tenerentur, sed ex diver- „ so veluti pariete, id est, præ- „ putio ad illum angularem la- „ pidem, qui Christus est, con- *Ephes. 2. 14. 20.* „ venirent, ad nulla talia coge- „ rentur. Si autem his qui ex „ circumcisione venerant, tali- „ busque sacramentis adhuc de- „ diti erant, ultro vellent sicut „ Timotheus conferre congruen- „ tiam, non prohiberentur. Ve- „ rùm si in huiusmodi legis ope- „ ribus putarent suam spem sa- „ lutemque contineri, tamquam „ a certa pernicie (4) vitarentur. „ Unde et illud Apostoli: *Ecce* „ *ego Paulus dico vobis, quia* „ *si circumcidamini, Christus* „ *vobis nihil proderit.*"

(1) Edit. *siverunt.*
(2) Edit. *tales.*
(3) Edit. *mortem.*
(4) Edit. *vetarentur.*

IN-

INTERROGATIO LXI.

Quomodo Paulus qui Galatis
Gal. 6. 1. præceperat, *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto,* ut in spiritu mansuetudinis instrueretur; iterum in consequentibus quasi e contrario his ipsis
1. Cor. 4. 21. videtur dixisse: *Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in caritate, et spiritu mansuetudinis?*

RESPONSIO.

Ex Hieronym. lib. 3. in Epist. ad Galat. cap. 6. v. 1. Si enim ibi ad peccatores non in spiritu mansuetudinis, sed in virga se venire dicit; quomodo nunc illis, qui in aliquo peccato præventi fuerint, non virgam adhibet, sed spiritum mansuetudinis? Verùm ibi ad eos dicitur, qui post peccatum non sentientes errorem suum, nolebant maioribus subdi, et pœnitentia corrigi. Ubi verò peccator intelligens vulnus suum, tradidit medico se curandum, ibi non est virga necessaria, sed spiritus lenitatis.

INTERROGATIO LXII.

Cum in Epistola ad Galatas præ-
Gal. 6. 2. 5. cipiat Paulus, dicens: *Alter alterius onera portate:* quomodo quasi e contrario videtur in subsequentibus dicere: *Unusquisque onus suum portabit?* Si enim unusquisque onus suum portabit, alter alterius onera portare non poterit.

RESPONSIO.

Ex eod. ibid. ad v. 5. Sed videndum quod ibi præceperit, ut peccantes nos in hac vita invicem sustentemus, et in præsenti sæculo alterutrum auxilio simus: hìc autem de Domini dicat in resurrectione iudicio, quòd non ex alterius peccato et comparatione deterioris, sed iuxta nostrum opus aut peccatores ab eo iudicemur aut sancti, recipiente unoquoque secundùm opus suum. Obscurè licèt docemur per hanc sententiolam novum dogma quod latitat. Dum in præsenti sæculo sumus, sive orationibus, sive consiliis invicem posse nos adiuvari; cum verò ante tribunal Christi venerimus, nec Iob, nec Danielem, Ezech. 14. 14. &c. nec Noë rogare posse pro quoquam, sed unumquemque portare onus suum.

INTERROGATIO LXIII.

Cum Paulus dicat, *Mihi absit* Gal. 6. 14. *gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi:* quomodo invenitur in multis rebus aliis gloriatus esse, sicut in loco illo ubi dicit, *Libenter gloriabor in* 2. Cor. 12. 9. *infirmitatibus meis?*

RESPONSIO.

Quomodo nunc dicit, *Mihi* Ex eod. Hieronym. ibid. ad v. 14. *absit gloriari, nisi in cruce Christi*, cum in alio loco de aliis glorietur, ut ibi: *Ita per* 1. Cor. 15. 31. *vestram gloriam, quam habeo in Christo Iesu?* Sed sciendum, quòd omnis illa gloriatio ad crucem relata, gloria crucis sit: et quicquid dignum in virtutibus perpetratur, hoc fieri ob Domini passionem.

EX EPISTOLA AD EPHESIOS.

INTERROGATIO LXIV.

Cum in Epistola ad Ephesios Paulus de Christo dicat, quòd Pater omnia subiecerit sub pedi-

dibus eius : quomodo alibi dicit, *Necdum ei videmus omnia subiecta ?* Necnon et illud, *Oportet eum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius.* Si necdum subiecta sunt ei omnia, et oportet eum regnare donec ei subiiciantur; quomodo nunc sub pedibus eius Deus universa subiecit? maximè cum et in alio loco Paulus ipse testetur: *Cum autem ei subiecta fuerint omnia, tunc et ipse Filius subiicietur ei, qui sibi subiecit omnia, ut sit Deus omnia in omnibus?*

Ephes. 1. 22. Hebr. 2. 8. 1. Cor. 15. 25. v. 28.

RESPONSIO.

Ex cod. Hieronym. ibid. ad cap. 1. v. 22.

Ergo aut secundùm præsentiam id quod futurum est, quasi iam factum esset commemorat; aut certè si de præterito sentiendum est, sic debemus accipere, quòd etiam ea quæ non sunt ei voluntate subiecta, naturæ conditione deserviant; verbi causa, Dæmones, Iudæi, et Gentiles. Non enim serviunt Christo, nec subiecti sunt pedibus eius, et tamen quia ab eo in bonam partem creati sunt, subditi sunt potestati eius inviti: tametsi adversùm eum repugnent liberi arbitrii voluntate.

INTERROGATIO LXV.

Cum Paulus Ephesios imitatores Dei suadeat fieri, dicens, *Estote imitatores Dei, sicut filii carissimi:* quomodo Corinthiis dicit, *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi?*

Ephes. 5. 1. 1. Cor. 11. 1.

RESPONSIO.

Ex eod. Hieronym. Comment. in Epist. ad Eph. cap. 5. v. 1.

Corinthii etenim non poterant statim imitatores Christi fieri, sed grande illis erat, si imitatores possint imitatoris existere. Ephesiis verò, quasi his, quos iam mysteria tanta docuerat, non ait: Imitatores mei estote, nec imitatores Christi, sed imitatores Dei. Non quòd minus sit imitatorem Christi esse quàm Dei (Deus quippe Christus est), sed quòd aliud sit secundùm hominem illum imitari, aliud secundùm Deum. Nam etsi Christum secundùm carnem antea noveramus, nunc iam nequaquam eum novimus secundùm carnem. Nec enim puto, quòd in ceteris, quæcumque Deus fecit, homo Deum possit imitari: sed verbi causa, ut quomodo ille clemens est, et pluit super bonos et malos, &c. sic etiam nos bonitatem nostram super omnes homines effundamus. Quod cum fecerimus, filii dilecti, vel imitatores sive ipsius Pauli, sive Dei erimus.

2. Cor. 5. 16. Matth. 5. 45.

INTERROGATIO LXVI.

Cum secundùm omnes Scripturas divinas mundi rectorem sicut et creatorem Deum solum accipiamus: quomodo e contrario videtur Paulus Apostolus dicere: *Non est nobis colluctatio adversùs carnem et sanguinem, sed adversùs principes et potestates, et rectores mundi tenebrarum harum?*

Ephes. 6. 12.

RESPONSIO.

In eo quòd diabolus vel Angeli eius in membris ad se pertinentibus regnum suum extendunt, rectores utique mundi ab Apostolo nominantur. Rectores enim eos mundi dixit, quia ipsi re-

regunt dilectores mundi. Non enim regunt mundum, ut rectores sint cæli et terræ; sed mundum peccatores dicit. Unde et in Evangelio scribitur, *Et mundus eum non cognovit.*

Ioan. 1. 10.

EX EPISTOLA AD PHILIPPENSES.

INTERROGATIO LXVII.

Quomodo Paulus Apostolus dicit, *Cupio dissolvi, et esse cum Christo;* necnon et illud, *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum*: cum e contrario dicere videatur, *Qui sumus in hoc habitaculo, ingemiscimus gravati; eò quòd nolumus expoliari, sed supervestiri, ut absorbeatur quod mortale est a vita?*

Philip. 1. 21. 23.

2. Cor. 5. 4.

RESPONSIO.

Et Gregor. Magn. lib. 31, Mor. n. 70.

(1) Miramus hìc Paulum, quomodo (2) amat quod refugiat, refugit quæ amet. Ecce enim et mori desiderat, et tamen carne expoliari formidat. Cur hoc? Quia etsi victoria in perpetuum lætificat, ipsa nihilominus ad præsens pœna perturbat: et quamvis vincat amor subsequentis muneris, tangit tamen non sine mœrore animum pulsus doloris. Sicut enim vir fortis, (3) cum vicino iam belli certamine, quum armis accingitur, palpitat, et festinat, tremit et sævit; quasi pavere per pallorem cernitur, sed per iram vehementer urgetur: ita vir sanctus, cum passioni propinquare se conspicit; et naturæ suæ infirmitate concutitur, et spei suæ soliditate roboratur: et de vicina morte trepidat, et tamen quòd moriendo veriùs vivat, exultat: ad regnum quippe non potest nisi interposita morte transire. Et idcirco et confidendo quasi ambigit, et quasi ambigendo confidit, et gaudens metuit, et metuens gaudet: quia scit quòd ad bravium quietis non perveniat, nisi quod interiacet, cum labore transcendat. Sic nos, cum morbos a corpore repellere cupimus, tristes quidem amarum purgationis poculum sumimus; certi autem de subsequenti salute gaudemus: quia enim pervenire corpus aliter ad salutem non valet, in potu libet etiam quod tœdet. Cumque amaritudini inesse vitam animus conspicit, mœrore turbatus hilarescit.

INTERROGATIO LXVIII.

Quomodo Paulus Apostolus quasi per contrarium loquens, modò perfectum, modò imperfectum sese testetur? Dicit enim in Epistola ad Philippenses: *Non quòd iam acceperim, aut iam perfectus sim.* Ubi subiungit, *Quicumque ergo perfecti sumus.*

Philip. 3. 12. 15.

RESPONSIO.

De hac igitur gemina perfectione, hoc Beatum Ambrosium sensisse reperimus. Vidimus, inquit, impossibile esse, ut perfectè quis immaculatus esse possit in corpore constitutus, cum etiam Paulus imperfectum se dicat. Sic enim habet: *Non quòd iam ac-*

(1) Edit. *videamus.*

(2) Edit. *amet quod refugit, quomodo refugiat, quod amat.*

(3) Edit. *cum vicino.... certamine armis accingitur, et palpitat, et festinat, &c.*

ceperim, aut iam perfectus sim. Et tamen post paululum ait: *Quicumque ergo perfecti sumus.* Nisi fortè quia est perfectio alia in hoc mundo, alia post hanc vitam, illum intelligamus perfectum, de quo dixit ad Corinthios:

1. *Cor.* 13. 10. *Cum venerit quod perfectum est:*

Ephes. 4. 13. et alibi: *Donec occurramus omnes in unitate fidei, et agnitione filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.*

EX EPISTOLA PRIMA AD THESSALONICENSES.

INTERROGATIO LXIX.

Cum Paulus Apostolus de resurrectione ultima loquens, inter cetera dicit,

1. *Thess.* 4. 15. 16. *Mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi: deinde nos qui vivimus, simul cum illis rapiemur obviam Christo in aëra, et sic semper cum Domino erimus:* quia dicit, *sic semper erimus:* quomodo Ioannes in Apocalypsi de regno sanctorum præfinitum tempus posuit

Apoc. 20. 4. dicens, *Et regnabunt cum Christo mille annis?*

RESPONSIO.

Numquam diceret sanctus Apostolus de se vel de hominibus sanctis aliis, *Simul rapiemur in nubibus obviam Christo, et sic semper cum Domino erimus;* si aliquos sanctos nosset receptis iam cum beata immortalitate corporibus cum Christo regnaturos ad tempus. Non enim semper cum Domino erunt, si tantùm mille annos cum eo, resurrectione facta, regnabunt. Ac per hoc si id quod dicitur, *semper,* non habet finem, non erunt mille anni, qui cum finiti fuerint, faciunt finem. Sed ut hæc sibi contraria non putentur, breviter hæc dicta lector intelligit. Quod enim Apostolus dicit, *Sic semper cum Domino erimus,* utique de futuri iudicii tempore dicit, ex quo cum Christo sine fine regnabimus. Quod autem Ioannes in Apocalypsi de regno sanctorum dicit, *Et regnabunt cum Christo mille annis,* de tempore huius vitæ isti mille anni accipiuntur. Quod interiectum est inter duos Christi adventus, unum incarnationis, et alterum iudicii sui, quod tempus medium, quantorumcumque annorum spatiis extendatur, propterea mille annos appellavit, ut aut a toto partem tropicè cogat intelligi, aut plenitudinem ipsius numeri, qui dicitur mille, inter adventum primum Christi et secundum quicquid erit temporis, comprehendat. Cum Christo enim sancti mille annis regnare dicuntur propter Ecclesiam Dei, quæ in regno fidei a tempore incarnationis Christi usque ad tempus iudicii superventuri in fide et opere dilatata extenditur. Nam hoc est dicere pro sanctis, quòd cum Christo mille annis regnabunt, quasi pro fidelibus electis, qui intra Ecclesiam per totum hoc tempus quod inter duos adventus interiacet, cum Christo in Ecclesia fideliter vivunt.

EX EPISTOLA PRIMA AD TIMOTHEUM.

INTERROGATIO LXX.

Cum Paulus Apostolus dicat, *Iusto lex non est posita :* quomodo Psalmista legem sibi dari poscit, dicens, *Legem pone mihi Domine viam iustificationum tuarum, et exquiram eam semper?*

1. Tim. 1. 9.

Psalm. 118. 33.

RESPONSIO.

Ex Aug. serm. 11. in hunc Psal. n. 1. et 2.

Quid est hoc quod orat ut sibi lex a Domino ponatur, si non ponitur iusto? An eo modo non ponitur iusto, quomodo posita est populo contumaci in tabulis lapideis, non in tabulis cordis carnalibus; secundùm Testamentum vetus (1) in monte Sina, quod in (2) servitute generat, non secundùm Testamentum novum, de quo scriptum est per Hieremiam Prophetam : *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et consummabo domui Israël et domui Iuda Testamentum novum, non secundùm testamentum quod disposui patribus eorum in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti : quoniam ipsi non permanserunt in Testamento meo, et ego (3) negligam eos, dicit Dominus. Quoniam hoc est Testamentum quod constituam domui Israël: post dies illos, dicit Dominus, Dabo leges meas in mentes eorum, et in cordibus eorum scribam eas.* Ecce quomodo vult iste legem sibi poni a Domino; non sicut iniustis et non subditis ad vetus Testamentum pertinentibus posita est in tabulis lapideis; sed sicut sanctis filiis liberæ, hoc est, supernæ Ierusalem, filiis promissionis, filiis hæreditatis æternæ, sancto Spiritu tamquam digito Dei in mente datur, et in cordibus scribitur : non (4) quòd memoria teneant, et vitam negligant, sed (4) quòd sciant intelligendo, faciant diligendo, in latitudine amoris, non in timoris angustiis. Cur ergo iste adhuc poscit sibi legem poni, quæ utique si non ei posita fuisset, non viam mandatorum Dei in cordis latitudine cucurrisset? Sed quia proficiens loquitur, et Dei donum novit esse quòd (5) profecit; quid aliud petit cum sibi legem poni petit, nisi ut in ea magis magisque proficiat? Qui utique legem secundùm litteram noverat : sed quia littera occidit, spiritus vivificat, orat ut per spiritum faciat, quod per litteram sciebat.

Exod. 31. 18.

2. Cor. 3. 3.

Gal. 4. 24.

Ier. 31. 31. &c.

2. Cor. 3. 6.

INTERROGATIO LXXI.

Quomodo Paulus dicit, *Qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire* : cum e contra Scriptura dicat, *Deus cui vult miseretur, et quem vult indurat?*

1. Tim. 2. 4.

Rom. 9. 18.

RESPONSIO.

Si Deus omnes homines salvos fieri vult, quomodo omnes salvi non fiunt? Aut si omnes salvi fiunt, quod utique non est, quomodo alibi scriptum est,

(1) Edit. *ex monte.*
(2) Edit. *servitutem.*
(3) Edit. *neglexi.*
(4) Edit. in utroque loco *quam.*
(5) Edit. *proficit.*

Deus cui vult miseretur, et quem vult indurat? Sed ita debemus intelligere quod scriptum est, quia *omnes homines vult salvos fieri*, tamquam diceretur, nullum hominem fieri salvum, nisi quem fieri ipse voluerit: non quòd nullus sit hominum, nisi quem salvum fieri vellet, sed quòd nullus fiat, nisi quem velit. Ac proinde quod dicit *omnes*, a toto partem intelligi voluit: scilicet quòd omnes eos salvos fieri velit, quos ex omni genere humano salvandos esse elegerit. Ac per hoc contrarium non est illi sententiæ, *Deus cui vult miseretur, et quem vult indurat:* quia et cui miseretur, per misericordiam salvatur; quem indurasse dicitur, per iudicium relinquetur. Indurare enim dicitur Deus eum, quem mollire noluerit; sicut etiam excæcare dicendus est eum, quem illuminare noluerit; vel repellere eum, quem vocare destiterit.

Ex Aug. *Enchirid. cap.* 103.

INTERROGATIO LXXII.

Cum Paulus in Epistola ad Timotheum prima mulieres in Ecclesia tacere præcipiat, dicendo, *Docere autem mulieribus non permitto:* quomodo ad Titum scribens, docendi feminis tribuat potestatem, id est, ut *bene docentes sint, et prudentiam doceant?*

1. *Tim.* 2. 12.

Tit. 2. 3. 4.

RESPONSIO.

Quæ ita a maioribus solvuntur, ut contraria sibi nullo modo videantur. Sic enim intelligendum est, ut in viros feminis sit doctrina sublata, ceterum adolescentulas doceant, quasi filias suas. Et ideo cum mulieres iubet Apostolus ut bene docentes sint, et prudentiam doceant; docere quidem illis permisit, sed feminas, non viros: et hoc non in Ecclesia, sed privatim, ut non sit præcepto illi superiori contrarium, quo iubet ut mulieres in Ecclesia taceant.

Ex Hieronym. *Commentar. in Epist. ad Tim. et Tit.*

INTERROGATIO LXXIII.

Cum Apostolus de Deo dicat, *Qui lucem habitat inaccessibilem; quem vidit nullus hominum, sed nec videre potest:* quomodo Psalmista dicit, *Accedite ad Dominum, et illuminamini?* Quomodo ergo accedendo illuminamur, si ipsam lucem, qua illuminari possumus, non videmus? Si verò accedendo ad eum, ipsam qua illuminamur lucem videmus, quomodo inaccessibilis esse perhibetur?

1. *Tim.* 6. 16.

Psalm. 33. 6.

RESPONSIO.

Qua in re pensandum est, quòd inaccessibilem dixit, (1) sed homini, sed humana sapienti. Scriptura quippe sacra omnes carnalium sectatores humanitatis nomine (2) nominare solet. Unde (3) de eisdem Apostolus quibusdam discordantibus dicit: *Cum enim sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis, et secundùm hominem ambulatis?* Quibus paulò post subiicit: *Nonne homines estis?* Et unde aliàs te-

Ex Gregor. Magn. *lib.* 18. *Mor. n.* 92.

1. *Cor.* 3. 3. 4.

(1) Edit. *sed omni homini humana sapienti.* Ita Benedictini, sed ibi notant lectiones aliquas nostræ congruentiores.

(2) Edit. *notare.*

(3) Edit. *iisdem Apostolus.*

Ibid. 2. 9. testimonium protulit : *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se.* Et cum hominibus dixisset absconditum, mox subdi-
v. 10. dit : *Nobis autem* (1) *revelavit per Spiritum suum :* ipsum se ab hominis vocatione discernens, qui raptus supra hominem divina iam saperet. Ita etiam hoc loco cum lucem Dei inaccessibilem (2) perhibet, ut ostenderet quibus, subdidit : *Quem vidit nullus hominum, sed nec videre potest.* More suo homines vocans omnes humana sapientes : quia qui divina sapiunt, videlicet supra homines sunt.

EX EPISTOLA SECUNDA AD TIMOTHEUM.

INTERROGATIO LXXIV.

Cum Paulus Timotheo præci-
2. *Tim.* 2. 14. piat, dicens : *Noli verbis contendere :* quomodo quasi e contrario videtur Tito iterum præcepisse, in loco illo, ubi qualis debet esse Episcopus, instituit,
Tit. 1. 9. dicens : *Ut potens sit in doctrina sana, et contradicentes revincere ?*

RESPONSIO.

Lib. 4. *cap.* 28. *n.* 61. Hæc duo quæ videntur contraria, quam differentiam habeant, in libris sancti Augustini *de doctrina christiana* sic inveniuntur exposita. Ait enim, hoc ipsum testimonium Pauli ponens, *Noli verbis contendere : ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium.* Ubi statim subiunxit : " Nec enim hoc ideo di-
„ ctum est, ut adversariis op-
„ pugnantibus veritatem, nihil
„ nos pro veritate dicamus. Et
„ ubi erit, quod cum ostenderet
„ qualis esse Episcopus debeat,
„ ait inter cetera, *ut potens sit*
„ *in doctrina sana, et contradi-*
„ *centes redarguere?* Verbis enim
„ contendere, est non curare,
„ quomodo error a veritate vin-
„ catur, sed quomodo tua dictio
„ dictioni præferatur alterius.
„ Porro qui non verbis conten-
„ dit, sive submissè, sive tem-
„ peratè, sive granditer dicat, id
„ agit verbis ut veritas pateat,
„ veritas placeat, veritas moveat." Cum ergo contra veritatem contenditur, vanitatis est vitium. Cum autem minister verbi Dei potens esse iubetur in doctrina sana, ut contradicentes revincantur, spiritualis doctrinæ est magisterium, quo veritati, non vanitati servitur.

INTERROGATIO LXXV.

Quomodo Paulus Timotheum admoneat, *Argue, obsecra, in-* 2. *Tim.* 4. 2.
crepa in omni patientia et doctrina : cum e contrario Tito præcipiat, *Argue cum omni im-* *Tit.* 2. 15.
perio ?

RESPONSIO.

Quid est quòd doctrinam suam Ex Gregor. Magn. *Reg. Past. part.* 3. *cap.* 16.
tanta arte dispensat, (3) ut ex his duobus alteri imperium, atque alteri patientiam (4) præponat, nisi quòd mansuetioris spiritus Titum, et paulò ferventioris vidit esse

(1) Edit. post *revelavit*, addunt *Deus*.
(2) Edit. *perhiberet*.
(3) Edit. *ut in exhibenda hac alteri imperium, &c.*
(4) Edit. melius : *præponat*.

esse Timotheum ? Illum per æmulationis studium inflammat, hunc per lenitatem patientiæ temperat.

EX EPISTOLA AD HEBRÆOS.

INTERROGATIO LXXVI.

Cum in Epistola ad Hebræos
Hebr. 4. 13. scriptum sit, *Omnia nuda et aperta sunt oculis eius :* quomodo Dominus mala Sodomorum increpaturus, quasi ignorans
Gen. 18. 21. de eis dicere videtur, *Descendam, et videbo utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint, an non est ita, ut sciam?*

RESPONSIO.

Ut nos auctor vitæ nostræ a
Ex eod. Greg. *lib.* 19. *Mor. num.* 46. præcipitata sententiæ prolatione compesceret, cum omnia nuda et aperta sint oculis eius, mala tamen (1) Sodomorum noluit audita iudicare, qui ait : *Clamor Sodomorum et Gomorræorum multiplicatus est, et peccatum eorum aggravatum est nimis : Descendam et videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint, an non est ita, ut sciam.* Omnipotens itaque Dominus et omnia sciens, cur ante probationem quasi dubitat, nisi ut gravitatis nobis exemplum proponat, ne mala hominum ante præsumamus credere, quàm probare ? Ecce per Angelos ad (2) cognoscendum mala descendit, moxque facinorosos percutit : atque ille patiens, ille mitis, ille de quo scriptum est : *Tu autem* *Sap.* 12. 18. *Domine cum tranquillitate iudicas ;* ille de quo rursum scriptum est : *Dominus patiens est* *Eccli.* 5. 4. *redditor ;* in tanto crimine involutos inveniens, quasi patientiam prætermisit, et diem extremi iudicii expectare ad vindictam noluit, sed eos igne iudicii ante iudicii diem prævenit. Ecce malum et quasi cum difficultate credidit, cum audivit, et tamen sine tarditate percussit, cum verum cognoscendo reperit : ut nobis videlicet daret exemplum, quòd maiora crimina, et tardè credenda sunt cum audiuntur, et citiùs punienda sunt cum veraciter agnoscuntur.

EX EPISTOLA CATHOLICA B. IACOBI APOSTOLI.

INTERROGATIO LXXVII.

Iac. 2. 17. 20. 26. Quomodo Iacobus dicat, *Fides sine operibus mortua est :* cum e contrario Paulus videatur dice-
Rom. 4. 5. 6. re, *Ei verò, qui non operatur, credenti autem in eum, qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam secundùm propositum gratiæ Dei : sicut et David dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert iustitiam sine operibus?*

RESPONSIO.

Si iuxta Iacobum fides sine operibus mortua est, quomodo consequens est, iuxta quod Paulus ait, ut fides sine opere iustificet impium ? Sed hæc diligenter

(1) Edit. *Sodomæ.*

(2) Edit. *cognoscenda.*

ter considerata, non erunt sibi contraria. Illos quippe iuxta Paulum fides sine opere salvat, quos fides Christi primùm ab infidelitate dissociat: utique sine bonis præcedentibus meritis. Si quis in Christum crediderit, remissis iniquitatibus cunctis, potest per solam fidem salvari. Deinde si iam credens, et veraciter sacramenta Christi percipiens, bona operari refugiat, huius fides iuxta Iacobum mortua est. Ergo quod Paulus dicit, sine opere salvari posse credentem, de illis utique dixit, quos fides primùm credituros acceperit, quibus utique non imputatur peccatum ante actum, quod Baptismatis unda deletur. Nam quòd fidem mortuam sine opere dicit, de illis utique loquitur, qui post acceptam fidem salvari posse sine operibus iustitiæ credunt: initium namque iustificati a Deo est, qui credit in iustificantem. Et hæc fides cum iustificata fuerit, tamquam radix imbre suscepto hæret in animo solo, ut cum lege Dei excoli cœperit, surgant ex ea rami, qui fructus bonorum operum ferunt. Non ergo ex operibus radix iustitiæ, sed opera ex radice iustitiæ, quam Deus accepto fert etiam sine operibus. In hoc quoque capitulo Pauli Apostoli, quo ait: *Ei verò, qui non operatur, credenti autem in eum qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam,* ita ut quidam doctor edisserens dicat, " Convertentem impium „ per solam fidem iustificat Deus, „ non per opera bona, quæ non „ habuit, alioquin per impieta„ tis opera fuerit puniendus: si„ mul attendendum, quia non „ peccatorem iustificari per so„ lam fidem, sed impium, hoc „ est, nuper credentem asse„ ruit, secundùm propositum „ Dei, quo proposuit gratis per „ solam fidem peccata dimitte„ re."

EX EPISTOLA PRIMA B. PETRI APOSTOLI.

INTERROGATIO LXXVIII.

1. Petr. 1. 12. Quomodo Petrus de Deo dicat, *In quem desiderant Angeli prospicere:* cum in Evangelio Christus dicat, *Angeli eorum semper vident faciem patris mei, qui est in cælis?*

Matth. 18. 10.

RESPONSIO.

Ex Gregor. Magn. lib. 18. Mor. n. 91. Numquid aliud Veritas, aliud prædicator insonat veritatis? Sed si sententia utraque confertur, quia sibi nequaquam discordet, cognoscitur. (1) Deum quippe Angeli et vident, et videre desiderant, ut effectu sui desiderii minimè defraudentur. Desiderium sine fructu anxietatem habet, et anxietas pœnam. Beati verò Angeli ab omni pœna anxietatis longè sunt, quia numquam simul pœna et beatitudo conveniunt. Rursus cum eos dicimus Dei vi-

(1) Edit. hìc plenìus et paulo aliter, *Deum... Angeli... videre desiderant; et sitiunt intueri, et intuentur. Si enim sic videre desiderant, ut effectu sui desiderii minimè perfruantur, desiderium sine fructu, &c.*

visione satiari, quia et Psalmista
Psalm. 16. 15. ait, *Satiabor dum manifestabitur gloria tua:* considerandum nobis est, (1) quomodo satietatem solet fastidium subsequi. Ut ergo rectè sibi utraque conveniant, dicat Veritas, quia semper vident; dicat Prædicator egregius, quia semper videre desiderant. Ne enim sit in desiderio anxietas, desiderantes satiantur: ne autem sit in satietate fastidium, (2) satiari desiderant. Et desiderant igitur sine labore, quia desiderium satietas comitatur: et satiantur sine fastidio, quia sua satietas ex desiderio semper accenditur.

EX EPISTOLA PRIMA B. IOANNIS APOSTOLI.

INTERROGATIO LXXIX.

Quomodo Ioannes in Epistola sua de dilectione scribens, dicit:
1. Ioan. 2. 7. *Dilectissimi, non mandatum novum scribo vobis, sed mandatum vetus:* cum Dominus in Evangelio dilectionem ipsam mandatum novum appellet, di-
Ioan. 13. 34. cens: *Mandatum novum do vobis, ut vos invicem diligatis?*

RESPONSIO.

Ex Aug. *tract. 1. in Epist. Ioan. n. 10.* Quod *mandatum vetus* dixit? *quod habebatis*, inquit, *ab initio.* Ideo ergo vetus, quia iam illud audistis, alioquin contrarium erit Domino, ubi ait: *Mandatum novum do vobis, ut vos invicem diligatis.* Sed mandatum vetus quare? non quia ad veterem hominem pertinet. Sed quare? *quod habebatis ab initio. Mandatum vetus,* (3) *verbum quod audistis.* Ideo ergo vetus, quia iam audistis. Et ipsum novum ostendit dicens: *Iterum Mandatum novum scribo vobis.* Non alterum, sed idem ipsum quod (4) dixi vetus, idem est novum. Quare? *Quod est verum in ipso, et in* (5) *nobis.* Iam quare vetus audistis, quia iam illud noveratis. Quare autem novum? *Quia* (6) *iam tenebræ transierunt, et lux vera iam lucet.* Ecce unde novum: quia tenebræ ad veterem hominem (7) pertinent, lux verò ad novum. Quod dicit Paulus Apostolus: *Exuite* *Colos. 3. 9. 10.* *veterem hominem, et induite novum.* Et iterum: *Fuistis ali-* *Ephes. 5. 8.* *quando tenebræ, nunc autem lux in Domino.*

INTERROGATIO LXXX.

Quomodo Ioannes dicat, *Omnis,* *1. Ioan. 3. 9.* *qui natus est ex Deo, non facit peccatum, quia semen eius in ipso manet, et non potest peccare:* cum e contra dicat, *Si* *et 1. 8.* *dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus?*

RESPONSIO.

Quod est hoc peccatum, nisi facere contra mandatum, quæ Christi dilectio vocatur? Nam non

Carptim ex Aug. *tract. 5. in cam. Epist. num. 1. usque ad 8.*

(1) Edit. *quoniam.*
(2) Edit. *satiati.*
(3) Edit. post *vetus*, addunt *est.*
(4) Edit. *dixit.*
(5) Edit. *vobis.*
(6) Abest *iam* ab edit.
(7) Edit. *quia tenebræ ad veterem hominem, lux verò ad novum pertinet.*

non generaliter secundùm omne peccatum est dictum. Quia si omne peccatum intellexerimus, contrarium erit huic sententiæ, quæ dicit, *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus.* Ergo quod dicit, *Qui natus est ex Deo, non facit peccatum*, id est, non habet in fratre odium, nec potest peccare, quia non facit contra dilectionem. Hoc autem quod dicit, *Si dixerimus, quia peccatum non habemus*, de generalibus peccatis licet intelligi.

INTERROGATIO LXXXI.

1. Ioan. 4. 18. Quomodo Apostolus dicat, *Timor non est in caritate, sed perfecta caritas foras mittit timorem:* et contra Psalmista, Psalm. 18. 10. *Timor Domini castus permanet?*

RESPONSIO.

Ex eod. Aug. tract. 4. in Ioan. Evang. n. 5. 7. Quomodo perfecta caritas foras mittit timorem, si timor Domini castus permanet in sæculum sæculi? Est ergo timor servilis: est et timor castus. Timor servilis est, ne patiaris pœnam; timor castus, ne amittas iustitiam. Ergo quod Apostolus dixit, de servili timore egit; quod autem Psalmista loquitur, de casto illo timore, quo in æternum Domino copulabimur, sentiendum est.

INTERROGATIO LXXXII.

Cum Ioannes Apostolus in Epistola sua dicat, *Omnis, qui natus est ex Deo, non peccat:* quomodo Isaias ex voce Domini dicit: *Filios genui, et exaltavi, ipsi autem spreverunt me?* 1. Ioan. 3. 9. Isai. 1. 2.

RESPONSIO.

Ex B. Hieronym. in eum loc. Isaiæ. Si non peccat qui ex Deo nascitur, quomodo spreverunt? Unde apparet, quia melius est iuxta Hebraicam translationem legere, *Filios enutrivi*, quàm *genui:* ne videatur illi dicto, quod in Ioannis Epistola legitur, esse contrarium: *Omnis, qui natus est ex Deo, non peccat.* Ergo si nati sunt ex Deo, quomodo peccare potuerunt, cum omnis qui ex Deo natus est, peccare non possit?

EX ACTIBUS APOSTOLORUM.

INTERROGATIO LXXXIII.

Cum in Actibus Apostolorum scriptum sit, quòd Dominus post resurrectionem suam quadraginta dies cum discipulis commoratus sit; Act. 1. 3. quomodo tam contrariè eisdem discipulis in Evangelio Luc. 24. 44. idem Dominus dicit: *Hæc sunt verba, quæ locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum?*

RESPONSIO.

Ex Gregor. Magn. hom. 24. in Evang. num. 2. Neque enim cum ipsis non erat, quibus præsens corporaliter apparebat: sed tamen iam se esse cum ipsis denegat, a quorum mortali corpore carnis immortalitate distabat.

EXPLICIT ANTIKEIMENΩN S. IULIANI.

IN SEQUENS OPUSCULUM MONITUM LECTORIS.

Qui proximè sequitur in Nahum Prophetam Commentarius, *affectum tantùm opus, non perfectum, is est, quem primus omnium evulgavit Henricus Canisius, Iurisconsultus, homo Germanus ex codice MS. Bibliothecæ Bavaricæ, S. Iuliano Toletano Antistiti inscriptum, cuius nomen codex ille præseferebat. In publicum emissus a viris doctis exceptus est, atque non semel ab Editoribus Bibliothecæ PP. in Galliis recusus cum eiusdem Iuliani nomine; quin nullus, quem scierimus, indicato auctori huiusmodi commentarii litem moverit, neque alterum esse quàm Iulianum nostrum suspicatus sit, donec Natalis Alexander in dissertat. 15. sæc. 1. propos. 2. verum esse ac germanum illius fœtum dubitare cœpit. Si veram causam quærimus, non alia absdubio, quàm quòd S. Iacobi Apostoli in Hispaniis prædicationem apertissimis verbis traderet, quam ille oppugnandam omni argumentorum vi aggreditur in præfata dissertatione. Quam feliciter illi cesserit susceptum consilium, nostrum non est hoc loco iudicare. Hoc nobis dicere, atque demonstrare satis sit, quæ Natalis huiusmodi testimonio opposuit confidenter, levissima esse nostro iudicio, nec nostro tantùm, sed et gravissimorum virorum, Cardinalis de Aguirre (ut alios taceamus) et eruditissimorum Bolandianorum, quos in commentario prævio tom. 6. Iulii part. 2. §. 7. consuluisse non pœnitebit. Scribit enim laudatus Historicus incertum esse, an illud opus sit S. Iuliani Toletani: cuius responsionis tres rationes adducit. Prima* quòd ex uno codice MS. undequaque mutilo et mendis scatente editum est. *Quasi ex uno tantùm codice non multa antiquitatis monumenta edita fuerint, viris doctis meritò probata, quale est (ut ex multis exemplum unum promamus) opus de* Mortibus persecutorum *Lactantio attributum, quod Baluzius primus vulgavit. Alterum momentum, quòd* quatuor tantùm, aut quinque versus Nahum Prophetæ exponit: *Quæ ratio si valeret, explodantur necesse est quotquot fragmenta aut imperfecta opera SS. PP. edita sunt, et veluti genuina habentur ab omnibus. Tertio denique concludit:* Recentiorem sanè auctorem Iuliano indicant versus illi Leonini, qui ad finem testimonii mox laudati (*de prædicatione S. Iacobi*) leguntur. *Lector æquus videat, et iudicet. Versus indicati hi sunt:*

Quisque sua sorte Christum sparsit sine sorde:
Per Paulum verò toto dispergitur orbe.

Ubi

Ubi, quæso, sunt versus Leonini? Namque, ut acutè viderunt Bolandiani, primus nullo numero continetur, secundus verò Leoninus minimè dici potest, quorum ea est natura, ut medium consonet extremis: quare ambo similiter cadentes tantùm appellari possunt. Verùm ut Leonini fuerint, propter duos solos versus continuò ad recentiorem ætatem relegandum est opus? cum tamen aliquos eiusmodi etiam in poetis aureæ ætatis legamus; qualis est ille Virgilii lib. 12. Æneid. Ora citatorum dextra contorsit equorum: *et alii duo Ovidii in oratione Ulyssis:* Si Troiæ fatis aliquid restare putatis, = Vir precor uxori, frater succurre sorori. *Unus itaque aut alter versus Leoninus, qui casu scribenti excidit, nihil momenti afferre potest contra operis antiquitatem.*

Sed Natalis coniecturas ut vidimus levissimas, nonnulli post ipsum amplexati sunt, non melius quàm ipse erga res Hispanas animati. In quibus non ultimo loco numerandus est Fr. Thomas Maria Mamachi, vir et propter multam doctrinam, et singularem eruditionem in republica litteraria satis notus, qui eodem, quo Natalis, consilio S. Iacobi in Hispania prædicationem oppugnare adgressus Originum et Antiquitatum Christianarum *tom. 2. c. 23. Florezio nostro Hispaniæ sacræ scriptori respondens, eidem exprobrat, quòd Commentariorum librum in Nahum, quem viri docti Iuliano Toletano Episcopo adimunt, eidem adscribi oportere contendat. Quid verò supra Natalem adducit? Hoc unum: Felicem, cum in Iuliani elogio suorum operum catalogum texeret, de huiusmodi commentario omnino siluisse. Sed animadvertere oportet nec vitam S. Ildephonsi a Iuliano sine dubio conscriptam Felicem commemorasse: deinde verò Commentarium de quo agimus opus esse imperfectum, ut notavimus, magno quidem, ut videtur, conatu susceptum, sed in ipso exordio interruptum, mortis forsitan interventu, ut propterea in vulgus editum minimè fuerit, atque adeo non satis ceteris notum: cuius rei penè innumera exempla afferre possemus.*

Ergo dum validiora his non producuntur argumenta, numquam committemus ut Iuliano temerè adimamus librum, quem primus illius editor ei adscripsit auctoritate codicis MS. quemque Miræus, Fabricius, Labbæus, Nicolaus Antonius, Aguirrius, Marchio Mondexarensis, aliique permulti cum nostrates, tum exteri ei non ademerunt.

Quòd si quis existat, qui cum Elia Dupinio, et Remigio Ceillier huiusce scripti stilum cum ceteris indubitatis Iuliani operibus conferre voluerit otiosè diligenterque, validius inde contra nos telum fabricaturus, illum monebimus, ut meminerit quàm sæpe fefellerint quæ ex huiusmodi loco desumuntur argumenta, nisi omnia attentè cautèque circumspiciantur: quod quidem sub-

actum iudicium, acutissimam oculorum aciem, naremque hominis quàm emunctissimam desiderat.

Opus certè, quamvis imperfectum et mutilum, auctorem per se prodit in S. Scriptura versatissimum, atque in eius sensibus rimandis acutum, quos in unaquaque sententia exponenda persequitur omnes: primùm litteralem, deinde allegoricum, tum anagogicum, postremò moralem; atque in hoc postremo genere non unum tantùm, sed multiplicem sensum, ut mirari subeat mentis fecunditatem cum summa perspicuitate, tum doctrinam, atque singularem eruditionem cum sermonis proprietate coniunctam. Quæ omnia scribendi ornamenta quin possint plenè cadere in Iulianum nostrum, nemo dubitabit, qui reliqua eiusdem scripta diligenter evolverit.

Interea quæ nostræ partes sunt hoc loco, adimplere curavimus. Nullum enim huius commentarii exemplum habentes, præter duas editiones Bibliothecæ PP. Parisiensem unam anno 1624. Lugdunensem alteram ann. 1677. quod in nobis erat effecimus, ut Typographorum menda in illis deprehensa corrigeremus, corrupta quæ sunt in contextu loca, nonnumquam etiam probabilem illorum restituendorum rationem indicaremus, S. Scripturæ, et Auctorum sententiæ in eo laudatæ unde desumptæ sint, ad oram annotantes.

SANCTI IULIANI EPISCOPI TOLETANI METROPOLITANI

COMMENTARIUS IN NAHUM PROPHETAM.

Ex manuscripto Codice Bibliothecæ Bavaricæ, per Henricum Canisium IC. editus.

PRÆFATIO.

Nahum Propheta in regnum Assyriorum invehitur: historialiter de Nineve, quæ Metropolis eius fuit, destructione loquitur: allegoricè, de desolatione mundi: mysticè, de reparatione per Christum generis humani: moraliter, de restitutione in pristina dignitate, vel maiore gloria peccatoris in sceleribus lapsi.

Nineve autem Ninus Assyriorum rex secundus condidit, eique denominatum a nomine suo vocabulum, ut quidam asserunt, vel potiùs, ut alii, a Ninia filio suo, huiusmodi indidit. Ninus verò de patre Belo, et matre Semiramide natus, fraude matris cir-

circumventus, ex ea furtivæ libidinis ignarus Niniam genuit: quo comperto postquam partu mater exoneravit viscera, muros eius cruentavit sanguine, materna detestatus scelera. Hæc civitas et a forma, et a situ, quantitate, et ornatu iuxta tempus clarissimè notabilis, et a rege, et a lege, et a plebe, potentia, astutia, constantia, sublimè commendabilis, dum regni sui circumquaque dilatare studet pompam, atque fastum luxuriæ, usque ad Dei populum (1) effrenatè laxavit habenas sævitiæ. Cuius partem primò Sargon, deinde Phul, dehinc Tegla-Phalassar, deinceps Salmanassar captivavit: ad ultimum sub Osea totus Israël expugnatus a Sennacherib in Assyrios transmigravit.

Unde Nahum ad populi transmigrati consolationem, ad sanctorum probandorum confirmationem, ad posterorum quoque gloriosam expectationem, ad lapsorum excitandam devotionem, ad omnium verò gratiarum actionem eructuat prophetiam, contemplatur visionem, qua civitatis eversio et populi interitus edicitur, exulum utcumque refocillatur memoria, afflictorum fovetur patientia, damnatorum prædicitur redemptio, spes lapsorum innuitur et sublimatio, omnium in commune fidelium honor et incorruptio. Prophetavit autem idem Propheta tempore Oziæ, Ioathan, Achaz, Ezechiæ regum Iuda, quando regnum Assyriorum destruitur; Romulus nascitur; Olympias a Græcis prima statuitur; Roma conditur; regnum Lacedæmoniorum defecit; Macedonum verò incepit; Hesiodus Poëta claruit. Fiunt quidem simul anni regni Assyriorum a primo Nini, qui secundus in eo regnavit, usque ad trigesimum sextum Sardanapalum, qui et ultimus, et ab Arsace signifero suo victus, semetipsum incendio cremavit, 1164.

Præmittit verò Propheta prologum, in quo more orationis rhetoricæ auditorem reddit attentum, docilem, et benevolum. Prologus autem hic est: *Onus Nineve, liber visionis Nahum Elchesei.* Tria quidem posuit, per quæ auditorem ad veniam, ad gratiam, ad gloriam moveri voluit. Siquidem in onere miseria, in visione gratia, in consolatione nonnulla videtur gloria. Assyrio persequenti pondus miseriæ, Israëli sustinenti respectus gratiæ, et eidem redeunti instar cuiuscumque attribuitur gloriæ. Lector igitur audito onere, redditur attentus; visione, docilis; Nahum, id est, consolatore, benevolus.

Onus Nineve; quia a Chaldæis est subversa. *Liber visionis;* quia Esdræ, Neemiæ, et aliis indulgentia data. *Nahum Elchesei*, quia urbis, templi, et populi libertas, et gratia, et gloria utcumque reparata. Hæc autem historialiter diximus. Nunc ea mysticè, vel mo-

(1) *Effrenatè* nobis arridet, ut legitur in MS. iuxta editores huius operis in Bibliotheca Patrum, præ *effrenatæ*, quod ipsi posuere.

moraliter succinctè disseramus.

Onus Nineve, mundi conflagratio. *Liber visionis*, sanctorum resurrectio. *Consolatoris*, eorum glorificatio.

Onus Nineve, reproborum damnatio. *Liber visionis*, beatorum electio. *Consolatoris*, in sæcula sæculorum laudatio.

Matth. 25. 41. *Onus*, quando dicitur: *Ite maledicti in ignem æternum. Visio*,
v. 34. quando dicetur: *Venite benedicti Patris mei. Consolator*, quando
1. *Cor.* 15. 24. 28. omnia existens in omnibus tradet regnum Deo, et Patri.

Vel *onus*, infidelitas gentium. *Liber visionis*, conversio fidelium. *Consolatoris*, consummatio omnium. Meminerit autem lector, quia *onus* in reprobis est angustia. *Liber visionis*, cum electis perseverans gratia. *Consolatio*, divinitus de hoste concepta victoria.

Onus est pondus miseriæ, et tribulatio. *Visio*, favor divini muneris, et mentis invocatio. *Consolatio*, in conflictu constantia, et de triumpho adepta lætitia. In his verò omnibus lector redditur attentus, docilis, et benevolus.

Lib. 1. *de Invent. Rhetoric. num.* 16. *edit. Genev.* 1743. Benevolentia in rhetoricis a Tullio ex quatuor locis comparatur. Ab ipsa causa, a Iudicis persona, ab adversariorum, a propria. Sancti verò, qui non si-
Rom. 14. 8. bi, sed Domino moriuntur, vel vivunt; qui non sua, sed quæ
Philipp. 2. 21. Iesu Christi quærunt: non sibi captant favorem, sed omnia Patri deferunt luminum. Hinc per
Psal. 113. 9. Psalmistam dicitur: *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Inde illud Apostoli: *Mihi absit gloriari,* Gal. 6. 14. *nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.* Benevolentia igitur ex quatuor comparatur: A persona Salvatoris, a forma salutis, a ratione dati, a lapsu reparati. Summus, qui dedit. Æternum, quod tribuit. Gratìs præstitit miseris. In primo consideratur potentiæ immensitas; in secundo, misericordiæ largitas; in tertio, gratiæ liberalitas; in quarto, naturæ benignitas. Siquidem summus miseris maxima contulit gratìs. In primo igitur comprobatur dantis omnipotentia; in secundo, eius munificentia; in tertio eius sufficientia; in quarto, eiusdem benevolentia.

Aliter. Benevolentiam captat a iudicis persona; a sui fortuna; a causa, et qualitate negotii; ab immanitate, et natura adversarii. A iudice, quia ipsa est misericordia. A sui fortuna, quia versatur in miseria. A causa negotii, ex parte adversarii, quia seductus est invidia. Ex parte verò sui, quia circumdatur infirmitate, et ignorantia. A natura adversarii, tum ex naturæ subtilitate, tum ex vitæ diuturnitate, tum ex negotii assiduitate. Ex immanitate quoque, quia gratìs infestant, nec ad momentum desistant, nec in minimo pareant. In primo igitur captat per iudicis pietatem. In secundo, per confessionis humilitatem. In tertio, per huius vitæ incolatum, et invincibilem infirmitatem. In quarto, per invidiam adversarii, et ipsius crudelitatem. In primo, iudicis provocatur clementia. In secundo, propria exponitur indigentia. In ter-

tertio, huius vitæ prætenditur tentatio. In quarto, adversarii invidia obiicitur, et impugnatio. Primò, quia iudicis est sententia:

Ezech. 33. 11. *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur, et vivat.* Secundò

Iob 12. 14. loquitur indigentia: *Si* (1) *incluserit, nemo est, qui aperiat.*

Ibi 7. 7. Tertiò, huius vitæ miseria: *Memento mei, quia ventus est vita*

Ier. 1. 14. *mea.* In quarto: *Ab Aquilone super faciem orbis terræ exardescunt mala.*

Aliter. Salvatoris opera legimus fuisse quadrifaria. Miracula namque fecit; beneficia contulit; amara pro nobis pertulit; vitæ monita protulit. In iis autem quatuor auditor redditur benevolus, dum et eius doctrinâ illuminatur, et beneficiis sustentatur, miraculis confirmatur, et passionum stigmate ad amorem inflammatur. In primo excluditur ignorantia. In secundo indigentia. In tertio negligentia. In quarto, vitæ torpor, et animi ignavia. In primo suscepit lumen scientiæ. In secundo largitatem gratiæ. In tertio coniicit regni felicitatem. In quarto suspirat ad Christi caritatem. Per vitæ oracula illuminatur cæcus; per miracula reducitur profugus; per beneficia redditur devotus; per passionis stigmata efficitur consummatus.

Docilis quoque redditur, dum in eius doctrina, vita, fama docetur quid teneat; suadetur quid caveat; instruitur quid timeat, quo doleat, in quo speret, quid diligat: scilicet cavere vitia, tenere vitæ consilia, timere gehennæ supplicia, dolere huius exilii miseriam, in cælis figere spei suæ anchoram, ardenter diligere cælestem patriam.

Attentus etiam redditur et ex magnitudine supplicii, dum onus præmittitur: Et ex qualitate gaudii, dum visio subsequitur: Et ex fidelitate præmii, dum consolator subiungitur.

Cùm igitur Tullius quinque causarum genera statuat: honestum, admirabile, humile, anceps, obscurum, et secundùm ea diversa suggerat principia; nos honestum genus, non causæ, sed Prophetiæ huius dicimus, in qua circa reprobos iusta Dei probatur severitas; erga pios clementissima commendatur bonitas. In amico, gratia. In hoste, iustitia. In servo, iudicii veritas. In mercenario, præmii æquitas. In filio, regni hæreditas. In sponsa, spiritualis gaudii identitas. *Lib. 1. de Inv. Rhetor. n. 15.*

His ita de materia et intentione succinctè prælibatis, etiam nunc dicatur, cui parti Philosophiæ supponatur. Cum igitur Philosophia quatuor principales habeat species, sub quibus omnium liberalium artium, et totius divini eloquii continetur series, theoricam scilicet, practicam, Physicam, et Logicam; sic inserta alterutrum, et connexa adinvicem sæpissime videntur, ut vix ab invicem discerni valeant; sic quandoque sequestrata, et a se alienata prorsus inveniuntur, ut coniungi ullatenus nequeant. Quip-

(1) *Clauserit* pro *incluserit*, quod legebatur in MS. non benè correctum est in Bibliotheca Patrum, cum Vulgata *incluserit* legat, cuius auctoritate hanc lectionem restituimus.

Quippe mathematica de visibilibus visibilium figuris. Practica de invisibilibus visibilium formis. Physica de invisibilibus causis. Theologia de invisibilibus substantiis. Logica verò ut omnium provida, artium magistra, arcanorum clavigera passim discurrit per omnia, formas, modos, causas, nodos solvens, ligans subtilitate nimia, artis excellentia, argumentorum copia. Præsens verò prophetia, quia partim agit de cælestibus, partim tractat de moribus, nonnulla pars eius ad theoricam, quædam verò respicit ad practicam.

Modus quoque tractandi hic est. Priùs autem comminatur hostibus. Dehinc blanditur obsequentibus. Post hæc quasi incidenter introducit adventum Salvatoris. Deinde terribilem inducit præsentiam vastatoris. Armat Babylonios; ruunt in Assyrios; Nineve expugnatur, capitur, destruitur: templum a fundamentis evertitur; omnis ætas, sexus, conditio corrumpitur, eliditur, servituti addicitur. Deinceps insultando in eam invehitur, rapinas, fornicationes, maleficia exprobrat; civitatem sanguinum exprobrando nuncupat. Alexandriæ quoque ferenti auxilium minatur excidium. Deinde insultando, ignaviam Principum et populi ingeminat, populum effeminatum nuncupat, frustra eos nisi evidenter enuntiat: ad ultimum inertiam Pastorum increpat, et sic prophetiam suam terminat.

EXPLICIT PRÆFATIO.

INCIPIT EXPOSITIO.

Onus Nineve, Liber visionis Nahum Helchesei. Prologum istum Prophetiæ suæ Propheta præposuisse a quibusdam creditur; ab aliis, Esdram eum invenisse, asseritur. Sicut enim post incensam legem a Chaldæis, et ab eo reparatam novis inventis litteris, singulis Psalmorum præfixit titulos; ita doctrinæ gratiâ singulis ferè Prophetarum præposuit Prologos. Vel si eum Propheta præposuisse dicitur, humilitatis gratia de se, quasi de alio loquitur. Sic Moyses de se loquens, quasi de alio dicebat: *Locutus est Dominus ad Moysen, dicens: Præcipe filiis Israël, &c.* Sic Esaias: *Visio quam vidit Esaias filius Amos.* Sic Hieremias, *Verba*, inquit, *Hieremiæ, qui fuit in Sacerdotibus de Anatot.* Sic Michæas: *Verbum quod factum est ad Michæam de Morasti.* Et ita ferme incipiunt omnes Prophetæ. Id quoque reperitur in novo Testamento. *Dixit*, inquit, *Discipulus ille, quem diligebat Iesus Petro.* Tale quid in Apostolo: *Paulus*, inquit, *servus Iesu Christi, &c.* Et multa nobis talia tradunt divina eloquia. Vel sancti incipientes gratiam divinitus accipere, sitientes supplicant divinitati, in hoc maximè pro-

Sæpe in Libris Exod. Lev. Num.

Isai. 1. 1.

Ier. 1. 1.

Mich. 1. 1.

Ioan. 21. 7.

Rom. 1. 1.

proficientes, et exemplum gratiæ relinquentes posteritati.

2 *Onus Nineve.* In duodecim Prophetis quatuor fuisse legimus, qui onus in suis Prophetiis posuerunt: Nahum, scilicet, Abacuc, Malachiam, et Zachariam. Quorum primi tres posuerunt illud in principio. Zacharias verò duobus locis: in fine scilicet, et in medio. Dicit enim
Zach. 9. 1. in medio: *Onus Verbi Domini in terra Adrach, et Damasci requiei eius.* In fine verò sic:
et 12. 1. *Onus Verbi Domini super Israël.* Sed et apud Isaiam undecim legimus onera, hæc scilicet:
Isai. 13. 1. et 15. 1. et 17. 1. et 19. 1. et 21. 1. 11. 13. et 22. 1. et 23. 1. et 30. 6. *Onus Babylonis, Onus Philistiim, Onus Moab, Onus Damasci, Onus Ægypti, Onus deserti maris, Onus Duma, Onus in Arabia, Onus vallis visionis, Onus Tyri, Onus iumentorum Austri:* quæ ex ipsa qualitate numeri transgressionem significant peccati. In denario namque præceptorum signatur obedientia. In undenario, qui ipsam transgreditur, prævaricationis malitia. Huc accedit,
Exod. 26. 7. quòd undecim saga cilicina fiunt in tabernaculo: quòd Salvator extincto proditore chorum Apostolorum in hoc manere noluit. Onus autem miseriæ pondus superiùs significare diximus. Clamat verò
Rom. 7. 24. Apostolus: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore*
Luc. 23. 31. *mortis huius. Si ita est in viridi ligno, quid fiet in arido?* Unde Hieremias fidelem sollicitans animam de huius vitæ miseria;
Ier. 12. 5. *Si in terra*, inquit, *pacis secura non fueris, quid facies in superbia Iordanis?* Et Iob: *Ecce qui serviunt ei, non sunt stabiles, et in Angelis suis reperit pravitatem: quanto magis, qui domos habitant luteas, qui terrenum habent fundamentum, consumentur velut a tinea?* Sicut ergo in divino eloquio Cantica simpliciter, et Cantica Canticorum pro ineffabilis lætitiæ immensitate; et sæcula per se, et sæcula sæculorum, pro spatii æternitate; et sabbatum simpliciter, et sabbatum sabbatorum pro secretissimæ quietis felicitate; et opera simplicia, et opera operum pro veneranda ac mystica dignitate: ita possunt dici simpliciter onera singula crimina, vel singula tribulationum genera; onera verò onerum, culparum vel tribulationum immensitas nimia.
Iob 4. 18. 19.

Quot sint onera onerum.

3 Tria igitur sunt onerum onera. Vanitas, iniquitas, calamitas. Vanitas mundi, iniquitas animi, calamitas orci. Vanitas cæcat, iniquitas præcipitat, calamitas cruciat. Vanitas mundi cælestium aufert contemplationem; iniquitas animi, Dei et proximi dilectionem; calamitas tartari, affectum boni, et animi devotionem. Vanitas mundi facit vitiosum; iniquitas animi reddit odiosum; calamitas orci, suppliciosum. Vanitas facit incestum; iniquitas reddit infestum; calamitas, perpetuò mæstum. Vanitas deprimit, iniquitas curvat, calamitas frangit.

Ubi portentur.

4 Est etiam aliud, quod de his oneribus dicere possumus: quia scilicet aliud portatur in capite, aliud in brachiis, aliud in humeris. Onus in capite, vanitas

in mente. Onus in brachiis, iniquitas in opere. Onus in humeris, calamitas gehennæ. Prima fædat affectum. Secunda inhonestat actum. Tertia mortificat subiectum. De his tribus oneribus per Osee dicitur: *Arastis impietatem, messuistis iniquitatem, comedistis fructum mendacii.* Impietas siquidem aratur, quando quis ex studio mundi vanitatem meditatur. Iniquitatem metit, quando ex illicita cogitatione pravum opus colligit. Mendacii fructus comedit, quando prout gessit in corpore, apud inferos recipit. Aratur itaque, cogitando illicita. Legitur iniquitas, operando nefaria. Comeditur fructus eius, sustinendo supplicia. Osee 10. 13.

De vanitate. 5 Sed hoc de vanitate dicendum est, quòd illi alii sunt subditi, alii collaterales, alii suppositi. Primi carnales. Secundi spiritales. Tertii intellectuales. Primi, sensuum curiositati; secundi, humanæ necessitati; tertii contemplandæ student veritati. In primo ordine sensus sordidatur et cogitatio. In secundo, ornatur affectus, et honestatur actio. In tertio, sublimatur intellectus, et vegetatur ratio. Primi se mundo sponte subiiciunt. Secundi nolentes mundo serviunt. Tertii penitus mundum fugiunt. Primi igitur sunt brusi. Secundi activi. Tertii contemplativi.

De iniquitate. 6 Sed et de iniquitate similia possumus dicere. Quidam namque iniquitatem diligunt, sed non prædicant; nonnulli et diligunt, et prædicant: alii prædicant, diligunt, et defendunt. Tres igitur principales iniquitas habet species: nefas, scelus, malitiam. Nefas quantum ad Deum. Scelus ad seipsum. Malitia ad proximum. Nefarii sunt, mandata contemnendo. Scelesti, seipsos in vitia præcipitando. Malitiosi, proximos corrumpendo. Primus ordo eorum est, *quorum Deus venter est, et gloria.* Secundus eorum, qui *peccata sua prædicaverunt sicut Sodoma.* Tertius eorum, qui facti sunt *quasi scuta fusilia.* Primus eorum, qui proiecerunt in terra intima sua. Secundus eorum, qui dicunt: *Coronemus nos rosis antequam marcescant; hæc enim sors, et hæreditas nostra.* Tertius eorum, qui dicunt: *Via Domini non est æqua.* Primò igitur peccatur in Patrem. Secundò in Filium. Tertiò in Spiritum sanctum. In Patrem, agendo contra eius voluntatem. In Filium, contra illius humilitatem. In Spiritum sanctum, contra ipsius caritatem. Philipp. 3. 19. Isai. 3. 9. Iob 41. 6. Eccli. 10. 10. Sap. 2. 8. 9. Ezech. 18. 25.

De calamitate. 7 Calamitas quoque habet tres species. Prima est amaritudo conscientiæ. Secunda odium iustitiæ. Tertia desperatio veniæ. Primò miseri, quia remordet conscientia. Secundò miseriores, quia displicet iustitia. Tertiò, quia veniæ nulla restat clementia. Quia ergo vanitatem mundi, iniquitatem animi, calamitatem tartari superiùs onera diximus, restat nobis quærere alia, quorum ista dominantur onera. Esaiæ verò superiùs undecim onera posuimus, quæ vitiorum undecim significant genera, et undecim negotiorum exprimunt onera. Ac primùm de vitiis, deinde disseramus de negotiis.

In

Onera vitiorum. 8 In onere Babylonis præcipuè notatur superbia. In Moab, indignatio maximè et arrogantia. In Philistiim, sigillatim sensuum prava curiositas. In Damasci, expressa rapacitas. In Ægypti, omninò crapula et ebrietas. In deserti maris, singularitatis præsumptio. In Duma, superstitio. In Arabiæ, ficta dilectio. In vallis visionis, animi excæcatio. In Tyri, iactantia vitiorum, et elatio. In iumentorum Austri, religionis exprimitur dissolutio. Hæc ergo vitiorum sunt genera, nunc subsequenter negotiorum ponantur onera.

Negotiorum. 9 Horum primum quidem est * mandata potentia. Secundum, ethnica scientia. Tertium, canina facundia. Quartum, claritas sanguinis. Quintum, venustas corporis. Sextum, honestas coniugis. Septimum, exemplar sobolis. Octavum, fides amicorum. Nonum, humilis obsequela subditorum. Decimum, temporalium affluentia. Undecimum, omnium præfatorum possessio quieta. De his verò latiùs disserere in præsenti, non fuit consilii; hoc enim tractare, alterius erat negotii. Esse autem onera, ostendere his relinquo, qui premuntur onere. Vanitas igitur negotiis, iniquitas supponitur vitiis, calamitas gehennæ suppliciis. Unde quia illa dicuntur, et sunt onera; ista non immeritò onerum nuncupantur onera. Quòd vanitas suo multos deprimat onere, testatur Apostolus dicens. *Vanitati,* inquit, *creatura subiecta est, non volens.* *Rom. 8. 20.* In Psalmo verò legitur de iniquitatis onere. *Iniquitates,* inquit, *supergressæ sunt caput meum,* *Psal. 37. 5.* *et sicut onus grave gravatæ sunt super me.* Calamitas quoque gehennæ misserrimè aggravat, quam Salvator in Esaia torcular nuncupat dicens: *Torcular calcavi solus.* *Isai. 63. 3.* De prima legitur in Ecclesiaste: *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas.* *Eccl. 1. 2.* De secunda in Zacharia: *Super talentum plumbi sedet iniquitas.* *Zach. 5. 7. 8.* De tertia in Psalmo: *Contritio in viis eorum, et infelicitas.* *Psal. 13. 3.* Grave igitur iugum super filios Adam a die exitus matris usque in diem reversionis in ipsam, quando de vanitate ad iniquitatem, de iniquitate transeunt ad calamitatem. Sunt quoque alia onera præfatis longè dissimilia. *Eccli. 40. 1.*

Alia onerum genera: et qui ea portant. 10 Etenim primum dispensationis, secundum religionis, tertium dilectionis. Primum onus portant Prælati; secundum, huic mundo mortificati; tertium, in cubito consummati. Primi statum Ecclesiæ roborant; secundi faciem illius ornant; tertii eiusdem virtutem commendant. Primus ordo dicit: *Sollicitudo omnium Ecclesiarum, instantia mea quotidiana.* *2. Cor. 11. 28.* Secundus: *Elegit suspendium anima mea et mortem ossa mea.* *Iob 7. 15.* Tertius: *Sive Paulus, sive Cephas, sive Apollo omnia nostra.* *1. Cor. 3. 22.* Primus ordo eorum est, qui curvantur sub Deo, et orbem portant. Secundus eorum, qui carnem suam macerant, ut animam suam ad sapientiam transferunt. Tertius eorum, qui per singula proximorum se caritate vulnerant. *Iob 9. 13.*

Onus dispensationis. 11 Dispensatio verò tria sub se continet onera. Primum, occupationem exteriorum. Secun-

* Fortè *mundana.*

dum, sollicitudinem morum. Tertium, tolerantiam incommodorum. Primò subditorum militat necessitati. Secundò morum providet castitati. Tertiò, prout expedit, occurrit vel supplicat adversitati. Vel primum, negotium mundi; secundum, circumspectio sui; tertium, sollicitudo proximi. Necessarius est in primo. Honestus in secundo. Utilis in tertio. Necessarius, ne immoderatè superflua appetat. Honestus, ne effeminatè vivendo aliorum mores corrumpat. Utilis, quatenus ad veniam, ad gratiam, ad gloriam subditos præcedat. Necessarius igitur vita, honestus fama, utilis doctrina. Honestus exemplo, utilis consilio, necessarius ministerio.

Religionis. 12 Religio quoque in tribus constat. In carnis scilicet mortificatione. In animi devotione. In proximi compassione. Hinc per Iacobum Apostolum: *Religio*, inquit, *munda, et immaculata hæc est: Visitare pupillos, et viduas in tribulatione eorum, et immaculatum se custodire ab hoc sæculo.* Visitationem referens ad proximi compassionem: immaculatam custodiam, ad carnis mortificationem et animi devotionem. Quod etiam Salvator in Evangelio evidenter docuit, ubi de religione disserens, de eleemosyna, oratione, ieiunio faciendo discipulos monuit: ieiunium referens ad carnis mortificationem; eleemosynam ad proximi compassionem; orationem, non ad linguæ strepitum, sed ad animi devotionem. Vel primum est abstinentia mali; secundum, flagrantia boni; tertium, purificati animi lætitia.

Iac. 1. 27.

Matth. 6. 2. &c.

13 Dilectionis verò tria sunt onera: siquidem aliud a nobis exigitur a proximo, aliud ab Angelo, aliud a Deo. Proximus a nobis exigit humanitatis obsequia. Angelus, sinceritatis desideria. Deus, studia omni virtute flagrantia, omni suavitate manantia. Proximus devotum flagitat actum. Angelus sincerum quærit affectum. Deus purissimum exigit intellectum. Exhibenda est igitur proximo actionis pietas: Angelo morum sinceritas: Deo omnis conatus animi, et perfecta caritas. *Dilectionis.*

14 Spiritus enim sponsam suam sic ornatam, ita quidem ordinatam in Canticis multa laude prosequitur dicens: *Pulchra es amica mea, suavis et decora, terribilis ut castrorum acies ordinata.* Pulchra mundo, suavis proximo, decora cælo. Vel pulchra actu, suavis affectu, decora intellectu. Vel pulchra honestate famæ, suavis utilitate doctrinæ, decora vitæ sublimis necessitate. Vel pulchra exemplo, suavis verbo, decora consilio. Vel pulchra operibus, suavis moribus, decora mentis excessibus. Vel pulchra proximo, suavis Angelo, decora sponso. Meritò ergo terribilis hostibus dicitur, in qua nec mundi ambitio, nec proximi læsio, nec sui præsumptio, nec Angeli offensio, nec divinæ voluntatis aversio vel etiam ad modicum invenitur. Item de eodem per eumdem in eumdem: *Tota pulchra es amica mea, et macula non est in te.* Verè quidem pulchra, quæ nec hoste vinci-

Cant. 6. 3.

Ibi 4. 7.

citur, nec mundo corrumpitur, nec proximo seducitur, nec carne eliditur, nec mente erigitur. Tota quidem pulchra, quam nec actus corrumpit, nec affectus inficit, nec intellectus impedit: actus iniquitate, affectus vanitate, intellectus a cælestium claritate. Nulla est igitur in ea macula, in qua nec maligni prævalet suggestio, mundi sordent minæ vel promissio, carnis iacet sigillatio, mentis suffocatur elatio. Hæc igitur sunt dilectionis onera, quibus felix premitur anima. Hoc mens mea prematur onere, hoc anima moriatur depressa pondere. Onera igitur generalia constat esse quadrifaria. Alia namque sunt Dei, alia animi, alia mundi, alia inferni. Istorum quoque singula superiùs in aliis subdivisimus. Nunc cetera videamus.

15 Nineve in præsenti potest quadrifariè accipi. Historialiter est illa Metropolis inclyta Assyrii regni. Allegoricè in designatione mundi. Mysticè in typo Ecclesiæ. Moraliter in persona animæ. De civitate verò superiùs historialiter aliqua, licèt pauca, diximus. Restat ergo, ut ad alia exponenda transeamus. Ac primùm de interpretatione nominis videamus.

16 *Nineve* speciosa interpretatur: et de Deo atque mundo in quodam Philosophorum legitur:

. . . . . Tu cuncta superno
Ducis ab exemplo: pulchrum pulcherrimus ipse
Mundum mente gerens, similique imagine formans.

Si enim quis artificem cogitet, et materiam, et ex ipsa creaturarum dissimilium copiam, atque in rebus ordinem divinitùs insitum, et gratiam; possunt quidem per eius situm, ordinem, et ornatum Dei cognosci invisibilia: potest eius conspici utcumque potentia, sapientia, clementia. Potentia per situm, sapientia per ordinem, benignitas per ornatum. Unde et idem ab ornatu Græcè κόσμος nomen accepit. Mundus autem est universitas omnis, quæ constat ex quatuor elementis, globata in speciem absolutis orbis. Quòd si universitatis huius machinam intuearis, invenies, quòd mirabili ratione et sapientiâ compositio rerum omnium perfecta sit: quòd apta, quòd congrua, quòd decora, quòd cunctis partibus suis absoluta: in qua non solùm concordiam servant similia, sed etiam, quæ creante potentia ad esse prodierunt, dictante sapientia in unam quodammodo amicitiam et fœderationem conveniunt. Quid repugnantius potest esse igne et aqua? Quæ tamen in rerum natura ita Dei contemperavit providentia, ut non solùm adinvicem commune societatis vinculum non dissipent; verùm etiam nascentibus cunctis, ut subsistere possint, vitale nutrimentum subministrent. Omnis enim natura se diligit, et miro quodammodo plurium dissimilium, et in unum

Quanta sit mundi pulchritudo.

unum redactorum concordia unam in omnibus harmoniam facit. Vide, si pulchritudini divinorum operum aliquid desit : et si nihil, vel etiam in minimo, deesse videris, iam aliquid habes, unde artificem mireris.

17 Quæ cùm Psalmista intueretur, vehementer admirabatur dicens : *Quàm magnificata sunt opera tua, Domine! omnia in sapientia fecisti.* Item : *Memor fui operum Domini, quia memor ero ab initio mirabilium tuorum.* Item id : *Meditabor in omnibus operibus tuis, et factis manuum tuarum exercebor.* Quæ si quis investigare sufficeret, mirabilem in eis Dei sapientiæ lucem inveniret. Et hæc ego utinam possem tam subtiliter perspicere, tam competenter enarrare, quàm possum ardenter diligere! Delectat enim me, quia valde dulce et iucundum est, de his rebus frequenter agere, ubi simul et ratione eruditur sensus, et suavitate delectatur animus, et admiratione excitatur affectus, ita ut stupentes cum Psalmista, et admirantes clamemus : *Quàm magnificata sunt opera tua, Domine! nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ. Vir insipiens non cognoscet, et stultus non intelliget hæc.* Et hæc quidem de mundo dicta sufficiant. Nunc aliqua de Ecclesiæ decore in medium prodeant.

Psalm. 103. 24.
Psal. 76. 12.
Psal. 142. 5.
Psalm. 91. 6. 7.

Quantus decor Ecclesiæ.

18 Ecclesia namque sponsa Christi, templum Altissimi, civitas regis magni, tanta viget potentia, decore, sapientia, quòd nec hoste vinci, nec mundo nec proximo seduci, nec adversitate superari, nec prosperitate inclinari, nec aura sinistra ullatenus valet fuscari. Unde Salvator de ea in Evangelio : *Venerunt flumina, flaverunt venti, nec potuerunt eam movere, fundata enim erat super firmam petram.* Hinc in eius laude, et dilectione, et dilatatione nos excitat Psalmista : *Ponite corda vestra in virtute eius, et distribuite domos eius, ut enarretis in progenie altera.* Sicut enim (ut Tullius in fine secundi libri rhetoricæ meminit) sunt quædam de bonis civitatis, quæ ad eius incolumitatem, quædam quæ ad eius amplificationem pertinent; ita in Ecclesia, quæ civitas regis magni est optima, (1) quædam ad decorem, alia ad amplificationem. Ad sanitatem iustitia, ad firmitatem fortitudo, ad decorem prudentia, ad amplificationem temperantia.

Matth. 7. 25.
Psalm. 47. 14.
Lib. 2. de Inven. Rhetor. n. 56.

19 Siquidem quatuor sunt, quæ animam erudiunt et ornant, instruunt et roborant. Hæc scilicet : consilia, obsequia, subsidia, remedia. Ad prudentiam consilia, ad iustitiam obsequia, ad fortitudinem subsidia, ad temperantiam pertinent remedia. Consilia illuminant cæcos, obsequia reddunt devotos, subsidia roborant invalidos, remedia sanant ægrotos. Consilia expellunt ignorantiam, obsequia invidiam, subsidia infirmitatem, remedia cupiditatem. Consilia sapientiæ faciunt Doctores; obsequia, iusti-

Anima eruditur, ornatur, roboratur, instruitur consiliis, obsequiis, remediis, subsidiis.

(1) Hic fortè deest : *Quædam pertinent ad sanitatem, alia ad firmitatem.*

stitiæ amatores ; subsidia, veritatis defensores ; remedia, felicitatis dilectores. Felix ergo civitas, quæ nec eget consilio, nec caret obsequio, nec subsidii iacet imbecillitate, nec remedii sordet egestate. Hæc Christus eo glorificato, et Spiritu Patris atque suo dato Ecclesiæ suæ contulit : hæc ipsæ prior in ea ad ipsius gloriam protulit. Siquidem consilia vitæ dedit, obsequia iustitiæ, subsidia constantiæ, remedia pœnitentiæ. Consilia, homines docendo ; obsequia, turbas pascendo ; subsidia, viduæ, pupilli, et advenæ causas iudicando ; remedia, pertranseundo, et omnes oppressos a diabolo sanando. Consilia igitur dedit in monte ; obsequia iuxta mare ; in cænaculo subsidia ; remedia in cruce.

Ea Christus ad ipsius gloriam Ecclesiæ contulit.

Matth. 5. 2. &c. et 14. 15. &c.

Deut. 10. 18.

Act. 10. 38.

20 Hæc quoque Ecclesia a sponso suo accepit, quæ ad ipsius timorem, decorem, honorem, amorem aliis dilatandum ministravit. Siquidem per divinæ consilia scientiæ, et lucem sapientiæ sibi conversos copulavit Philosophos ; per obsequia misericordiæ subiugavit ethnicos ; per subsidia gratiæ constanter expugnavit hæreticos ; per remedia pœnitentiæ clementer revocavit schismaticos. Per consilia veniunt ab ignorantia naturali, tamquam a parte Orientali : per obsequia redeunt a fervore concupiscentiæ, tamquam a plaga Australi : per subsidia retrahuntur a frigore malitiæ, tamquam a climate Septentrionali : per remedia educuntur ab occasu vitiorum, tamquam a plaga Occidentali.

Et ad eius timorem, decorem honorem, amorem aliis dilatandum.

21 Hanc ei futuram numerosæ prolis lætitiam sponsus eius per Prophetam promiserat Esaiam. *Ecce, ego*, inquit, *adducam ab Oriente semen tuum, et filios tuos ab extremis terræ. Dicam Aquiloni : da : et Austro : noli prohibere.* Hanc etiam ei promiserat ore Psalmographi. *Magnus*, inquit, *Dominus, et laudabilis nimis in civitate Dei nostri. Fundatur exultatione universæ terræ mons Sion, latera Aquilonis, civitas regis magni.* Hæc revera civitas est refugii, qua venia, libertas, et fiducia donatur refugis morte summi Pontificis. In ea igitur sunt ad sanitatem mandata, ad firmitatem consilia, ad decorem charismata, ad amplificationem pœnitentiæ remedia. Apostoli ad sanitatem, Martyres ad firmitatem, Virgines ad decorem, Confessores ad amplificationis odorem. Ad sanitatem caritas, ad firmitatem humilitas, ad decorem continentia, ad amplitudinem clementia. Ad sanitatem illius pœnitentes, ad firmitatem prædicatores, ad decorem mundi contemptores, ad amplificationem coniugati misericordes.

Ecclesiæ incrementum prænunciatum in Veteri Testamento.

Isai. 43. 5. 6.

Psalm. 47. 2. 3.

Num. 35. 28. 32.

22 Iterum sunt alia huius civitatis bona pretiosissima, quæ et ei sanitatem conferunt, et ipsam roborant, decenter exornant, et amplissimè dilatant. Evangelica gratiâ sanatur, doctrinâ Apostolica roboratur, eloquiis sanctorum Doctorum ornatur, decretis Patrum Orthodoxorum, et canonibus dilatatur. Cùm igitur hæc civitas et a rege, et a lege, et a plebe, et a si-

Alia Ecclesiæ bona.

situ, a copia, ab ornatu feliciter sit dotata; quia videlicet eius rex felicitas, ipsius lex caritas, plebs fidelium et sub rege et lege consors societas, situs fidei et morum sinceritas, et copia doctrinarum, et virtutum affluentia: ornatus, charismatum gratia: * processionum diversa genera: cùm tot et tantis (inquam) bonis, et talibus hæc civitas largiter supereffluat; quæ miseros angit dementia, vitiorum sitire absinthium, huius mundi sequi naufragium, vitæ semper pati infortunium, impiæ tyrannidis ferre dominium, et non potius convolare ad auxilium serenissimæ civitatis, ad gremium maternæ caritatis, ad gaudium angelicæ felicitatis, decurio huius regis, ac minister huius legis, atque civis huius urbis fieri? De qua dicitur voce Psalmographi: *Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei.* Item idem de eadem: *Magnus Dominus, et laudabilis nimis in civitate Dei nostri.* Hæc est illa speciosa, de qua sponsus in Canticis multa profert gloriosa dicens: *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es. Oculi tui columbarum.* Item idem in eodem: *Pulchra es amica mea, suavis et decora, terribilis ut castrorum acies ordinata.* Item idem de eadem in eodem: *Tota pulchra es amica mea, et macula non est in te.* Item sponsa in eodem de seipsa, *Nigra sum*, inquit, *sed formosa filia Hierusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis.*

* fors. *professionum.*

Psalm. 85. 3.

Psalm. 47. 2.

Cant. 4. 1.

Ibi 6. 3.

Ibi 4. 7.

Ibi 1. 4.

23 Hìc nobis suboritur a latere perutilis divisio, hìc nobis quadrifariæ divisionis data est occasio. Siquidem mulier alia est non nigra, sed formosa; alia nigra et formosa; alia nec formosa, nec nigra; alia non formosa, sed nigra. Prima est regina cæli; secunda in terris sponsa agni; tertia uxor mundi; quarta coniux diaboli. Prima est eorum, qui lætantur cum Christo in cælis. Secunda fidelium peregrinantium in terris. Tertia eorum, quos mundi absorbuit vanitas. Quarta eorum, quos pœnis affligit iniquitas, vel apud inferos cruciat calamitas.

24 Siquidem quatuor sunt genera sponsalium, quibus desponsantur præfatarum genera mulierum. Hæc scilicet: contemplationis divinæ lætitia, veniæ gratia, mundi concupiscentia, inferni miseria. Primo desponsatur beatorum Angelorum societas; secundo, iustorum hominum gloriosa unanimitas; tertio, reproborum perniciosa vanitas; quarto, apud inferos pessimorum horrenda infelicitas. Primi sunt in requie. Secundi stant in acie. Tertii turpiter sunt prostrati. Quarti, mancipati misericorditer. Prima est ea, quæ sursum Hierusalem libera mater nostra. Secunda et tertia, in Dominica area triticum simul et palea. Quarta apud inferos dolore torquetur et miseria. In prima omnia gloriæ, sed nihil miseriæ. In secunda, multum gloriæ, sed quiddam miseriæ. In tertia, multum miseriæ, sed vix aliquid gloriæ. In quarta, nihil omnino gloriæ, sed omnia miseriæ. Prima ergo sur-

Gal. 4. 26.

3. *Reg.* 10

sursum lætatur cum Christo. Tertia fornicetur cum mundo. Quarta crucietur cum diabolo. Secunda præparetur sponso; ut et nigra sit per pœnitentiam, et formosa per obedientiam; nigra per humilitatem, formosa per caritatem; nigra, tentationum pugna; formosa, virtutum constantia; nigra, ministerio; formosa, desiderio; nigra, exercitio religionis; formosa, sinceritate contemplationis; nigra est Ecclesia in carnalibus, formosa in spiritualibus; nigra in activis, formosa in contemplativis. Hæc est regina Æthiopiæ, quæ venit a finibus terræ sapientiam Salomonis audire. Nigra est ergo, quia Æthiopica; formosa, quia æstuans sapientiâ. Nigra, quia venit a finibus ultimis; formosa, quia affluens delitiis.

25 Hæc autem de ea in libro Regum scripta sunt: *Regina Saba, audita fama sapientiæ Salomonis, venit in Hierusalem tentare eum in parabolis. Et cum ea cameli portantes onera. Et attulit secum aurum multum, et lapidem valde pretiosum. Ingressaque est ad Salomonem, et locuta est ei omnia, quæcumque erant in corde suo. Et enuntiavit ei Salomon omnia verba sua: et non fuit verbum, quod Rex omiserat, et ei non indicaverat. Et vidit Regina Saba omnem sapientiam Salomonis, et domum, quam ædificavit, et cibos eius, et sedem puerorum eius, et ordinem ministrorum eius, et vestes eius, et vini fusores eius, et holocausta eius, quæ offerebat in dono Domini: et obstupuit, et dixit: Verus est sermo, quem in terra mea de verbo tuo, et de prudentia tua audivi: et ecce nec dimidia pars enuntiata est mihi. Et dedit Salomoni centum viginti talenta auri, et odoramenta multa, et lapidem valde pretiosum.* Venit ergo Regina Saba, id est, Ecclesia ex Gentibus diu sub vitiis capta. Hoc enim interpretatur *Saba*. Venit audire sapientiam Salomonis, et tentare eum in parabolis. Multa enim apud eam ferebantur incerta, utpote de mundi conditione, de immortalitate animæ, de futuro iudicio, de sanctorum glorificatione, et aliis multis. De quibus omnibus accedens ad Christum certificata est ad liquidum. *Et cum ea cameli portantes onera*, Gentiles scilicet afferentes secum misericordiæ opera, vel diversa vitiorum genera. *Et aurum multum*, rationabilem videlicet sensum. *Et lapidem pretiosum*, naturalem intellectum. Ingressa est per pœnitentiam ad verum Salomonem; locuta est ei omnia per confessionem. Sed et Salomon omnia verba eius enuntiavit ei, quia postquam illi reconciliata est, post in amicam et sponsam versa est. Tunc Iesus eam in cellam introduxit vinariam: hinc ostendit ei ineffabilem divitiarum copiam. Unde in Evangelio, *Iam non dicam vos servos, sed amicos: quia omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis.* Vidit quoque sapientiam et prudentiam eius: prudentiam scilicet, qua dispo-

3. Reg. 10. 1. &c.

Cant. 1. 4.

Ioan. 15. 15.

nit humana ; sapientiam , qua re-
Prov. 9. 1. git divina. *Et domum eius,* Incarnationis eius Mysteria. Ipsa est enim , quam sibi ædificavit sapientia. Vidit et cibos Salomonis : diversa pietatis genera, et varios affectus ordinatæ dilectionis. Vidit puerorum eius sedem : Ecclesiasticum in Episcopis et Presbyteris ordinem. Vidit ministrorum eius ordines : inferiorum scilicet graduum status differentes. Sed et eius vestes: singulos credentium , vel ornamenta virtutum. Vini quoque fusores : electos verbi divini prædicatores. Vidit eius holocausta: sine dubio orationum supplicationumque mysteria. Ubi vidit hæc omnia , admirata est super eius responsis , atque prudentia. Si quis verò unctionum genera, sacramentorum mystica officia, professionum devota studia , gradus ordinum , ordines dignitatum, dignitates ministrorum, ministros sacramentorum , sacramenta et exempla consideret; videt in his potentiam Regis mirabilem , sapientiam incomprehensibilem , benignitatem ineffabilem, lucem inaccessibilem. Hæc de statu et decore sanctæ paulò latiùs diximus Ecclesiæ , quatinus evidenter omnibus clareat: si sic in regione dissimulationis, in convalle plorationis nitet eius tabernaculum , quomodo tem-
* fortè *sursum.* plum * fulsum fulgeat ? Si enim quod evacuabitur tanta fulget gloria , multò magis clarificatum est , quod semper in gloria manet.

Anima quantùm decora et speciosa. 26 Nineve quoque ad decorem referri potest animæ. Sed ne prolixiùs currat oratio , Ezechielis prophetica sufficiat lectio, qua dicitur : *Hierusalem , Hie-* Ezech. 16. 3. *rusalem , radix tua , et generatio de terra Chanaam , &c.* Dominus autem infelicem animam alloquens , et eam more rhetoris ex attributis personæ , et negotio convincens , et ei ante rem, cum re , et post rem adhærentia prætendens , ante rem , quàm sordida , quàm deformis , et quàm vilis : cum re , quàm sincera, quàm decora , quàm amabilis: post rem , quam fœtida , venefica , quantum abominabilis fuerit , intimat. Post hæc spretus, et adiectus , et confusus eam pius insequitur , et clementer revocat : promittendo retrahit, retrahendo perficit , consummando felicitat. Rem verò gratiam electionis nuncupo. Attributa personæ , quibus confunditur , convincitur , hæc sunt : Nomen, victus , fortuna , habitus , affectio, studia , consilia , facta , captus, institutio. Ex attributis autem negotio confunditur , quando præparatione , perpetratione , exitu, tempore , occasione , loco, facultate , modo convincitur.

27 Super quibus si quis certificari studeat , lectionis seriem propheticæ diligenter dissentiat.* * fors. *disserat,* aut *edisserat.* Ego verò non docere Rhetoricam , sed lectionem aggressus sum explanare propheticam. Priùs ergo quæ vel qualis ex vitio fuerit , quæ vel quanta ex gratiæ officio exstiterit , manifestat dicens : *Radix tua , et generatio* Ezech. ubi supr. *tua de terra Chanaam. Pater tuus Amorrhæus , et mater tua Hethæa. Et quando nata es,*

in

in die ortus tui non est præcisus umbilicus tuus ; non aqua lota in salutem , nec sale salita , nec pannis involuta , &c. quæ improperando supponit: Ibid. v. 8. &c. *Usquequo*, ait, *et transivi per te, et vidi te , et ecce tempus tuum, tempus amantium. Et expandi super te amictum meum , et operui ignominiam tuam. Et iuravi tibi , et ingressus sum pactum tecum , et facta es mihi. Et lavi te aqua , et mundavi sanguinem tuum ex te. Et unxi te oleo , et vestivi te discoloribus , et calceavi te hyacintho , et cinxi te bysso , et polymito , et multis coloribus. Similam , et mel , et oleum comedisti , et decora facta es vehementer nimis , et profecisti in regnum. Et egressum est nomen tuum in gentes propter speciem tuam : quia perfecta eras in decore meo , quem posueram super te , dicit Dominus.*

28 Intuere super abundantes divitias divinæ clementiæ: quomodo meretricum meretrix ex sordido prostibulo in reginam sublimata , ornata cultu regio sedet in culmine virtutum , et regni fastigio. Verè superabundantes divitiæ , cum non solùm nobis necessaria , verùm etiam commoda apta tribuit , et grata. Si enim sola necessaria tribueret, bonitas quidem esset , sed dives non esset. Cùm vero necessariis commoda adiungit , divitias bonitatis suæ ostendit. Cum autem commoda congruis superadditis cumulantur , abundantia divitiarum bonitatis eius demonstratur. Sed dum postremo congruis etiam grata adiicit , quid aliud, quàm superabundantes divitias bonitatis suæ notas facit ?

29 Intuere diligenter singula , et vide quanta Salvatoris nostri clementia , quanta nostræ salutis ei sit diligentia. Priùs enim aquis compunctionis abluit , deinde virtutum vestimentis induit , postea sapientiæ delitiis reficit , domum in honore regiæ felicitatis erigit. Primò aquis lavatur pœnitentiæ. Secundò indumentis ornatur iustitiæ. Tertiò divinæ scientiæ cibatur ferculo. Quartò in regiæ dignitatis sublimatur solio. Dicit ergo Dominus: *Extendi super te amictum meum.* Amictus est Angelorum custodia ; operimentum ignominiæ , virilis pœnitentia ; pactum , mandatorum observantia ; iuratio , salutis immobilis ratio ; *facta est ei* , illius in æternum glorificatio. Lavat eam lacrymis pœnitentiæ , mundat eius sanguinem per opera misericordiæ , ungit eam oleo lætitiæ ex securitate conscientiæ. Ornat eam varietate virtutum; munit affectus eius firma spe cælestium ; candore cingit virgineæ puritatis ; inferiùs afficit spiritualibus theophaniis. Lætificat eius mentem scientiâ varietatis. Dat ei constantiam operum , et perfectionem obedientiæ , gratiam doctrinæ , et odorem bonæ famæ. Confert illi decorem sapientiæ , et nitorem eloquentiæ , candorem innocentiæ , iucunditatem contemplativæ lætitiæ. Cibat eam naturalis legis notitiâ , scriptæ legis intelligentiâ , Evangelii gratia.

tia. Vel reficit eam allegorica scientia, morali, ac mystica. Vel erudit eam rerum mundanarum scientia, causarum occultarum intelligentia, divinarum rerum sapientia. Vel reficit eam puritate actionis, dulcedine dilectionis, suavitate contemplationis. Vel docet eam Trinitatis notitiam, Patris scilicet potentiam, Filii sapientiam, Spiritus Sancti benignissimam clementiam. Sic est decor animæ, sic ei immortales conferuntur divitiæ. Sic ornatur pectus, honoratur sensus, purificatur affectus, clarificatur intellectus. Sic decoratur vita, mundatur conscientia, commendatur doctrina, celebratur fama. De huiusmodi in Canticis voce sponsi dicitur: *Quæ est ista quæ ascendit de deserto deliciis affluens, innixa super dilectum suum?* Item de eodem alibi per eumdem: *Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas.*

Cant. 8. 5.

Prov. 31. 29.

30 Hæc de speciositate animæ breviter dicta sufficiant. Nunc videamus quæ onera cui conveniunt. Onus mundi est ipsius vel per Christum in melius, vel in fine destructio. Onus Ecclesiæ, hæresum vel schismatum, seu morum carnalium impugnatio. Onus animæ, vitiorum subita incursio. Onus primum est in destructione idololatriæ. Secundum, in defensione iustitiæ. Tertium, in reparatione innocentiæ. Prævidens ergo Propheta Ninevem subverti, mundum destrui, Ecclesiam turbari, animam vitiis impugnari; quasi præmuniens dicit: *Onus Nineve.* Ac si diceret: Quiescat, videat ne cadat; et qui tenet teneat, donec de medio fiat.

Onus mundi, Ecclesiæ, et animæ.

1. *Cor.* 10. 12. 2. *Thes.* 2. 7.

31 Sed qui angustiam oneris præmiserat, ne quis desperando oneri succumbat, post tristitiam oneris lætitiam supplet visionis dicens: *Liber visionis Nahum Helcesei.* De nomine verò libri multiplex fit mentio in serie divini eloquii. Hinc per Iob: *Quis mihi adiutorem tribuat, ut desiderium meum omnipotens audiat? Et scribit ipse librum qui iudicat, ut in humero meo portem illum, et circumdem quasi coronam mihi.* Hinc per Esaiam: *Erit*, inquit, *vobis visio omnium, quasi verba libri signati, quem cum dederint scienti litteras, dicent: Lege istum: et respondebit: Non possum, signatus enim est.* Hinc Dominus ad Ezechielem: *Fili hominis, aperi os tuum, et comede quodcumque ego do tibi. Et vidi, et manus missa ad me, in qua erat involutus liber. Et expandit illum coram me, qui erat scriptus intus et foris. Et scriptæ erant in eo lamentationes, et carmen, et væ. Et comedi illud, et factum est in ore meo sicut mel dulce.* Item Daniel de eodem: *Aspiciebam*, inquit, *et ecce throni positi sunt, et antiquus dierum sedit. Vestimentum eius quasi nix candidum, et capilli eius velut lana alba. Thronus eius flamma ignis, rotæ eius ignis accensus. Fluvius igneus, rapidusque egrediebatur de ore eius. Millia millium ministrabant ei, et decies centena millia assistebant ei. Iudicium sedit, et*

Multiplex mentio Libri et significatio in sacra pagina.

Iob 31. 35. 36.

Isai. 29. 11.

Ezech. 2. 8. 9.

Ibid. 3. 3.

Dan. 7. 9. 10.

Zach. 5. 1. &c. *et libri aperti sunt.* Hinc Zacharias: *Levavi*, inquit, *oculos meos, et ecce volumen volans. Et dixit ad me: Quid tu vides? Et dixi: Ecce video volumen volans. Longitudo eius decem cubitorum, et latitudo eius decem cubitorum. Et dixit ad me: Hæc est maledictio, quæ egreditur super faciem orbis terræ.* Item in Apocalypsi de Apoc. 5. 1. &c. eodem: *Et vidi in dextra sedentis super thronum librum scriptum intus, et foris signatum sigillis septem. Et nemo poterat solvere eum nisi leo, qui vicit de tribu Iuda. Ipse enim aperuit eum, et solvit eius signacula.* Hæc omnia ex divino protuli eloquio, quatenus lectori clareat, quòd in eo sit libri multiplex significatio.

Alius est Liber naturæ, alius disciplinæ, alius gratiæ, et quid in eis doceamur.

33 Liber igitur alius est naturæ, alius disciplinæ, alius gratiæ. Primus docet humanam æquitatem. Secundus, humanam impunitatem. Tertius, humanam et divinam caritatem. Primus conscientiæ et morum promittit serenitatem. Secundus, temporalium bonorum fœcunditatem. Tertius, regni cælorum felicitatem. Primus, instituta naturæ. Secundus, corporeæ scita disciplinæ. Tertius monita docuit gratiæ. Primi, doctrina honesta. Secundi, utilis. Tertii, necessaria. Per primum amicus honestatur. Per secundum servus ligatur. Per tertium filius in hæreditatem vocatur. Amicus, ut referat gratiam; servus, ne fugiat ad idololatriam; filius, ut spreto exilio festinet ad patriam. Primus humanæ societatis docet honorem. Secundus humanæ fragilitatis probat timorem. Tertius divinitatis ministrat * timorem. Primus igitur est confœderationis. Secundus, correptionis. Tertius, dilectionis. Primus est ratio animi. Secundus, lex Moysi. Tertius, Evangelium Christi. Sic humanum genus priùs accipiens naturalis legis honorem, transgressor factus incidit in timorem, demum per gratiam liquescens in amorem, tandem ad pristinum rediit honorem. Horum uterque potest dici *liber visionis*, dum et per primum intelligi divina felicitas, et per secundum deitatis unitas, et per tertium æternitatis valet identitas. Per primum pacis sinceritas: Per secundum prudentia: Per tertium pietas. Sinceritas, naturam pacificando. Prudentia, consilium legendo. Pietas, seipsum pro servis habendo.

* Fortè *amorem.*

Mundi fabrica, humana conscientia, prædestinatio divina tres sunt libri, quibus noscuntur Dei invisibilia.

34 Sunt etiam alii tres libri, quorum doctrina noscuntur invisibilia Dei. Primus est fabrica mundana. Secundus, conscientia humana. Tertius, prædestinatio divina. Universus enim mundus iste quasi quidam liber est digito Dei scriptus, hoc est, virtute divina creatus, et singulæ creaturæ quasi figuræ quædam sunt, non humanæ placito inventæ, sed divino arbitrio institutæ ad manifestanda, et quasi quodammodo significanda Dei invisibilia. Quemadmodum autem si illiteratus quis apertum librum videat, figuras adspicit, litteras autem non cognoscit; ita stultus et animalis homo, qui non percipit ea, quæ Dei sunt; in visibilibus istis creaturis foris videt speciem, sed

Quomodo in mundi fabrica.

1. Cor. 2. 14.

sed non intelligit rationem. Qui
v. 15. autem spiritalis est, et omnia diiudicare potest, intus conspicit, quàm miranda sit potentia creatoris, quàm veneranda sapientia artificis, quàm diligenda benignitas præsidentis. Et ideò nemo est, cui opera Dei mirabilia non sunt, dum in eis insipiens solam miratur speciem. Sapiens autem per id quod foris videt, profundam rimatur divinæ sapientiæ rationem: velut si in una eademque scriptura alter colorem seu formationem commendet, aliter verò sensum et significationem laudet. Bonum est ergo assiduè contemplari divina opera et admirari, sed ei qui rerum corporalium pulchritudinem in usum novit vertere spiritalem. Nam et ideò Scriptura tanto opere nos ad consideranda visibilia Dei excitat, ut per ea quæ foris cernimus, intus ad agnitionem veritatis veniamus. Unde Psalmista quasi pro magno se iam hoc fecisse commemorat, et adhuc se facturum pronuntiat
Psalm. 142. 5. dicens: *Memor fui dierum antiquorum, meditatus sum in omnibus operibus tuis, et in factis manuum tuarum exercebor.*

Tria sunt visibilia Dei, tria mundi, et quæ.

35 Tria igitur sunt visibilia Dei: Potentia, sapientia, benignitas. Tria quoque visibilia mundi: immensitas, formositas, utilitas. Potentia manifestatur per immensitatem. Sapientia per formositatem. Benignitas per utilitatem. Hæc tria præfata sunt quasi quædam divinæ cogitationis expressissima simulacra. Quærendum est ergo, quid horum prius contemplantibus in agnitione occurrat. Omnis autem creatura, quantò vicinius similitudini creatoris appropinquat, tantò viciniùs creatorem suum declarat. Illud verò visibile simulacrum invisibile exemplar priùs ostendere debet, quod divinæ similitudinis imagine in se perfectum retinet. Immensitas autem creaturarum magis ad essentiam, decor verò earum magis pertinet ad formam. Essentia verò * aliisque forma considerata, informitas est. Quod autem informe est, in hoc quidem quod est, Deo simile est. Sed in hoc, quod forma caret, a Deo dissidet. Quod ergo formatum est, magis Deo simile est, quàm id quod forma caret. Unde constat, quòd evidentius simulacrum est decor creaturarum, quod pertinet ad formam; quàm immensitas earum, quæ ad solam spectat essentiam.

* leg. *absque.*

36 Item decor creaturarum propter formam naturalem pertinet ad habitum, utilitas verò ad actum: quia in hoc creaturæ utiles sunt, quòd homini subiectæ serviunt, et obsequium reddunt. Quod autem ad habitum pertinet, magis proprium est et magis certum, quàm id quod pertinet ad actum; quia habitum natura indidit, actum verò institutis adiunxit. Simulacrum ergo decoris immensitatem pariter et utilitatem in cognitione præcedit. Et propterea prius, quia in manifestatione (est) evidentius. Pulchra autem inquirenda sapientia ab ipso sapiente simulacro in-

inquisitionis exordium sumitur, quia per sapientiam suam Pater manifestatur: non solùm quando sapientiam suam in carnem misit, sed tunc quoque quando per sapientiam suam mundum creavit.

37 Decor verò creaturarum, quem simulacrum sapientiæ esse diximus, quatuor complectitur: situm, motum, speciem, et qualitatem. Sed in his motus excellentiorem locum habet: quia viciniora vitæ mobiliora sunt, quàm ea quæ moveri non possunt. Motus autem quadripartitus est: localis, naturalis, animalis, rationalis: ante et retro, dextrorsùm, sinistrosùm, sursùm, deorsùm, et circùm. Naturalis in augmento et detrimento, animalis in sensibus et appetitibus, rationalis in factis et consiliis. Rationalis verò cunctis superponitur, quia in eo non solùm sensus ad animandum, sed ratio quoque ad intelligendum movetur. Hoc simulacro nullum potest in creaturis esse evidentius; quia id quod sapit, invisibilem sapientiam ostendit cunctis manifestiùs. Primum ergo ac principale increatæ sapientiæ simulacrum est creata sapientia, id est, rationalis creatura: quæ, quia secundùm aliquid invisibilis, secundùm aliquid visibilis est, ianua contemplationis facta est pariter et via. In quantum invisibilis est, ianua; in quantum verò visibilis, via. Ianua est, quia ingredienti ad contemplationem animo primum aditum pandit. Via est, quia currentem in contemplationem animum ad finem perducit. Ianua est, quia quodammodo invisibilia visibiliter ostendit. Via est, quia de visibilibus per invisibilia euntes usque ad visibilium pariter et invisibilium creatorem videndum perducit. Hoc valet in seipso noscere vafer homo.

38 Quoniam verò de visibilibus ad invisibilia * oculos autem contemplationis ingressi sumus, ad hoc usque via investigationis penetravimus, ut iam creatorem rerum sine principio, sine fine, sine mutabilitate esse non dubitemus. Restat igitur considerare, utrùm ex secundo libro, id est, ex humana conscientia, Dei noscantur invisibilia. In conscientia quidam humana sunt tria, per quæ cognoscuntur utrinque Dei invisibilia, personarum scilicet Trinitas, et essentiæ unitas. Hæc autem sunt: potentia Patris, sapientia Filii, benignitas Spiritus sancti. In anima verò hæc tria sunt: mens scilicet, intellectus, et amor. Mens quidem de se intellectum gignit, una unum. Quæ dum conspicit, quòd subtilis, quòd verus, quòd conveniens, quòd iucundus sit, mox eum diligit, et sibi in ipso complacet. Videt pariter et stupet, et se tale quid invenire potuisse miratur, et gaudet. Libet illum semper aspicere, semper habere, semper illo frui, semper in illo delectari. Ipse per se placet, nec aliquid extra illum quæritur; quia in illo totum amatur. In illo contemplatio veritatis ad videndum de-

* forte leg. *oculis.*

Quomodo ex humana conscientia Dei noscuntur invisibilia.

delectabilis, ad habendum suavis, ad fruendum dulcis. Cum illo secum mens quiescit, nec unquam secreti sui tædio afficitur; quæ hoc unico, non tamen solitario, consorte lætatur.

39 Considera ergo hæc tria, mentem, intellectum, amorem. De mente intellectus nascitur, de mente pariter et intellectu amor nascitur: de sola mente solus intellectus, quia sola solum genuit. Amor verò non de sola mente, nec de solo intellectu; quia de utroque procedit. Priùs mens, deinde mens et intellectus, postea mens, intellectus, et amor. Et hoc quidem in nobis ita est: verùm in Deo longè aliter suadet ratio. Semper enim in illo sapientia; quia semper sapientiam habuit, quia semper sapiens fuit. Semper ab illo sapientia; quia genita se a gignente non dividit. Semper genita est, et semper gignitur: nec cum gignitur, inchoans, nec cum genita est, cessans. Semper gignitur, quia æterna; semper genita est, quia perfecta. Qui genuit, Pater est: qui genitus est, Filius est. Et quia qui genuit, semper genuit, æternus est Pater. Et quia, qui genitus est, semper genitus est, æterno Patri Filius coæternus est. Item qui semper sapientiam habuit, semper sapientiam dilexit. Qui verò semper dilexit, semper amorem habuit. Itaque æterno Patri, et Filio coæternus amor est, quia Spiritus sanctus est.

40 Sed quia superiùs creatorem omnium summè et verè unum esse asseruimus, hæc tria in Deo unum esse, oportet ut confiteamur. Quia iterum ille, qui genitus est, non potest ille esse, a quo genitus est: neque item ille, qui a gignente et genito procedit, ille esse potest, qui est gignens, vel genitus; inexpugnabili ratione veritatis in Deo et personarum Trinitatem et substantiæ unitatem cogimur asserere. Tres ergo unum sunt, quia in tribus personis una est substantia; sed tres unus non sunt, quia sicut distinctio personarum Deitatis unitatem non dividit, ita et unitas Deitatis personarum distinctionem non confundit. Tribus ergo in Deitate una communis est et æqualis æternitas, et æterna æqualitas. Quia non potest esse singulis dissimile, quod omnibus facit Deitas una commune. Hoc iam dictum sufficiat ex cognitione divina, quæ ex humana trahitur conscientia. Sed sciendum est, quòd hæc cognitio, et visio dicitur, et sapientia dicitur, et præscientia dicitur, et providentia dicitur. Visio, quia aspicit. Sapientia, quia intelligit. Præscientia, quia prævenit. Providentia, quia disponit.

41 Primus igitur liber est mundanæ conditionis. Secundus, humanæ rationis. Tertius, divinæ prædestinationis: per quorum singula noscuntur Dei invisibilia, et mundi desolatio, et eiusdem per Christum reparatio, et status Ecclesiæ, et redemptio animæ, et felicitas patriæ. Primi libri singuli anni sunt quasi quaterniones; folia, menses; paginæ, dies; constructiones, summæ negotiorum;

rum; color, prosperitas eorum; litura vel mendositas, adversitas ipsorum. Dum igitur fortuna ridet, litura fulget; dum mutat vultum, oratio patitur defectum. Liber iste scriptus est intus et foris. Foris, apertis negotiis; intus, occultis causis. In eo quoque scriptæ sunt lamentationes, carmen, et væ. Væ Ethnicorum, lamentationes Hæreticorum, carmen Christianorum. In mundo namque et miserorum supplicia, et lapsorum pœnitentia, et sanctorum innocentia.

42 De secundo quoque libro possumus dicere similia. Huius namque quasi quaterniones sunt animi dispositiones; folia, dispensationes; paginæ, affectiones; orationes, cordis intentiones; litteræ color, Dei et proximi amor; eclipsis vel litura, ambitio sæculi, et carnis concupiscentia. Scriptus quoque est intus et foris. Intus, desideriis; foris, factis: foris operando, intus diligendo. Et in eo sunt scriptæ lamentationes, carmen, et væ. Væ, mentis excæcatio; lamentationes, peccatorum confessio; carmen, veritatis contemplatio. Væ, salutis desperatio; lamentationes, delictorum compunctio; carmen, perfecta dilectio.

43 De tertio verò libro multa possent dici subtilia: sed nos prolixitatis vitandæ gratiâ, festinare cogimur ad alia. Primus igitur liber historicus. Secundus moralis. Tertius anagogicus. Primus est bibliotheca negotiorum. Secundus, canon vel regula morum. Tertius, doctrina et causa cunctorum. Uterque ergo, ut præfatum est, liber est visionis Nahum.

44 *Nahum* consolator interpretatur: quòd congruè super Salvatoris intelligitur persona, qui iuxta illud Apostoli, *consolatur nos in omni tribulatione nostra.* Quatuor namque sunt eius principales in nobis consolationes. Alia enim est in temporalium bonorum pacifica fertilitate, alia in corporum sanitate, alia in morum concordia, alia in contemplationis lætitia. Prima propellit mundi miserias. Secunda, carnis angustias. Tertia, animi molestias. Quarta contemplationis excludit tenebras. Prima consolatio est carnalis. Secunda animalis. Tertia spiritalis. Quarta intellectualis. Prima pacificat actum. Secunda tranquillat sensum. Tertia sedat animum. Quarta illustrat intellectum. Prima invitat ad misericordiæ opera. Secunda ad religionum exercitia. Tertia ad formam perfectæ dilectionis. Quarta ad lætitiam contemplationis. Prima, servum; secunda, mercenarium; tertia, filium; quarta, spiritale facit coniugium. 2. Cor. 1. 4.

45 *Helcheseus* interpretatur advocatus. In causæ prosecutione opus est advocatione. Est etiam in reconciliatione facienda advocatio necessaria. Tres enim generales causæ persecutionis; tres nobis sunt necessariæ advocationes. Tres siquidem in causam ducimus. Tertiò de moribus et vita ante iudicem discutimus. Primò enim stamus ante hominem. Secundò ante Angelum. Tertiò ante Deum. Ante hominem, pec-

cata confitendo ; ante Angelum, pro peccatis supplicando ; ante Deum sententiam exspectando. Primò ducit in causam timor pœnæ. Secundò conditio vitæ. Tertiò necessitas iustitiæ. In prima causa advocatum habemus pœnitentiam. In secunda iustitiam. In tertia solam Salvatoris misericordiam. Prima igitur est in peccatorum confessione. Secunda in vitæ huius consummatione. Tertia in generali omnium examinatione. Quisquis verò eleganter, et purè primam peroraverit causam ; in secunda primam, in tertia geminam gloriæ induet stolam. Prima igitur rectè perorata, iustificatur ; in secunda honorificatur ; in tertia glorificatur.

1. *Ioan.* 2. 1. Advocatum igitur habemus Iesum Christum iustum. In prima suggerendo pœnitentiam, in secunda conferendo iustitiam, in tertia perducendo ad gloriam. Advocatus igitur est et consolator Iesus, misericordiosissimus Salvator : consolator in miseria, advocatus in causa ; consolator in tribulatione, advocatus in peroratione ; consolator, ne succumbamus, advocatus, ut vincamus.

Nahum 1. 2. 3. 46 *Dominus æmulator, et ulciscens Dominus. Ulciscens Dominus, et habens furorem: ulciscens Dominus in hostes suos, et irascens ipse inimicis suis.* In Prophetæ exordio tumentem pro nitore linguæ oratorem, ac de flore colorati eloquii se iactitantem adhortamur, ne Demosthenis lepores, Quintiliani flores, Ciceronis colores divini eloquii simplicitati coloratissimæ præferat, nec eloquentiam peccatricem magis quàm sanctam simplicitatem diligat. Cum enim regnum Dei non sit in sermone, sed virtute spiritus, 1. *Cor.* 4. 20. et animæ puritate, tanta tamen in divino eloquio et coloris gratia et virtutis gloria, tanta sermonis et splendida suavitas, et honesta operum fecunditas, linguæ nitor, verbi color, culpæ timor, Dei amor inseritur ; ut eius comparatione Demosthenes sordeat, Quintilianus iaceat, humi Tullius hæreat. Sed quia sancti non vento studentes, sed gratiæ ; et virtuti operam dantes, non cenodoxiæ, non laudi hominum, sed patri luminum vivere decreverunt, ornatissimam postponentes urbanitatem, necessariam sequi utilitatem potiùs elegerunt. Sed hæc hactenus. Igitur cœptam expositionem prosequamur.

47 *Dominus æmulator, &c.* Si ad totam orationem respicias, figura epanaphora est, ubi in imo versu per principia sensuum, ulciscens solies repetit. Si verò singulas attendas clausulas, alia, quæ dicitur hypozeuxis, imminet figura, ubi in singulis sensibus propria unicuique est clausula; quæ hìc quoque ostenditur, cum sensus quater, sive quinquies clauditur. Tertia quoque figura, quæ dicitur catachresis, se ingerit, quæ rei nomen alienæ, non habenti proprium, attribuit. Cum enim Deo impassibili, incommutabili furor, ira, æmulatio adscribitur, hoc non propriè, sed figuratè dicitur. Color verò, quantum ad negotium, dicitur frequen-

quentatio. Frequentatio verò est, cum res in tota causa vel negotio dispersæ in unum coguntur locum, quo gravior, aut acrior, aut criminosior sit oratio. Vehemens est exornatio ista, et conjecturalis constitutione causæ semper ferè necessaria, et in ceteris generibus causarum, et in omni oratione nonnumquam adhibenda. Qui color hìc patet, ubi summa totius negotii ex frequentatione pendet. Hæc quidem scholasticè * discernimus, nunc ad expositionis seriem redeamus.

* Fortè *disserui-mus.*

48 Proponit ergo Propheta primùm Domini æmulationem, deinde trifariam ultionem, postea iram eius et furorem. Acsi Nahum diceret ad Assirium: Numquid sponsam tibi derelinquet Assirio, cuius castitatis æmulatio eripuit eam ex Ægypto, mari rubro, et deserto; super cuius inimicis multiplex et gravissima irrogata est ultio; super cuius hostibus furor Dei accensus est et indignatio? Æmulatio iuxta illud Apostoli, *Æmulor vos Dei æmulatione, despondi enim vos uni viro, virginem castam exhibere Christo*, respicit ad coniugium. Ultio verò ad inimicorum excidium. Furor autem et ira Dei ad æternum supplicium. Hanc utique sponsam in Abraham subarravit, sed per legem copulavit: cuius zelo Ægyptum horrendis flagitiis afflixit, Ægyptios submersit, innumeros hostium cuneos prostravit, pane cæli, et carnibus in deserto eam pavit, deinde in terram repromissionis introduxit. Hæc est æmulatio, cum triplex videatur.

2. *Cor.* 11. 2.

Quòd si ultio referatur ad eum, prima fuit idololatriæ, secunda luxuriæ, tertia gastrimargiæ. Prima, quando vitulum in deserto fabricavit; secunda, quando scelus in uxore Levitæ perpetratum vindicavit; tertia, quando Israël pro peccato filiorum Heli præcipitavit. Furor, quando Arcam captivavit; ira, quando Saül reprobavit. In prima ultione ceciderunt viginti quinque millia. In secunda de Israël ceciderunt virorum quadraginta millia, de Benjamin verò viginti quinque millia et centum. In tertia, primò ceciderunt virorum quatuor millia; secundò, quando Arca capta est, peditum triginta millia. Si verò de inimicis intelligatur ultio, prima fuit in Ægyptiorum submersione; secunda in triginta regum Chananæorum et unius interfectione, et populorum expugnatione; tertia in Philisthæorum, Moabitarum, Ammonitarum, Idumæorum, et ceterorum frequentissima oppressione. Et est sensus: si dilectus Deo populus traditur tibi, noli adversùs Deum gloriari. Si enim ultus est eum in tot et tantis millibus, nullatenus effugies manus eius. Hæc autem historialiter diximus, nunc ea ad Ecclesiam referamus.

Exod. 32. 4.

Iudic. 19. 1. *&c.* *et* 20. 1. *&c.*

1. *Reg.* 4. 10. *&c.*

Ibi 13. 13. *&c.* *et* 15. 11. *&c.*

Exod. 14. 27. 28.

Ios. 12. 1. *&c.*

49 Prævidens ergo Propheta, Ecclesiam ex Gentibus futuram, tribulationes, pressuras pro iustitia passuram, alloquitur eam consolando, et ipsius hostes deterrendo, dicens: *Dominus æmulator, &c.* Acsi diceret: Magno quidem pretio te emit, pretioso sanguine suo te redemit, atque

que ex prostibularia gratuitò te vocavit, baptismatis unda lavit, gratiæ muneribus exornavit, et insuper coniugem desponsavit, in reginam sublimavit: cuius si * violaverit coniugium, rivalem desiderans, vel adulteri incæstum contubernium, zelo accensus, iura servat coniugii, iniurias excludit lenocinii, gravissimè nefas vindicat adulterii.

* Leg. *violaveris.*

50 Quare verò triplex inferatur ultio, ex ipsius coniugii perpenditur officio. Tria siquidem sunt bona coniugii: fides, prolis spes, unitas Sacramenti. Quæ, si sponso servaverit, illibata audit voce sponsi sui in Canticis commendata: *Pulchra es amica mea, suavis et decora, terribilis ut castrorum acies ordinata.* Vult enim sponsus, ut firma sit fides thori, legitimus sit partus uteri, inviolata castitas Sacramenti. Fides, ne in Evangelio Iudaïcam misceat perfidiam. Legitimus partus, ne sequatur mundi concupiscentiam. Castitas Sacramenti ne labatur ad hæresim, vel schismata, vel idololatriam. Fides Ecclesiæ firmatur in Sacramento baptismatis: partus fit per prædicationem veritatis: Sacramentum, in spiritali copula unitatis. Fides est, ut soli Christo placeat; partus, ut ei soli pariat; Sacramentum, ut una uni maneat. Ad fidem respicit illud Apostoli: *Mulier non habet potestatem sui, sed vir eius.* Ad partum: *Volo iuniores nubere, filios procreare, matresfamilias esse.* Ad Sacramentum illud: *Præcipio autem non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere: quòd si discesserit, manere innuptam, aut reconciliari viro.* In aqua igitur desponsatur, in sanguine fecundatur, in spiritu copulatur. Desponsatur baptismatis tinctione. Fecundatur Incarnationis prædicatione. Copulatur in splendoribus sanctorum, et beata retributione. Per aquam hìc moraliter accipio baptismi plenissimam sanctitatem. Per sanguinem, prædicationis novitatem. Per spiritum, illam spiritualem, qua Deus omnia erit in omnibus, unitatem. Alioqui si de fide agitur, per tria generatur Ecclesia, sicque in baptismate manent individua, quòd nullum eorum ab alterius connexione seiungitur; sed, ut nobis asserit B. Ambrosius, unum sunt, non natura eiusdem substantiæ, sed eiusdem mysterii operatione. Nam " spiritus, ut „ idem ait, mentem revocat, „ aqua perficit ad lavacrum, san- „ guis spectat ad pretium. Spi- „ ritus per adoptionem nos filios „ Dei facit, sacri fontis unda nos „ abluit, sanguis Domini nos „ (1) redemit. (2) Hæc autem sunt „ tria, quæ testimonium dant in „ terra, spiritus, aqua, et san- „ guis. Alterum igitur invisibi- „ le, alterum visibile testimo- „ nium sacramento consequimur „ spiritali."

Tria coniugii bona.

Can. 6. 3.

1. *Cor.* 7. 4.

1. *Timoth.* 5. 14.

1. *Cor.* 7. 10. 11.

1. *Cor.* 15. 28.

Lib. 3. *de Spirit. Sanct. cap.* 10.

1. *Ioan.* 5. 8.

51 Per hæc igitur tria generatur Ecclesia, et generat; ablui-

(1) Alii *redimit*; sed Ambrosius *redemit.*

(2) Abhinc usque ad *sanguis* deest in Ambrosio.

abluitur, et lavat; liberatur, et liberat; renovatur, et renovat. In aqua signatur vitiorum ablutio; per sanguinem de manu pessimorum fit redemptio; per spiritum vitæ renovatio. Quoniam igitur hæc tria Ecclesiæ sunt collata, et in eius nativitate, et in ipsius ministerio, atque potestate; quotiens in his ab ea fit transgressio, triplex eam sequitur ultio. Quia videlicet antithesi oppositio, et vitiis sordidatur, et ab hoste captivatur, et carceri vel crimini in præsenti, gehennæ in futuro crucianda mancipatur. Vel quoniam hostium Ecclesiæ tria sunt genera: primum, sine sacramento Ecclesiæ; secundum extra Ecclesiam, sed cum sacramento Ecclesiæ; tertium cum sacramento Ecclesiæ, et in Ecclesia, quotiens Ecclesia ab ipsis opprimitur, in eosdem hostes divinitùs ultio funditur. Et hoc est, quod a Propheta *ulciscens* tertiò ponitur.

52 Aliter. Propheta fidelem alloquitur animam, admonens eam super statu suo, sive lapsu semper esse sollicitam: statu, ut maneat; lapsu, ut redeat: ostendens, quàm * distinctè exigat iustitiam, qui promptus est ulcisci omnem iniuriam, et omnem inobedientiam. Et hoc facit quinque modis: vel scilicet a supplicio inimici, vel a contemptu servi, vel a perfidia mercenarii, vel ab inobedientia filii, vel ab irreverentia coniugii. Siquidem quatuor modis Domino servitur, et quinque modis ei delinquitur. Aut enim obtemperatur ei motu supplici, aut spe præmii, vel amore filii, vel affectu coniugii. Quinque verò modis ei delinquitur, his scilicet quos superposui. Quia ergo Dominus æmulatur sponsam, et vindicat coniugii irreverentiam; *Dominus æmulator est.* Quia verò impunitam sibi non deserit inobedientiam, additur, *et ulciscens:* * gratiam, fraudem mercenarii, subsequitur *ulciscens Dominus, et habens furorem:* ad contemptum verò servi, quarto opponitur, *ulciscens Dominus in hostes suos.* Si verò iuxta traditionem scholasticorum hostis et inimici facere velimus distantiam, hostis ad tempus, semper verò in odio manet inimicus: hostis accidentaliter, inimicus naturaliter. De hoste post victoriam expectatur gratia; ex inimico quidem nullius fœderis sperantur vestigia. Hinc per quemdam sapientem dicitur:

Hostibus evictis hostia nomen habet.

Sed pro inimico nulla apud antiquos lege supplicatur. Unde hìc quoque furor ad hostes additur; ira verò inimicis anteponitur. Furor autem brevis est animi commotio; ira, gravis et diuturna ipsius indignatio. Per furorem ergo hostium intimatur conversio; per iram, inimicorum iugis obstinatio. Quia verò Ecclesia quodam tempore habet hostes, quos alio possidet adiutores: quosdam videt nunc contra se furere, quos postea pro sui obsequio gaudet passim discurrere: hos nunc pauperum oppressores, postea facultatum de-

* fors. *districtè.*

2. *Cor.* 10. 6.

* *Locus corruptus.*

devotos erogatores : nunc veritatis impugnatores, iterum eiusdem fidelissimos Prædicatores ; hoc prævidens Propheta , furorem hostibus addidit, iram nunc obstinatis anteposuit.

53 Hæc autem distantia planè designatur in Esaia, ubi a Domino dicitur: *Heu! consolabor super hostibus meis, vindicabor de inimicis meis.* Huic verò simile reperies in lamentationibus Hieremiæ: *Non crediderunt*, inquit, *Reges terræ, et habitatores orbis, quòd ingrederetur hostis et inimicus per portas Ierusalem.* Et multa talia divina continent eloquia. In Esaia quoque de conversione dicitur hostium : *Venient ad te, qui detrahebant tibi, et adorabunt vestigia pedum tuorum.* Item idem : *Inundatio camelorum operiet te, dromedarii Madian, et Epha. Omnes de Saba venient, aurum, et thus deferentes, et laudem Domino annuntiantes.* Item in eodem : *Viri sublimes, et gloriosi ad te tunc inclinabunt, et tui erunt, et Reges pacifici servient tibi.* Item: *Omne pecus Cedar congregabitur tibi : arietes Nabaioth ministrabunt tibi.* Item: *In domibus ubi priùs habitabant dracones, et struthiones, orietur viror calami, et iunci.* Item in Iob : *Ab Aquilone procedet fumus, et ad Deum formidolosa laudatio.* Et in Psalmo : *De execratione, et mendacio annuntiabatur consummatio.* Item in eodem : *Convertentur ad vesperam, et famem patientur ut canes, et circuibunt civitatem.*

Isai. 1. 24. *Thren.* 4. 12. *Isai.* 60. 14. *v.* 6. *Ibi* 45. 14. *et* 60. 7. *et* 35. 7. *Iob* 37. 22. *Psalm.* 58. 13. 15.

Item in Iob : *Dominus ad eum: Numquid illudes ei*, Beemoth scilicet, *quasi avi, aut ligabis eum ancillis tuis?* Et in Abdia de diabolo sub persona Esau loquente, *Quomodo*, inquit, *scrutati sunt Esau, investigaverunt abscondita eius? Omnes viri fœderis sui illuserunt tibi, invaluerunt adversùs te: omnes viri pacis tuæ, qui comedunt tecum panem, ponent insidias subter te.* Et in Habacuc sub eodem typo : *Væ ei* (diabolo scilicet) *qui multiplicat non sua! usquequo aggravat contra se densum lutum? Numquid non repentè consurgent, qui mordeant te, et suscitabuntur lacerantes te, et eris eis in rapinam?* Et in Sophonia : *Ultra flumina Æthiopiæ, inde supplices mei, filii dispersorum meorum deferent munus mihi.* Salomon quoad Ecclesiam de hostium conversione, *Coronaberis*, inquit, *de capite Amana, de vertice Sanir, et Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.* Salvator autem loquens ad Pharisæos, hoc asserit fieri : *Amen dico vobis, publicani et meretrices præcedent vos in regnum Dei.* Ad singula verò negotiorum genera superiùs *Dominus* apponitur : quia qui nec timore, nec præmio, nec honore, nec affectu ei obsequuntur, ultionis Dominum sentire coguntur. Sequitur.

Iob 40. 24. *Abd.* 1. 6. 7. *Hab.* 2. 6. 7. *Soph.* 3. 10. *Cant.* 4. 8. *Matth.* 21. 31.

54 *Dominus patiens, et magnus fortitudine, et mundans non faciat innocentem.* Figura, quantum ad litteram, polisynteton dicitur. Est enim di-

Nah. 1. 3.

dictio multis catenata coniunctionibus, ut hìc: *Dominus patiens, et magnus fortitudine, et mundans, &c.* Quantum verò ad sensum, quia Dominus ad utrumque refertur, hypozeuxis esse probatur. Tropus autem, scilicet locutionis modus, catachresis esse a peritis in arte non dubitatur, quo scilicet alienæ rei nomen alteri, scilicet patientia a Deo quæ propriè aliena est, ab eo annotatur. Propriè enim est patientia, quam comitatur miseria. Hæc dicentes de littera, arti satisfecimus: sensus quoque, qui in ea latitant, inquiramus.

55 Primùm ergo dicitur Assyrio, ne quia ad tempus floret, quia multis prævalet, hoc non suo brachio, sed divino referat iudicio: quo dictante, et populi Iudaici expiatur iniquitas, et adversariorum augetur infelicitas, iuxta illud: *Qui iustus est, iustior fiat, et qui in sordibus est, sordescat adhuc.* Quo enim prolixior est Dei patientia, eo graviùs percutit iudicis sententia, iuxta illud propheticum: *Tacui, silui, patiens fui, quasi parturiens loquar.* Patitur itaque Dominus iustè alterutrum affligi, et affligere, quando et hunc per patientiam mundando reducit ad innocentiam, et ille ob meritum sævitiæ pœnas luit dignas propriæ iniustitiæ. Hæc de Assyrio dicuntur. De Ecclesia verò, quomodo *legendum sit, referatur.

Apoc. 22. 11.

Isai. 42. 14.

* fors. intelligendum.

56 *Dominus patiens, &c.* "Fortitudo, ut ait Cicero in Rhetoricis, (1) rerum magnarum, et excelsarum appetitio, et rerum humilium contemptio, et laboris cum utilitatis ratione est perpessio. Eius verò partes sunt quatuor. Magnificentia, fiducia, patientia, perseverantia. Magnificentia est rerum magnarum, et excelsarum cum quadam animi amplitudine administratio. Fiducia est, per quam magnis, et honestis rebus multum sibi animus fiduciæ certa cum spe collocat. Patientia est honestatis, et utilitatis causa rerum arduarum, ac difficilium voluntaria, ac diuturna perpessio. Perseverantia est in ratione bene considerata stabilis et perpetua permansio." Hæc omnia præmisimus, quæ non solùm ad præsens negotium, sed etiam ad alia ferè munera necessaria fore cognovimus.

De Inv. Rhetor. lib. 2. num. 54.

57 Quatuor igitur sunt, quibus firmatur, probatur, decoratur, conservetur Ecclesia, scilicet: mandata, flagella, charismata, tentamenta. Mandatis firmatur, flagellis probatur, charismatibus decoratur, tentamentis conservatur. In mandatis igitur habenda est fiducia, flagellis exhibenda est patientia, in charismatibus habetur magnificentia, tentamentis opponenda est perseverantia. Prævidens igitur Propheta futuras Ecclesiæ afflictiones, et

Ecclesia firmatur, probatur, decoratur, conservatur, mandatis, flagellis, charismatibus, tentamentis.

(1) Pressiùs et elegantiùs suo more Tullius: *Fortitudo est considerata periculorum susceptio et laborum perpessio. Eius partes, magnificentia, fidentia, &c. Magnificentia est rerum.... excelsarum cum animi ampla quadam et splendida propositione agitatio atque administratio. Fidentia, &c.* ut et hìc ferè.

et varia gratiarum munera, et consolationes, ordine præpostero exequitur, quod a nobis naturali subsequenter exequitur. Dicatur Dominus *mundans*, utique priùs mandatis; *patiens* postea in flagellis; deinceps magnificus in donis; demum reddens innocentiam, dum non ceditur tentamentis. Ex primo igitur surgit fiducia, ex secundo patientia, ex tertio magnificentia, ex quarto comparatur innocentia. Hoc autem sciendum est, quòd divina pagina ita loqui consuevit, ut Dominus pati, vel facere dicatur, quod pati, vel fieri ab electis, vel in eis permittit. Unde et hìc *patiens* Dominus dicitur. Reliquum verò quod sequitur, ei satis propriè adscribitur.

Quatuor ordinum genera complectitur, et quæ.

58 Aliter quatuor ordinum genera continet. Primus est coniugalis. Secundus virginalis. Tertius solitarius. Quartus Sacerdotalis. In coniugalibus ergo tenet patientiam. In virginibus magnificentiam. In solitariis perseverantiam. In Sacerdotali pro omnibus fiduciam. In coniugali est mundana sollicitudo; in virginali, Angelica pulchritudo; in solitario, spiritalis fortitudo militiæ; in sacerdotali, cælestis exemplar innocentiæ. Coniugalis namque cogitat, quæ mundi sunt, quomodo placeat uxori. Virginalis, quæ Dei sunt, quomodo placeat creatori. Solitarius, quomodo de virtute in virtutem ascendendo, Verbum in principio apud Deum, viva mentis acie contemplari valeat. Sacerdotalis, quomodo dignum se divinæ præsentare maiestatis oculis, quî vel quando doctrinæ lumen populis ministrare deceat. Aliter: *Patiens Dominus*, dum peccatores expectat ad pœnitentiam; *magnus fortitudine*, dum eorum dignè punit impœnitentiam; *mundans*, dum conversis præstat veniæ gratiam; *innocentem faciens*, dum clementi bonitate sublimat eos ad contemplationis eminentiam. Sequitur.

1. *Cor.* 7. 33. *v.* 32.

59 *Dominus in tempestate, et turbine viæ eius, et nebulæ pulvis pedum eius.* Primò ergo in littera insistamus, deinde sensum interiùs videamus. Ac primùm sciendum est, quòd littera eclipsin patitur, dum nomen tertiæ personæ, et nominativus, qui intransitivè ad aliquid copulari exigit, absolutè ponitur; et fit in ea relatio, cum nulla præcesserit, ad quam referri valeat positio. Hæc dicens, sensum non arguo, nec gratiam reprehendo ullatenus propheticam, cum locutionem eius minus dico grammaticam. Nec Propheta magni pendit litteræ negotium, sed visionis sitiens gaudium, loquenti interiùs spiritui præbuit obsequium. Hinc B. ait Gregorius: " Absit, inquit, ut „ verba cælestis oraculi restringantur sub regulis Donati. Spi„ ritus enim, qui Prophetis sub„ iectus est, et in eis locutus „ est; obedientiæ exigit purita„ tem, non linguæ nitorem, vel „ facundam urbanitatem." Corrigatur ergo constructio, et dicatur hoc modo sine vitio: Dominus tempestatem inhabitat, et turbinem, vel in eis graditur, vel aliquid huiusmodi, et tunc com-

Nah. ubi supr.

competenter subsequitur : *et in tempestate , et turbine viæ eius.* Tropus , qui dicitur catachresis, ponitur et in hac parte , ut superiùs in aliis.

60 Peracto litteræ negotio, primò historialiter dicatur de Assyrio. Est ergo sensus : Dominus justo suo iudicio magna et innumera crudelia permittit facere sævienti Assyrio , et quasi tempestatem et turbinem, passim discurrendo , omnia conterere: sed ipse, qui habenas eius laxavit sævitiæ , conversi præsidens iure omnipotentiæ , incomprehensibilis laus iustitiæ , illius moderatur fræna nequitiæ. In hac enim sævitia præsidentis impletur iustitia , in qua Assyrius , etsi pravi voluntate animi , sed data ad iudicium potestas est officii , ut per eam premat servum , angat mercenarium , erudiat et corrigat filium , prosternat adversarium , iustus fiat iustior , sordidus sordidior. Hoc quoque sciendum , quòd a principio Prophetæ usque ad id , quod ait: *Si perfecti fuerint, et ita plures, &c.* super Assyrio accipiuntur omnia. In omnibus eius evidenter designatur malitia , quam tamen piè moderatur præsidentis omnipotentia. Hæc de Assyrio. Nunc autem ad Ecclesiam referatur expositio.

Nah. 1. 12.

Tres Ecclesiæ tempestates et turbines: et quæ.

61 Tres igitur Ecclesiæ tempestates, tres ipsius turbines secundùm temporum articulos differentes. Prima fuit ethnicorum, secunda hæreticorum , tertia falsorum christianorum. Prima Apostolorum et Martyrum laniavit corpora. Secunda fidei Apostolicæ evertere nitebatur fœdera. Tertia morum studet quotidie corrumpere genera. Ethnici , fideles persequendo , arbitrabantur obsequium se præstare Deo. Hæretici superbiâ tumidi impugnantes Ecclesiam , nitebantur sibi conventicula facere , hæreticam perfidiam prædicando. Falsi verò Christiani , quæ sua sunt quærentes , non quæ Iesu Christi , Ecclesiæ frangunt leges , iustitiæ turbant mores , post concupiscentias suas eundo. Unde David sub persona Ecclesiæ tempestates istas prævidens, succedenter insurgere orat , ne sui redeant ad idololatriam , ne seducti hæreticam sequantur perfidiam , ne iustitiæ fidei mundi præponant concupiscentiam , ita dicens : *Non me demergat tempestas aquæ , neque absorbeat me profundum , neque urgeat super me puteus os suum.* Aquæ verò sunt populi , ut Ioannes inquit in Apocalypsi. Rogat ergo, ne carnalis eam populi opprimat sordida cupiditas , ne eam in profundo victorum tenebrosa deiiciat subtilitas , ne in puteum malitiæ rapiat, et de profundo ignorantiæ aditum redeundi obstruat cæca impietas. Prima est corporalium suppliciorum , secunda venenatorum verborum , tertia carnalium morum. Prima omnipotentiæ satagit exinanire Deitatem , secunda fidei corrumpere studet integritatem , tertia conatur ordinatam evertere caritatem.

Ioan. 16. 2.

Philip. 2. 21.

Psalm. 68. 16.

Apoc. 17. 15.

62 Unde Esaias multos prævidens a fidei tramite , et animorum castitate discedere , sic ait:

Isai. 24. 17. *Formido, et fovea, et laqueus super te, qui habitator es terræ.* Formido scilicet idololatriæ, fovea hæreticæ perfidiæ, laqueus carnalis concupiscentiæ. Formido surgens ab iniuria Deitatis; fovea, quam incidunt superbi expugnatores veritatis; laqueus, quo tenentur servi immundæ cupiditatis. Sed ex ipso verborum ordine signatur ordo succedentis malitiæ. Sequitur enim. *Et erit,* inquit: *Qui fugerit a voce formidinis, cadet in foveam, et qui explicuerit se de fovea, tenebitur laqueo.* Multi namque sordes spreverunt idololatriæ, qui tempestatis hæreticæ passi sunt naufragium. Istud quoque evaserunt plurimi, quos concupiscentiæ absorbuit diluvium. Primus autem turbo fuit coram iudicis vultu. Secundus in conflictu certaminis. Tertius in impetu sordidæ cupidinis. Primus dum a iudice Catholicus damnaretur. Secundus, dum ab hæreticis falsò contra Catholicos acclamaretur. Tertius, dum a Sanctis et Prælatis * tibi, et carni licentia obtemperandi, vi et violentia a carnalibus, et subditis extorquetur.

Isai. ibid. v. 18.

* Leg. sibi.

63 De his turbinibus per Esaiam dicitur: *Sicut turbines ab Africo veniunt, de deserto venit, de terra horribili. Visio dura nuntiata est mihi.* Visio itaque dura ei nuntiata fuerat, qui tempestates et præfatos turbines ab idololatria, hæretica perfidia, mundi concupiscentia, contra unitatem, castitatem, caritatem Ecclesiæ succedenter insurgere prævidebat. *Visio*, inquam, *dura*, in qua unitas patitur discidium, fidei labitur negotium, caritas sustinet naufragium. In primo verò turbine et tempestate sunt Domini viæ, veritas scilicet in confessione, constantia in passione, devotio in gratiarum actione. Veritas, dum unius atque summæ Deitatis maiestatem confitetur, et prædicat audacter; constantia, dum in causa veritatis flagella sustinet patienter; gratiarum actio, dum cælo spiritum reddit ovanter. Siquidem exeundi tres eis imminent viæ. Prima est fidei sanitas. Secunda, scientiæ claritas. Tertia, spiritus libertas. Per primum a Deo impetratur gratia. Per secundum hostis prævidetur astutia. Per tertium eius perfidiæ prosternitur audacia. Per primum excitatur affectus. Per secundum illustratur intellectus. Per tertium consummatur actus. Primum excludit errorem perfidiæ. Secundum, tenebras ignorantiæ. Tertium, ignaviam animi, et torporem negligentiæ. Primo, sanatur ægrotus. Secundo illuminatur cæcus. Tertio libertate donatur servus. Per primum infirmitas: per secundum ignorantia: per tertium peccandi expellitur industria. Filius sanat, Spiritus illuminat, Pater consummat. Sanat doctrina, illuminat scientia, perficit iustitia. Filius sanat fidei puritate, Spiritus illuminat cælestium claritate, Pater consummat æterna felicitate. Hæc dicens, opera Trinitatis non divido, quæ indubitanter eadem esse, assero; sed ut in donis, et operatione divina personarum cognoscuntur

Isai. 21. 1. 2.

gnosci valeat distantia. In prima verò et secunda via Domini invenitur trifaria. Prima est mortificatio voluntaria. Secunda, humilitas perfecta. Tertia, caritas consummata. Prima carnis circumcidit actum. Secunda honestat sensum. Tertia ordinat affectum. Per primam de Ægypto redeunt. Per secundam de Babylone veniunt. Per tertiam Romanam cladem fugiunt. Siquidem per Ægyptum luxuria, ebrietas, et crapula; per Babylonem confusio sensuum vanissima; per Romam, quæ interpretatur sublimitas, vel elatio, designatur superbia.

64 Sic fugere tempestates et turbines huius mundi, per has vias ad patriam regredi voce Ioannis admonemur Apostoli. *Si quis*, inquit, *diligit mundum, non est caritas Patris in eo: quia quicquid in mundo est, concupiscentia carnis est, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ: quæ non sunt ex Patre, sed ex diabolo.* Per primam igitur redeunt sobrii, et casti; per secundam honesti, et quieti; per tertiam devoti, et perfecti. Possunt etiam hæc ad caput Ecclesiæ Christum referri, et in eius persecutione et passione tempestas et turbo inveniri. De hac tempestate per Psalmistam dicitur: *Ita persequeris eos in tempestate tua, et in ira tua turbabis eos.* Iudæos siquidem Dominus in tempestate sua persequutus est: quia dum ab eis perferret passionum stigmata, ab illis iustè abstulit legis notitiam, et virtutum charismata. In tempestate sua eos persecutus est: quia dum eis humana pertulit, divina non immerito ab eis abstulit. Sequitur: *Et in ira tua turbabis eos.* Quosdam quidem turbat Dominus in ira, quosdam verò clementia. Clementer turbat, quos flagellis a gehenna revocat: in ira verò, quos iusto iudicio flagellari permittit perpetuò. Clementer turbat, de peccatis compungendo: in ira quoque naufragii, in sordibus vitiorum relinquendo. Clementer immittit interiùs contritionis et pœnitentiæ turbinem: immisericorditer, in tenebrarum, et gehennæ induci iustè permittit caliginem. De primo turbine dicitur: *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, et eripiet eos.* De secundo: *Indignationem et iram, et tribulationem per Angelos malos.* Tempestas ergo Domini fuit, dum a Iudæorum vexaretur populo: turbo, dum pio Magistro, simulato osculo, *Ave Rabbi* a tradente diceretur discipulo. Tempestas fuit, dum a Romanis flagellaretur: turbo, dum a plebe Iudæorum, *Crucifige, crucifige*, clamaretur. Tempestas in horto circa villam Gethsemani: turbo, dum duceretur Præsuli. Tempestas ante crucem: turbo ante iudicem.

65 Sed his via eius fuit trifaria: veritas, mansuetudo, iustitia. Quod evidenter testatur Psalmista dicens: *Propter veritatem, et mansuetudinem, et iustitiam deducet te mirabiliter dextera tua.* Veritatem quidem semper tenuit in prædicatione,

1. Ioan. 2. 15. 16.

Psalm. 82. 16.

Psalm. 33. 8.

Psalm. 77. 49.

Matth. 26. 49. et 27. 26.

Luc. 23. 21.

Psalm. 44. 5.

mansuetudinem in passione, iustitiam in operatione. Verax fuit prædicando nova; mansuetus, patiendo humana; iustus, faciendo divina. Veritatem docuit scientiæ, mansuetudinem pœnitentiæ, opera iustitiæ. Veritatem in confessione, mansuetudinem in interpretatione, iustitiam in dilectione. Primò ut dicas iniquitates tuas, ut iustificeris: secundò, ut æquanimiter, et mansuetè disciplinam patris suscipias, cum probaris: tertiò, ut iustè diligenda
Deut. 16. 20. diligas, iuxta illud: *iustè quod iustum est, exequeris*. Legis naturalis veritatem; scriptæ legis videlicet iustitiam; Evangelii mansuetudinem. Veritatem docuit, qua quisque cognosceret seipsum; mansuetudinem, qua sustineret proximum; iustitiam, qua coleret Deum. Veritatem docuit suæ divinitatis, mansuetudinem suæ humanitatis, iustitiam secundæ utriusque proprietatis. Aliter: Veritatem exhibuit in omnium generali examinatione; mansuetudinem, in electorum felici consolatione; iustitiam, in reproborum iustissima damnatione. Aliter: Veritatem suæ divinitatis in iudicio ostendendo; mansuetudinem sui laboris, impiis imperando; iustitiam, singulis propria reddendo. Propter hæc ergo tria mirabiliter eum deduxit dextera sua: quia, quem immunem omni malo ac plenum omni bono Deitatis potentia fecit, hunc sibi in personæ univit identitate, sponsum fecit Ecclesiæ, gratiæ opificem, totius mundi iudicem, Deitatis eiusdem et gloriæ placuit fieri participem. Propter hæc utique tria mirabiliter eum deduxit dextera, quem Deus, quia verax est, *Ioan.* 3. 33. signavit: quem speciosum forma præ filiis hominum fecit: quem *Psalm.* 44. 3. 8. oleo lætitiæ præ consortibus suis unxit. In quo omnis plenitudo divinitatis corporaliter habitavit; *Colos.* 2. 9. cui Pater non ad mensuram spiritum dedit; mirabiliter in Virgi- *Ioan.* 3. 34. nis utero creavit; mirabiliter in Ægypto, in mari, in templo, in cruce, in sepulchro servavit; mirabiliter in resurrectione glorificavit; mirabiliùs usque ad eiusdem felicitatis honorem et gloriæ sublimavit. Triplex ergo Domini via in tempestate, et turbine fuit. Qui quamvis *de torrente in via bibit*, *Psalm.* 109. 7. caput factus est Ecclesiæ, statim exaltari meruit: quia, in quo mundus, vel ipsius *Ioan.* 14. 30. princeps nil habuit, ab eis nullatenus teneri vel debuit, vel potuit. Possunt verò hæc eadem moraliter discuti: et ad animam ad superna anhelantem, de virtute in virtutem interiùs ascendentem, non incongruè referri.

66 Quatuor igitur sunt animæ tempestates, et quatuor turbines ipsius. Prima est vitiorum, secunda negotiorum, tertia tentationum, quarta utilium affectionum. Prima ergo est iræ, secunda miseriæ, tertia iustitiæ, quarta gratiæ. Prima virtutum grandinat florem. Secunda conscientiæ pessundat honorem. Tertia contemplationis suavissimum fugat odorem. Quarta ad cælestium provehit ardenter amorem. Prima est a diabolo, secunda a mundo, tertia a miseriæ debito, quarta a Deo. Prima religionis anni-

Quatuor animæ tempestates et quatuor turbines.

De tempestatibus.

ni-

hilat sanctitatem. Secunda conscientiæ turbat serenitatem. Tertia divinissimi odoris fugat suavitatem. Quarta ad Angelicam sublimat puritatem. Prima ergo est divinæ indignationis, secunda dispensationis, tertia probationis, quarta dilectionis. Prima spiritalis famis inducit egestatem. Secunda spiritalium vinearum et arborum vastitatem. Tertia hortum sponsi corrumpit, et aromatum exterminat suavitatem. Quarta omnium lapsus reparat, et animum ad cælestium transfert claritatem. Unde Iob, in spe lapsorum, in consolatione miserorum, in exhortatione tentatorum, in gloria iustorum di-

Iob 5. 21. &c. cit: *In vastitate, et fame ridebis, et calamitatem, cum venerit, non timebis. Et scies, quòd pacem habeat tabernaculum tuum, et visitans speciem tuam non peccabis.* Prima actum corrumpit iustitiæ. Secunda sensum excludit innocentiæ. Tertia affectum incestat sapientiæ. Quarta intellectum illuminat immortalis luce sapientiæ. Viæ primæ sunt pura confessio et virilis pœnitentia. Secundæ, mundi contemptus et vita solitaria. Tertiæ, devota compunctio et mentis innocentia. Quartæ, purificati silentium animi, et sponsi lætitia.

67 Sed quia in tempestate,

Nah. ubi supr. non in tempestatibus Domini vias esse Propheta asserit, de quarta, ut datur intelligi, specialiter loquitur. De qua in libro Regum manifestè legitur. Ait

3. Reg. 19. 11. &c. enim: *Helias stabat in ostio speluncæ, et ecce spiritus Domini transiens, subvertens montes, et conterens petras: et post spiritum commotio, non in commotione Dominus: et post commotionem ignis, non in igne Dominus: et post ignem sibilus auræ tenuis. Ibi Dominus.* Per spiritum transeuntem, et præfata facientem designatur animi tempestas; amara scilicet, sed utilis peccatorum contritio. Per commotionem, devota mentis compunctio. Per ignem, fervens et ordinata dilectio. Per silentium, beatæ contemplationis secretissima infusio. Sed in neutro prædictorum Dominus esse dicitur. In sibilo fortè esse asseritur: quia licèt mens compuncta ad integrum de peccatis, et devota in mandatis, quæ retrò sunt obliviscens, ad anteriora se extendens, de virtute in virtutem viriliter ascendat, ad sublimia ardenter sese rapiat; sui tamen curam agens, cura sui statum ma- *Locus corruptus.*
nens, creaturam se cognoscens, dum statum creaturæ omninò excedere non sufficit, ab intima contemplationis claritate, in qua incircumscripti luminis præsentia utcumque cognoscitur, deficit. Negotium enim non agitur ex humana ratione, cum mens interiùs divina perfunditur unctione. Donec ergo mens circumscripta transcendat omnia, transcendentis universa non attingit secreta gaudia. Donec cæli tertii transcenditur regio, paradisi non sentitur amænitas, nec cælestis unctio. Hinc per Esaiam dicitur: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, et elevatum: et ea quæ sub ipso erant, replebant templum.* So- *Isai. 6. 1.*

lium

lium est mens sequestrata a terrenis actibus ; excelsum , decorata puris affectibus ; elevatum , divino sublimata intellectu , et angelicis sensibus. Solium est mens proposito religionis , excelsum rigore mortificationis , elevatum virtute dilectionis. Solium est mens contemnendo visibilia mundi ; excelsum , visibilia sui ; elevatum , transcendendo invisibilia animi. Solium est mens propria sui cognitione ; excelsum, devota fervens dilectione ; elevatum in arcanorum cælestium subtili inquisitione. Sed super hæc Dominus sedet , non in eis habitat : quia mens his ordinata moribus , applicata studiis , decorata virtutibus , ei placet ; nullatenus verò per hæc ei præsentiam suæ felicitatis indicat , neque sibi per contemplationis gratiam copulat. At cum solio excelso atque elevato sese superextulerit , mundi calcans tenebras, humanæ scientiæ excedens angustias , mox ad immortales sublimatur divitias. Per contemplationis eminentiam in cellam introducitur vinariam. Tunc audit verba , quæ non licet homini loqui, ineffabilia , atque præ sponsi sui dulcedine nimia , angelica etiam fastidit colloquia. Hinc legitur in Psalmo : *Meus est Galaad , et meus est Manasses: et Ephraim susceptio capitis mei. Iuda rex meus.* *Psalm. 59. 9.*

68 Quatuor posuit , per quæ quatuor provectionis gradus spiritales designare voluit. Iudas, qui extremus ponitur in ordine Psalmi , primus est naturaliter in ordine rectè vivendi. Secundus est Galaad , tertius Manasses , quartus Ephraim. Iudas interpretatur confessio : Galaad, acervus testimonii : Manasses, oblivio : Ephraim fructificatio. Confessio verò trifaria est. Prima namque est fidei , secunda peccati , tertia gaudii. Primò enim quis rectè credit. Secundò bene vivit. Tertiò fidei et operis præmium percipit. Prima tradit civibus patriæ fœdera. Secunda lapsorum in conflictu vitiorum clementer curat vulnera. Tertia gratissima stipendiorum luctatoribus largitur munera. De prima legitur in Evangelio : *Qui me confessus fuerit coram hominibus , confitebor et ego eum coram Patre meo.* *Matth. 10. 32.* De secunda per Salomonem dicitur : *Qui abscondit scelera sua , non dirigetur : et qui confitebitur ea , ipse iustificabitur.* *Prov. 28. 13.* De tertia per Psalmistam in persona animæ in spe cælestium exultantis : *In voce exultationis , et confessionis , sonus epulantis.* *Psalm. 41. 5.* Prima duxit Martyres ad gloriam. Secunda trahit peccatores ad veniam. Tertia pugnatores perducit ad bravii lætitiam.

69 Iudas ergo rex Dei dicitur : quia nisi per viam fidei, vel per confessionis veritatem ad vitam nemo ingreditur. Rex itaque Iudas meritò esse dicitur: quia præcedit confessores , antecedit peccatores , munerat triumphatores. Rex reverà , cuius ope, consilio , et virtute pessundatur idololatria , hæretica expugnatur perfidia , mundi calcatur vanitas, et concupiscentia , regni prælibatur felicitas , et possidetur gloria.

tia. Per Iudam ergo designatur confessio; per Galaad, mentis compunctio; per Manassen, valida ut mors dilectio; per Ephraim, cælestium felix contemplatio. Iudas ergo, Galaad, et Manasses serviunt decenter, et Domino placent; sed fructus Ephraim præ omnibus nitet: quia etsi lamenta pœnitentiæ, si opera misericordiæ, si lacrymas pietatis, vota quoque caritatis magni pendit, et arctiùs amplectitur; in his tamen felix eius præsentia nullatenus apprehenditur: sed Ephraim caput eius, præsentiam videlicet divinitatis suscepit, quando mens divinitus sublimata, sponso suo feliciter copulata, fructus ex eo spiritus concipit. *Cant. 8. 6.*

70 Præfatorum trium magna quidem fit approbatio, sed Ephraim solus capitis fit susceptio: quia licèt ei iustè placeant confessionis indicia, licèt compunctionis suave oleant desideria, licèt dilectionis odore nectareo flagrent suspiria; fructus tamen præcipuè supercælestis sunt, et oscula secretæ contemplationis aperiunt sponsæ suæ gaudia. Maria quæritur, sed Martham tolerat: Rachel diligitur, sed Lia generat. Placet ergo puri Iudas oris, vel fidei sana confessio: placet quoque Galaad, defæcati animi devotio: diligitur, quæ retrò sunt obliviscens, fortis ut mors dilectio; sed præcipuè quæritur, præ omnibus exigitur intellectualis fructificatio, in qua fit veritatis contemplatio, in qua sponsa de spiritu divinitùs fœcundata, speculatur verbum apud Deum in principio: quæ reverà capitis est susceptio. Hinc Salomon in canticorum cantico: *Sexaginta sunt reginæ, octoginta concubinæ. Una est columba mea, sponsa mea, immaculata mea.* Hinc Salvator in Evangelio, *Martha*, inquit, *Martha, sollicita es, et turbaris erga plurima. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Quod ergo in libro Regum per spiritum, commotionem, ignem, et sibilum, hoc in Esaia per solium excelsum et elevatum, et sedis Dominicæ supercilium: hoc designatur in Psalmo per Iudam, Galaad, Manassen, et Ephraim, qui capitis dicitur susceptio. Hæc de quarta tempestate diximus animæ: postquam grata redditur aëris temperies, postquam cæli redditur serena facies, postquam tribuitur animæ plena felicitas, et summa requies. *Cant. 6. 7. 8.* *Luc. 10. 41. 42.*

71 Quatuor quoque turbines esse diximus animæ. Primus est subita iustorum oppressio. Secundus, improvida negotiorum incursio. Tertius, momentanea tentationum invasio. Quartus est repentina et vehemens ex diversis causis præcedens animi commotio. Primum turbinem sequitur tempestas vitiorum; tempestatem verò subsequitur calamitas suppliciorum. Secundum, tempestas sollicitudinum; cui succedit diluvium criminum. Tertium præcedit tempestas tentamentorum, quam subsequitur tranquillitas conscientiæ, et gratia donorum. Post quartum, tempestas iustorum affectuum; cui succedit ordinatæ dilectionis amœnitas, et con- *Quæ turbines animæ.*

contemplationis divinæ iocunda serenitas. Sequitur.

Nah. ubi supr. 72 *Et nebula pulvis pedum eius.* Sicut superiorum quadrifaria fuit expositio, ita quod sequitur expendendum est quadrifariò. Ac primùm legatur super Assyrio. Acsi diceretur : Dominus per Assyrium sua super multos exercere dignatus est iudicia : cuius tanta fuit potentia, tanta fuit populorum frequentia, tanta rerum diversarum dives affluentia, adeò robustorum copiosa fiducia, ut dum castra moverentur pro fortunæ vel eventus bellici negotio, quasi turbo regionem circumvolans, pulvis pedum se erigens, verteretur in nebulas, lucifugas superinducens tenebras, auræ Solis stante cæli medio. Unde in Iob historialiter de eo-
Iob 37. 22. dem Assyrio : *Ab Aquilone veniet fumus, et ad Deum formidolosa laudatio.* Et Esaias,
Isai. 21. 1. 2. *Sicut turbines*, inquit, *ab Africo veniunt, de deserto venit, de terra horribili. Visio dura nuntiata est mihi.* Sed hæc historialiter. Allegoricè verò Prophetæ pedes Salvatoris fuerunt, qui eum nobis in finem sæculorum eloquiis suis incarnatum detulerunt.

73 Hunc nobis Psalmista de-
Psalm. 18. 6. tulit dicens : *In Sole posuit tabernaculum suum, et ipse tamquam sponsus procedens de tha-*
Psalm. 86. 5. *lamo suo.* Item idem : *Homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus.* Hinc Esaias,
Isai. 7. 14. *Ecce*, inquit, *Virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel.* Item in
Ibi 45. 8. eodem : *Rorate cæli desuper, et nubes pluant iustum : aperiatur terra, et germinet Salvatorem.* Ieremias quoque, *Novum*, in- *Ier. 31. 22.*
quit, *creavit Dominus super terram. Femina circumdabit virum.* Item idem in eodem : *Hic* *Bar. 3. 37.*
est, qui adinvenit omnem viam disciplinæ, et dedit eam Iacob puero suo, et Israel electo suo. Post hæc in terris visus est, et cum hominibus versatus est. Ezechiel sub persona Salvatoris *Ezech. 40. 3.*
metientem situm templi videt virum indutum lineis. Item ipse sub Principis et portæ nomine de Salvatore loquitur, et eius Matre Virgine dicens : *Hæc por-* *Ibi 44. 2.*
ta clausa erit Principi. Dominus enim Deus ipse ingredietur, et egredietur per eam. Daniel quoque de ipsius incarnatione : *Aspiciebam in visu noctis,* *Dan. 7. 13. &c.*
et ecce cum nubibus cæli quasi filius hominis veniebat, et usque ad antiquum dierum pervenit : et in conspectu eius obtulerunt eum, et dedit ei potestatem, et honorem, et regnum. Et omnes populi, et tribus, et linguæ servient. Potestas eius, potestas æterna, quæ non auferetur, et regnum eius quod non cor- *Ibi 9. 24.*
rumpetur. Item idem : *Septuaginta hebdomadæ abbreviatæ sunt super populum tuum, et super urbem sanctam tuam, ut consummatur prævaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur iustitia sempiterna, et impleatur visio et prophetia, et ungatur Sanctus Sanctorum.* Osee verò de Salvatoris nativitate, et passione ita. *Puer*, inquit, *Is-* *Osee 11. 1.*
raël, et dilexi eum, ex Ægypto vo-

vocavi filium meum. Item idem:
v. 3. &c. *Ego quasi nutritius Ephraim, portabam eos in brachiis meis, et nescierunt quòd curarem eos. In funiculis Adam traham eos, in vinculis caritatis, et ero quasi exaltans iugum super maxillas eorum. Et declinavi ad eum ut vesceretur.* Ioel quoque de ipsius nativitate, et Spi-
Ioel. 2. 23. ritus sancti missione, ita: *Nunc*, inquit, *filii Sion exultate, et lætamini in Domino Deo vestro, quia dedit vobis doctorem iustitiæ, et descendere faciet ad vos imbrem matutinum, et serotinum sicut a principio.*
v. 28. Item in eodem: *Effundam*, inquit, *de spiritu meo super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri, et filiæ vestræ.* Item idem in eodem de Apostolo-
Ioel. 3. 18. lorum prædicatione: *In die illa stillabunt montes dulcedinem, et colles fluent lacte, et per omnes rivos Iuda ibunt aquæ, et fons egredietur de domo Domini, et irrigabit torrentem spinarum.* Amos autem de nativitate eiusdem et passione, et
Amos 9. 11. Apostolorum prædicatione: *In die illa*, inquit, *suscitabo tabernaculum David, reædificabo aperturas murorum eius, et ea quæ corruerunt, instaurabo, et reædificabo sicut a die-*
Ibi 8. 9. 10. *bus antiquis.* De passione: *In die illa occidet Sol in meridie, et tenebrescere faciam terram in die luminis, et ponam eam quasi luctum unigeniti, et quasi diem amaram.* De prædica-
Ibi 9. 13. tione: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et comprehendet arator messorem, et calcator uvæ mittentem semen. Et stillabunt montes dulcedinem, et omnes colles culti erunt.* Abdias de eodem, ita: *In monte Sion erit* Abd. v. 17. *salvatio, et erit sanctus.* Ionas et in gestis, et in verbis typum gessit Salvatoris. In gestis, ut Salvator testatur in Evangelio dicens: *Sicut fuit Ionas* Matth. 12. 40. *in ventre ceti tribus diebus, et tribus noctibus; sic erit filius hominis in corde terræ.* Item aliter: Hedera virente Ionas Ion. 4. 6. &c. lætatur, Nineve periclitatur: arescente cucurbita, tristatur Propheta, salvatur speciosa. Michæas quoque de partu Virginis, nativitate Salvatoris, privilegio gratiæ, dignitate potentiæ, contumelia passionis, virtute prædicationis. De partu, et nativitate: *Et tu Bethlehem* Mich. 5. 2. 3. *Ephrata parvulus es in millibus Iuda: ex te mihi egredietur qui sit dominator Israël. Et egressus eius ab initio, a diebus æternitatis. Propterea dabit eos usque ad tempus, in quo parturiens parturiet.* De privilegio gratiæ, et virtute potentiæ: *Et* v. 5. *erit iste pax: Assyrius cum venerit in terram vestram, quando calcaverit in domibus nostris. Et suscitabimus super eum septem pastores, et octo primates homines.* De virtute prædicationis: *Et pascent ter-* v. 6. *ram Assur in gladio, et terram Nemrod in lanceis suis.* De contumelia passionis: *Nunc* v. 1. *vastaberis filia latronis: obsidionem posuerunt super nos, in virga percutient maxillam iudicis Israël.* Nahum officio et nomine typum gerit Salvatoris:

officio scilicèt advocati, et nomine consolatoris. Nahum enim consolator dicitur: Helchesæus advocatus interpretatur. Ait enim:

Nah. 1. 15. *Ecce super montes pedes evangelizantis, et annuntiantis pacem. Celebra Iuda festivitates tuas, et redde vota tua: quia, non adiiciet ultra, ut pertranseat in te, Belial: universus*

Ibi 2. 1. *interiit. Ascendit, qui dispergat coram te, qui custodit obsidionem. Contemplare viam, conforta lumbos, robora valde virtutem.* Habacuc de nativitate eiusdem, et passione, et Apostolorum prædicatione. De nati-

Hab. 2. 2. 3. vitate ita: *Scribe*, inquit, *expone eum super tabulas, ut percurrat, qui legerit eum: quia adhuc visus procul, et apparebit in finem, et non mentietur. Si moram fecerit, expecta illum, quia veniens veniet, et non*

Ibi 3. 13. *tardabit.* Item: *Egressus es in salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo.* De passione:

v. 4. 5. *Splendor eius ut lux erit: cornua in manibus eius. Ibi abscondita est fortitudo eius.* Item ad populum Iudæorum

Ibi 2. 8. comminando de eadem: *Quia tu spoliasti gentes multas, spoliabunt te, qui reliqui fuerint de populis propter sanguinem hominis, et iniquitatem terræ.*

Ibi 3. 8. De prædicationis officio: *Qui ascendens super equos tuos, et quadrigæ tuæ salvatio.* Sopho-

Soph. 3. 14. &c. nias de nativitate: *Lauda*, inquit, *filia Sion, iubila Israël, lætare et exulta in omni corde, filia Ierusalem. Rex Israël in medio tui Dominus, non timebis malum ultra. In die illa dicetur: Ierusalem, noli timere. Sion, non dissolvantur manus tuæ. Dominus Deus in medio tui fortis ipse salvabit.* Idem de resurrectione: *Expecta* v. 8. *me in die resurrectionis meæ in futurum: quia iudicium meum est, ut congregem gentes, et colligam regna.* Aggæus de eiusdem nativitate, et Ecclesiæ gloriosa constitutione: *Adhuc* Agg. 2. 7. &c. *modicum, inquit Dominus: et ego movebo cælum, et terram, et mare, et aridam. Et movebo omnes gentes: et veniet desideratus cunctis gentibus, et implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum. Magna erit gloria domus istius novissimæ plusquam primæ, dicit Dominus.* Zacharias de nativitate ita: *Exulta*, inquit, *satis filia Sion, iubila filia Ierusalem: Ecce rex tuus venit tibi, iustus et salvator, et ipse pauper. Et ascendet super asinam, et super pullum filium asinæ.* Idem de passione: *Tu* v. 11. *quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.* Item sub persona interrogantis Salvatorem de eadem: *Quid sunt* Ibi 13. 6. *plagæ istæ in medio manuum tuarum? Et dicet eis: His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me.* Item: *Framea* v. 7. *suscitare super pastorem meum, et super virum cohærentem mihi.* De Salvatoris personali prædicatione, et gentium ad eum devota conversione. *In diebus,* Ibi 8. 23. inquit, *illis apprehendent decem homines ex omnibus linguis gentium fimbriam viri Iudæi di-*

dicentes: Ibimus vobiscum. Audivimus enim, quoniam Deus vobiscum est. Item de passione:
Ibi 1. 8. &c. *Vidi*, inquit, *per noctem. Et ecce vir ascendens super equum rufum, et ipse stabat inter myrteta, quæ erant in profundo.* De prædicatorum missione: *Et post eum equi rufi, varii, et albi. Et dixi: Qui sunt isti Domine mi? Et respondit: Isti sunt, quos misit Dominus perambulare terram. Qui responderunt: Perambulavimus terram. Et ecce omnis terra habitabitur et quiescet.* De Ec-
v. 17. clesiæ dilatatione: *Adhuc affluent civitates meæ bonis, et consolabitur Dominus Sion, et eliget adhuc Ierusalem.* Item:
Ibi 2. 4. 5. *Absque muro habitabitur Ierusalem præ multitudine hominum, et iumentorum in medio eius. Et ego ero, ait Dominus, murus, et ignis in circuitu eius: et in gloria ero in medio.* Hæc de Iudæorum vocatione. Item de ipsorum reprobatione, et Gentium inquisitione:
v. 8. *Post gloriam*, inquit, *misit me ad gentes: spoliaverunt nos.*
v. 10. 11. Item: *Lauda filia Sion, et lætare, quia ecce venio, et habitabo in medio tui, dicit Dominus. Et applicabuntur Gentes multæ in die illa ad Dominum, et erunt mihi in populum.* De diversitate gratiarum
Ibi 8. 4. 5. collatarum Ecclesiæ: *Adhuc habitabunt anus, et senes in plateis Ierusalem: et viri baculus in manu eius præ multitudine dierum. Et plateæ civitatis complebuntur infantibus, et*
v. 8. 9. *puellis ludentibus.* Item: *Ecce ego salvabo populum meum de terra Orientis, et de terra Occasus solis, et adducam eos, et habitabunt in medio Ierusalem.* Item de Iudæorum ultima vocatione: *Nunc autem non iux-* v. 11. &c. *ta priores ego faciam reliquiis populi huius, dicit Dominus, sed semen pacis erit. Et erit, sicut eratis maledictio in gentibus domus Iuda, et domus Israël: sic salvabo vos, et eritis benedictio.* De Ecclesiarum fiducia ad Dominum, et earum pro necessitatibus populorum supplicatione: *Virgines petite* *Ibi* 10. 1. 4. *pluviam a Domino in tempore serotino, et Dominus faciet nives, et pluviam nivis. Ex ipso angulus, ex ipso paxillus, ex ipso arcus prælii, ex ipso egredietur omnis exactor simul.* Item de Salvatoris nativitate, et gratiarum in ipso plenitudine: *Ecce ego*, inquit, *adducam* *Ibi* 3. 8. 9. *servuum meum Orientem. Quia ecce lapis, quem dedi coram Iesu: super lapidem unum septem oculi sunt.* De exemplo operum ipsius, et miraculorum patratione: *Ecce ego cælabo* v. 9. *sculpturam eius, ait Dominus: et auferam iniquitatem terræ illius in die illa.* Malachias de eiusdem Salvatoris nativitate, ita: *Vobis*, inquit, *timentibus Deum* *Mal.* 4. 2. *orietur sol iustitiæ, et sanitas in pennis eius.* De credentium gloria et exultatione: *Et egre-* v. 3. *diemini, et salietis sicut vituli de armento, et calcabitis impios cum fuerint cinis sub plantis pedum vestrorum, dicit Dominus exercituum.* Item: *Ecce* *Ibi* 3. 1. *ego mitto Angelum meum, et præ-*

præparabit viam ante faciem meam, et statim veniet ad templum suum dominator, quem vos quæritis, et Angelus testamenti, quem vos vultis. Item Pater loquens de filio in
Ibi 2. 5. 6. eodem: *Pactum*, inquit, *meum fuit cum eo vitæ et pacis, et dedi ei timorem, et timuit me, et a facie nominis mei pavebat. Lux veritatis fuit in ore eius, et iniquitas non est inventa in labiis eius. In pace, et æquitate ambulavit mecum, et multos avertit ab iniquitate.*

74 Sic, sic pedes isti detulerunt nobis Salvatorem sæculi, typum eius personaliter multis gestorum argumentis gerendo, mysticis eum eloquiis vaticinando. Unde et præfati pedes orichalco dicuntur esse similes, tum pro decore sapientiæ, tum pro nitore turbinis eloquentiæ. Siquidem orichalcum metallis est universis sonorius, auri tenet speciem, sed eo longè est inferius. Quia sancti adventum præcedentes Iesu Christi, sequentibus clamaverunt diutiùs, et anxiùs, sobriè, iustè, et piè in hoc sæculo viventes, beatam spem et adventum gloriæ magni Dei expectantes. Qui licèt pro temporum qualitate perfectè viverent, omnes tamen famuli, sed nullus ex eis Dominus: unus supercælestis magister omnium erat: unusquisque discipulus. Hinc per Iob: *Ecce*, inquit, *Deus vincens scientiam nostram: nullus ei similis in legislatoribus.* Inde Apostolus: *Moyses quidem tamquam famulus erat, in testimonium eorum, quæ dicenda erant: Christus autem tamquam filius in domo sua.* Auri quidem tenebant speciem, sed rem longè dissimilem; quia etsi corde sinceri, ore sobrii, carne liberi, fide sanctissimi, spe firmati, caritate radicati, necessitati servientes, utilitati studentes, honestati consulentes; nullus tamen eorum omnino immunis a peccato, nullus ex eis passer fieri potuit solitarius in tecto, nemo ex eis inter mortuos liber fieri valuit, nemo animam suam ponere, et iterum eam sumere potuit. Unde per Iob: *Ecce, qui serviunt ei, non sunt stabiles, et in Angelis suis reperit pravitatem: quanto magis, qui domos habitant luteas, qui terrenum habent fundamentum, consumentur velut a tinea?* Iterum in eodem: *Numquid Deo comparari potest homo, etiamsi fuerit perfectæ scientiæ?* Item idem in eodem: *Num iustificari poterit homo comparatus Deo, aut apparebit mundus natus de muliere? Ecce luna non splendet, et stellæ non sunt mundæ in conspectu eius: quanto magis homo putredo, et filius hominis vermis?* Pedes ergo Domini pulvis sunt per humilitatem conscientiæ; nebulæ per obscuritatem eloquentiæ. Pulvis sunt, humilia de se sentiendo; nebulæ, arcana cælestia velamine litteræ tegendo: humiles vita, obscuri doctrina. Pulvis sunt, ut placeant; nebulæ, ne margaritas porcis præbeant. Aliter.

Apoc. 1. 15. et 2. 18. *Tit. 2. 12. 13.* *Iob 36. 26.* *Hebr. 3. 5. 6.* *Psal. 101. 8.* *Psalm. 87. 6.* *Ioan. 10. 18.* *Iob 4. 18. 19.* *Ibi 22. 2.* *Ibi 25. 4. &c.*

Ne-

Nah. 1. 3. 75 *Nebulæ pulvis pedum eius.* Pulvis est terrena intelligentia : nebula est obscuritas transitoria. Sole vero radiante, dissipantur nebulæ. Pulvis ergo pedum Domini sunt nebulæ ; quia sole iustitiæ radiante , Christo videlicet prædicante , miracula faciente , terrena calcata est intelligentia , spiritalis ac mystica reserata scientia. Unde in Psal-
Psalm. 17. 12. mo legitur: *Posuit tenebras latibulum suum.* Latibulum enim suum tenebras posuit : quia sub litteræ Prophetarum velamine opertus diu latuit. Unde sequitur : *Tenebrosa aqua in nubibus aëris :* quia videlicet obscura est scientia in Prophetis. Sequitur:
v. 13. *Præ fulgore in conspectu eius nubes transierunt.* Quia dum Salvator miracula faceret , dum Prophetarum ænigmata de se prædicta , in se completa evidenter ostenderet ; pulvis statim historiæ , ut nebula , evanuit. Spiritalis lux intrinsecus emicuit, et remoto velamine Sanctum Sanctorum patuit. Unde ipse in
Luc. 24. 25. &c. Evangelio : *O stulti* , inquit, *tardi corde ad credendum in omnibus , quæ loquuti sunt Prophetæ ! Nonne sic oportebat Christum pati , et tertia die resurgere , et ita intrare in gloriam suam ? Et incipiens a Moyse , et Prophetis interpretabatur illis Scripturas.* Pulvis ergo pedum Domini sunt nebulæ. Umbra fugit , dum redit claritas : typus transit , dum adest veritas. Aliter.

76 Possunt per pedes Domini eius designari Apostoli , de quibus legitur in Esaia. *Quàm* Isai. 53. 1. *pulchri* , inquit , *super montes Domini pedes evangelizantium pacem , evangelizantium bona.* Item alibi de iisdem : *Qui ap-* Deut. 33. 3. *propinquant pedibus eius , accipient de doctrina eius.* Isti ergo pedes Domini fuerunt , qui eum prædicando per universum mundum detulerunt. Petrus enim eum Romæ , Andreas Achaiam, Ioannes Asiam , Philippus (1) Galliam , Bartholomæus Parthiam, Simon Ægyptum , IACOBUS HISPANIAM , Thomas Indiam , Matthæus Æthiopiam , Iudas Thaddæus eum retulit Mesopotamiam. Iacobus Alphæi eum retinuit Hierosolymam.

Quisque sua sorte Christum sparsit sine sorde;
Per Paulum verò toto dispergitur Orbe.

Sed

(1) *Galliam*, si placet, non Regionem Francorum, sed Galatiam intellige , quæ sic dicitur , scribit S. Isidorus Hispalensis lib. 14. Etym. cap. 3. *a priscis Gallorum gentibus a quibus extitit occupata*, et *ex antiquo Gallorum nomine... Galatia nuncupatur. Galatæ* enim , addit lib. 9. cap. 2. *Galli esse noscuntur.* Hanc eamdem Apostolorum divisionem per varias Orbis partes leges apud eumdem Isidor. cap. 81. de Ortu et Obitu Patrum , &c. in Breviario Mozarab. in festo S. Iacobi Zebedæi filii ; in commentario in Apocalypsin Sancti Beati Liebanensis edito ab Henrico Florezio pag. 97. Prolog. lib. 2. cuius Beati testimonium uno ad minus sæculo ceteris posterius , viginti et amplius annos inventionem corporis Sancti Iacobi præcessit , cum hæc contigerit ineunte sæculo nono ante annum 814. ut bene ait prædictus Florezius tom. 19. Hisp. Sacræ pag. 69. et Beatus scriberet super Apocalypsin anno 784. ut eius editor probat.

Sed quia officium prædicationis vix potest diutiùs exhiberi sine nævo, sine fuco sinistræ commotionis (aut enim recipitur decenter, et gaudet; vel auditur negligenter, et torpet; aut contemnitur impudenter, et dolet); ideo pulvis inesse dicitur pedibus, quia fermentum gloriæ pauxillulum adhæret moribus. At quoniam compunctionis mox fervente fugatur lumine, pulvis evanescit in morem nebulæ. Unde a prædicatione redeuntibus Apo-
Luc. 10. 17. stolis, et dicentibus: *Domine, etiam dæmonia subiiciuntur nobis,* quasi redarguens docuit eos
v. 20. dicens: *Nolite in hoc gaudere: sed potiùs gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cælis.* Item:
v. 18. *Videbam Satanam sicut fulgur de cælo cadentem.* Acsi decenter ad eos et clementer, sed latenter diceret: Si hic qui
Ezech. 28. 12. 13. factus est signaculum similitudinis, qui in paradisi Dei fuit deliciis, cuius operimentum omnis lapis pretiosissimus, qui creatus omnium extitit decentissimus, expertus est superbiæ periculum, cenodoxiæ passus est infortunium, gehennæ dolet iugiter præcipitium, perpetuæ miseriæ gemit exitium; ipsius sequuti vestigia, nullatenus eiusdem poteritis evadere supplicia. Quos enim similes facit qualitas culpæ, necessariò reddit participes retributio pœnæ. Cui enim non inest medium, hic omnem vel nullum sequitur præmium. Nulla enim participatio lucis ad tenebras: falsitatem semper infestat veritas; umbram vitiorum, virtutum claritas; cælorum gloriæ mundi adversatur vanitas; felicitati gloriæ, gehennæ calamitas. Unde in Evangelio: *Nemo potest duo-* *Matth.* 6. 24.
bus Dominis servire. Nemo enim potest Deo servire, et mammonæ; aut enim unum sustinebit, et alterum contemnet: aut unum odio habebit, et alterum diliget. Pedum ergo Domini pulvis fit nebula: quia licèt victoriæ, et munerum mentem titillet gloria, timorata tamen conscientia fervens dilectione nimia, si quid terreni surripuerat pulveris, fletu statim diluit, et affectu divini muneris. Alioqui nullatenus perseveraret in eis gratia, nisi sese creatori subiiceret creatura, humana Deo humiliter subesset conscientia. Unde per Salomonem: *Ad lo-* *Eccl.* 1. 7.
cum unde exeunt, redeunt flumina, ut iterum fluant: quia videlicet mens inde supernæ gratiæ largiora possidet munera, unde se indigniorem iudicat ad tanta fœdera. Fit igitur pulvis pedum nebulæ: quia si quid sinistri surripuerit sanctorum conscientiæ, continuò evanescit divinæ fervore iustitiæ. Fugiendum ergo est omnimodis vitium cenodoxiæ, quo virtus infirmatur animæ, munus attenuatur gratiæ, risus tenebratur conscientiæ, felicitas amittitur gloriæ.

77 Cenodoxiæ namque initium serpentuli cuiusdam in moribus exercet officium. Est enim serpentulus quidam, qui hispalis dicitur, a quo vulneratus aliquis, statim somno mortis excipitur. De huiusmodi per Osee dicitur: *Comederunt alieni robur eius,* *Osee* 7. 9.
et ipse nescivit: sed et cani ef-

effusi sunt in eo, et ipse ignoravit. Alieni robur cenodoxorum comedunt, ipsi verò se devorari nesciunt: quia laudis amore flagrans misera conscientia, dum pro terrenis commutat cælestia, dum pro felici et æterna claritate ventus placet hominum, et caduca gloria peccatoris oleo delinitur; sensu ad superna redditur insensibilis, pedetentim ad virtutem fit impossibilis: et quò ad divina fit tardior et invalidior, eò ad humana proclivior atque ferventior. Fitque, ut gloria extrinseca eam obdormiat, intrinsecus verò malignior spirituum incentiva suggestio eam interimat, atque more phrenetici, dum moritur, se putat vivere; dum insanit, se putat ludere; dum agere partes se opinatur gloriæ, negotium pro viribus tractat miseriæ. Cani effusi sunt in ea, et ignorat: quia dum flos sæculi, dos Ægypti, et ros mundi ditat eam, sublimat, et lætificat; in his novum deponens hominem, dum se putat innovari, induit veterem. Hinc per alium Prophetam dicitur: *Olivam fructiferam, uberem, speciosam vocavit Dominus nomen tuum. Ad vocem grandis loquelæ ignis exarsit in ea, et combusta sunt omnia fruteta eius.* Hinc etiam per Hieremiam: *Cursor levis, explicans vias suas. Onager assuetus in solitudine, in desiderio animæ suæ attraxit ventum amoris sui.* Revera cursor levis huiusmodi fit anima: quia celeriter, licèt cum difficultate nimia, quæcumque ad sui videt facere temporalem gloriam, quæ ad famam celebrem, et nominis caducam eminentiam pertinere respicit, postposito rationis iudicio indubitanter peragit. Vias suas explicat: quia ad gloriam festinando, de alio in aliud transeundo, sine divinæ respectu gratiæ actiones utiles et honestas dissipat. Onager quandoque fit in solitudine: quia quædam aggreditur ardua, quædam proponit sibi multis difficilia, nonnulla incipit singularia, sine quibus desiderata non potest retineri gloria. Onager est in solitudine anima, inanis amore gloriæ in operum singulari sublimata celsitudine. Onager est in deserto anima, spe gloriæ anxia in arduo suo proposito. Onager est in terra arida, obtentu gloriæ rarò portans abstinentiæ stigmata, et expoliata disciplinis religionis anima. Sed onager iste in desiderio animæ suæ, ventum amoris sui attrahit: quia anima amore laudis anxia damnum, lucrum, risum, luctum, famam et infamiam, egestatem, miseriam, utilitatem, gratiam, et quæcumque huiusmodi alia sunt, exponit ut venalia, tantummodo ut in eis et ex eis sola comparetur gloria. In desiderio ergo animæ suæ ventum amoris sui attrahit: quia mens humanum favorem sitiens, omnia aggreditur, tolerat, exquirit, amplectitur, quæcumque argumento suæ gloriæ militare perspicit. Hinc per Osee: *Ephraim pascit ventum, et sequitur æstum*; quia videlicet mens aura pascitur elationis, et humanæ vento sublimatur laudationis, dum æstum ar-

Ier. 11. 16.

Ibi 2. 23. 24.

Osee 12. 1.

arduæ sequitur, et tolerat religionis. *Sequitur æstum, et pascit ventum:* quia unde forinsecus vultum portendit abstinentiæ, quo religiosiores semitas ingreditur ad oculum observantiæ, eò fructus floccissimos celeriùs carpit inanis gloriæ.

Ibi 9. 13. 78 Item per eumdem de eodem: *Ephraim ut vidit, Tyrus evanuit, quæ fundata erat in* v. 11. *pulchritudine. Avolavit gloria eorum a partu, ab utero, a conceptu.* Cuiusmodi sui fundatio, quæ, vel quanta, sive qualis eius fuit pulchritudo, Ezechielis evidenter ostendit lectio, qua dici- *Ezech.* 27. 3. &c. tur: *Hæc dicit Dominus: O Tyre, tu dixisti: Perfecti decoris ego sum, et in corde maris sita. Finitimi tui, qui te ædificaverunt, impleverunt decorem tuum. Abietibus de Sanir te exstruxerunt, cedrum de Libano tibi tulerunt: quercus de Basan tibi dilataverunt: transtra tua ex ebore indico, et lapide ex insulis Italiæ pretioso tibi fecerunt. Byssus ex Ægypto varia: hyacinthus, et purpura de insulis Elisa facta sunt operimentum tuum: habitatores Sidonis, et Aradii fuerunt remiges tui. Sapientes tui, Tyre, facti sunt gubernatores tui. Vanæ fuerunt, et pretiosæ supellectiles tuæ. Et viri bellatores tui clypeum, et galeam suspenderunt in te pro ornatu tuo. De argento, ferro, stanno, plumboque Carthaginenses negotiatores repleverunt nundinas tuas.* Hæc est Tyri pulchritudo, qua fundata fuerat, ut lectio habet prophetica. Postea subsequitur, quomodo eius avolavit gloria. *Ecce,* inquit, *assument super te carmen lugubre, et plangent te. Quæ est ut Tyrus, quæ obmutuit in medio mari? In multitudine divitiarum tuarum, et populorum tuorum ditasti reges terræ. Nunc contrita es a mari in profundum aquarum multarum. Opes tuæ, et omnis multitudo tua, quæ erant in medio tui, ceciderunt. Universi habitatores insularum, super te obstupuerunt, et omnes reges tempestate tua perculsi vultus mutaverunt. Negotiatores populorum super te sibilaverunt. Ad nihilum deducta es, et non eris in perpetuum.* Item ad principem eiusdem: *In signa-* *Ibi* 28. 12. &c. *culum similitudinis, plenus sapientia, et perfectus decore, in deliciis paradisi Dei fuisti. Omnis lapis pretiosus operimentum tuum. Aurum opus decoris tui, et foramina tua in die qua conditus es, præparata sunt. In Cherub extentus, et protegens, posui te in monte sancto Dei. In medio lapidum ignitorum ambulasti perfectus in viis tuis a die conditionis tuæ. Repleta sunt interiora tua iniquitate: et peccasti, et eieci te de mente Dei. Et elevatum est cor tuum in decore tuo. Perdidisti sapientiam tuam in ornatu tuo. In terram proieci te, ante faciem regum dedi te, ut cernerent te. In multitudine iniquitatum tuarum, et iniquitate fornicationis tuæ polluisti sanctificationem tuam. Producam ergo ignem de medio tui, qui comedat te, et dabo te in cinerem* v. 32. &c.

rem super terram, in conspectu omnium videntium te. Inter cetera regna eris humillima, et non elevaberis super nationes ultra. Ecce Tyri fundatio eximia, * operum affluentia, regum, optimatum, populorum amica frequentia; sed postea subsequitur, quomodo eius multiplex avolavit gloria.

* fors. *opum.*

79 Sciendum est autem, quoniam lectio prophetica, * et quæ præfata legimus testimonia, specialiter loquitur de cenodoxia. Unde quia satis per se clarent, nec expositione onerosa indigent, de his latiùs dicere supersedeo: maximè, quia ad alia prolixiùs indaganda, ad arcana propheticæ lectionis expressiùs intimanda, lucidiùs reseranda, mihi festinandum video. Gloria ergo Ephraim a partu, ab utero, a conceptu transit, quando mens priùs honore gloriæ quasi semidea, pro fama infamiam, pro gloria miseriam, odium pro gratia, contemptum pro reverentia, lucrum pro iactura, inediam pro copia iusto Dei iudicio * incipit. Partus est operatio. Venter intentio. Conceptus cogitatio. Gloria igitur Ephraim avolat a partu, a conceptu, ab utero, quando priùs splendidè forinsecus viventium, et de vitæ extrinseca honestate in se gloriantium inhonestatur actio, corrumpitur intentio, fœdatur cogitatio. Huc perducit reproborum gloria: sed sanctorum si quandoque mentem titillaverit, evanescit ut nebula; quia ex quo sentiunt extrinsecus huius titillationem impuritatis, statim fugiunt ad antidotum humilitatis. Pulvis ergo pedum Domini fit nebulæ, quia etsi sancti tentantur ex infirmitate corruptionis, superant tamen ex vi rationis, et vincunt in omnibus gratuito munere divinæ consolationis. Hæc de Christi pedibus dicta sufficiant: nunc quomodo ad Ecclesiam referenda sunt, sequentia doceant.

* fors. *ex qua.*

* fors. leg. *pati incipit.*

80 Ferè autem similia vel eadem videntur quæcumque alterutrum de utrisque dicuntur. Sicut enim sponsus et sponsa duo sunt in carne una (*Hoc autem Sacramentum magnum est*, ut ait Apostolus, *in Christo, et in Ecclesia*); ita attributa eorum impariter videntur paria, et similiter sunt dissimilia. De pedibus verò Ecclesiæ sic legitur in Canticis: *Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia Principis!* Calceamenta de pellibus fiunt animalium mortuorum, et significant exempla iustitiæ Sanctorum.

Ephes. 5. 32.

Cant. 7. 1.

81 Hìc se incidenter intulit occasio, quadrifaria qua fiat divisio. Quædam enim filia est Principis, et eius uxor; quædam filia, et non uxor; alia uxor, sed non filia; alia nec uxor, nec filia. Filiam facit expressa iustitiæ similitudo. Uxorem, sana veritatis prædicatio. Filia est ergo, patris in se cælestis retinens imaginem; uxor verò ex doctrina veritatis Christo pariendo sobolem. Prima igitur est unanimis perfectio sanctorum prædicatorum. Secunda, devota societas simplicium iustorum. Tertia, curiosa caterva carnalium doctorum. Quarta, murmuriosa turba car-

carnalium, vel infidelium subditorum. Prima sedet in cathedra iustitiæ. Secunda iacet in thalamo innocentiæ. Tertia sordet in cathedra Moysi. Quarta in tugurio fætet lenocinii. Prima foris gloria coronatur et honore. Secunda intrinsecùs ornatur scientiæ muneribus, et charismatum splendore. Tertia intùs pallet in conscientia, extrinsecùs nitet ore. Quarta solius est malitiæ laqueus, et fovea. De prima legitur: *Sindonem fecit, et vendidit, et cingulum tradidit Chananæo.* De secunda: *Fortitudo, et decor indumentum eius, et ridebit in die novissimo.* De tertia: *Circulus aureus in naribus suis, mulier pulchra, et fatua.* De quarta: *Non est caput super caput colubri: non est malitia super mulieris nequitia.*

Prov. 31. 24. 25.

Ibi 11. 22.

Eccli. 25. 22. 23.

82 Dicitur ergo Ecclesia uxor sponsi, principis filia. Uxor fidei castitate, filia dilectionis sinceritate. Uxor secundùm humanitatem, filia secundùm divinitatem. Filia dignitate conditionis; uxor benignitate redemptionis. Filia mandatis obsequendo; uxor prædicatione pariendo. Huius verò gressus sunt opera iustitiæ; calceamenta, exempla innocentiæ. Gressus ergo filiæ principis pulchri sunt in calceamentis: quia inde magis magisque dilatatur Ecclesia, unde prædicatores eius populis accepta ab aliis exempla ministrant innocentiæ; in se verò ostendant opera iustitiæ. Quod in se Prædicator ille egregius, vas electionis Paulus, qui per circuitum usque ad Illiricum seminavit Evangelium, ostendebat dicens. *Mihi*, inquit, *pro minimo est, ut a vobis iudicer, aut ab humano die. Nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum.* Ecce innocentia. *Quis infirmatur*, inquit, *et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror? Iudæis factus sum Iudæus, gentilis gentilibus: omnia omnibus factus sum, ut omnes lucrifaciam.* Ecce iustitia.

Rom. 15. 19.

1. *Cor.* 4. 3. 4.

2. *Cor.* 11. 29.

1. *Cor.* 9. 20. &c.

83 Pulvis ergo pedum fit nebulæ: quia veritatis Doctores, Ecclesiæ prædicatores, omnia terrena amore iustitiæ reputantes ut stercora, unde mundi potiora vilipendentes fugiunt, inde faciliùs expugnando, eum sibi subigunt. Et quia magis dilatatur Ecclesia, quo doctores perfectiùs calcant transitoria (considerant enim, quia

Omne quod est genitum, tendit ad interitum.

Item:

Omnia prætereunt more fluentis aquæ.

Item:

Omnia orta occidunt, et aucta senescunt.

Et quia hìc manentem civitatem non habemus, sed futuram inquirimus): omnem igitur mundi gloriam reputantes miseriam, summo nisu, et anxio conamine festinant ad patriam. Et quia perfecta flagrant dilectione; summa student devotione, ut quos habue-

Hebr. 13. 14.

buere comites in ærumna mundi, et exilii peregrinatione, participes habeant in gloria, et felici retributione. Animæ verò pedes illius sunt affectiones. Sicut enim corpus portatur pedum officio; sic anima movetur ad diversa affectionum studio. Nebula in aëre, vis compunctionis est in mente. Pulvis ergo pedum animæ fit ut nebulæ: quia siqua humanæ vitæ negligentia perfectorum fœdatur conscientia, statim ex proprio iudicio in mente devota nascitur compunctio, unde priùs sordidata mundatur affectio. Sic enim intelligo, quod
Prov. 24. 16. legitur (1) in Evangelio: *Iustus in die septies cadit, et resurgit.* Item in Proverbiis de eodem:
Ibi 28. 1. *Iustus ut leo confidens absque terrore erit.* Non quòd leo quandoque non paveat, sed quòd metum superando, mox ad naturam redeat. Sic et iustus si quando deliquerit, statim currens ad lacrymas, nævum imbre compunctionis abluit. Hinc ad sponsam dicitur in Canticis:
Cant. 7. 4. *Oculi tui sicut piscinæ in Esebon, quæ sunt in porta filiæ multitudinis.* Pulvis pedum animæ revera fit ut nebulæ: quia si sanctorum affectiones aliquibus inficiuntur sordibus, statim ad cor redeuntes vivunt in fletibus, dicentes illud Psalmographi:
Psalm. 41. 3. *Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum: quando veniam, et apparebo ante faciem Dei?* Hinc filiis Israël paxillum gestare præcipitur in balteo, ut terra operiatur sordida ventris egestio: quia ad excelsa suspirantes, et superna diligentes, germanam semper habent compunctionem, qua operiunt, et diluunt viriliter impuræ cogitationis superfluam egestionem. Sequitur.
Deut. 23. 13. 14.

84 *Increpans mare, et exsiccans illud, et omnia flumina ad desertum adducens.* Legatur ergo de Assyrio, postea de anima, deinceps de Christo, demum de Ecclesia. De Assyrio ita. Mare Dominus increpat: quia amarissimam persecutionem Assyrii cessare facit tempus examine iusti iudicii. Mare verò exsiccat: quando eam omnino adnihilat. Omnia eius flumina deducit ad desertum: quando regum, optimatum, populorum varia genera permittit infirmari, patitur expugnari, tolerat pessumdari, et pertrahi funditus ad nihilum. Hoc autem factum est, quando Sennacherib hostilis exercitus cum furore Hierosolymam veniens, muros eius hostiliter ambiens, ab Angelo percussus, et omnino deletus est. Hinc in libro Regum ita legitur: *Angelus autem Domini in castra Assyriorum descendit nocte media, et percussit eos, et ceciderunt nocte illa hominum octoginta quatuor millia. Et fugit ipse solus ferè in Ni-*
Nah. 1. 4.
4. Reg. 19. 35. &c

(1) *In Evangelio* nisi error est excriptoris aut typographi pro *in Proverbiis*, non facilè dixerim, quam ob causam auctor eam sententiam Evangelio adscribat, cum in Proverbiis reperiatur. Verba *in die* legit Hieronym. epist. 46. circa finem in edit. Mariani Victorii; et Greg. Magn. lib. 6. in primum Reg. cap. 2. num. 8. et Breviar. Mozarab. Sabbato Dominic. 3. Quadragesimæ ad Tertiam: quorum omnium testimonio Petrus Sabbatier benè uti posset, atque huic lectioni locum dare in editione Bibliorum Sacrorum.

nevem civitatem suam. Post non multum temporis duo ipsius filii occiderunt eum in templo Nesrach dei sui. Vel mare increpuit, Sennacherib cum suo exercitu occumbente ; exsiccavit, Sardanapalo regum Assyriorum ultimo , et omnium hominum infimo regnante. Omnia ad desertum deduxit flumina, * Macedone Assyrium superante, ipsum sibi hostiliter subiugante. Moraliter de anima: Mare , est amaritudo conscientiæ , surgens de profundo malitiæ. Mare verò Dominus increpat, quando clementi suæ respectu gratiæ mentem inquietam vitiis , et amaram de peccatis compungendo stimulat. Exsiccat , quando voluptates pestiferas ad integrum obliterat. Omnia flumina ad desertum adducit , quando universa omnino vitiorum genera , vel minima funditus evacuat. Hinc per Psalmistam : *Beatus qui tenebit, et allidet parvulos suos ad petram.* Mare igitur increpat, ducendo ad confessionem; exsiccat, infundendo compunctionem ; omnia deducit flumina ad desertum , supplendo carnis mortificationem. Mare increpat, hortando ad pœnitentiam. Exsiccat inspirando virtutum gratiam. Omnia flumina ad desertum adducit, ad perfectam sublimando iustitiam.

* fors. *Medo.*

Psalm. 136. 9.

85 Primò infundit amaritudinem pœnitentiæ: secundò præbet tranquillitatem conscientiæ: tertiò confert serenitatem gratiæ. Mare increpat, auferendo crimina; exsiccat, delendo delictorum minima; flumina deducit ad desertum , immunda amputando desideria. Mare increpat , delendo iniquitatem ; exsiccat , mortificando voluntatem ; flumina ad desertum adducit , animæ conferendo puritatem. Primò præstat odium mali. Secundò contemptum mundi. Tertiò abiectionem sui. Primò anima vivificatur. Secundò caro mortificatur. Tertiò spiritus purificatur. Vivificatur per veniam , mortificatur per abstinentiam , per consummatam purificatur iustitiam. Vel flumina ad desertum adducit , dum animæ defœcatæ vitiis , eliquatæ spurcitiis , cælestibus ad integrum expoliatæ disciplinis , spiritus charismata , gratiarum munera , spiritalis lumen intelligentiæ , contemplativæ dulcedinem lætitiæ clementissimè tribuit. Primò igitur oportet mundari animam per compunctionem. Secundò petulantiam carnis defœcari per mortificationem. Tertiò spiritum muneribus gratiarum perornari, scientia spiritali sublimari , divinitus illustrari per contemplationem. Hinc per Psalmistam : *In terra deserta , invia , et inaquosa : sic in sancto apparui tibi , ut viderem virtutem tuam, et gloriam tuam.* Primò namque confitendo vitia , fit desertum anima. Secundò abstinendo , iugum quoque disciplinæ viriliter sustinendo , malignis spiritibus fit invia. Tertiò inaquosa fit , calcando immunda desideria : tunc videtur virtus Dei , et gloria. Virtus ex subiectione hostium, gloria in splendore munerum. Virtus Dei ostenditur in odio iniquitatis , gloria in gaudio contemplandæ veritatis. Virtus Dei ma-

Psal. 62. 3.

manifestatur, dum peccator eligitur de profundo malitiæ; gloria, dum ad statum sublimatur perfectæ innocentiæ. Virtus Dei ostentatur, dum mundi contemnitur vanitas; gloria, dum superna utrinque sentitur felicitas. Dicat ergo: Sciens, quia creaturæ tuæ diligis puritatem, purificando mentem, et mortificando carnem, mox me contuli ad sanctitatem: ut his conscendens gradibus, tandem utrumque valeam attingere, virtutis et gloriæ tuæ felicitatem. Unde per Salomonem: *Cogitavi*, inquit, *abstrahere carnem meam, ut transferrem eam ad sapientiam.* Eccl. 2. 3.

86 Hinc legitur in libro Iudicum, Samsonem respondisse solutæ quæstioni suorum consodalium: *Nisi*, inquit, *in vitula mea arassetis, propositionem meam non invenissetis.* Est autem vitula, caro lasciva; propositio, obscura locutio. De vitula legitur in libro Hieremiæ: *Vitula elegans, et formosa Ægyptus: stimulator veniet ei ab Aquilone.* Caro enim petulans intrinsecùs, voluptati exteriùs et nitori serviens, dum contempto rationis iudicio, officinam odit lenocinii; incentiva libidinis se ingerunt ex parte pessimi adversarii. Ab Aquilone venit simulator vitulæ: quia carni pompaticè saginatæ, diligenter appositæ, statim adest stimulator totius malitiæ, incentiva suggerens omnis immunditiæ. Samson verò, qui sol eorum dicitur, typum tenet solis iustitiæ; et illius consodales, studentium sapientiæ. Dicatur ergo: *Nisi in vitula mea arassetis, propositionem meam non invenissetis.* Acsi dicatur: nisi caro restringatur, et fiat sobria, mens nequaquam se liberè erigere valet ad cælestia. Vitula namque aratur, cum caro mortificatur. Invenitur propositio, cum cælestium arcanorum aperitur contemplatio. Nisi ergo in vitula aratur, propositio nullatenus manifestatur: quia ni carnis atteratur voluptuosa vanitas, ineffabilis gaudii minimè aperitur suavitas. Sodales igitur Samsonis in vitula diligenter exarant, ut ænigma propositum intelligant: quia veritatis amici Iesu Christi discipuli carnem sobriè macerant, corpus suum competenter attenuant, devotè se affligunt, et funditus humiliant; ut obscura scientiæ intelligant, arcana sapientiæ penetrare valeant, divitias immortales videant, cellæ vinariæ iucundissima secreta introëant. Iudic. 14. 18. Ier. 46. 20.

87 Est igitur magni momenti abstinentia, qua purgantur vitia, impetratur venia, possidetur gratia, reparatur innocentia, arcana patefiunt cælestia. Abstinentia verò est quadrifaria. Prima est enim vitiorum. Secunda alimentorum. Tertia negotiorum. Quarta immundorum desideriorum. De his verò omnibus ita legitur in Zacharia: *Ieiunium quarti, et ieiunium quinti, ieiunium septimi, et ieiunium decimi, erit vobis in gaudium magnum, et solemnitates præclaras, ait Dominus exercituum.* Ex quatuor elementis compaginatur humanum corpus. Zach. 8. 19.

pus. Omnia negotia quinque peraguntur sensibus. Decalogi custodia extirpantur vitia. A septenario contemplativa designatur perfectio. Per decimi ergo ieiunium, mandatorum custodia extirpantur vitia. Quaternarii abstinentia ebrietas pessumdatur et crapula. Quinarii ieiunio negotiorum singularium fit abrenuntiatio. Septenarii parcitate eximia immunda fugantur desideria, et contemplationis possidetur lætitia. Item quarto die creavit Deus cæli luminaria. Quinta ex aquis produxit animalia. Ab omnibus operibus requievit in septima. Denario felicitantur omnia. Quarti ergo ieiunio lumen nobis ministratur scientiæ, intellectus rationis. Quinti abstinentia nova et munda producitur creatura ex aquis compunctionis. Per septimi ieiunium in Sabbato quiescimus secretissimæ contemplationis. Per decimi ieiunium, denarium accipimus beatissimæ retributionis. Per quarti ergo illuminamur, per quinti purificamur, per septimi honoramur, per decimi ieiunium felicitamur. Primum iniquitatem excludit, et ignorantiam. Secundum, vanitatem mundi, et concupiscentiam. Tertium infirmitatem animi pellit, et ignaviam. Quartum, calamitatem et miseriam.

Gen. 1. 14. *&c.*

88 Erunt igitur nobis prædicta ieiunia, ut ait Zacharias, *in gaudium magnum, et solemnitates præclaras;* quia ieiunia præfata a nobis ritè celebrata lumen nobis divinæ conferunt scientiæ, serenitatem conscientiæ, perfectæ gaudium iustitiæ, et insuper ad solemnitatem supernæ transferunt lætitiæ. Quaternarius numerus est coniugatus generalis; quinarius, coniugatus, sed singularis; virgo, septenarius; celebs verò denarius. Primus namque generat, et generatur. Secundus generat, sed non generatur. Tertius nec generatur, nec generat, sed est subditus. Quartus quoque idem manet, sed superpositus. Primi ergo ieiunium fœditatem amputat illicitæ libidinis. Secundi, necessitatem imperat propagandæ sobolis. Tertii, præstat honorem virginitatis. Quarti, ad felicitatem sublimat Angelicæ dignitatis. Primo coniugatus ligatur, ne passim effluat. Secundo arctiùs stringitur, ne delinquat. Tertio virgo decoratur, ut placeat. Quarto sublimatur celebs ad summa, ut semper gaudeat.

Ubi supr.

89 Tanti fuit apud antiquos momenti abstinentia, tanta eius reverentia, tanta ipsius observantia, ut etiam apud Ægyptios religione gentili præcipuus nullus sui mystes fieret, vel mystica tractaret mysteria, nisi quem præcipuè omnium præcipuum commendaret abstinentia. Abstinentia Christianæ militiæ firma custodia, virtutum sera, vitiorum crudelissima fera, charismatum apotheca, gratiarum hospita, contemplationis fidissima nuntia. Ieiunium scimus esse Dei (1) arcem, Christi castra, murum spi-

Ex serm. 12. Chrysolog.

(1) *Arcem* correximus ex edit. Chrysol. cum antea legeretur, *artem.*

(1) spiritibus, vexillum fidei, castitatis signum, sanctitatis trophæum. Hoc Adam in paradiso servavit, quem (2) gula ab eo deiecit. Hoc Noë in Arca custodivit, quando mundum ebrietas demersit. De (3) hoc Loth ignem restinxit Sodomiticum, qui per ebrietatem incesti (4) passus est incendium. Hoc (5) Moyses amicus Dei, et divini particeps consilii fieri meruit, quando populus crapula et ebrietate ad idololatriam rediit. Hoc Heliam ad cælum (6) provexit. Hoc Ioannem in natis mulierum maiorem fecit. Hoc, ieiunante Domino, diaboli insidias patefecit. Diabolus enim, qui manducantem contempserat Christum, (7) ubi non manducantem vidit, suspicatur Deum, Dei confitetur filium. *Si filius Dei,* inquit, *es, dic, ut lapides isti panes fiant. Vel mitte te deorsum.* Ieiunium est mors vitiorum, vita virtutum. Est ieiunium pax (8) corpori, decus membrorum, ornamentum vitæ. Est ieiunium robur mentium, vigor animæ. Est ieiunium castitatis murus, pudicitiæ propugnaculum, civitas sanctitatis. Est ieiunium (9) religionis gymnasium, magisterii magisterium, disciplinarum disciplina. Est ieiunium ecclesiasticæ viæ viaticum salutare. Est ieiunium invictus christianæ militiæ principatus.

Gen. 2. 16. 17. et 3. 6. &c.
Gen. 19. 31. &c.
Exod. 24. 18. et 32. 1. &c.
3. Reg. 19. 8. et 4. Reg. 2. 11.
Matth. 4. 3. 6.
Ex serm. 8. circa initium.

90 Sed in his omnibus ieiunium tunc viget, tunc triumphat, duce misericordia, cum (10) repugnat. Misericordia et pietas ieiunii sunt alæ, per quas tollitur, et ad cælum portatur, sine quibus iacet, et in terra volutatur. Ieiunium sine misericordia simulacrum famis est, (11) sanctitas verò nulla. Sine (12) misericordia ieiunium non parcitatis est propositum, sed avaritiæ occasio. Pessima hæc est parcitas, quæ quantum siccatur in corpore, tantum tumescit in animi, vel lini sacculo. Ieiunium sine misericordia non est virtus, sed hypocrisis, Domino dicente: *Cùm ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ.* Qui ieiunans, prandium suum non erogat, sed (13) reponit, cupiditati probatur ieiunare, non Christo. Ieiunantes ergo, prandium nostrum in manu pauperis reponamus, quod venter nobis fuerat perditurus. Pauperis manus est Abrahæ sinus, ubi quidquid pauper accipit, mox reponit. (14) Manus egeni thesaurus est cæli: quod suscipit, ne in ter-

Ex eodem.
Matth. 6. 16.

(1) Edit. Chrysol. *spiritus.*
(2) Edit. *quem inde detraxit gula.*
(3) Edit. *Per hoc Loth sodomiticum restinxit incendium.*
(4) Edit. *est adustus incendio.*
(5) Edit. *Hoc Mosen divini fervoris fecit lumine perducere, quando comessatio et ebrietas Israeliticum populum simulacrorum tenebravit erroribus.*
(6) Edit. *pervexit.*
(7) Edit. *ubi ieiunantem.*
(8) *Pax corpori* emendavimus ex edit. cum antea legeretur, *pars corporis.*
(9) Edit. pro *religionis gymnasium* habent *schola meritorum.*
(10) Edit. *pugnat.*
(11) Edit. *imago nulla est sanctitatis.*
(12) Edit. *Sine pietate ieiunium occasio est avaritiæ, non est propositum parcitatis; quia parcitas ista quantum siccatur in corpore, tantum tumescit in sacculo.*
(13) Edit. hìc *deponit* non tam rectè.
(14) Edit. *thesaurus cæli est manus pauperis; quod suscipit, ne in terra pereat, reponit in cælum.*

terra pereat, cælo commendat. v. 20. *Thesaurizate vobis*, inquit, *thesauros in cælo.* Manus [1] mendici gazophylazium est Christi; quia quidquid pauper accipit, [2] Christus in suæ gratiæ arcam reponit. Da ergo pauperi terram, ut accipias cælum: da nummum, ut accipias regnum: da micam, ut accipias totum: da pauperi, ut des tibi: quia pauperi quidquid dederis, tu habebis. [3] Pauper humanam petit misericordiam, ut accipias divinam. Est enim in cælo misericordia, ad quam pervenitur [4] pietate terrena. Qui de patrocinio [5] ieiunii et misericordiæ est certus, de venia sit securus, de absolutione [6] non suspectus.

Ex eod. serm. 8. paulò post initium.

91 Fratres, ieiunium esurit, ieiunium sitit, quod non pietatis cibo pascitur, quod potu misericordiæ non rigatur. Alget ieiunium, [7] abstinentia deficit, quod non [8] misericordiæ * vellus tegit, quod miserationis vestimentum non operuit. Quod ver est [9] solo, hoc misericordiam scimus esse ieiunio. Sicut enim verni flatus florere facit camporum gramina, ita [10] ieiunio solum producit florem misericordiæ. Quod oleum lucernæ est, hoc ieiunio pietas. Sicut [11] enim olei pinguedo lumen lucernæ facit perlucere, sic pietas ieiunium facit splendere. Quod diei sol est, hoc eleemosyna [12] sentitur esse ieiunio. Sicut [13] enim iubar solis clariorem facit diem, et totam nubium dispergit obscuritatem; sic eleemosyna ieiunii sanctificat sanctitatem, totamque cupiditatis mortem lumine pietatis excludit. Ac ne multis [14] morer, quod corpori anima est, hoc ieiunio largitas habetur. Quod si absit a ieiunio hypocrisis, et cupiditas, splendidior est animæ, * quod mundo solis claritas.

* fors. *velum.*

* Leg. *quàm mundo.*

Ex serm. 7.

92 Hypocrisis subtile malum, secretum virus, venenum latens, virtutum fucus, tinea sanctitatis. Hypocrisis secura simulat, prospera fallit, curiosa mentitur, crudeli arte virtutes truncat mucrone virtutum: ieiunium ieiunio perimit, orationem oratione evacuat, misericordiam miseratione prosternit. Quod corporibus est [15] hydrops, hoc animabus est hypocrisis: bibendo sitit [15] hydrops; siti inebriata est hypocrisis. Hypocrita, licèt tibi facies sit inculta, cutis negle-

(1) Edit. *pauperis.*
(2) Edit. *Christus acceptat.*
(3) Edit. aliter: *Humanam misericordiam petit* (Deus) *ut largiatur divinam.*
(4) Edit. *per terrenas misericordias.*
(5) Deest in edit. *ieiunii.*
(6) Edit. *non dubitet.*
(7) Edit. *ieiunium.*
(8) Edit. *eleemosynæ.*
(9) Edit. *terris.*
(10) Edit. *ita misericordia tota ieiunii semina producit in florem.*
(11) Edit. *sicut lucernæ lumen olei pinguedo succendit, et moderato pastu facit illud ad totius noctis spatium perlucere.*
(12) Edit. *noscitur.*
(13) Hunc locum in Biblioth. PP. ita legebamus aliquantò perturbatum: *Sicut enim iubar solis clariorem facit diem: sic eleemosyna ieiunii sanctificat sanctitatem. Et sicut idem* (pro *idem* quod reposuerunt editores, legebatur *tota* in MS.) *nubium obscura dispergit, ita ieiunium totum cupiditatis mortem lumine pietatis excludit*; nos restituimus ex editionibus Chrysologi.
(14) Edit. meliùs *immorer.*
(15) *Hydrops* posuimus ex Chrysologo, cum editores Bibliothecæ Patrum pro *hydropis* quod legebatur in MS. *hydropisis* substituerint.

glecta, tristis vultus, exterminatus aspectus; nec ab hominibus laudem invenisti, et apud Deum fructum ieiunii perdidisti. Hypocrita, abstinentiæ fluctus intrasti, continentiæ undas conscendisti, ieiunii pelagus enatasti; et in ipso ieiunii portu naufragasti: quia non comparasti lucra, sed mercatus es vanitatem; (1) quia Dei credito perfecisti humanam negotiationem. (2) Fugiendum est igitur hypocrisis virus, pestilentia cavenda, quæ de remediis creat morbos, conficit de medicina languorem, sanctitatem vertit in crimen, placationem facit reatum, generat de propitiatione discrimen. Facies mœrore deiecta * invitat famem, non ieiunium voluntarium profitetur. Si vult, quare tristis? Si non vult, ieiunus quare? Meritò (3) tali cruciatur commercio, qui sibi facit de virtute vitium, de veritate mendacium, de mercede (4) dispendium, de remissione peccatum.

* f. *indicat.*

Hucusque MSS. Bavaricus, inquit Canisius: Proinde vel mutilus est commentarius; vel certè morte præventus est viri sancti labor: hactenus enim quatuor dumtaxat versus, nec eos totos exposuit.

(1) Edit. *qui de Dei credito humanum negotium perfecisti.*

(2) Totus hic locus a nobis est restitutus ex ipso Chrysologo, cum nimis corruptus appareat in Bibliotheca Patrum, scilicet: *Fugiendum.... hypocrisis virus, pestilentia cavenda: remediis morbos conficit, de medicina languorem..... placationem facit creatura, generat de propitiatione discrimen. Si vult quærere tristis, si non vult ieiunare, quare meritò tali, &c.*

(3) Edit. *tali pœna vivit.*

(4) Edit. *stipendium.*

MONITUM.

Sancti Ildephonsi vitam seu elogium a S. Iuliano absdubio conscriptum, quoniam superiori volumine a nobis editum, atque eiusdem S. Ildephonsi operibus præfixum est, supervacaneum fortasse videbitur heic denuò recudere. Verumtamen considerare oportet, proprium hunc eius locum esse, ubi cetera eiusdem S. Doctoris opera repræsentantur. Quod si proprius minimè locus esset, aliquis tamen fuerat a nobis in hoc volumine quærendus, ut illud emendatius exhiberemus. Namque alias eius editiones (præter duas Ioannis Baptistæ Perez, et P. Florez, quas tunc sequuti sumus) evolventes, Baronii scilicet in Annalibus ad annum 667. n. 4. et 5. et in notis ad Martyrologium die 23. Ianuarii, Surii, Baluzii, Constantini Caietani, Mabillonii, Tamaii de Vargas, tum codices duos MSS. quorum superiori volumine meminimus, quoniam in edendis operibus S. Ildephonsi illis præcipue usi sumus, Amelianum unum dictum, alterum confraternitatis Cappellanorum (non Portionariorum) S. Ecclesiæ Toletanæ in cuius Bibliotheca nunc extant; quibus accessit codex pretiosissimus Legionensis, cuius meminit P. Florez tom. 15. Hispaniæ Sacræ, sæculo decimo minimè recentior, nuperrimè a P. Risco eius docto continuatore expensus, atque cum editis collatus, qui suas lectiones variantes nobiscum humanissimè communicavit: hæc inquam omnia discutientes, non levem in prædicto Elogio mutationem faciendam deprehendimus. Cum enim in omnibus his nec verbum legatur de immoderata Parentis ira, summaque animi commotione, qua de filii fuga admonitus, ad usque Agaliense Monasterium rabido *furore ipsum insequutus est, &c. totam hanc narratiunculam tamquam valde suspectam, et probabilius apocrypham e medio contextu relegandam duximus. Namque ab antiquioribus, et sanioribus codicibus abest, quorum optimos Auctores supra laudati versarunt; deinde cum pietate Parentis non bene convenit, qui Ildephonsum a puero SS. Viris Eugenio III. Toletano, et Isidoro Hispalensi erudiendum tradidit. In huiusmodi autem virorum schola, quid nisi sæculi contemptum, fugamque disceret? Quare data nobis est occasio suspicandi sæculo XI. aut sequenti huiusmodi fabellam fuisse confictam, ut erant tunc homines huiusmodi annilium fabularum amantes, quibus fabricandis delectabantur. In reliquo contextu variantes tantùm lectiones ex supra laudatis editionibus, et codicibus deductas indicamus, his notis usi: ut* Bal. *Baluzium denotet tom. 2. Miscell. edit. Lucens. 1761.* Bar. *Baronium in Ann.* Bar. M. *ipsum eumdem in notis ad Martyrolog. die 23. Ian.* Cas. *Cassinenses MSS. evolutos a Constanti-*

no

no Caietano ad vitam SS. trium Episcop. Ord. Bened. pag. 108. et seq. Hisp. *Hispaniam illustratam tom. 2. edit. Francofurt. 1603.* Leg. *Codicem Ecclesiæ Legionens.* Mab. *Mabillonium tom. 2. Act. Ord. S. Bened.* Sur. *Laurentium Surium in diem 23. Ianuar.* Tam. *Tamaium de Vargas apud Bolland. tom. 2. Ianuar. ad eumdem diem.* Tol. *duos Codices Biblioth. S. Eccl. Tolet. supra laudatos.*

VITA SANCTI ILDEFONSI.

(1) Ildefonsus memoria sui temporis clarus, et (2) irriguis eloquentiæ fluminibus (3) exornans (4) sæcula ætatis nostræ, (5) novissimè Toletanæ Sedis adscitus in cathedram, Præsul post secundum Eugenium in Sacerdotium consecratur: vir tanta laude dignissimus, quanta (6) et virtutum gratia numerosus. (7) Fuit denique timoris Dei instantia præditus, religione (8) comptus, compunctione (9) profusus, incessu gravis, honestate laudabilis, patientia singularis, secreti tacitus, sapientia summus, disserendi ingenio clarus, eloquendi facultate præcipuus, linguæ flumine copiosus; tantoque eloquentiæ cothurno (10) celeber habitus, ut disputationum eius profusa oratio dum (11) porrectè dirigitur, meritò non homo, sed Deus per hominem affatim (12) eloqui crederetur. Hic igitur sub rudimentis adhuc infantiæ degens, divino tactus spiritu, vita delectatus est Monachorum, contemptisque parentum rerumque (13) mundanarum affectibus, Agaliense Monasterium petiit, (14) Monachumque se in eo

(1) Haud male notant Constantinus Caietanus et Thomas Tamaio de Vargas, scriptum variè hoc nomen offendi: *Ildephonsus*, seu *Ildefonsus*, *Ilefonsus*, *Adifonsus*, *Afonsus*, *Alfonsus*, *Alifonsus*, *Alonsus*, *Anfus*, *Olfus*. Sed non adstipulamur Tamaio, et Petro Salazar de Mendoza in Vita S. Ildefonsi, qui credunt cum Wolfango Lazio vocem *Ildefonsus* gothicam esse, a germanica *Hildebuntz* natam; cum iam dixerimus in Præfatione generali id nomen latinum esse, vel si mavis, græcum ab *Alpha* derivatum, ut ait Sebastianus Covarrubias in Thesauro Linguæ castellanæ.

(2) Hisp. Cas. *irriguus.*

(3) Hisp. *exornatus.*

(4) Bal. Bar. exornans *Ecclesiam*, ætatis nostræ *novissimus.*

(5) *Novissimus* præter Bal. et Bar. habent Hisp. Cas. Tam.; *nobilissimus* Tol. Sur. Mab.

(6) Addimus *et* ex Leg. Tol. Bal. Bar. Sur. Mab. Tam. Hisp.

(7) Bar. numerosus *fuit. Denique timoris.... instantiæ plenus, præditus virtutibus*; Bal. numerosus. *Fuit denique timoris, &c.* ut Bar.

(8) Antea legebamus *compunctus*: nunc ponimus *comptus* ex Leg. Tol. Bal. Bar. Cas. Mab. Sur. Tam. et etiam ex ipso Ioanne Baptista Perezio in Cod. Bibliothecæ nostræ Ecclesiæ pluteo 31. num. 20. adeo ut absdubio alteram lectionem prætulerit Henricus Florez, propterea quod eam edidit Ioannes Grialius inter Opera S. Isidori.

(9) Bar. Sur. *probus.*

(10) Bal. Bar. Hisp. *celebris.*

(11) Iid. *per recta.*

(12) Cas. *eloquio.*

(13) Deest *mundanarum* in Tol. Bar. Cas. Hisp. Sur. Tam.

(14) En totam narrationem, quæ in contextu omittitur propter ea, quæ superius exposuimus in monito: " Cuius fugam ra-
» bido furore insequens pater, uno tantum
» maceriæ impeditus est obice, quo et fu-
» rentis est delusa quæsitio, et fugientis
» est salvata devotio. Nempe parentis fu-
» ror dum percitus in interiora prætendo-

eo multis [1] annis decenter exhibuit: Cœnobium quoque virginum in [2] Deibiensi villula construxit, ac propriis opibus [3] decoravit. Rector [4] deinde effectus Agaliensis Cœnobii, Monachorum mores exercuit, rem discrevit, vitamque servavit. Principali [5] post hæc violentia Toletum reducitur, atque [6] inibi post decessoris sui obitum Pontifex subrogatur.

Scripsit sanè quàm plurimos libros [7] luculentiori sermone [8] potissimos, quos idem in tot partibus censuit dividendos, id est, *Librum Prosopopœiæ imbecillitatis propriæ, Libellum de Virginitate S. Mariæ contra tres infideles, Opusculum de proprietate personarum Patris, et Filii, et Spiritus* [9] *Sancti, Opusculum annotationum actionis diurnæ, Opusculum annotationum in sacris, Opusculum adnotationum in* [10] *Sacramentis,* [11] *Librum de cognitione baptismi unum, et de progressu spiritualis deserti alium.* [12] Quod totum primæ partis voluit volumini connectendum. Partis quoque secundæ *Liber epistolarum est*, in quo [13] diversis scribens, ænigmaticis formulis [14] egit, personasque interdum induxit. In quo etiam a quibusdam luculentiora scriptorum responsa promeruit. Partem sanè tertiam *Missarum*, esse voluit, *hymnorum, atque sermonum.* [15] Ulterioris denique partis liber est quartus, versibus prosaque [16] concretus, in quo *Epitaphia*, et quædam sunt [17] *Epigrammata* annotata. Scripsit autem et alia multa, [18] quæ variis [19] rerum ac molestia-

» deret, latibulum quo hic vir oculebatur, » reliquit. Sicque præterita incurata per- » transiit, et in anterioribus, quæ præ- » terierat, inquisivit. Armata deinde ma- » nu Agaliensem cellam impetens gladio, » dum quæsitum non invenit, rediens in » propria ut perditum deploravit. Præco- » gnita igitur præfatus vir absentia pa- » rentali, Agaliense illico Monasterium » adiit, Monachumque, etc."

(1) Post *multis* expunximus *ferè* ex Bal. Bar. Sur.

(2) Leg. *Deibisensi.* Bar. *Deilssensi.* Hisp. *Deibiensi monasterio*: Cas. *Deivisensi*: Bal. *Abiensi*: Alii iuxta Tam. *Deissensi*, *Bissensi*, *Sissensi*, *Ileocensi*; in tantaque lectionum varietate, quæ fuerit hæc villula adhuc ambigitur, ut recte animadvertit idem Tamaio.

(3) Leg. Bar. Cas. *dedicavit*: Tol. Bal. Mab. Sur. Tam. *ditavit*: Hisp. *ædificavit*: Trithemius de Viris illustrib. *dotavit.*

(4) Perperam hìc Hisp. *mihi.*

(5) Etiam hìc malè Hisp. *Post hanc.*

(6) Bar. *ibi.*

(7) Bar. M. *luculento.*

(8) Bar. *purissimos.*

(9) Bar. post *Sancti* verbum: *opusculum de Viris illustribus*, *opusculum annotationis in sacramentis*: in Martyrol. *Opusculum annotationis de viris illustribus*, *opusculum annotationis in sacris.* Utrobique deest, ut in Tol. *Opusculum annotationis diurnæ*: Hisp. *Opusculum annotationis actionis divinæ*: Tam. *librum annotationum actionis divinæ.*

(10) Ponimus utrumque opusculum *in sacris* et *in sacramentis* ex Leg. Tol. Cas. Mab.

(11) Bar. M. *librum de cognitione baptismi et de progressu spiritualium*: Mab. *librum in* (*in* quoque Bar. in Annalib.) cognitione... unum, *et spiritualis deserti alium*: Non habet, *de progressu*: Hisp. pro *cognitione* legitur *gubernatione*: Bal. pro *progressu* habet *progressione.*

(12) Bar. M. non habet, *Quod totum* usque ad *connectendum.*

(13) Id. ibid. *ad diversos.*

(14) Leg. *tegit.*

(15) Bar. utrobique malè *Altioris*: Bal. haud male *Alterius*: Hisp. perperam: *Hymnorum atque alterius denique partis, &c.*

(16) Tol. *conscriptus*, Bar. M. *contextus.*

(17) Mab. post *epigrammata* addit *æquæ*: Leg. *atque.*

(18) Bar. Bal. *quamvis*, pro *quæ*: Bar. M. *quorum.*

(19) In Bar. utrobique deest, *rerum ac.*

stiarum occupationibus impeditus, aliqua (1) cœpta, aliqua semiplena reliquit. Adscitus autem in Pontificatum nono gloriosi (2) Recesvinthi Principis anno, novem annis et duobus ferè mensibus clarus habitus fuit vitæ meritis, et (3) retentatione regiminis: (4) expletoque octavo decimo prædicti Principis anno, sequenti die, (5) decimo Kalendas Februarii, domicilio carnis exuitur, atque in Ecclesia beatæ Leocadiæ tumulatur, ad pedes sui conditus decessoris, cum quo creditur æterno frui receptaculo claritatis.

(1) Tam. perperam, *cœptus.*
(2) Hisp. *Recessundi:* Cas. *Regis Suinthi.*
(3) Bar. *retentione*: in Martyrolog. *recto agendi modo*: Tam. *veneratione.*
(4) Perperam Cas. *expletoque octavo decimo prædicti Principis, anno sequenti.*
(5) Perperam Bar. *sequenti die Kalendarum Februariarum*: Cas. *Februarium.*

MONITUM.

Sequentes Orationes, quæ levissima fragmenta videbuntur, S. Iuliani opera cum sint, eas perire, vel vagari omnino noluimus. Primæ ac secundæ auctorem penitus ignorabamus, donec a Samsone Abbate laudatas vidimus in lib. 2. sui Apologetici, quem primus, ut aliàs monuimus, edidit R. P. Florez tom. XI. Hispaniæ Sacræ. Quas verò ille scribit in Missa quotidiana *ritus Gothici reperiri, nos Missale Mozarabicum percurrentes quale nunc extat, in Missa Dominicæ* ante Ieiunium Calendarum Novembrium *easdem legimus. Prima, quæ* Inlatio *dicitur, locum tenet illius, quæ apud nos* Præfatio *nuncupatur: altera extat immediate ante orationem Dominicam.*

Quoniam verò Missæ quotidianæ *in prædicto Missali nec nomen, nec vestigium ullum deprehendimus, quid per illam indicare Samson voluerit, res nobis obscura est, nec facilis definiri. Neque enim occurrit quare Missa Domin. prædictæ* quotidiana *appellari potuerit, quæ uno tantum die legebatur; neque etiam, si prædictæ orationes ad aliam tunc Missam pertinebant, qualis illa fuerit intelligi potest, quæ* quotidiana *diceretur. Nam* quotidianam *dicere Missam aliquam* de communi, *ut nos dicimus, quæ quovis die legi posset, levis nobis coniectura visa est. Nisi quis malit,* Missam *hoc loco intelligere, singularem orationem illam in Mozarabum Liturgia hoc nomine dictam;* quando Cathecumeni foràs mittuntur, *ut scribit S. Isidorus lib. 9. Etymolog. cap. 19.* clamante Levita, Si quis Cathecumenus remansit, exeat foràs: et inde Missa. *Quod nobis non satisfacit: quoniam* Missa *hoc sensu semper Offertorium præcedebat; harum verò duarum orationum utraque Offertorium subsequitur, ut per se patet, et ipsarum verba satis indicant.*

De

De tertia oratione nihil fere opus est adnotare, cum ea ipsa sit, quæ ab eodem S. Doctore operi de Comprobatione sextæ ætatis *præfixa est, et a nobis superiùs edita fol. 88. Unde illam Mozarabes desumptam inter Missarum solemnia post manuum lotionem recitant, eo loco quo nos orationem illam dicimus,* Suscipe, S. Trinitas, &c. *Recudimus verò eam propter lectiones variantes quas diverso caractere designamus: in quibus et illam videre est non contemnendam* clave, *pro* clavo, *quod in editis lib.* de Comprobatione sextæ ætatis *legebatur: ut appareat quàm rectè nos prudentissimam eo loco dixerimus coniecturam Barthii, qui ita eam lectionem restituendam censebat in suis Adversariis, quam et editio Toletana Missalis Mozarabici ann. 1500. exhibet, et Romana ann. 1755. retinuit, et nos etiam sequuti sumus in nostro specimine Missæ Mozarabicæ, quod Angelopoli edidimus ann. 1770. cum in Mexicana Cathedra sederemus.*

ORATIONES A S. IULIANO COMPOSITÆ, quæque in Missali Mozarabico reperiuntur.

INLATIO.

(1) Dignum et iustum est, nos tibi gratias agere, Domine sancte, Pater æterne, omnipotens Deus, per Iesum Christum Filium tuum Dominum nostrum. Cuius divinitatis immensitas sic ineffabiliter circumplectitur omnia, ut in singulis creaturis permaneat tota, et in omnibus habitet universa. Non minoratur in minimis, non augetur in magnis. Non concluditur tempore, non adstringitur quantitate. Non initio cœpta, non termino finienda. A quo totus homo et creatus est ad iustitiam sine peccato, et reparatus est post ruinam sacrificio eiusdem Christi mundissimo. Per ipsum quem in unitate trinæ virtutis conlaudant cælestia pariter et terrena, hymnum dulci modulatione proclamantia, atque ita dicentia. Sanctus, &c.

AD ORATIONEM DOMINICAM.

(2) Accepturi, fratres carissimi, intra mortalia viscera cæleste sacrificium, et intra cubiculum humani pectoris hospitem Deum, mundemus corda nostra ab omni labe facinorum.

(1) Samson Abbas lib. 2. Apolog. cap. 23. num. 2. dumtaxat hæc verba transcribit: *Dignum et iustum est, nos tibi gratias agere, omnipotens Deus, cuius divinitatis immensitas sic ineffabiliter circumplectitur omnia, ut in singulis creaturis maneat tota, et in omnibus habitet universa. Non minoratur in minimis, non augetur in magnis,* qui nec augetur, nec minuitur in ullo; et tamen dona auget, et minuit potenti imperio. Hæc postrema verba quæ italico charactere describimus, nescimus, an sint Iuliani.

(2) En verba quæ Samson transfert lib. 2. Apolog. cap. 13. num. 2. *Accepturi, fratres carissimi, intra mortalia viscera cæleste sacrificium, et intra cubiculum humani pectoris hospitem Deum, mundemus* corda nostra *ab omni labe* facinorum.

humani pectoris hospitem Deum; mundemus conscientias nostras ab omni labe vitiorum, ut nihil sit in nobis subdolum vel superbum; sed in humilitatis studium, et caritatis assensum per escam et sanguinem Domini corporis fraternitas cuncta copuletur: ut eum fiducia dicere mereamur e terris: Pater noster qui es &c.

ORATIO IN MISSA MOZARABICA post manuum lotionem recitanda.

Accedam ad te in humilitate spiritus mei: loquar ad te, quia multam spem *in fortitudine* dedisti me. Tu ergo, Fili David, qui revelato mysterio ad nos in *carnem* venisti, *clave* crucis tuæ secreta cordis mei adaperi, mittens unum de Seraphim, *qui candenti carbone illo qui* de Altari tuo *sublatus est*, sordentia labia mea *emundet*, mentem enubilet, *docendique* materiam subministret: ut lingua, quæ proximorum utilitati per caritatem servit, *nec* erroris *insonet* casum, sed veritatis *resultet* sine fine præconium. *Per te, Deus meus, qui vivis et regnas in sæcula sæculorum.* Amen.

MONITUM PRÆVIUM.

Historiam rebellionis Pauli adversus Wambam Gothorum Regem, rerumque ab eo hac occasione gestarum in Gallia Narbonensi, Iulianum Toletanum litteris consignasse, nemo nescit, testante Felice eius Encomiaste: fuit enim subsequentibus sæculis omnibus historicis non tantùm nota, sed et laudata, et commendata: siquidem auctor chronicorum ab aliquibus Alfonso III. ab aliis Sebastiano Episcopo Salmantino attributorum, de Wamba loquens, ita scribit: Si pleniùs cognoscere vis quantas cædes, quantas urbium incensiones, quantas strages, quanta agmina Francorum, vel Gallorum a Wambane sint interempta, quantas famosissimas victorias idem exercuit, quæ de Pauli tyranni excidio evenerint; beatum Iulianum Metropolitanum legito, qui historiam huius temporis liquidissimè contexuit: *quemadmodum legimus in Append. 7. tom. 13. Hispaniæ Sacræ. Eamdem historiam sæculo XIII. suæ inseruit Lucas Tudensis, quam primus typis vulgavit Andreas Schottus tom. 4. Hispaniæ illustratæ. Recudit eam postea a Tudensi seiunctam Duchesnius tomo 1. Scriptorum Coætaneorum Historiæ Gallicanæ, ad cuius exemplar novissimus omnium in Hispania publicavit P. Henricus Florez, tom. 6. Hispan. Sacr. collatam cum exemplari MS. Bibliothecæ Regiæ Matritensis ex apographo Ioannis Bap. Perez transcripto, qui extat in Bibliotheca nostræ S. Ecclesiæ Toletanæ inter ceteros MSS. ab ipso donatos: ex qua collatione variantes lectiones excerpsit, atque*

que adnotavit, textum etiam Duchesnii non semel emendavit. Verùm ut fateamur quod res est, nulla harum editionum exacta atque perfecta haberi debet. Tudensis enim, cuius textum edidit Schottus, cum historiam ex Iuliani codice transcriberet, fecit suo more, ut eam tertio fere quoque verbo truncaret, vel de suo interpollaret: qua ex re multum distat a genuino Iuliani textu. Duchesnius unico codice usus, sæpius errat exscriptoris vitio. Florezius tandem multa adhuc loca reliquit corrupta, quæ vel alterius Matritensis exemplaris auxilio curare non potuit: quorum nos magnam partem ope nostri Toletani emendavimus. In quo mirari subit, cum illud Matritense fuerit ex nostro Pereziano translatum, tantam esse inter utrumque discrepantiam, quantam ex variantibus lectionibus apparebit, exscriptoris dicam oscitantia, an perversitate? Itaque nos, qui prædictas editiones inter se componentes, laudato MSS. Ioan. Bap. Perez, alioque codice antiquo item Toletanæ Ecclesiæ Tudensis Chronica continente, sumus adiuti, si germanum auctoris textum longè integriorem ac emendatiorem præ ceteris edere affirmaverimus, non ægre videbimur fidem lectoribus facturos. Iam neque consilium nostrum reprehensuros speramus, quo genuinum auctoris textum cum Tudensis contextu simul edere decrevimus, tum ne molesta tot variantium lectionum farragine margines oneraremus, tum ut facilè quisque uno ictu oculi iudicare possit, quantum Tudensis narratio a Iulianæa discrepet. Hoc cum Florezio in mentem venisset, abstinuit consultò, ne a proposito suo discedere videretur: quod cum a nostro multum distet, nobis non idem verendum est.

Verùm ex apographo Pereziano non hic tantum usus ad nos pervenit, ut emendatior prodiret Iuliani scriptura, sed etiam ut auctior. In eo siquidem post historicam narrationem rebellionis exortæ, tyrannique devicti, ante sententiæ verò in eum eiusque socios latæ expositionem, orationem invenimus insertam, quam auctor insultationem vocat, nos declamationem diceremus; quam quidem exscriptor exempli Matritensis quare transcribere noluerit, non satis intelligimus: nisi forsàn ab alio insertam suspicatus fuit, non a Iuliano conscriptam. Sed verò nos suspicionis causas nullas videmus. Est enim huiusmodi declamatio, si rectè expendatur, ceteris præcedentibus, et subsequentibus caractere, ac stilo quàm simillima, acri, vivido, aculeato, variisque tropis, et figuris tum verborum, tum sententiarum intexto. Adeo ut mihi eam attentius perlegenti, si tumorem illum verborum, duritiemque stili, temporum illorum vitium, Gothicæ gentis quasi proprium, excipias, ceterà orator minimè vulgaris appareat, dum in Galliæ provinciam invehitur, atque præter morum fideique corruptionem, infidelitatem illi suam exprobrat, qua velut vi-

vilis adultera legitimi thori pertæsa, alienos amplexus expetere non erubuit: quam metaphoram eleganter pertractat. Deinde cautè solerterque occupat vanos prætextus, quos sceleri suo obtendere vellet, atque ut facinoris sui turpitudinem in luce meridiana collocet, elegantissima Antithesi singularem Principis clementiam, atque in media victoria admirabilem animi moderationem impudentiæ suæ atque procacitate opponit: id unum hac sua vehementi, ut loquitur, insultatione animo intendens, ut salutari rubore suffussa, a tam perditis consiliis deinceps abstineat, suæque paci, atque securitati, tum famæ ac honori consulere velit.

Verumtamen præter hasce quas exposuimus Oratoris virtutes minimè contemnendas, animum auctor prodit, pio zelo succensum, qui sibi temperare non potuit, quin scelesti hominis facinus subditos populos ad rebellionem provocantis sin minus manibus, calamo saltèm insectaretur, eius turpitudinem tam atris coloribus depingens, ut omnes ad eam detestandam adduceret. Scilicet ea fuit semper ab antiquis temporibus Hispanorum Præsulum propria laus, Regibus suis fidem atque obedientiam omni loco, omnique obsequiorum genere præstare: eorum personas sacras habere; eorum iura, atque in subiectos populos auctoritatem et verbo, et scriptis semper tueri; id ipsum et suo exemplo, et perpetuis adhortationibus populos docere, suadere, prædicare, semper cum Apostolorum Principibus clamantes: Subiecti estote omni creaturæ propter Deum sive Regi, sive Ducibus: Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit: ideo necessitate subditi estote, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam.

Quare huiusmodi orationem hactenus ineditam nos omnium primi in lucem proferimus, et quidem eo ipso loco, quem tenet in MS. Pereziano, ante sententiæ in rebelles latæ narrationem. Deinde variantes lectiones annotavimus, designantes per D. *Duchesnii editionem, per* F. *Florezii, et per* MS. *manuscriptum codicem S. Ecclesiæ Toletanæ superius laudatum: et hæc in textu genuino: nam in Tudensis textu variantes quas subiunximus, vel editionis sunt Schotti, vel MS. Tol. cuius antea meminimus. Insuper lectorem monemus, Lucam Tudensem in transcribenda Iuliani historia alia inseruisse de suo, alia verò, quæ erant in Iuliano, suppressisse: ut autem utrumque appareret in præsenti editione, interposita italico, ut appellant, caractere scribimus in textu Tudensis; suppressa verò asteriscis inclusa exhibemus in Iuliano genuino.*

EPISTOLA PAULI PERFIDI
qui tyrannicè rebellionem fecit in Gallia.

WAMBANO PRINCIPI MAGNO TOLETANO.

*In nomine Domini. Flavius Paulus (1) unctus Rex Orientalis, (2) Wambæ Regi Austri. Si iam asperas et inhabitabiles montium rupes (3) percircuisti: si iam (4) fretosa sylvarum nemora, ut leo fortissimus, pectore confregisti: si iam caprearum cursum, cervorumque saltum, aprorum ursorumque edacitates radicitus edomuisti: si iam serpentum vel viperarum (5) venena evomuisti; indica nobis armiger, indica nobis Domine, sylvarum et petrarum amice. (6) Nam et omnia ista accubuerunt, et tu festinas ad nos venire, (7) ut nobis abundanter philomelæ vocem retexas. Et ideò, magnifice vir, (8) ascendat cor tuum ad confortationem, et descende usque ad *Clausuras*, nam ibi invenies (9) Opopumpeum grandem, cum quo possis legitimè concertare.*

(1) F. *summus.*
(2) MS. *Wambani.*
(3) F. *percurristi.*
(4) Id. *fertosa.*
(5) Id. *venenum.*
(6) Id. *Nam si hæc omnia.*
(7) Ita id. sed MS. *et.*
(8) F. *ascendit..... ad confortationem. Descende usque, &c.*
(9) Id. *Oppopumbeum*, additque in not. Castrum esse in Pyrenæis montibus.

IN NOMINE DOMINI incipit Liber de Historia Galliæ, quæ temporibus divæ memoriæ Principis Wambæ a Domino Iuliano, Toletanæ Sedis Episcopo, edita est.

IN NOMINE SANCTÆ TRINITATIS. Incipit Historia Excellentissimi Wambæ Regis, de expeditione et victoria (10) qua rebellantem contra se Provinciam Galliæ celebri triumpho prædomuit. (11)

Solet virtutis esse præsidio trium-

(10) F. *quæ.*
(11) Hos titulos habet MS. sed Du-Chesne: *Historia Wambæ Regis Toletani edita a Domino Iuliano Toletanæ Sedis Archiepiscopo de expeditione et victoria, &c.*

EADEM HISTORIA

PROUT INTERPOLATA FUIT

A LUCA TUDENSI.

Ex MS. Bibliothec. Eccl. Tolet. et ex tom. IV. Hisp. illustr. pag. 58.

Hìc incipit Iulianus Episcopus Toletanus.

Solet virtutis esse *animorum* (1) *incitamentum*

(1) In MS. deest *incitamentum*, ut in Iuliano genuino.

TEXTUS LEGITIMUS.

triumphorum relata narratio, animosque iuvenum ad virtutis attollere signum, quidquid gloriæ de præteritis fuerit prædicatum. Habet enim ipsa humani moris instantia pigrum quemdam internæ virtutis affectum. Et indè est, quòd non tam citatior ad virtutes, quàm ad vitia proclivior reperitur. (1) Quæ nisi iugi exemplorum utilium provocatione instructa (2) præstiterit, frigida remanet et torpescit. Hac de re, ut fastidiosis mentibus mederi possit (3) relatio præteritæ rei, nostris temporibus gestum inducimus, per quod ad virtutem subsequiva sæcula provocemus.

2 Adfuit enim (4) diebus nostris clarissimus Wamba Princeps, quem dignè principari Dominus voluit, quem Sacerdotalis unctio declaravit, quem totius gentis et patriæ communio elegit, quem populorum amabilitas exquisivit, qui ante regni fastigium multorum revelationibus celeberrimè prædicitur regnaturus. Qui clarissimus vir, dum (5) decedentis Recesvindi Principis morte exequiale funus solveret et (6) lamenta, subitò unam omnes in concordiam versi, uno quodammodo (7) tam animo, quàm oris affectu pariter provocati, illum se delectantes habere Principem clamant; illum

(1) D. *quæ enim.*
(2) F. *præstiterit.*
(3) Id. *relationem.*
(4) F. *in diebus.*
(5) D. *decidentis.*
(6) Id. *lamentaretur.*
(7) MS. *non tam.*

TEXTUS TUDENSIS.

tum triumphorum *pulchra relatio*, animosque *nobilium* ad virtutis attollere signum, quidquid gloriæ de præteritis fuerit prædicatum. Habet enim humani moris *natura* pigrum quemdam internæ virtutis affectum: *unde contingit*, quòd non tam citatior ad virtutes, quàm ad vitia proclivior reperitur. *Et* nisi jugi exemplorum utilium instructa *fuerit* provocatione *assidua*, frigida remanet et torpescit. Hac de re ut *timidis & pigris* mederi possit, *relationem* præteritæ rei nostris temporibus *gestam* inducimus: per *quam* ad virtutem *subsequentia* sæcula provocemus.

2 Affuit *in* diebus nostris Bamba Princeps clarissimus *de regali sanguine ortus*, quem dignè principari (1) dominus voluit, quem *sacra* unctio *decoravit*, quem totius gentis et patriæ communio elegit, quem populorum amabilitas exquisivit: qui ante regni *fastigia* multorum (2) revelationibus *præconio celebri prædicatur. Antequam regnaret*, dum (3) decedentis Reccesvinthi *Regis* morte exequiale funus solveret, *inter ipsa* (4) lamenta in unam omnes concordiam versi, uno affectu pariter provocati, illum se *desiderio* habere principem clamant. Illum nec alium in Gotthis *posse* principari unitis vocibus intonant: et catervatim *suis* pedibus *obvoluti, ut regimen regni suscipiat, instant cum lachrymis postulantes. At ille, cuius mentem fortitudo firmaverat, nec lachrymis cedit, nec* precibus vincitur, *nec* voto flectitur populorum, modò se non suffecturum tot ruinis imminentibus clamans, modò senio confectum sese pronuntians. *Cui* acriter reluctanti unus ex officio

(1) Deest in MS. *dominus.*
(2) In tom. 4. Hisp. illustr. *relationibus.*
(3) MS. *decidentis.*
(4) In Hisp. illustr. *elementa.*

TEXTUS LEGITIMUS.

se nec alium in Gothis [1] principari unitis vocibus intonant, et catervatim, ne postulantibus abnuerit, sub [2] pedibus obvolvuntur. Quos vir omni ex parte refugiens, [3] lacrymosis singultibus interclusus, nullis precibus vincitur, nulloque voto flectitur populorum. Modò non se sufferecturum tot ruinis imminentibus clamans, modò senio [4] sese confectum pronuntians: [5] cum acriter reluctante unus ex officio Ducum quasi [6] vicem omnium acturus, audacter in medium minaci contra eum vultu prospiciens, dixit: "Nisi consensurum „ te nobis [7] promittas, gladii „ modò mucrone truncandum te „ scias. [8] Nec hinc tamdiu exi„ bimus, quamdiu aut expeditio „ nostra te Regem accipiat, aut „ contradictorem cruentus hic „ hodie casus mortis absorbeat."

3 Quorum non tam precibus quàm minis superatus, tandem cessit, regnumque suscipiens, ad suam [9] eos pacem recepit: et tamen dilato unctionis tempore usque in nonum decimum diem, ne [10] extra locum sedis antiquæ sacraretur in Principem. Gerebantur enim ista in [11] Villa, cui antiquitas Gerticos nomen dedit, quæ

(1) F. *principari velle.*
(2) MS. *suis pedibus.*
(3) MS. *et lacrymosis.*
(4) F. *se.*
(5) MS. *cui.... reluctanti.*
(6) D. *vice.*
(7) F. *modò promittas.*
(8) D. *Nec de hinc antea exibimus, quam aut, &c.*
(9) MS. *omnes.*
(10) D. *citra.*
(11) MS. *Villula.*

TEXTUS TUDENSIS.

Ducum audacter *in medium prosiliit*: *et* minaci contra eum vultu *educto gladio* prospiciens dixit: "Nisi consensurum te „ nobis promittas, gladii *huius* mucro„ ne modò truncandum te scias: nec „ hinc tandiu exibimus, quandiu aut ex„ peditio nostra te Regem accipiat, aut „ *contradictionem* cruentus hic hodie ca„ sus mortis absorbeat."

3 Quorum non tam precibus superatus, quàm minis, tandem cessit: regnumque suscipiens ad suam *omnes* pacem recepit. Et tamen *ne citra* locum *sacræ* sedis *Toletanæ regni sacram susciperet unctionem, distulit* usque *ad* nonam decimam diem, *ne videretur ambitione usurpasse, vel furatum esse regni gloriam, sed potiùs signum tanti culminis à Domino percepisse.* Gerebantur enim ista in villa, cui antiquitas Gerticos nomen dedit: quæ fere centum viginti milliariis ab urbe regia distans

TEXTUS LEGITIMUS.

quæ ferè centum viginti millibus ab urbe Regia distans, (1) in Salmanticensi territorio sita est. Ibi enim uno eodemque die, scilicet in ipsis Calendis Septembris, et decentis Regis vitalis terminus fuit, et pro subsequentis viri iam dicti (2) electione, illa quam præmissimus, populi acclamatio extitit. * Nam eumdem virum quamquam divinitùs abinceps, et per anhelantia plebium vota, et per eorum obsequentiam, regali cultu iam circumdederant magna officia; ungi se tamen per Sacerdotis manus antè non passus est, quàm Sedem adiret regiæ urbis, atque (3) solum peteret paternæ antiquitatis, in qua sibi opportunum esset et sacræ (4) unctionis vexilla suscipere, et longè positorum (5) consensus in (6) electione sui patientissimè sustinere. Scilicet ne citata Regni ambitione permotus, * usurpasse potiùs vel (7) furasse, quàm percepisse a Domino signum tantæ gloriæ putaretur. Quod (8) tamen prudenti differens gravitate, nono (A) decimo postquam regnum susceperat die, Toletanam urbem ingreditur.

4 At ubi ventum est (9) quo san-

(1) Id. *Insula manticensi.*
(2) Id. *præelectione.*
(3) Id. *solium.*
(4) Id. *ungunis.*
(5) F. *consensum.*
(6) MS. *ob prælectionem.*
(7) Id. *furatus esse.*
(8) Id. *tandem.*
(A) Hanc diem decimam nonam Septembris cum benè adoptasset Ioannes Mariana in sua Historia latina, nescio quare in versione hispanica vigesimam nonam apposuerit. Correctum vellemus hunc errorem in duabus postremis edit. Matritens.
(9) F. *quod.*

TEXTUS TUDENSIS.

stans in Salamanticensi territorio sita est. Ibi enim uno eodemque die, scilicet in Kalendis Septembris, et (1) decedentis Regis vitalis terminus fuit, et dicti viri *electio subsecuta.*

4 *Postquam autem Toletanam urbem in-*

(1) MS. *decidentis.*

TEXTUS LEGITIMUS.

sanctæ unctionis susciperet signum in Prætoriensi Ecclesia, Sanctorum scilicet Petri et Pauli, Regio iam cultu conspicuus ante altare divinum consistens, ex more fidem populis reddidit. Deinde curvatis genibus oleum benedictionis per sacri Quirici Pontificis manus vertici [1] eius refunditur, et benedictionis copia exhibetur, uti statim signum hoc salutis emicuit. Nam mox e vertice ipso, ubi oleum ipsum perfusum fuerat, evaporatio quædam fumo similis in modum columnæ sese erexit in capite, et e loco ipso capitis apis visa est prosiliisse, [2] quæ utique signum quoddam felicitatis secuturæ portenderet. * Et hæc quidem præmisisse otiosum fortè non erit: quippe ut posteris innotescat, quàm viriliter rexerit regnum. Qui non solùm nolens, sed tantis ordinibus ordinatè percurrens, totius etiam gentis coactus impulsu, ad regni meruerit pervenire fastigium.

5 Huius igitur gloriosis temporibus, Galliarum terra altrix perfidiæ, infami denotatur elogio, quæ utique inæstimabili infidelitatis febre vexata, genita a se infidelium depasceret membra. Quid enim non [3] illa crudele vel lubricum, ubi coniuratorum conciliabulum, perfidiæ signum, obscœnitas operum, fraus negotiorum, vænale iudicium, et quod peius his omnibus est, contra i-

(1) Deest *eius* in MS.
(2) F. *Quod... signum cuiusdam felicitatis... speciem portenderet.*
(3) Id. *in illa.*

TEXTUS TUDENSIS.

ingreditur, *et* ventum est, quo sanctæ unctionis susciperet signum, regio iam cultu conspicuus, ante altare divinum consistens, ex more *Catholicam fidem professus cum sacramento jurandi* fidem populis reddidit: *et mores bonos prædecessorum Regum atque leges firmavit.* Deinde curvatis genibus oleum benedictionis per sacri *primatis* et Pontificis [1] Quirici manus vertici ejus refunditur, et benedictionis copia exhibetur. Ubi hoc statim emicuit *mirabile* signum: nam mox è vertice ipso ubi oleum *sanctum* perfusum fuerat, evaporatio quædam fumo similis in modum columæ sese erexit: *et* ex capite ipso apis visa est prosiliisse, *et aëris alta petiisse*: quæ utique signum *fuit* secuturæ felicitatis. *Post hæc quàm gloriosè regnum rexerit, non est nostræ disserere* [2] *valitudinis.*

5 *Consistente igitur in quiete pacifica regno*, Galliarum terra eversionis suæ nutrivit decipulam. Etenim subitò in ea *unus* turbo infidelitatis assurgit: et *consensio* perfidiæ per unum ad plurimos transit: *atque rebellio contra Regem et patriam agitatur.*

Hu-

(1) Id. *Quiriaci.*
(2) Hisp. illust. *valetudinis.*

TEXTUS LEGITIMUS.

ipsum Salvatorem nostrum et Dominum Iudæorum blasphemantium prostibulum habebatur? Hæc enim terra suo, ut ita dixerim, partu perditionis suæ sibimet præparavit excidium, et ex ventris sui generatione viperea eversionis suæ nutrivit decipulam. Etenim dum multo iam tempore his febrium diversitatibus ageretur,* subitò in ea unius nefandi capitis prolapsione turbo infidelitatis adsurgit, et (1) conscensio perfidiæ per unum ad plurimos transit.

6 Huius enim caput tyrannidis Ildericum fama sui criminis refert, qui Nemausensis urbis curam sub Comitali præsidio agens, non solum nomen, sed titulum et opus sibimet infidelitatis adscivit, adiunctis pravitatis sibimet suæ sociis, Gumildo Magalonensis Sedis Antestite detestando, et (B) Ranimiro Abbate. (2) Is igitur criminis caput, dum per diversos ignem suæ infidelitatis accenderet, Nemausensis urbis Episcopum beatæ vitæ Aregium ad perfidiæ notam trahere nitebatur. Quem casto ore, constantique corde repugnantem suis consiliis cernens, et Ordinis et loci dignitate privatum, pondere vinculorum onustum, in Franciæ finibus Francorum manibus tradidit inludendum. Dein in sublati Pontifi-

(1) MS. *consensio.*

(B) Labitur semper Mariana abbatem istum Remigium nominans. Haud malè etiam fecissent correctores præfatarum editionum hunc nævum emendantes.

(2) F. *Hic.*

TEXTUS TUDENSIS.

6 Huius enim caput tyrannidis Hildericum *esse*, sui criminis *infamia* refert. Qui Nemausensis urbis curam sub comitali præsidio *gerens*, non solum nomen, sed titulum et opus sibimet infidelitatis *assumpsit*, *adiungens etiam sibi* pravitatis suæ socios (1) Gumildum Magalonensis sedis detestandum antistitem, et Ramirum Abbatem: *quorum favore in patriam Judæorum gentem perfidam evocavit contra constituta regni Gotthorum. Huius* igitur criminis caput *Hildericus*, cum per diversos ignem suæ infidelitatis accenderet, Nemausensis urbis episcopum vitæ beatæ Aregium ad perfidiæ notam (2) trahere nitebatur. Quem casto ore, constantique corde *repugnare* (3) suis consiliis cernens, loci dignitate privatum, pondere vinculorum onustum, in Franciæ finibus Francorum manibus tradidit illudendum: deinde in sublati pontificis locum suæ perfidiæ socium Ramirum *Abbatem intrusit* episcopum. In cuius electione nullus ordo attenditur, nulla principis vel metropolitani definitio præstolatur: sed erecto superbiæ *fastu*, contra interdicta maiorum à duobus tantùm pseudoepiscopis ordinatur. Peracto *tempore* temeritatis proventu Hildericus, (4) Gumildus, atque Ramirus terminos sibimet

(1) MS. *Gumillum.*

(2) Hisp. illustr. *perfidiam notam.*

(3) MS. *repugnante* pro *repugnantem*, ut in Iuliano genuino.

(4) MS. hic *Gunildus.*

TEXTUS LEGITIMUS.

tificis locum perfidiæ suæ socium (1) Ranimirum inducit Episcopum. In cuius electione nullus ordo attenditur, nulla Principis vel Metropolitani definitio præstolatur. Sed erecto quodam mentis superbæ fastigio contra interdicta maiorum ab externæ gentis duobus tantùm Episcopis ordinatur. Peracto temeritatis tantæ proventu, (2) trium horum hominum semina virulenta perfidiæ, Ildericus scilicet, Gumildus, et Ranimirus, terminos sibimet suæ coniurationis statuunt, et a loco ubi vocabulum fertur Mons Cameli usque in Nemausum terram Galliæ dividunt, suæque coniurationi adsciscunt, quo utique infidelitas a fidelitate (3) secerneretur. Collecta dein manu, cives depopulantur, labores exhauriunt, omnisque Provincia Galliæ depredatur.

7 Fama hæc cucurrit ad Principem, moxque ad extinguendum seditiosorum nomen, exercitum per manum Pauli Ducis in Gallias destinat. Qui Paulus (4) tepenti cursu cum exercitu gradiens, morarum intercapedine exercitum fregit. Ipse quoque bello abstinuit, nec primos impetus in hostem direxit, talique studio animos iuvenum ab eo quo ardebant præliandi furore, submovit. Sicque Paulus in Sauli mentem conversus, dum pro fide noluit proficere, officere co-

(1) MS. *Ranimirum Abbatem.*
(2) Id. *triumphorum omnium semina.*
(3) Id. *secernitur.*
(4) F. *repenti.*

TEXTUS TUDENSIS.

met suæ coniurationis statuunt, et à loco ubi vocabulum *dicitur* mons Cameli, usque in Nemausum terram Galliæ dividunt, (1) *suetæ* coniurationi *associant. Ab infidelitate fidelitas* (2) *superatur.* Collecta dein manu cives (3) depopulantur, labores (4) *exterminant*, *opes exhauriunt*, *et totam provinciam Galliæ deprædantur.*

7 Cucurrit hæc fama ad principem *Bambanem*, *qui* mox ad extinguendum seditiosorum nomen, exercitum per manum Pauli ducis, *qui erat de Græcorum nobili natione*, in Gallias *destinavit.* Qui Paulus *tepidè* cum exercitu gradiens, à bello abstinuit: *et* studio *quo valuit*, animos militum ab eo quo ardebant præliandi furore, submovit, *et* promissam *religioso principi fidem omnimode violavit. Egit hoc* arcano quodam consilio, ut *ad* affectatum *perveniret* fastigium, allectis sibi perfidiæ suæ sociis Ranosindo Tarraconensis provinciæ duce, et (5) Hildigiso sub Gardingatus adhuc officio consistente. Quod votum perversi *sui* desiderii incredibili efficere celeritate intendens, collectis undique populis simulate se pugnaturum contra seditiosos enunciat. Quod vir vitæ ve-

(1) MS. *suæque.*
(2) Id. *superaretur.*
(3) Id. *depopulant.*
(4) Id. *eterminant.*
(5) Id. perperam *Ildigisium.*

TEXTUS LEGITIMUS.

natus est contra fidem. Regni ambitione illectus, spoliatur subitò fide. (1) Promissam religiosi Principis maculat caritatem, (2) præstationis obliviscitur patriæ, et ut quidam ait, tyrannidem celeriter maturatam secretè invadit, et publicè armat. Agit hæc arcano quodam consilio, ut affectatum fastigium regni antè queat videri, quàm sciri, allectis sibi perfidiæ suæ sociis Ranosindo Tarraconensis Provinciæ Duce, et Hildigiso sub Gardingatus adhuc officio consistente. Quod votum perversi desiderii, incredibili, ut ita dixerim, efficere celeritate intendens, collectis undique populis, simulatè se pugnaturum contra seditiosos enuntiat. * Diem statuit, locum proponit, quo (3) Gallias expugnaturi accederent.* Quod vir vitæ venerabilis, et sollicitudine salvandæ plebis idoneus, Argebadus Cathedræ Narbonensis Antistes, subtilissima quorumdam (4) relatione comperiens, utpote tyranno, illi aditum civitatis intercludere nisus est. Sed nec hæc quoque opinio latuit Paulum. Unde priusquam Antistes ille, quæ cogitaverat, effectibus manciparet; subitò (5) præpropero cursu Paulus cum exercitu Narbonensem urbem ingrediens, insidias sui (6) maturitate prævenit, portasque civitatis subdelegato armatorum

(1) D. *Dimissam.*
(2) MS. *præstationibus.*
(3) Id. *Galliis pugnaturi.*
(4) F. *narratione.*
(5) MS. *proprio.*
(6) F. *maturatè.*

TEXTUS TUDENSIS.

nerabilis (1) Argebaudus *Narbonensis Antistes* subtilissima quorundam relatione *ut comperit*, aditum illi civitatis intercludere nisus est. Sed nec *ista* opinio latuit Paulum: unde priusquam *Argebaudus*, *quod* cogitaverat, effectibus manciparet, subitò *propero* cursu Paulus cum exercitu Narbonensem urbem ingrediens, portas civitatis *sub suorum* armatorum præsidio *observari* præcepit. Ubi dum circumfusa omnis exercitus multitudo collecta est, vipereum caput perfidiæ cum quibusdam sociis suis Paulus ipse medio astitit, obiurgans priùs Episcopum, cur illi civitatis aditum intercludere niteretur.

(1) Id. hìc et infra *Argebadus.*

TEXTUS LEGITIMUS.

præsidio [1] obserari præcepit. Ubi dum circumfusa omnis exercitus multitudo collecta est, vipereum caput perfidiæ cum quibusdam sociis suis Paulus ipse in medio adstitit, obiurgans primum Episcopum, cur illi civitatis aditum intercludere niteretur.

8 Post hæc tyrannidis suæ consilium proditurus, diverso fraudis argumento fidem populorum degenerans, et ad irrogandas iam fato Wambano Principi iniurias animos singulorum inflamans, iurat ipse Paulus primùm [2] omnibus illum se Regem habere non posse, nec in eius ultra famulatu persistere. Quin potius ait: „ Caput [3] regiminis „ ex vobis [4] ipsis eligite, cui „ conventus omnis multitudo ce„ dat; et quem in nobis princi„ pari appareat." Cui unus ex coniuratis maligni ipsius consilii socius Ranosindus Paulum sibi Regem designat, Paulum sibi nec [5] alterum populis Regem mox futurum exoptat. At ubi idem Paulus sui consilii accelerationem inspexit, consensionem illico propriæ voluntatis adhibuit, iurare etiam sibimet omnes coëgit. Post hæc R[6]gnum arripuit, et nefaria temeritate coniuratorum catervam illam, quam armorum utilitate non [7] cepit, perfidiæ opere ad se traxit. Nam Hildericum, Gumildum, vel Ra-

(1) MS. *observari.*
(2) Id. *hominibus*, et non habet *illum.*
(3) Id. *regimini.*
(4) Id. *istis.*
(5) Id. *alteris.*
(6) D. *Corripuit.*
(7) F. malè *cœpit.*

TEXTUS TUDENSIS.

8 Post hæc tyrannidis suæ consilium *proditur*, *et* diverso fraudis argumento fidem populorum degenerans, ad irrogandas iam *sancto Bambæ Regi* iniurias animos singulorum *inflammat.* Jurat *principiò* ipse Paulus, *se nullo modo* illum Regem posse habere, nec in eius *consistere ulteriùs* famulatu: *et etiam addidit dicens*: "Caput regiminis ex vobis »ipsis eligite, cui *omnis multitudo* cedat, »et *qui in vobis* appareat *devote et humi»liter* principari." Cui unus ex coniuratis maligni ipsius consilii socius Ranosindus *applaudens*, Paulum sibi Regem designat, Paulum sibi nec alterum populis Regem futurum exoptat. *Ad hæc ceteri coniurationis conscii Paulum Regem acclamant, et totius populi animos ad sua vota inclinant.* At ubi idem Paulus sui consilii accelerationem inspexit, consensum illico propriæ voluntatis adhibuit: *et iam re* sibi omnes coëgit. Post hæc *Paulus* regnum arripuit: et nefaria temeritate coniuratorum catervam illam, quam armorum *virtute* non cepit, opere perfidiæ ad se traxit. Nam Hildericum *Comitem*, *et* Gumildum *atque* Ramirum Pseudoepiscopos *absque difficultate* suæ perfidiæ sociavit: *et tota provincia Galliæ* subito *in coniurationis* arma *concurrit.* Nec solùm *Gallia*, sed *et pars* Tarraconensis provinciæ *cotburnum* rebellionis attentat. Fit tota Gallia repente *conciliabulum* perfidorum, *parata mori pro defensione perfidæ pravitatis.* Paulus *autem* dum *iniquitatis* suæ socios *multiplicatos numero laboraret* efficere, *datis* promissisque multis muneribus, Francorum Vasconumque *nimiam multitudinem* in sui auxilium *congregavit*, *et expectabat tem-*

TEXTUS LEGITIMUS.

Ranimirum non difficili opere suæ perfidiæ sociavit. Quid multa? Omnis Galliarum terra subitò in seditionis arma coniurat, (1) nec solùm Galliam, sed etiam partem aliquam Tarraconensis Provinciæ sociam rebellionis suæ attemptat. Fit tamen tota Gallia repentè conventiculum perfidorum, perfidiæ spelæum, conciliabulum (2) proditorum. Ubi dum Paulus perfidiæ suæ socios numerosiores efficere vellet, (3) prolatis promissisque muneribus, Francorum Wasconumque multitudines in auxilium sui pugnaturas adlegit, et intra Gallias cum multitudine hostium persistit: opperiens eventum (4) gratissimi temporis, quo posset in (5) Hispanias pugnaturus accedere, perceptumque regni fastigium vindicare.

9 Illo tunc tempore, cum hæc intra Gallias agerentur, religiosus Wamba Princeps feroces Wasconum gentes debellaturus adgrediens, in partibus commorabatur Cantabriæ. Ubi cum de his quæ intra Gallias gerebantur, fama se ad aures Principis deduxisset, mox negotium primatibus Palatii innotuit pertractandum, utrumne possent in Gallias exinde pugnaturi accedere, an revertentes ad propria collectis undique viribus cum multiplici exercitu tam longinqui itinere ne-

(1) MS. *nec solùm Gallia, sed etiam pars aliqua Tarraconensis Provinciæ cotburnum rebellionis attemptat.*
(2) Id. *perditorum.*
(3) F. *perlatis.*
(4) D. *gravissimi.*
(5) MS. corruptè *spaciis.*

TEXTUS TUDENSIS.

tempus opportunum, quo posset in Hispaniam pugnaturus accedere, *præreptumque* regni fastigium vendicare.

9 Cum hæc *in Galliis* agerentur, *gloriosus Rex* Bamba *Vascones rebellantes* debellaturus aggrediens, in partibus Cantabriæ *morabatur*. Ubi *dum* de iis quæ *in Galliis* gerebantur, *nuntium celerem recepisset*, mox negotium primatibus palatii innotuit pertractandum: utrum possent exinde in Gallias pugnaturi accedere, an revertentes ad propria, et collectis undique viribus, cum multiplici exercitu itineris tam longinqui arriperent comeatum. In quo bicipiti consilio nutantes multos princeps aspiciens, hac omnes admonitione alloquitur dicens: "Ecce iuvenes exortum malum audistis: »et quo se munimine incentor seditio»nis huius ornaverit, agnovistis. Præ»venire ergo hostem necesse est, ut »ante *præveniatur* bello, quàm in suo »crescat incendio. Turpe sit talibus *di-*

TEXTUS LEGITIMUS.

neris arriperent commeatum. In quo bicipiti consilio (1) nutantes multos Princeps ipse aspiciens, hac (2) omnes (3) communi admonitione alloquitur: " Ecce, ait, „ iuvenes, exortum malum audi- „ stis, et quo se munimine in- „ centor seditionis huius arma- „ verit, agnovistis. Prævenire er- „ go hostem necesse est, ut an- „ tè excipiatur bello, quàm in „ suo crescat incendio. Turpe „ nobis sit, aut talibus dimica- „ turos in occursum non ire, aut „ domos nostras, priusquam in- „ tereant, repedare. Ignominio- „ sum nobis videri debet, ut qui „ rebelles nostros suis non po- „ tuit subiicere armis, repugna- „ re audeat tantæ gloriæ viris: „ et qui abiectissimam unius ho- „ minis pellem devincere pro „ patriæ quiete non valuit, ho- „ stem audeat se præbere genti. „ Quasi effeminatos et molles „ nos usquequaque diiudicans; „ qui utique nullis armis, nullis „ viribus, nullisque consiliis eius „ tyrannidi resistere valeamus. „ Quæ est enim perituro illi vir- „ tus, si Francorum viribus no- „ biscum decertando confligat? „ Notissima eorum nobis, nec „ incerta pugna est. Ergo turpe „ sit vobis eorum (4) testudinem „ has acies expavescere, quorum „ nostis infirmiorem semper esse „ virtutem. * (5) Si autem coniu- „ ratione Gallorum nititur, vindi-

(1) D. *natantes.*
(2) In eod. deest *omnes.*
(3) In MS. deest *communi.*
(4) MS. *testudine.*
(5) D. *Sin autem.*

TEXTUS TUDENSIS.

»*micaturi* in occursum non ire: aut do» mos nostras, priusquam intereant, re» pedare. Ignominiosum nobis videri de» bet, ut *Paulus patriæ proditor*, qui re» belles nostros non potuit armis subii» cere, tantæ gloriæ *viris* audeat repu» gnare. Et qui abiectissimam *et imbellem* »*gentem* devincere non valuit pro quie» te patriæ, *Gotthorum militiæ* hostem »audeat se præbere. Quasi effeminatos »et molles nos usquequaque (1) diiudi» cans, qui utique nullis viribus, nullis »armis, nullisque consiliis eius tyran» nidi resistere valeamus. *Revera animo» sitatem et virtutem Gotthicæ gentis bello» rum triumphis à sæculo orbis expertus est »universus*: *et* quæ *erit* perituro illi vir» tus, et si (2) Francorum viribus nobis» cum decertando confligat? *utique* no» tissima eorum nobis neque incerta est »pugna, *sæpius enim à Gotthis contra ho» stes defensionis auxilium magnis precibus »impetrarunt*. Igitur turpe sit vobis eo» rum acies *vel ad horam* expavescere: »quorum nostis infirmiorem semper esse »virtutem. Et sive Galli sive Franci »sint, tantæ coniurationis vindicandum »*sentiant* facinus: *quia* armis ultricibus »gloriæ nostræ nomen (3) vendicare de» bemus. *Tamen non* cum feminis, sed »cum viris *vobis* certandum est, quan» quàm notissimum maneat, nec Fran» cos Gotthis aliquando posse resistere, »nec Gallos aliquid sine *illis* virtu» tis perficere. Quod si alimentorum »seu vehiculorum *necessitatem* opponitis, »*scitote* quia gloriosius *est* triumphum »in necessitatibus conquisisse, quàm »in abundantia bella exquisita confice» re. *Augustius* enim semper *est*, *quod* »plus *tolerantia* quàm suffectus rei no» bilitat. *Exurgit etiam ad victoriæ si» gnum nomen disperditum perfidorum. Gallo» rum ingratuitas vestrum inflammet ani» mum*, *quia Franci illos semper servitu» te miserabili oppresserunt*, *quos Gotthi de» derunt bellicis gladiis nobilissimæ liberta» ti*. Dum *ergo* calor est animi, nulla »debet esse remoratio properandi. Dum »ira animos urget, nulla nos debet re» tardatio impedire. Quin potiùs si fie» ri *posset* sine intermissione proficiscen-

„ di

(1) Id. non recte *usquequaquam.*
(2) Id. *etiamsi.*
(3) Id. *vindicare.*

TEXTUS LEGITIMUS.

„ dicare tyrannidem vile pu-
„ tandum est, ut gesta [1] nostra
„ extremo terræ angulo cedant:
„ et ii, in quibus dilatatum re-
„ gnum porrigitur, horum mo-
„ tibus perturbentur, quos præ-
„ sidali semper vice defendunt.*
„ Sive enim Galli, sive Franci
„ sint, tantæ coniurationis, si
„ placet, vindicandum [2] existi-
„ ment facinus: nos [3] tamen ar-
„ mis ultricibus gloriæ nostræ no-
„ men vindicare debemus. Ne-
„ que enim cum feminis, sed
„ cum viris nobis certandum est.
„ Quamquam notissimum maneat,
„ nec Francos Gothis aliquando
„ posse resistire, nec Gallos sine
„ nostris aliquid virtutis magnæ
„ perficere. Quòd si alimentorum
„ seu vehiculorum necessitudi-
„ nem opponatis, gloriosius no-
„ bis erit, postpositis cunctis,
„ triumphum in necessitatibus
„ conquisisse, quàm in abundan-
„ tia bella exquisita conficere.
„ [4] Augustior enim semper vir-
„ tus plus tolerantiæ vires, quàm
„ suffectus rei nobilitat. Exurgi-
„ te iam ad victoriæ signum, no-
„ men disperdite perfidorum.
„ Dum calor est animi, nulla
„ debet esse remoratio properan-
„ di. Dum ira animos [5] urget in
„ hostem, nulla nos debet retar-
„ datio impedire, [6] quin potius,
„ si

(1) In MS. deest *nostra.*
(2) Ita MS. sed F. *existimate facimus. Nos tamen, &c.*
(3) D. *tantùm.*
(4) MS. corruptè: *Angustior enim semper quam plus tolerantiæ vires quam suffectus rei non vilitat, exurgit enim ad victoriæ, &c.*
(5) MS. item corruptè: *arguit.*
(6) F. *Quin potiùs, si fieri posset, sine in-*

TEXTUS TUDENSIS.

„ di susceptum iter aggredi, multò *fa-*
„ *ciliùs* [1] *poterimus* hostium nostrorum
„ castra *subvertere.* Nam ut quidam sa-
„ piens ait: Ira præsens valet, dilata
„ languescit. *Et illud: Nocuit differre*
„ *paratis.* Non igitur opus est retro ver-
„ ti militem, *quoniam* impiger accessus
„ belligerandi *facit* esse victorem. [2] Ad-
„ huc ergo Vasconibus cladem illaturi
„ accedamus. Deinde ad seditiosorum
„ nomen extinguendum protinus festi-
„ nemus."

Cum

(1) Id. perperam *poterat.*
(2) MS. *Adhinc* propiùs *Abbinc*, ut in Iuliano genuino.

TEXTUS LEGITIMUS.

„ si fieri possit sine intermissione „ proficiscendi susceptum iter „ aggredi, multò facillimè pote„ runt hostium nostrorum castra „ subverti. Nam, ut quidam sa„ piens ait, ira præsens valet, „ dilata languescit. Non igitur „ opus est retroverti militem, „ quem impiger accessus belli„ gerandi [1] fecit esse victorem. „ [2] Directum ergo iter frustrare „ non opus est. Abhinc ergo Va„ sconibus cladem illaturi accedа„ mus, deinde ad seditiosorum „ nomen extinguendum protinus „ festinemus."

10 Ad quod dictum incalescunt animi omnium, exoptantque fieri quæ iubentur. Mox cum omni exercitu Vasconiæ partes ingreditur, ubi per septem dies [3] quaquaversùm per patentes campos deprædatio et hostilitas castrorum, domorumque incensio tam validè acta est, ut Vascones ipsi, animorum feritate deposita, datis obsidibus vitam sibi dari pacemque largiri, non tam precibus, quàm muneribus exoptarent. Unde acceptis obsidibus, tributisque solutis, pace composita, directum iter in Gallias profecturus [4] ascendit, per Calagurrem et Hoscam civitates transitum faciens. Dehinc electis Ducibus in tres turmas exercitum dividit: ita ut una pars ad Castrum

intermissione proficiscendi susceptum iter aggredi oporteret. Multò enim facillimè sic poterunt, &c.

(1) MS. *facit.*

(2) F. *Directo.... itinere nos frustrari non opus est.*

(3) F. mendosè *quaqua versa.*

(4) MS. *accepit.*

TEXTUS TUDENSIS.

10 *Cum hæc peroraret Bamba* (1) *Rex prudentissimus, invalescunt* animi omnium, *et ardenter* exoptant fieri, *quod* iubentur, *et statim omnis exercitus* Vasconiæ partes ingreditur: ubi per septem dies *usquequaque* per patentes campos deprædatio et hostilitas castrorum domorumque incensio tam validè acta est, ut Vascones feritate deposita vitam sibi dari, datis obsidibus pacemque largiri, non tam precibus quàm muneribus exoptarent. Unde acceptis obsidibus, tributisque *solitis*, et pace composita, *directo itinere* in Gallias *profecturi accedunt*, per (2) Calafurram et Oscam transitum *facientes. Post hæc Rex Bamba* electis ducibus, (3) in tres turmas exercitum dividit, ita ut una pars ad castrum Libiæ, *quæ* est *Aquitaniæ* caput, *tenderet.* Secunda per Ausonensem civitatem Pyrenæi media peteret. Tertia *verò* per viam publicam iuxta ora maritima graderetur. Ipse *etiam* religiosus Princeps cum multiplici bellantium manu subsequebatur. Sed quia insolens quorumdam ex nostris motio non solùm prædæ inhiabat, sed etiam cum incensione domorum adulterii facinus per-

(1) In MS. deest *Rex.*

(2) MS. *Galafurram.*

(3) In Hisp. illustr. deest *electis ducibus*, quod habet Iulianus genuinus, ut MS.

TEXTUS LEGITIMUS.

strum Libyæ, quod est Cirritaniæ caput, pertenderet; secunda per Ausonensem Civitatem Pyrenæi media peteret, tertia per viam publicam iuxta (1) oram maritimam graderetur. Ipse tamen religiosus Princeps cum multiplici bellantium manu præcedentes subsequebatur. Sed quia insolens quorumdam e nostris motio non solùm prædæ inhiabat, sed etiam cum incensione domorum adulterii facinus perpetrabat; tanto disciplinæ vigore iam dictus Princeps in his et talibus patratum vindicabat scelus, ut graviora (2) in his supplicia illum putares impendere, quàm si hostiliter contra illum egissent. Testantur hoc præcisa quorumdam adulterorum præputia, quibus pro fornicatione hanc ultionis irrogabat iacturam. Dicebat enim: "Ecce „ iam iudicium imminet belli, et „ libet animam fornicari? Et cre„ do ad examen pugnæ acceditis. „ Videte ne in vestris sordibus „ pereatis. Nam ego si ista non „ vindico, iam (3) ligatus hinc „ vado. Ad hoc ergo vadam, et „ iusto Dei iudicio capiar, si ini„ quitatem populi videns, (4) ipsum „ non puniam. Exemplum (5) hic „ præbere debet Heli Sacerdos „ ille in divinis litteris agnitus, „ qui pro immanitate scelerum „ filios, quos increpare noluit, in „ bello concidisse audivit. Ipse „ quoque filios sequens, fractis „ cer-

(1) F. *ora maritima.*
(2) F. *bis.*
(3) D. *ligandus.*
(4) F. *ipse.*
(5) Id. *mihi* pro *hic.*

TEXTUS TUDENSIS.

perpetrabat, tanto disciplinæ vigore jam dictus princeps *de* his et *quibusdam aliis vitiis* scelus vindicabat *nequiter perpetratum*, ut graviora in iis supplicia illum putares impendere, quàm si hostiliter contra illum egissent. Testantur *hæc ab illis adulteris abscissa membra virilia*, quibus pro fornicatione hanc ultionis irrogabat iacturam. Dicebat enim: "Ecce iam iudicium imminet belli, et »libet fornicari, *ut Deus ad iracundiam* »*provocetur*? *Ut* credo ad examen pu»gnæ acceditis, videte ne in vestris »sordibus pereatis. Nam ego si ista »non vindico, iam ligatus hinc (1) va»do. Ad hæc ergo vadam, *ut* iusto »Dei judicio capiar, si iniquitatem »populi videns, *ipsam* non puniam. »*Frustra enim pergit ad bellum ut vin»cat*, *quem iniquitas comitatur*. Exem»plum *vobis* præbere debet, *quòd* Heli »Sacerdos ille in divinis litteris *eru»ditus*, qui *pro sceleribus neglexit filios* »*increpare*: *et ideo illos in bello didicit* »*concidisse*: ipse quoque filios sequens, »fractis cervicibus expiravit. Hæc igi»tur nobis timenda sunt, et ideo si »purgati maneamus á crimine, non »erit dubium quòd triumphum capia»mus ex hoste." Sub ista, ut præmissum est, disciplina princeps *Bamba* exercitum gloriosè *perducens*, mores singulorum sub divinis tenens regulis, prosperari sibi videbat per incrementa dierum dispositum belli et victoriam præliandi. (2) *Sicut enim erat regali Gothico clarissimus genere*, *sic erat magnanimus mente*, *sic et abundans scientia litterali. Itaque* prima ex rebellione omnium civitatum Barcinona in potestate principis religiosi adducitur, deinde Gerunda subiicitur. Huius civitatis venerabili viro Amatori episcopo Paulus pestifer sub isto sensu miserat epistolam scriptam.

Au-

(1) Hisp. illustr. *invado.*
(2) MS. hic tantùm dicit: *Sicut enim erat magnanimus mente, sic et abundans scientia litterali.*

TEXTUS LEGITIMUS.

„ cervicibus expiravit. Hæc igi-
„ tur nobis timenda sunt, et ideò
„ si purgati maneamus a crimine,
„ non dubium erit quòd trium-
„ phum capiamus ex hoste." Sub ista, ut præmissum est, disciplina iam dictus Princeps exercitum gloriosè producens, moresque singulorum sub divinis regulis tenens, (1) prosperari sibi videbat per incrementa dierum et dispositum belli, et victoriam præliandi. Prima (2) ex rebellione omnium Civitatum Barcinona in potestate Principis religiosi adducitur, deinde Gerunda subiicitur. Huius igitur memoratæ Civitatis venerabili viro Amatori Episcopo Paulus idem pestifer sub isto sensu scriptam Epistolam miserat.

11 " (3) Audivi, quod Wam-
„ ba Rex cum exercitu ad nos
„ venire disponat, sed cor tuum
„ ex hoc non conturbetur. Ne-
„ que enim hoc (4) fieri puto. Et
„ tamen quem primum de nobis
„ ambobus (5) tua Sanctitas cum
„ exercitu viderit accedentem,
„ ipsum se Dominum credat ha-
„ bere, et in eius debeat caritate
„ persistere." Hæc miser ipse scripsit, (6) nesciens quàm iustum contra se iudicium protulit. Unde horum scriptorum verba religiosus Princeps sapienter coniiciens, dixisse fertur. " (7) Non (ait) Pau-
„ lus in his scripturis suis a se-
„ metipso locutus est. Sed licèt
„ igno-

(1) F. *principari.*
(2) Id. *prima enim.*
(3) Id. *Audivi ego.*
(4) Deest *fieri* in D.
(5) F. *ibi tua.*
(6) Id. *nesciensque.*
(7) Id. *Non Paulus in his scriptis suis, &c.*

TEXTUS TUDENSIS.

11 "Audivi quòd Bamba Rex cum
»exercitu ad nos venire disponat. Sed
»cor tuum non *turbetur*, *nec* enim
»*hæc* fieri puto. Et tamen quem pri-
»mum de nobis ambobus (1) tua San-
»ctitas cum exercitu viderit acceden-
»tem, (2) ipsum se credat habere do-
»minum, et in ejus debeat persistere
»caritate." Hæc miser scripsit, nesciens, *quòd* justum contra se iudicium protulit. Undè horum scriptorum verba *Rex Bamba* sapienter coniiciens, *dixit*: "Non in his *scriptis* Paulus à
»semetipso locutus est, sed licèt igno-
»ranter, tamen illum censeo prophe-
»tasse." Egressus igitur post hæc Princeps de civitate Gerunda belligerosis incursibus gradiens ad Pyrenæi montis iuga pervenit, ubi duobus diebus exercitu *repausato*, per tres divisiones, ut dictum est, exercitus Pyrenæi montis dorsa (3) *adivit*, et castra Pyrenaica quæ vocantur Caucoliberum, Vulturariam, et (4) Libiam mirabili victoriæ

(1) Id. *ibi tua*; aut, *ita tua.*
(2) Id. pro *ipsum.* . . . *dominum*, habet *spiritum.* . . *domini*, aut *dominum.*
(3) Id. *ordivit.*
(4) Id. *Caucoliberi*, *Vulturaria.* . . *Libia.*

TEXTUS LEGITIMUS.

„ ignoranter, tamen prophetasse „ illum hìc censeo." Egressus igitur post hæc Princeps de Gerunda civitate, belligerosis (*) incursibus gradiens, ad Pyrenæi montis iuga pervenit. Ubi duobus diebus exercitu (1) repausante, per tres, ut dictum est, (2) divisiones exercitus Pyrenæi montis dorsa ordinavit, castraque Pyrenæica, quæ vocantur Caucoliberi, Vulturaria, et Castrum Libyæ mirabili victoriæ triumpho (3) cepit, atque perdomuit. (4) Multaque iis in castris auri argentique inventa copia exercitibus in prædam cessit. Nam in castrum quod vocatur *Clausuras*, missis ante se exercitibus, per Duces duos inruptio facta est. (5) Ibi quoque Ranosindus et Hildigisus cum cetero agmine perfidorum, qui ad defensionem Castri ipsius (6) confluxerant, capiuntur. Sicque devinctis post tergum manibus Principi præsentantur. Wittimirus tamen unus ex coniuratis in (7) Sordonia constitutus fuerat: qua nostros inrupisse persentiens, statim aufugit, et tantæ cladis nuntium Paulo in Narbonam perlaturus accessit. Quæ res (8) granditer tyrannum pavidum reddidit. Princeps verò religiosus prædictorum castrorum subiugato exercitu, in pla-

(*) fors. *in curribus*, ut infrà, num. 27.

TEXTUS TUDENSIS.

riæ triumpho cepit, atque perdomuit, *multam copiam* in his castris auri et argenti *reperit*, *quæ copiosis* exercitibus in prædam cessit. Excusserat manus suas ab omni munere, unde prælliantium animos accendebat ad victoriam obtinendam. Castrum *etiam* quod vocatur *Clausuras*, missis ante se exercitibus, per duces duos *facta irruptione cepit*: *ibique Ranosindum*, *Hildigisum* cum cetero agmine perfidorum, qui ad defensionem castri *convenerant*, *exercitus capit*, *atque* devinctis post tergum manibus *eos* principi *repræsentat*. Witimirus unus ex coniuratis, *qui se* in *Sordoniam clauserat*, nostros irrupisse persentiens, statim *fugit*, et tantæ cladis nuntium Paulo Narbonam perlaturus accessit. Quæ res *grandi timore* tyrannum *concussit*. Princeps verò religiosus, prædictorum castrorum exercitu subiugato, in plana post transitum Pyrenæi montis descendens, duobus tantùm diebus exercitum *ad* unum congregaturus expectat.

(1) F. *repausato.*
(2) Id. *turmas.*
(3) Id. malè *cœpit.*
(4) D. *Multum in his castris auri argentique inveniens, quod copiosis exercitibus.*
(5) F. *ubi.*
(6) D. *conflixerant.*
(7) F. *qui se in Sordoniam constitutus clauserat, nostros irrupisse, &c.*
(8) MS. *graviter.*

TEXTUS LEGITIMUS.

plana post transitum Pyrenæi montis descendens, duobus tantùm diebus exercitum in [1] unum congregaturus expectat.

12 At ubi e diversis partibus [2] collecta in unum exercituum multitudo percrebuit, standi mora nulla fuit. Sed statim per quatuor Duces lectum numerum bellatorum ad expugnationem Narbonæ ante faciem suam mittit. Alium exercitum destinans, qui navali prælio bellaturus accederet. Et quidem iam erant parvi admodum dies, ex quo [3] Narbona rebellis Paulus serviliter fugiendo excesserat, comperto quòd tam [4] feliciori proventu pars religiosi Principis properaret. Quam civitatem Paulus ipse sui iuris potestati adstipulans, multiplici perfidorum præsidio sepsit, summamque prælii Witimiro Duci suo commisit. Quem cum nostrorum exercitus blanditer [5] exoraret, ut civitatem sine sanguinis effusione contraderet, prorsus abnuit; obseratisque civitatis ipsius [6] portis, e muro exercitum religiosi Principis detestatur. In Principem quoque ipsum maledicta congeminat, minisque exercitum [7] proturbare conatur. Quod nostræ partis multitudo non ferens, subita cordium [8] accensione incanduit, et telorum ia-

(1) Id. *ad unum.*
(2) Id. mendosè *collectum in unum exercitum.*
(3) F. *de Narbona.*
(4) Id. *felici.*
(5) F. *exhortaretur.*
(6) MS. *tartis.*
(7) F. *perturbare.*
(8) D. *accessione.*

TEXTUS TUDENSIS.

12 At ubi è diversis partibus collecta in unum multitudo percrebuit, statim per quatuor duces *electum* numerum *armatorum* ad expugnationem Narbonæ ante faciem suam mittit, alium exercitum destinans, qui navali prælio accederet bellaturus. Et quidem jam erant *pauci* dies ex quo *de* Narbona rebellis Paulus *recesserat* serviliter fugiendo, comperto quòd tam feliciori proventu pars religiosi principis properaret. Quam civitatem Paulus *munivit* præsidio multiplici perfidorum, et Witimiro duci suo commisit. Quem cum nostrorum exercitus blanditer *hortaretur*, ut civitatem sine sanguinis effusione *traderet*, prorsus *renuit*: obseratisque civitatis portis, muro *viva voce nostrorum* exercitum *convitiis* detestatur. In principem quoque *religiosum* maledicta congeminat, minisque conatur exercitum *perturbare.* Quod nostræ partis *animositas* non ferens, subita cordium accensione incanduit: et telorum jactu perfidorum ora petivit. Immanis ab utrisque pugna conseritur: *et sagittis* alternatim sibimet partes obsistunt. Sed ubi *ab utrisque fortiter agitur*, tantos imbres lapidum *nostri* intra urbem *coniiciunt*, ut clamore vocum *et collisione* petrarum civitas *subverti* [1] *existimaretur*: unde ab hora fere quinta diei usque ad * octavam horam *fundibulorum instantiâ* acriter * *à nostris* pugnatum est. *Incanduit itaque* nostrorum animus, victoriæ *dilationem* ferre *non valens*, *et* ad portas propiùs pugnaturus accessit. Tunc victoriosa per *Deum* manu portas incendunt, et civitatem victores ingrediuntur. Ubi dum [2] Wictimirus adhuc armata manu ecclesiam peteret, accessu nostrorum turbatus, post aram *Dei Genitricis* se vindicaturum non

(1) Id. *extimaretur.*
* Deest perperam in MS. quod stellulis includimus.
(2) Perperam *Witericus* in Hisp. illustr.

TEXTUS LEGITIMUS.

iactu perfidorum ora petivit. Quid multa ? immanis ab utrisque pugna conseritur, et vice sagittarum alternatim sibimet utræque partes obsistunt. Sed ubi a nostris desperatum est, non solùm in muro pugnantes seditiosos sagittis configunt, sed tantos imbres lapidum intra urbem concutiunt, ut clamore vocum et stridore petrarum civitas ipsa submergi æstimaretur. Unde ab hora ferè quinta diei usque ad horam ipsius diei octavam acriter ab utrisque pugnatum est. At ubi (1) incaluit nostrorum animus, victoriæ (*) dilectionem ferre non (2) potuit, sed ad portas propiùs (3) pugnaturus accessit. Tunc victoriosa per Dominum manu portas incendunt, muris insiliunt, civitatem victores ingrediuntur, in qua sibimet seditiosos subiiciunt. Ubi dum Wittimirus armata adhuc manu Ecclesiam peteret, accessu nostrorum turbatus, post aram Beatæ Virginis Mariæ se vindicaturum (4) non reverentia loci miser, sed ultore gladio, testabatur: dextra tenens gladium, et mortem minitans singulorum. Ad huius ergo insaniæ (5) tumorem protinus comprimendum, unus e nostris inter ceteros reiectis armis tabulam manu arripuit, et ferocissimo ictu sese ad illum direxit. At ubi tabulâ acriter nisus est super eum ingenti iactu percutere, mox

(*) *dilationem.*

(1) F. *incalescunt... animi.*
(2) Id. *potuerunt.*
(3) Id. *pugnaturi accedunt.*
(4) Id. *in reverentia.*
(5) Id. *rumorem.*

TEXTUS TUDENSIS.

non reverentiâ loci (1) miser sed ultore gladio testabatur, dexterâ tenens gladium, et mortem minitans singulorum. Ad *cuius* ergo insaniæ tumorem protinus comprimendum, unus ex nostris tabulam manu arripuit, et ferocissimo ictu se ad illum direxit. At ubi tabulâ nisus est eum ingenti iactu percutere, mox in terram tremebundus prosternitur, protinus*que* capitur, *et* ferrum illi de manu extrahitur: viliter tractus pondere vinculorum arctatur, verberibusque una cum sociis, (2) quibus urbem nitebatur vendicare, afficitur.

(1) MS. *se.*
(2) Id. *cum quibus.*

TEXTUS LEGITIMUS.

in terram tremebundus prosternitur, protinus capitur, ferrumque illi de manu extrahitur. Moxque [1] viliter tractus, pondere vinculorum arctatur, verberibusque unà cum sociis, cum quibus urbem nitebatur vindicare, afficitur.

13 Post hæc devicta subiugataque civitate Narbona, ad insequendum Paulum, qui se in Nemausum vindicaturus contulerat, iter [2] dirigitur. Deinde [3] Biterris et Agathe civitates illicò subiugantur. In Magalonensi verò Urbe Gumildus loci ipsius Antistes, cum ad obsidionem sui circumfusum videret exercitum, urbemque ipsam non tam ab his qui per [4] terram pugnaturi accesserant, quàm ab his cingi, qui navale prælium acturi per maria commeaverant, huius rei clade perterritus compendii viam arripuit, Nemausumque se cum Paulo socium [5] intulit. Sed cum exercitus Hispaniæ Gumildum effugisse persensit, civitatem mox Magalonensem non dissimili victoria [6] cepit. At ubi nostri directa acie Nemausensem urbem debellare contendunt, prima per quatuor Duces præliandi facies cum electo pugnatorum agmine destinata est. Quorum lecta iuventus triginta fermè millibus Principem anteiret. Hi [7] tamen nobili procursione in Nemausum, ubi

(1) Id. *viriliter.*
(2) Id. *dirigit.*
(3) MS. *Betere.*
(4) F. *terras.*
(5) D. *contulit.*
(6) F. malè *cœpit.*
(7) Id. *tam.*

TEXTUS TUDENSIS.

13 Posthæc devictâ subiugatâque Narbonâ, ad insequendum Paulum, qui se in Nemausum contulerat, iter dirigitur. Deinde [1] [*] Beterris et Agathe civitates illico subiugantur. In Magalonensi verò urbe Gumildus loci ipsius antistes, cum ad obsidionem sui circumfusum videret exercitum, urbemque ipsam non tam ab iis qui per terram pugnaturi accesserant, quàm ab iis cingi, qui navale prælium acturi per mare commeaverant: huius rei clade perterritus compendii viam arripuit, Nemausumque se cum Paulo *contulit.* Sed cum exercitus Hispaniæ Gumildum fugisse persensit, civitatem mox Magalonensem non dissimili victoria cepit: *et* directa acie Nemausensem urbem debellare *contendit.* Prima per quatuor duces præliandi facies cum electo pugnatorum agmine destinata est: quorum *robusta* iuventus triginta ferme millibus principem *anteibat.* Hic *idem* nobili *præcursu* Nemausum, ubi cum *Paulo Francorum exercitus* se ad *vindicandum* [2] contulerat *nostri tendentes*, cum nocte tota cursum festinati itineris confecissent, subito cum diei lux orta prodiret, *apparuere* nostrorum acies armorum pariter et animorum apparatu dispositæ. Quas *ut*, è civitate conspiciunt, utpote dimicaturi cum paucis in patentes campos armis eos *expetendos* definiunt: sed insidiarum *dolos* suspicati eligunt potiùs intra urbem *siti* de muris bellum conficere, quàm extra urbem improvisos casus, *et pericula* sustinere: *et expectare* auxilium *promissum* gentium aliarum. *Ubi autem* sol *refusus* est, consertum est bellum à no-

(*) *Biterris.*

(1) Perperam *Beterius* in Hisp. illustr.
(2) Hisp. illust. *compulerat.*

TEXTUS LEGITIMUS.

ubi Paulus cum Galliarum exercitu, vel Francorum conventu se ad dimicandum contulerat, seditiosorum (1) prævenientes insidias, cum nocte tota cursum festinati itineris confecissent, subitò cum vergentis diei lux orta prodiret, (2) apparuerunt simul nostrorum acies armorum pariter et animorum apparatu dispositæ. Quas ubi e civitate conspiciunt, utpote cum paucis dimicaturi, in patentes campos armis eos se excepturos definiunt. Sed (3) dolum suspicati insidiarum, eligunt potiùs intra urbem (4) suis de muris bellum conficere, quàm extra urbem improvisos casus (5) patentis periculi sustinere, (6) opperientes etiam ad auxilium sui adventum gentium aliarum. Sed ubi sol (7) refulsus est terris, consertum est bellum a nostris. * Prima facies pugnæ, crepitantibus tubarum sonis, saxorum nimbo conficitur. Mox enim ut tubarum sonus increpuit, confluentes undique nostri cum fragore vocum muros urbis petrarum (8) iactibus petunt, missilibus quibusque constitutos per murum spiculis sagittisque propellunt : cum tamen, (9) et illi in nostros ad resistendum multorum generum spicula (10) iacerent. * Sed quid dicam? Acriùs ab

(1) D. *præveniens.*
(2) F. *apparuere.*
(3) Id. *dolos.*
(4) In eod. deest *suis.*
(5) MS. *patentes pericula.*
(6) F. *oppetientes.*
(7) Id. *refusus.*
(8) MS. *ictibus.*
(9) F. *et ab illis.*
(10) Id. *iacerentur.*

TEXTUS TUDENSIS.

nostris *clangentibus tubis, sagittisque ac lapidibus hostes in manu valida ferientes. Resistunt perfidi, et ad instar guttarum pluviæ petras et spicula iaciunt.* Acriùs ab utrisque pugna conficitur, *æquo certamine* præliatur. *Nec* à nostris *nec* ab illis certamini ceditur : *et tota* die *illa* sub *ancipiti sorte certatur.*

Sed

TEXTUS LEGITIMUS.

ab utrisque pugna conficitur, (1) æqua lance ab utrisque certatur, æquo etiam certamine præliatur. Non a nostris, non ab illis conserto certamini ceditur. Pugnatum est igitur toto illo die sub (2) ancipitis mucrone victoriæ.

14 Unus de incentoribus seditionum acriter instare pugnam aspiciens, e muro nostris insultaturus hæc formans verba, commentat. " Quid hìc, ait, instan-
„ ter pugnantes consistitis morituri? Cur lares proprios non
„ repetitis? An fortè casum mor-
„ tis ante occasum vitæ vestræ
„ excipere vultis? quin potiùs
„ prærupta petrarum quæritis, ubi
„ vos abscondatis, (3) quum facies
„ auxilii nostri (4) apparuerit. Con-
„ doluisse igitur me credite vo-
„ bis, sciens (5) eventum rei, et
„ occursum solatii (6) superventu-
„ rum. Mihi enim res notissima
„ manet, quàm multiplicia nobis
„ auxilia præliandi occurrant.
„ Tertia ergo dies est, quòd
„ exinde properans venio. Proin-
„ de hoc noscens, miserabilis
„ pompæ vestræ occasum con-
„ tristatus expecto. Principem
„ illum vestrum, pro quo pu-
„ gnaturi venistis, alligatum vo-
„ bis ostendam, conviciis addi-
„ cam, insultatione inludam. Non
„ igitur pro eo vobis hìc expe-
„ dit tam immaniter decerta-
„ re,

(1) In MS. deest *æqua lance ab utrisque præliatur.*
(2) F. *ancipiti.*
(3) MS. *quam.*
(4) F. *paruerit.*
(5) MS. *eventurum.*
(6) F. *superventuri.*

TEXTUS TUDENSIS.

14 *Sed* unus de incentoribus *seditionis* acriter *pugnans*, aspiciens è muro, nostris *insultans*, hæc verba commentat. "Quid hîc, ait, instanter pu-
»gnantes consistitis morituri? Cur la-
»res proprios non repetitis? (1) an forte
»casum mortis ante *tempus* excipere
»vultis? Quin potiùs prærupta petra-
»rum *non* quæritis, ubi vos absconda-
»tis, cum facies auxilii nostri appa-
»ruerit? *Condolere* me credite vobis,
»sciens occursum solatii *perventuri nobis.*
»Mihi res notissima manet, *quòd* mul-
»tiplicia nobis auxilia præliandi occur-
»rant. Tertia dies est, ex quo *inde*
»properans venio. *Quapropter* hoc *sciens*,
»miserabilis pompæ vestræ occasum
»contristatus expecto: *et* principem ve-
»strum, pro quo pugnaturi venistis, vo-
»bis *ligatum* ostendam. Non igitur pro
»eo vobis hìc expedit tam *supervacuè*
»decertare, quem forsan iam constat
»nostrorum insidiis interiisse. Et quod
»gravius est, dum patuerit victoria no-
»stra, nulla erit de reliquo vobis venia."
Hæc dicens, nostrorum animos non solùm non terruit, sed acriùs in præliandi furorem accendit. Propinquant ad murum. Acriùs quàm *cæperant*, in bellando consistunt: acriterque consertum innovant prælium.

(1) MS. *aut fortè, &c.*

His

TEXTUS LEGITIMUS.

„ re, quem forsan iam constat „ nostrorum insidiis interiisse. Et „ quod gravius est, dum victoria „ patuerit nostra, nulla vobis „ erit de reliquo venia." Hæc dicens nostrorum animos non solùm non terruit, sed acriùs in præliandi furorem accendit. (1) Propinquant ad murum; acriùs quàm cœperunt, in bellando consistunt, acriterque consertum innovant prælium.

15 His igitur peractis (2) spatio totius diei, nox tandem finem prælio dedit. In ipso tamen primo fervore diei, cum adhuc nostri infatigabili virtute in præliando persisterent, rem mandant ad Principem, sibique dirigi adiutoria petunt, non mediocri provisione saluti propriæ consulentes: scilicet ne aut externæ gentis dolo præventi, aut ab his cum quibus decertabant, defatigatis viribus subruerent morituri. Et benè res acta est. Nam ubi Princeps cognovit Paulum Principem tyrannidis decertare cum nostris, nulla de reliquo mora fit. Mira ergo in ordinando celeritate per (3) Wandemirum Ducem electos de exercitu ferè decem millia viros ad auxilium pugnantibus destinavit, qui nocte tota pervigiles maturatum iter conficerent, et superventu (4) suo non tam hostem frangerent, quàm nostrorum animos solaturi ociùs (5) prævenirent.

(1) Id. *Propinquantes ad murum acriùs quàm cœperant, in bellando, &c.*
(2) Id. *per spatia.*
(3) Id. *Wandemarum.*
(4) Id. *sui.*
(5) Id. *pervenirent.*

TEXTUS TUDENSIS.

15 His igitur *actis per spatia* totius diei, nox tandem finem prælio dedit. In ipso tamen primo fervore diei, cum adhuc nostri infatigabili virtute in præliando persisterent, *remandant* ad principem, sibique dirigi *auxilium* petunt, non mediocri provisione saluti propriæ consulentes: scilicet, ne aut *extraneæ* gentis dolo præventi, aut *aliis*, cum quibus decertabant, subruerent, viribus *fatigati*. Et benè res acta est: nam ubi princeps cognovit cum nostris Paulum *tyrannum* decertare, nulla de reliquo mora fuit: *et* per Wandemirum Ducem electos de exercitu decem millia viros ad auxilium pugnantibus destinavit: qui nocte tota pervigiles maturatum iter conficerent, et superventu suo non (1) tam hostem frangerent, quàm nostrorum animos solaturi ociùs *pervenirent. Ubi autem auxilium sibi missum nostri aspiciunt, nimiâ lætitiâ confortati* (2) *illi vires sumunt, et statim ab* (3) *omnibus pugnandi* definitur occursus.

Iam

(1) Deest *tam* in MS.
(2) MS. pro *illi*, habet *illico.*
(3) Id. *hominibus* pro *omnibus.*

TEXTUS LEGITIMUS.

rent. Sed ubi defatigatæ custodum vigiliæ hostem inclusum diu teneri iam quodammodo desperarent, subitò missa sibi auxilia vident, illicò somnus ab oculis fugit, et gratulantibus animis receptis viribus pugna definitur (1) ab occursantibus.

16 Iam solis croceum liquerat aurora cubile, et stipata per murum hostilis multitudo prospiciens, videt per serenam aciem luminum multiplices quàm pridiana die viderat, excrevisse acies pugnatorum. Iam tunc caput ipse tyrannidis Paulus ad tantæ rei visionem in (2) quadam prominenti specula conscensurus occurrit. Qui mox ut nostrorum acies dispositas vidit, illicò, ut fertur, animo decidit, his verbis enuncians. " Recognosco, ait, omne hoc dis-
„ positum pugnæ ab æmulo meo
„ procedere : (3) hic ipse est, nec
„ alium puto : (4) In suis eum dis-
„ positionibus recognosco." Hæc et his similia dicens, animum revocans ad virtutem, suos ad bellandum accendit. " Nolite,
„ ait, pavore turbari. Hæc est
„ (5) enim tantùm illa Gotthorum
„ famosissima virtus, quæ se ve-
„ nire ad superandos nos solita
„ temeritate iactabat. Hìc Prin-
„ cipem, hìc totum eus exerci-
„ tum credite nunc adesse. Nihil
„ de reliquo est quod timeatis.
„ Famosa siquidem virtus eorum
„ antea fuit, et suis in defensio-
„ nem,

(1) MS. *definitur occursus.*
(2) F. *quodam.. speculo.*
(3) Deest in D. *hic ipse est.*
(4) F. *In suis enim eum.*
(5) In F. deest *enim.*

TEXTUS TUDENSIS.

16 Iam aurora *apparêre inceperat*, et stipata per murum hostilis prospiciens multitudo videt per serenam aciem luminum multiplices, quam pridiana die viderat, excrevisse acies pugnatorum. Iam tunc caput *perfidiæ* Paulus ad tantæ rei visionem in *quodam præminenti loco* conscensurus occurrit. Qui mox ut nostrorum acies dispositas *videt*, animo decidit, his verbis *pronuntiando.* " Recognosco, inquit,
„ (1) hoc dispositum pugnæ ab æmulo
„ meo procedere. Hic ipse est, nec *alius*,
„ puto : in suis *enim* eum dispositioni-
„ bus recognosco." Hæc et his similia dicens, animum revocans, *verbis suasoriis* suos *cœpit confortare dicens* : " No-
„ lite pavore turbari. Hæc est tantùm
„ Gotthorum illa famosissima virtus,
„ quæ se venire ad superandos nos solita
„ temeritate iactabat. Hîc principem,
„ hìc totum eius exercitum credite nunc
„ adesse. Nihil est quod de reliquo ti-
„ meatis : famosa siquidem virtus *Gotthorum* antea fuit, et suis in defensionem
„ et aliis in timorem : nunc *autem* omnis
„ (2) in illis præliandi *virtus* emarcuit,
„ omnis scientia pugnæ defecit. Nullus
„ illis bellandi mos, nulla conflictandi
„ experientia subest. *Quòd* si in unum
„ (3) conserti prælium *conserant*, ad de-
„ finita *statim* evolabunt latibula : quia
„ degeneres eorum animi pondus prælii
„ *nequeunt* sustinere : *sed* potiùs hæc quæ
„ dico, cum præliari cœperitis, in meis
„ verbis *actu* probabitis. Nihil ergo est
„ *de cetero* quod pavescere debeatis,
„ *præsertim* cum Regem, et *totum* exer-
„ citum eius hîc videatis adesse. Ad
„ hæc plerique ex suis astruebant, Re-
„ gem *sine* vexillis signorum non posse
„ procedere." Ad quod ille *dicebat*, ideo il-

(1) Deest *hoc* in MS.
(2) In MS. deest *in illis.*
(3) Hisp. illustr. *conferti.*

TEXTUS LEGITIMUS.

„ nem, et aliis gentibus in terro-
„ rem. Nunc tamen omnis in illis
„ vigor præliandi emarcuit; o-
„ mnis scientia pugnæ defecit.
„ Nullus illis bellandi mos, nulla
„ conflictandi experientia subest.
„ Vel si in unum (1) conserti præ-
„ lium conferant, ad definita illi-
„ cò evolabunt latibula: quia de-
„ generes animi eorum pondus
„ prælii sustinere non queunt.
„ Quin potius hæc quæ dico, cum
„ præliari cœperitis, in meis ver-
„ bis ipsi probabitis. Nihil ergo
„ est maius quod debeatis pave-
„ scere, cum et Regem et exer-
„ citum ipsum hic videatis ad-
„ esse." Ad hæc plerique ex suis adstruebant, Regem sine signis non posse procedere. Ad quod ille (2) commentabatur, ideo illum cum bandorum signis absconditis accessisse, ut intellectum suis hostibus daret, alium adhuc exercitum superesse, cum quo ipse adhuc, utpote cum multiplici quàm priùs venerat (3) manu, post futurus accederet. (4) Sed hæc dum dicit, illusionem agit, fraudem componit, ut quos virtute non valet devincere, dolo consilii humiliet ad pavorem.

17 Necdum hæc adhuc verba (5) compleverat, et ecce subitò e nostris bellorum concrepant (6) tubæ, bellumque adorsi, pridianæ diei bellandi renovant faciem.

(1) MS. *conferti... conserant.*
(2) Id. *commentabat.*
(3) In eod. deest *manu.*
(4) Id. corruptè: *Sed hæc tota, dicit, inlusio, ait, fraus componit.*
(5) F. *expleverat.*
(6) MS. *tubis.*

TEXTUS TUDENSIS.

illum bandorum signis absconditis accessisse, ut intellectum suis hostibus daret, alium adhuc exercitum superesse, cum quo ipse post futurus accederet. Sed hæc *tota*, dicit, *illusio*, *agit fraus*: ut quos virtute non valet devincere, dolo consilii humiliet ad pavorem.

17 Necdum *Paulus* hæc verba compleverat, et ecce subito *à* nostris bellorum concrepant tubæ, bellumque adorsi, *pridiani* diei *decertandi* faciem *innovant*. Sed illi plus in muris quàm in viribus vincendi locantes confidentiam, intra urbem per murum *spicula* iactant,

TEXTUS LEGITIMUS.

ciem. Sed illi plus in muris quàm in viribus confidentiam vincendi locantes, intra urbem positi per murum (1) iacula iactant, et rediviva cum nostris iterum certamina innovant. Efferbuit itaque ab utraque parte incentivum belli; sed acriùs a nostris virtus patuit præliandi. Cum enim totis viribus decertarent, et hostem intra urbem diverso genere armorum confoderent, plerique de externæ gentis hominibus acriter vulnerati, nostrorum virtutem pariter et constantiam admirantes, Paulum adorsi sunt. " Non „ illam quam dicebas in Gothis „ præliandi segnitiem cernimus. „ Multam enim in illis audaciam, „ et vincendi constantiam vide- „ mus. Hæc quæ excepimus vul- „ nera docent. Inter cetera tam „ validos iactus in hostem pro- „ iiciunt, ut antè fragor ipse de- „ terreat, quàm percussio vitam „ extinguat." Quorum Paulus deterritus verbis, multiplici iamiamque desperationis iaculo frangebatur.

18 Sed dum nostri constantiùs (2) dominantes, (3) victoriam suam recrastinari dolerent, acriori animositate insurgunt: victos se per omnia deputantes, si cito non vincerent. Unde ferociori quàm fuerant incensione commoti, usque in horam ferè diei quintam continuis præliorum ictibus mœnia civitatis illidunt, imbres lapidum cum ingenti fragore

(1) F. *spicula.*
(2) Id. *dimicantes.*
(3) MS. *cum victoriam, &c.*

TEXTUS TUDENSIS.

et rediviva cum nostris iterum certamina innovant. Efferbuit itaque ab utraque parte (1) incentivum belli, sed acriùs à nostris virtus patuit præliandi. Cum *autem* totis viribus decertarent, et hostem intra urbem diverso genere armorum *prosternerent*; plerique *ex iis*, *qui erant* vulnerati, *Gotthorum* virtutem pariter ac constantiam admirantes, Paulum adorsi sunt *dicentes*: "Non illam »quam dicebas, in Gotthis *bellandi* se- »gnitiem cernimus: multam enim in »illis audaciam et vincendi videmus »constantiam. Hæc quæ excipimus vul- »nera docent, *quòd* tam validos *ictus* »in hostem proiiciunt, *et* ante fragor »ipse *deterret*, quàm percussio vitam »extinguat." Quorum Paulus deterritus verbis, multiplici desperationis iaculo (2) frangebatur.

18 *Gotthi verò* constantius *dimicantes*, victoriam suam recrastinari *dolentes*, acriori animositate insurgunt, victos se per omnia *reputantes*, si citò non vincerent. Unde ferociori quàm fuerant incensione commoti, usque in horam diei quintam continuis præliorum ictibus muros civitatis illidunt: imbres lapidum *fundibularii* cum ingenti fragore dimittunt, suppositoque igne portas incendunt *et* (3) *muros* irrumpunt. Deinde civitatem gloriosè intrantes, viam sibi ferro aperiunt. At ubi feroces nostrorum animos sustinere non possunt, intra Arenas, quæ validiori muro antiquio-

(1) Hisp. illustr. *incendium.*
(2) Ibi: *angebatur.*
(3) Ibi deest *muros.*

TEXTUS LEGITIMUS.

re dimittunt, supposito igne portas incendunt, murorum aditibus minutis irrumpunt. Deinde civitatem gloriosè intrantes, viam sibi ferro aperiunt. At ubi feroces nostrorum animos sustinere non possunt, intra Arenas, quæ validiori muro (1) antiquioris ædificii cingebantur, se muniendos includunt. Sed ubi visum est illis quosdam (2) a nostris insequi, qui se in prædam involverant, illicò præventi ante quam se in castro illo Arenarum reciperent, iugulati sunt. Plerique tamen nostrorum e vulgo, qui prædæ inhiantes extiterant, gladii (3) perventione concisi sunt. * Non quò (4) patenti virtute inter plurimos hoc patrarent, sed quasi latrocinantium more, quos (*) claustris Arenarum ob prædam propinquasse cognoverant, eò illos faciliùs prosternerent, quos divisos nec duos in unum pariter invenissent.*

(*) fors. *castris.*

19 Surgit etiam (5) nova inter seditiosos ipsos seditio, et dum suspicione proditionis cives ipsi vel incolæ ad suorum aliquos refugerunt, gladio vindice, hos in quibus suspicio vertebatur, interimunt: ita ut Paulus ipse proprium quemdam e suis (6) et suorum manibus ante se iugulari prospiciens, suum esse (7) vernulum lamentabili voce clamaret, nec

(1) F. *antiquioribus ædificiis.*
(2) Id. *e nostris.*
(3) Id. *præventione occisi.*
(4) Id. *patienti.*
(5) In MS. deest *nova.*
(6) Deest *et*, in F.
(7) D. *vernulam.*

TEXTUS TUDENSIS.

quioris ædificii cingebantur, se muniendos includunt. Sed ubi *nostri hoc persenserunt, post eos fortiter insequentes, plures eorum* antequam se in castro Arenarum reciperent, *gladio ancipiti peremerunt.* Plerique tamen e vulgo nostrorum, qui prædæ *inhiabant, gladio* concisi sunt.

19 Surgit *et* nova inter seditiosos seditio: et dum *suspicionem* proditionis cives ipsi vel incolæ ad suorum aliquos *referunt*, gladio vindice hos in quibus suspicio vertebatur, interimunt. *Erat siquidem valida perturbatio*, ita ut Paulus proprium quemdam (1) de suis manibus suorum ante se iugulari prospiciens, suum esse *vernulam* lamentabili voce clamaret, nec sic morituro in aliquo subveniret, *unde effectus* exanguis et tremebundus, à suis ipsis *omnino* contemnitur. Nam suspectus *et* ipse ab incolis cum ceteris qui de Hispania cum illo commeaverant, habebatur; ne ille

(1) MS. *à suis.*

TEXTUS LEGITIMUS.

nec sic morituro in aliquo subveniret. Iam tamen et ipse exsanguis ac tremebundus effectus, a suis ipsis contemnitur, * ut obsecrare illum potiùs quàm imperare ceteris (1) extimares.* Nam suspectus iam ipse ab incolis cum ceteris, qui de Hispania cum illo commeaverant, habebatur, ne ille ad liberationem sui traditionem eorum excogitaret; Hispani verò ne irrogata incolis morte transirent ad Principem. Quid multa? fit intra urbem miserabile spectaculum præliandi. Utrobique cadit pestilentiorum caterva, utrobique prosternitur, utrobique etiam iugulatur: quando ipsi qui nostrorum gladios effugiebant, suorum gladio peribant. (2) Repletur itaque civitas permixto funere, et mortium cadaveribus humanorum. * Quocumque oculorum visus excurreret, (3) ita humanæ strages, ut occisi patebant animalium greges. Compita viarum plena cadavere, reliquum terræ concretum sanguine erat.* Miserabile funus patebat in domibus, et ubi domorum abdita perlustrasses, (4) iacentes mortuos reperires. Per vias quoque urbis iacere hominum cadavera cerneres, minaci quodam vultu, et ferocitate quadam immani, tanquam adhuc in ipsa bellorum acie (5) positi. Erat ta-

(1) F. *existimaretur.*
(2) MS. *Repletur... civitas permixto funere mortium, et cadaveribus humanorum.*
(3) Id. *aut humanæ strages, aut subicisse patebant animalia greges.*
(4) Id. *patentes.*
(5) F. *positi essent. Erat, &c.*

TEXTUS TUDENSIS.

ad liberationem sui eorum excogitaret traditionem: Hispani verò ne irrogata incolis morte ad *religiosum* transirent *Regem.* Quid multa? Fit intra urbem, miserabile spectaculum præliandi: utrobique cadit *perfidorum* caterva, utrobique prosternitur, utrobique iugulatur; *et qui* nostrorum gladios *evadebant*, *armis* suorum peribant. Repletur itaque civitas permixto funere mortuorum cadaveribus humanorum. Miserabile *etiam* funus *erat* in domibus: et ubi domorum abdita perlustrasses, *patentes* mortuos reperires: per (1) vias quoque *et plateas* urbis iacere hominum cadavera cerneres minaci quodam vultu et ferocitate immani, tamquam *essent* adhuc in ipsa bellorum acie positi. Erat tamen color deformis, *cutis* lurida, horror immanis, fætor intolerabilis. Quidam etiam de ipsis iacentibus *adhuc vivis*, qui exceperant lethalia vulnera *mortis*, speciem *mortuorum* simulabant, ut *mortem evadere possent.*

(1) MS. pro *vias*, habet *duas.*

Hæc

TEXTUS LEGITIMUS.

tamen color deformis, lurida pellis, horror immanis, fætor intolerabilis. Quidam etiam de ipsis iacentibus mortuis, qui læthalia exceperant vulnera, mortis speciem simulabant, ut mortis evaderent causam: * cum tamen et vulneris iugulo, et famis confecti clade nec ipsi mortem evaderent, excepto uno, cui simulare mortem, vitam mercasse probatum est.*

20 Sed hæc et his similia Paulus iam tyrannidis immanitate deposita cum magno cordis suspirio fieri deplorabat, cum nec hosti resistere, nec suis posset ullo modo subvenire. Accessit tamen ad eum insultaturus illi vir quidam e sua ortus familia. "Quid „ hic, ait, adsistis? Ubi sunt con„ siliarii tui, qui te ad istud „ (1) perduxerunt calamitatis ludi„ brium? Quid tibi profuit con„ tra tuos insurgere, cum nec „ tibi, nec tuis nunc valeas in „ tanta mortis clade prodesse?" Hæc dicens, insultabat illi, non tam conviciandi voto, quàm amaritudinis provocatus studio. Sed cum (2) ab illo blandis hortaretur sermonibus, ut dolori eius parceret, et confusioni confusionem non adderet; tandem et ipse in gradibus marmoreis consistens, in quibus ista illi insultaturus advenerat, descensum concitum fecit, sicque in oculis ipsius Pauli circumventus a suis, iugulatus occubuit. Quibus Paulus: "Quid „ (3) huic quæritis? aiebat. Meus „ est,

(1) Id. *perduxere.*
(2) Id. *illum.*
(3) F. malè *hinc.*

TEXTUS TUDENSIS.

20 Hæc et his similia Paulus fieri *videns*, tyrannidis *ferocitate* deposita, *magna* cordis *anxietate ac miseria stringebatur*: cum nec hosti resistere, nec suis posset *in aliquo* subvenire. Accessit tamen ad eum insultaturus illi vir quidam ortus ex familia sua. "Quid hic, »ait, assistis? Ubi sunt consiliarii tui, »qui te ad istud perduxerunt calami»tatis ludibrium? Quid tibi profuit con»tra tuos insurgere, cum nec tibi nec »tuis *minime* nunc valeas in tanta mor»tis clade prodesse?" Hæc dicens insultabat illi, non (1) tam conviciandi voto, quàm amaritudinis studio provocatus. Sed cum ab illo blandis hortaretur sermonibus, ut dolori eius parceret, et confusionem confusioni non adderet; in *ipsis* gradibus marmoreis consistens, in quibus ista illi insultaturus advenerat, in oculis ipsius Pauli circumventus a suis, iugulatus occubuit. Paulus autem, "Quid *huic* quæritis, *tremebun»dus clamabat*: Meus est, *dicens*, *ne* »pereat": et ut reservaretur, frequenti vocum lamentatione orabat. Sed iam contemptui habitus, quasi et ipse continuò moriturus, audiri non poterat. Tunc omnimoda desperatione permotus, regalia indumenta, quæ potiùs tyrannidis ambitione, quàm ordine præeunte perceperat, tabefactus deposuit. Miro occultoque Dei iudicio id agente, ut *ea die* perceptum *tyrannidis* regnum deponeret, *qua* religiosus Princeps regnandi sceptrum à Domino percepisset. Erat enim dies illa Kalend. Septemb. in qua Principem nostrum constabat regale assumpsisse fastigium. *In hac* ergo *die* ir-

(1) Id. *tantum* pro *tam.*

TEXTUS LEGITIMUS.

„ est, inquit, non pereat." Et ut reservaretur, frequenti vocum lamentatione orabat. Sed iam contemptui habitus, quasi et ipse continuò moriturus, audiri non poterat. Tunc omnimoda desperatione permotus, regalia indumenta, quæ tyrannidis ambitione potiùs quàm ordine præeunte perceperat, tabefactus deposuit. Miro occultoque Dei iudicio id agente, ut eodem die perceptum Tyrannus Regnum deponeret, quo religiosus Princeps regnandi sceptrum a Domino percepisset. Erat enim dies illa Calendarum Septembrium, in qua Principem nostrum (1) pridem constabat regale assumpsisse fastigium. Hæc ergo est dies, in qua revoluti anni orbita redeunte, irruptio patuit Urbis. In hac (2) præsumpta a tyranno regalis deponitur vestis; in hac sanguinea infertur ultio inimicis.

21 Tertia igitur post hæc iam dies advenerat, cum Paulus ipse post noctis alta suspiria ultimum sui funus (3) expectat. Facto enim mane, cum his quos adseclas (4) proditionis suæ habuerat, verbum habere cœpit, ut aut vale ultimum sibi dicerent, aut si possent, salutis suæ adhuc in aliquo consulerent. Tunc (5) Argebadus Narbonensis Ecclesiæ Præsul communi consilio ad Principem mittitur, qui vitam rogaret, qui offensis veniam precaretur.

(1) F. *prædictum.*
(2) D. *præscripta.*
(3) F. *expectabat.*
(4) Id. *perditionis.*
(5) Id. hìc et infra *Argabadus.*

TEXTUS TUDENSIS.

irruptio patuit urbis, *tyrannus Paulus regalia deposuit indumenta*, *et* sanguinea ultio *illata est* inimicis.

21 Tertia post hæc dies advenerat, cum Paulus post noctis suspiria ultimum sui funus expectat: *atque* cum iis, *cum quibus consilia* suæ *perditionis* habuerat, verbum habere cœpit: ut aut vale sibi ultimum dicerent; aut si possent, saluti suæ in aliquo consulerent. Tunc Argebaudus Narbonensis Episcopus communi consilio ad Principem mittitur, qui vitam rogaret offensis, et veniam precaretur. Qui oblatis Deo hostiis, in ipsis vestimentis quibus Dominici corporis et sanguinis *peregerat Sacramentum*, *Principem adiit rogaturus*: et quarto fere ab urbe milliario *Principi dedit occursum inæstimabili* pugnatorum agmine *constipato. Quem ut vidit Episcopus*, de equo prosiliit, *et* humo *prostratus*, veniam

TEXTUS LEGITIMUS.

tur. (1) Nam oblatis Deo hostiis, iam in ipsis vestimentis, cum quibus Dominici corporis et sanguinis gratiam communionis sanctæ perceperat, * in quibus non tam mortis extrema damna excipere quàm insepultum se obvolvi curaret. Quippe cui sepultura pro merito negaretur, si suæ patrationis exciperet iugulum. Iam Argebadus Antistes rogaturus veniam, ab eis exierat.* Et ecce progressum celerem Principis cum (2) æstimabili agmine pugnatorum quarto fere ab urbe milliario videns, (3) occursurus eidem Principi de equo (4) desilivit, humo (5) prosternitur, veniam deprecatur. In cuius occursu Princeps equum paulisper tenuit, et ut erat misericordiæ visceribus affluens, et ipse illachrymans, sublevari Episcopum a terra præcepit. Qui vir rursum erectus, lachrymarum singultibus interclusus, lamentabili voce aiebat. « (6) Heu! peccavimus in cælum „ et coram te, sacratissime Prin„ ceps. Non (7) sumus digni, qui„ bus eventus pietatis tuæ occur„ rat, * quibus venia conlata sub„ veniat; * qui et promissam „ ti-

(1) MS. corruptè: *Nam ablatis de hostis, nam ipsis vestimentis quidam quod Dominici corporis et sanguinis gratiam... perceperunt, in quibus non tam... damna exciperent, quam insepultos se obvolvi curarent: quippe quibus sepultura... negaretur, sive patrationis exciperent iugulum.* Sed nec textus noster perspicuus apparet. Planior, licet brevior Lucas Tudensis.

(2) F. *inæstimabili.*

(3) Id. malè *occursus.*

(4) Id. *desiluit.*

(5) Id. haud benè: *prostituitur.*

(6) Id. *En.*

(7) Id. hìc et infra corruptè: *summus.*

TEXTUS TUDENSIS.

niam *precabatur.* In cuius occursu Princeps equum paulisper tenuit, et ut erat misericordiæ visceribus affluens, et ipse illacrymans sublevari Episcopum à terra præcepit. *Episcopus autem* lachrymarum singultibus interclusus, lamentabili voce dicebat: "Heu! peccavimus »in cælum et coram te, sacratissime »Princeps. Non sumus digni, quibus »eventus tuæ pietatis occurrat. Qui et »promissam tibi maculavimus fidem, »et in tanto sumus prolapsionis scele»re (1) devoluti. Parcat *orationi* tua pie»tas citò, nec gladius vindex semine»ces nostrorum reliquias extinguat, nec »plus quàm cœpit mucro animas petat. »Jube jam exercitum cessare à sangui»ne, *et civem* civibus parcere: *pauci si»quidem* evasimus gladium, sed pro *pau»cis* veniam deprecamur. Parce *miseri»corditer* nostris reliquiis, ut quia jam in »ceteros nostrorum emanavit jugulum »mortis, saltem remaneant *aliqui* qui»bus miserearis. Si enim citò *non pe»perceris*, nec ipsi quidem remanebunt incolæ ad urbis tuitionem.

(1) Hisp. illustr. *voluti.*

His

TEXTUS LEGITIMUS.

„ tibi maculavimus fidem, et in „ tanto prolapsionis devoluti su- „ mus scelere. Parcat oro tua „ pietas citò, ne gladius vindex „ reliquias nostrorum semineces „ extinguat, ne plusquam cœpit „ mucro animas petat. Iube iam „ exercitum cessare a sanguine, „ cives civibus parcere. Parvissi- „ mi quidem evasimus gladium, „ sed pro parvis (1) veniam de- „ precamur. Parce ergo nostris „ reliquiis, ut quia iam in cete- „ ros nostrorum emanavit iugu- „ lum mortis, saltim remaneant „ quibus miserearis. Si enim pro- „ hibere citò nolueris cædem, „ nec ipsi quidem incolæ rema- „ nebunt ad Urbis tuitionem."

22 His dictis commotus religiosus Princeps, in lachrymis * non fuit inexorabilis. Quippe qui alto quodam cordis sui arcano sciret, sibi totum perire quidquid dicebatur periisse, si precanti veniam non præstitisset. Hæc igitur Princeps (2) precanti viro verba respondit. "Certum „ tene, ait, quod dixero.* Victus „ precibus tuis, dono tibi animas „ quas petiisti. Non illas ultore „ gladio perdam. Non hodie cu- „ iusquam sanguinem fundam, „ * nec quandoque vitam extin- „ guam. * Quamquam talium of- „ fensa impunita non transeat." Cui venerabilis vir (3) diutinè insistebat, ut quorum vitam sibi donasset, nullam in his iacturam ultio-

(1) MS. *venia deprecatur.*
(2) D. *imprecanti.*
(3) F. *diutiùs*, MS. *divinè*: sed nos *diutine* præponimus ex MS. Lucæ Tudensis cuius meminimus in textu alterius paginæ.

TEXTUS TUDENSIS.

22 His *auditis* commotus religiosus Princeps *cum* lachrymis *Episcopo dixit*: "Victus precibus tuis, dono tibi animas »quas petisti, et non illas ultore gla- »dio perdam, nec hodie cujusquam san- »guinem fundam, quamquam talium »offensa non transeat impunita." Cui venerabilis *Præsul* (1) diutine insistebat, ut quorum sibi *donaverat* vitam, nullam in *eis* exerceret *damnationis* jacturam. Sed Princeps mox furore *commotus* inclementior redditus *dixit*: "*De cetero no- »bis* alias conditiones non imponatis, »cum vitam vobis donasse sit satis. Ti- »bi autem soli ex toto me pepercisse »sufficiat; pro reliquis verò nihil ho- »rum promitto." Ex (2) hoc indignans quadam animi succensione efferbuit: et concita progressione *triumphum* potiturus victoriæ *properat ad urbem capiendam.*

Ap-

(1) Hisp. illust. nimis perperam *divitiæ*, pro *diutine*: hancque lectionem Codicis nostri prætulimus omnibus in Iuliano genuino.
(2) Hisp. illust. *Et hæc.*

TEXTUS LEGITIMUS.

tionis exerceret. Sed Princeps mox percito furore inclementior redditus : " Iam ne, ait, alias at-„ que alias conditiones mihi [1] im-„ ponatis, cum vitam vobis do-„ nasse sit satis. Tibi ergo soli „ me ex toto pepercisse sufficiat, „ pro reliquis verò nihil horum „ promitto." Ex hoc indignans quadam animi succensione efferbuit, et concita progressione triumpho potiturus victoriæ properabat : * excursus legationum ante se destinans, ut nostri tamdiu a bello abstinerent, quamdiu omne robur exercitus cum Principe ad capienda interiora urbis accederet.

23 Festinato tandem profectionis itinere pervenit Princeps ad urbem cum terribilis pompæ exercituum admiratione.* Erant enim ibi bellorum signa terrentia. Cumque Sol refulsisset in clypeis, gemino terra ipsa lumine coruscabat. Ipsa quoque radiantia arma fulgorem Solis solito plus augebant. Sed quid dicam ? quæ ibi fuerit exercituum pompa, quis decor armorum, quæ species iuvenum, quæ consensio animorum, explicare quis poterit ? ubi divina protectio evidentis signi ostensione monstrata est. [2] Visus est enim, ut fertur, cuidam externæ gentis homini Angelorum excubiis protectus religiosi Principis exercitus esse, Angelosque ipsos super castra ipsius exer-

(1) Id. *imponitis.*
(2) F. *Visum est.*

TEXTUS TUDENSIS.

23 *Appropinquante autem Principe* (1) *glorioso cum incredibili* exercituum *multitudine*, cum sol refulsisset in clypeis, gemino (2) terra ipsa lumine coruscabat. Erant ibi *innumera* bellorum signa terrentia, et ipsa quoque arma radiantia fulgorem solis solito plus augebant. Sed (3) quid dicam ? Quæ ibi *fuit exercitus* pompa, quis decor armorum, quæ species juvenum, *quis robur pugnatorum*, quæ *concordia* animorum (4) *singula* explicare quis poterit ? *Maximè cum manifestè* divina protectio (5) *affuerit : quod cælestibus indiciis patuit evidenter.* Visus est enim Angelorum excubiis protectus *noster* exercitus, et ipsos Angelos super castra *corusca* volitatione protectionis suæ signa *prætendere.* Sed paulisper talia sub silentio relinquentes, suscepti operis ordinem prosequamur.

(1) MS. *gloriosè.*
(2) Hisp. illust. *tamen ipse*, pro *terra ipsa.*
(3) MS. *qui.*
(4) Id. *quæ concordia animorum* singulorum *explicare, &c.*
(5) Id. *affuit.*

TEXTUS LEGITIMUS.

exercitus volitatione suæ protectionis signa portendere. Sed paulisper hæc et talia sub silentio relinquentes, suscepti operis ordinem exequamur.

24 Cum enim in unum congregatum iam Princeps sensisset exercitum, eminùs ab Urbe ferè uno stadio positus, incredibili animi accensione permotus, disponit duces, subtegit plebes, dividit acies, et quibus modis (1) pugnam conficerent, instruebat: * priùs tamen disposita, ut pridem fuerat, virorum fortium acie, per iuga montium et (2) oram maritimam, quæ Franciæ partibus coniunguntur, ut libera et expedita bellantium manus ociùs (3) decertandi præcepta perficeret, (4) quod nihil adversum ab externis gentibus persensisset.* Tunc electos quosque de ducibus mittit, qui et viribus et animis præstantiores essent, ut Paulum ceterosque incentores seditionum eius a cavernis Arenarum abstraherent, in quibus se mortem fugientes absconderant. Nec mora: cum iussa factis explerent, extrahitur subitò Paulus ipse cum (5) suis de abditis Arenarum; sicque per murum depositus, viliter contrectatur. Dein omnis (*) illa insolens multitudo (*) Galliarum atque Francorum, quæ hinc inde contra nostros pugnatura confluxerat, cum immensis thesauris capta est et detenta.* Cumque

(*) *Gallorum.*

(1) Id. *pugna conficeretur.*
(2) Id. *ora maritima.*
(3) Id. *eo decertandi prælii præcepta.*
(4) Id. *quo.*
(5) Id. *suis sociis.*

TEXTUS TUDENSIS.

24 Cumque in unum congregatum iam princeps sensisset exercitum, eminùs ab urbe ferè uno stadio positus, incredibili animi *accessione* permotus, disponit duces, *ordinat* plebes, dividit acies, et quibus modis pugnam conficerent, instruebat. *Siquidem fama detulerat, quòd Franci conveniebant ad auxilium perfidorum.* Tunc electos quosque de ducibus mittit viribus et animis præstantiores, ut Paulum ceterosque incentores seditionum à cavernis Arenarum abstraherent, in quibus se mortem fugientes absconderant. Nec mora: cum iussa factis explerent, extrahitur subitò Paulus cum *sociis* de abditis Arenarum, *et* per murum depositus viliter contrectatur. Deinde omnis illa multitudo Gallorum atque Francorum, quæ hinc inde contra nostros pugnatura confluxerat, cum immensis thesauris capta est et detenta. *Deferebatur nequissimus Paulus à duobus* ducibus nostris *insedentibus* equis, *ex utraque parte* protensis manibus, hinc inde *ipsum per capillos tenentes, donec illum religioso* principi *præsentarent.*

Quo

TEXTUS LEGITIMUS.

que caterva illa perfida cum Rege suo capta iam in unum consisteret, dextera lævaque adstante exercitu, * duo e ducibus nostris equis insidentes, protensis manibus hinc inde Paulum in medio sui constitutum innexas (1) capillis eius manus tenentes, pedissequa illum profectione oblaturi (2) Principi deferunt.

25 Quo viso, Princeps protensis cum lacrymis ad cælum manibus, ait: "Te, Deus, con-
„ laudo Regem omnium regum,
Psalm. 88. 11. „ qui *humiliasti sicut vulnera-*
„ *tum superbum, et in virtute*
„ *brachii tui contrivisti adver-*
„ *sarios* meos." Hæc et his similia fletibus (3) interclusus Princeps (4) aiebat. Sed mox tyrannus idem erectis oculis ut faciem Principis vidit, statim se humo prostravit, sibique cingulum solvit: iam quidem exanimis, et nimio pavore turbatus, quid (5) sibi accideret non adtendens. Spectabile quiddam oculis erat, quomodo de tam sublimi licèt prærepti ordinis culmine in hac subita humiliatione et plena iam contumelia venisset. Cernere erat magnum aliquid, quàm (6) facilis fuerat rerum ipsa mutatio: tam citò (7) videres deiectum, quem pridem audieras gloriosum; et

(1) D. *inexis... manibus.*
(2) MS. *oblaturum.*
(3) F. *interclusis.*
(4) MS. *agebat.*
(5) Id. corruptè: *quod sibi accederet non adtendens, spectabilis quidam oculis erat, quomodo de tam sublimi licèt præcepti ordinis culmine in adsubito humiliatione et plebem iam contumeliam invenisset.*
(6) Id. *facilè.*
(7) F. *videre.*

TEXTUS TUDENSIS.

25 Quo viso *magnificus* Princeps protensis cum lacrymis in cælum manibus ait: "Te *Deum* Regem omnium
„ *Regum* collaudo, qui humiliasti sicut
„ vulneratum superbum, et in virtute
„ brachii tui contrivisti adversarios
„ meos." Hæc et his similia fletibus interclusus, princeps aiebat. Sed mox tyrannus idem erectis oculis ut faciem principis vidit, statim se humo prostravit, sibique cingulum solvit, *et collo suo ligavit*: iam quidem exânimis, et nimio pavore turbatus, quid *illi* accideret non attendens. Spectabile *quidem* erat oculis, quomodo de tam sublimi licèt prærepti ordinis culmine, in hac *subitò* humiliatione *Paulum reprobum devenisse.* Erat cernere magnum, quàm facilis fuerat rerum ipsa mutatio: tam citò *videre* deiectum (1) quem pridem *viderant* gloriosum: et quem præterita dies adhuc Regem tenuerat, tam præcipiti lapsu *concideret* in ruinam. Impleta satis est in ipso *prophetia* quæ dicit: *Vidi impium superelevatum et exaltatum sicut cedros Libani. Transivi, et ecce non erat: quæsivi eum, et non est inventus locus eius.* Quid multa? cum iam ante Principis equum Paulus, et ceteri huiusmodi (2) factionis capti *iacèrent*, *gloriosus Princeps dixit*: "Cur in
„ tanto malo vesaniæ prorupistis, ut
„ pro bonis mala mihi *redderetis.* Sed

(1) Id. *quàm.... viderent.*
(2) Hisp. illustr. *pactionis.*

TEXTUS LEGITIMUS.

quem præterita dies adhuc Regem tenuerat, tam præcipiti lapsu concidere in ruinam. Impleta satis plenè est in isto prophetalis illa sententia. *Vidi*, inquit, *impium superexaltatum, et elevatum super cedros Libani.* (1) *Et transivi, et ecce non erat : et quæsivi eum, et non est inventus locus eius.* Quid multa? Cum iam ante equum Principis Paulus ipse, vel ceteri huiusmodi factionis capti, (2) perductique consisterent: " Cur in tanto, ait, ma-
„ lo vesaniæ prorupistis, ut pro
„ bonis mala mihi responderetis?
„ Sed quid immorabor? Ite et
„ estote sub custodiis deputati,
„ quousque censura de vobis agi-
„ tetur iudicii." Vivere enim vobis donabo, etiamsi non mereamini. Tunc divisos per exercitum omnes deputatis (3) et sollicitis custodibus (4) tradiit. Francorum tamen quique capti essent, dignè tractari iubentur. Erant enim aliqui eorum nobilissimis parentibus geniti pro obsidibus dati. Ceteri verò * aliqui ex Francis, aliqui * ex (5) Saxonibus erant, quos omnes in unum (6) munificentia regali (7) honoratos post decimam octavamque diem, qua capti fuerant, remittit ad propria, non debere dicens victorem inclementem victis existere.

Psalm. 36. 35. 36.

Pri-

(1) *Et transivi, &c.* adiecimus ex MS.
(2) D. *productique.*
(3) Deest in F. *et.*
(4) Id. *tradit.*
(5) MS. *Agonibus.*
(6) Id. *munificenti.*
(7) Id. *onustos.*

TEXTUS TUDENSIS.

»*hìc* quid *morabor*? ite et estote sub »custodiis *deputatis*, quousque de vo»bis censura iudicii agitetur." Vivere enim vobis donabo, etsi non mereamini. Tunc divisos per exercitum omnes deputatis et sollicitis custodibus tradidit. *Franci* tamen, qui capti *fuerant*, *benignè* tractari iubentur. Erant enim aliqui eorum nobilissimis parentibus geniti : *qui Paulo perfido*, *ut à Francis ei subveniretur*, erant pro obsidibus dati ; (1) ceteri verò ex Saxonibus erant. (2) Quos omnes in unum munificentia regali *onustos* post octavam decimam diem *quàm* capti fuerant, *liberè* remisit ad propria : Non debere, dicens, victorem inclementem victis existere.

(1) Ibi *sed* pro *ceteri.*
(2) Ibi *Post* pro *Quos.*

Pri-

TEXTUS LEGITIMUS.

26 Primo quippe die [1] pridie Calendarum Septembrium contra Nemausensem urbem a nostris initum est bellum. Sequenti die Calendarum Septembrium civitatis ipsius irruptio facta est. Tertio quoque die, [2] qui fuit quarto Nonarum Septembrium, Paulus tyrannus celebri captus detentione devincitur. Sed post hæc religiosi Principis animus de reparatione irruptæ urbis sollicitus statim murorum cava reformat, incensas portas renovat, insepultis tumulum præstat, incolis ablatam prædam restituens, et exulcerata quæque publico ærario fovens. Iubet tamen thesauri omnem quam [3] ceperant copiam, diligentiori servare custodia, non avaritiæ quæstu illectus, sed amore divino provocatus: scilicet ut res sacratæ Deo faciliùs possent [4] secerni, et cultibus divinis restitui. Cumulaverat enim nefandissimus [5] ipse Paulus peccato peccatum, dum tyrannidi adiungeret sacrilegium. * Nam ut quidam sapiens dicit, * nisi sacris Ecclesiis intulisset spolium, non esset unde suum floreret ærarium. Unde factum est, ut vasa argenti quamplurima de thesauris Dominicis rapta, et coronam illam auream, quam divæ memoriæ Reccaredus Princeps ad corpus beatissimi Felicis obtulerat, quam idem Paulus insano capiti suo im-

(1) F. non benè omisit, *pridie*, ut ex sequentibus patet.
(2) In MS. deest *qui fuit*.
(3) F. malè *cœperant*.
(4) MS. *secernere*.
(5) F. *ille*.

TEXTUS TUDENSIS.

26 *Primo die Kalend. Sept.* contra Nemausensem urbem à nostris *inchoatum* est bellum: *et sequenti die* civitatis ipsius irruptio facta est: *tertia* quoque *die*, *quæ* fuit quarto Nonarum Septembris, *civitas ipsa celebri captione devicta est.* Sed post hæc religiosi Principis animus de reparatione *captæ* urbis sollicitus statim murorum cava reformat, incensas portas *innovat*, insepultis tumulum præstat, incolis ablatam prædam restituens, et exulcerata [1] quæque publico ærario fovens. Iubet tamen *thesaurorum* omnem quam ceperat copiam, diligentiori servare custodia: non illectus avaritiæ quæstu, sed amore provocatus divino: scilicet, ut res sacratæ Deo possent faciliùs *inveniri*, et cultibus divinis restitui. Cumulaverat enim nefandissimus Paulus *peccatis* peccatum, dum tyrannidi adiunxit sacrilegium. Quia nisi sacris Ecclesiis intulisset spolium, non *illi esse videbatur*, unde suum floreret ærarium. Unde factum est, ut vasa auri et argenti quamplurima de thesauris dominicis *raperet*; et coronam illam auream, quam divæ memoriæ Reccaredus *christianissimus* Princeps ad corpus beatissimi Felicis obtulerat, idem Paulus insano capiti suo *imponeret*. Tota hæc in unum collecta *iubet Princeps* prout cuique competebat Ecclesiæ *integrè reformari.*

(1) MS. *quoque*.

Ter-

TEXTUS LEGITIMUS.

imponere ausus est: tota hæc in unum collecta studiosiùs ordinaret secernere, et devotissimè, prout cuique competebat Ecclesiæ, intenderet reformare.

27 Tertia iam post victoriam victoribus advenerat dies, et Paulus ipse onustus ferro cum ceteris consedenti in throno Principi exhibetur. Tunc antiquorum more curva spina dorsi vestigiis regalibus sua colla submittit, deinde coram exercitibus cunctis adiudicatur cum ceteris universorum iudicio, ut mortem (1) exciperet, qui mortem Principi (2) præparasset. Sed nulla mortis super eos illata sententia, decalvationis tantùm (3) præcipitur sustinere vindictam. Ferebatur tamen quorundam (4) opinio, Francos quantociùs ad ereptionem capti occurrere. (5) Sed Princeps occasionem cum Francis præliandi opperiens, nec solùm istius causæ, sed et præteritas gentis suæ cupiens vindicare iniurias; sustinebat quotidie animo forti expectans illorum occursum: decertari modis omnibus parabatur: sed cum (6) nulli Franci ad bellandum accederent, ipse (7) potiùs illis se occursurum devoverat, nisi maturato sui cordis suorumque optimatum revocaretur consilio, ne disrupta pactionis inter utramque gen-

(1) MS. *exciperent.*
(2) Id. *præparassent.*
(3) D. *ut præcipitur.*
(4) F. *opinione.*
(5) Id. *Sed Princeps... sustinebat... illorum occursum, cum quibus decertare modis omnibus parabat.*
(6) Id. *nullus e Francis.*
(7) Id. *priùs.*

TEXTUS TUDENSIS.

27 Tertia iam post victoriam victoribus *venerat* dies, et Paulus onustus ferro cum ceteris *complicibus malitiæ suæ* considenti in throno Principi exhibetur. Tunc antiquorum more, *curvatâ* spinâ dorsi vestigiis regalibus sua colla submittit. Deinde coram exercitibus cunctis adiudicatur cum ceteris universorum iudicio, ut mortem exciperet, qui mortem Principi præparasset. Sed *noluit Princeps eos* mortis *sententia perdere*, *sed* tantùm decalvationis *derisione eos præcipit onustos ferro ad præsens* sustinere vindictam. Ferebatur *tunc* quorundam opinio, Francos *et Teutonicos* ad ereptionem *Pauli* quantociùs festinare. Sed Princeps *non solùm ob hanc causam*, *verùm etiam* ob gentis suæ præteritas injurias *vindicandas*, cum Francis *cupiebat acriùs decertare*, *et* sustinebat quotidie animo *fortiori*. Sed cum *nullus è Francis* ad bellandum *accederet*, ipse potiùs illis se occursurum devoverat, nisi *fidelitatis* revocaretur consilio: ne *pacis* inter utramque gentem *firmata pactio rumperetur à Gottbis*. *Sustinebat autem*, ut dictum est, *eorum adventum*: *et* iam quarta dies effluxerat ex quo Paulum ceperat; *et* nulla *hostis* præsumptio, nullus eventus, nulla prorsus hostilis conventio monstrabatur. *Jam præterea* Franciæ munitissimæ urbes ultimum sui, ut ferebatur, excidium *deplorabant*: et cives earum ne a nostris prævenirentur, relictis urbibus longè latèque incertis sedibus *vagabantur*, latebrosis scilicet vitam compendiis munientes. Nam et religiosus Princeps e minùs a Nemausensi urbe in plano cum exercitu consistebat. Illîc castra posuit, miraque celeritate *Nemausensem urbem for-*

TEXTUS LEGITIMUS.

gentem promissio impetendi sanguinis esset occasio. Sed cum contra (1) hos, ut dictum est, bellum conficere moliretur, iam quarta dies effluxerat, ex quo et Paulum (2) ceperat, * et adversæ gentis occursum nihilominus sustinebat. * Sed nulla hostis præsumptio, nullus eventus, nulla prorsus hostilis conventio monstrabatur. (3) Quippe cum et Franciæ munitissimæ urbes iam ultimum sui, ut ferebatur, excidium deplorarent, et cives quique earum, ne a nostris prævenirentur, relictis urbibus longè latèque incertis sedibus vagarentur, latebrosis scilicet vitam compendiis munientes. Nam et religiosus Princeps eminùs a (4) Nemausensi urbe in plana cum exercitu consistebat. Illic castra posuit, miraque celeritate muro (5) firmissimo circumdedit. Ubi cum adventum hostium sustineret, subitò præcurrenti nuntio audit unum e ducibus Franciæ nomine Lupum in Beterrensi territorio hostiliter accessisse. Unde * quinta iam postquam Paulum (6) ceperat die, de Nemausensi urbe * egressus, concita velocitate cum exercitu properans, delatas inimici nisus est prævenire insidias. Sed Lupus ipse iuxta villam, cui Asperiano vocabulum fertur, regressum Principis audiens, ita terrificatus aufugit, ut

(1) D. *hoc.*
(2) F. malè *cœperat.*
(3) MS. *Quippeque et &c.*
(4) F. *Nemauso.*
(5) Id. *fortissimo.*
(6) Id. malè *cœperat.*

TEXTUS TUDENSIS.

fortissimis muris et vallo instaurari fecit. Ubi cum adventum hostium sustineret, subitò percurrente nuntio audit unum ex nobilioribus ducibus Franciæ, nomine Lupum, in Beterrensi territorio hostiliter accessisse. Unde concita velocitate egressus cum exercitu properans delatas inimici nisus est insidias prævenire: sed Lupus ipse iuxta villam, cui Asperiano vocabulum fertur, regressum Principis audiens, ita *territus fugit*, ut exercitus duci, et dux exercitui videretur deesse. Non enim fugiendo vel ipse suos sustinuit, vel sui eum ullo modo assequi potuerunt. Quippe quorum ita pavore dissoluta fuerant corda, ut non tam dispersis viarum aditibus, quàm montium præruptis elapsi (utpote iam *gladium* suis imminere cervicibus cernerent) de compendio fugæ vitam se lucrasse monstrabant: multas prædas hac *perturbatione* nostris exercitibus relinquentes tam de hominibus, qui eos sequi non poterant, quàm de iumentis sive substantiis, quæ multipliciter *innumerabilibus* plaustris adduxerant. Et utique iam lecta bellantium manus à Principe destinata poterat eos belligerosis *incursibus* assequi; sed tam *velox* illorum extitit fuga, *et* tam *citato* finium suorum *occurrère* latibula, ut quò fugerent, quò latêrent atque consisterent, nulla omnino censerentur vestigia reliquisse.

Un-

TEXTUS LEGITIMUS.

ut exercitus duci, et dux exercitui videretur deesse. Non enim (1) fugiendo, vel ipse suos sustinuit, vel sui eum potuerunt ullo modo adsequi. Quippe quorum ita pavore dissoluta fuerant corda, ut non tam dispersis viarum aditibus, quàm montium præruptis elapsi pariter et currentes, utpote iam gladios suis imminere cervicibus cernerent, de compendio fugæ vitam se (2) lucrasse (3) monstrarent. Multas scilicet prædas in hac turbatione nostris exercitibus relinquentes, tam de hominibus qui eos sequi non poterant, quàm etiam de iumentis sive substantiis, quæ multipliciter (4) et plaustris sibi adduxerant suffectura. Et utique iam lecta bellantium manus a Principe destinata poterat eos belligerosis in (5) curribus adsequi; sed tam sordida illorum extitit fuga, ac etiam tam citata finium suorum occurrerunt latibula, ut quò fugerent, quò laterent atque consisterent, nulla omnino (6) censerentur vestigia (7) reliquisse.

28 Unde comperto Princeps, quòd Lupum cum ceteris invenire non (8) posset, placida progressione Narbonam contendens, urbem victor ingreditur. (9) Ubi disrupta quæque Narbonensis Provinciæ exesa, atque depasta, * quæ ei-

(1) Id. *in fugiendo.*
(2) MS. *relucrasse.*
(3) F. *monstrarentur.*
(4) In eod. deest *et.*
(5) Id. *excursibus.*
(6) Id. *censerctur.*
(7) D. *nullo... vestigio.*
(8) MS. *possent.*
(9) F. *ibi.*

TEXTUS TUDENSIS.

28 Unde comperto Princeps, quòd Lupus cum *suis* inveniri non posset, placida progressione Narbonam contendens, urbem victor ingreditur. *Ibi* (1) quæque *dirupta* atque depasta *ab hostibus fuerant, jubet Princeps sollicitè instaurare, atque Narbonensem provinciam regia* dispositione reformat, consiliis instruit, Iudæos *abiicit*, clementiores re-

(1) Hisp. illustr. *Ibique quæ.*

TEXTUS LEGITIMUS.

eidem terræ magnis febribus anhelanti, deprædatione nostrorum et incursione appulsa sunt, munere [1] placat, * dispositione reformat, consiliis instruit. Statum quoque rerum mira pace componit. Lecta illic præsidia bellatorum dimittit, radices ab ea omnis rebellionis detersit. Iudæos abegit, clementiores urbibus rectores instituit, per quos utique tanti mali placaretur offensa, et constuprata tantis sordibus terra novo iudiciorum baptismate depurgata remitteretur ad veniam. * Nam in eo quòd erecta Galliarum terra solito superbiæ [2] fastus [3] cothurno sese [4] attollerat, ita inclementiori deprædatione [5] detrita est, et erasa nummis, atque depasta substantiis, ut meritò per hoc credatur, quidquid rubiginis seu nequitiarum contraxerat, [6] amisisse.*

29 Exhaustis deinde Princeps Galliis, atque [7] edomitis, securus [8] directo ad Hispaniam itinere commeavit, nullos post se Gallorum motus formidans, nullas etiam Francorum pertimescens insidias: [9] certà sciens neminem esse, qui aut de suis [10] pugnas, aut de externis gentibus patraret insidias. Tanta enim virtute animi atque constantia cir-

TEXTUS TUDENSIS.

rectores instituit, per quos tanti mali placaretur offensa, et constuprata tantis sordibus terra novo *cælestium institutionum* baptismate *depurata* ad veniam *admittatur*. Statum *omnium* rerum mira pace composuit, *et* radices ab ea omnis rebellionis detersit: atque fortium bellatorum *manus ibi dimisit.*

29 Exhaustis dein Princeps Galliis atque edomitis, securus directo itinere ad Hispaniam commeavit: nullos post se Gallorum motus formidans, nullas Francorum pertimescens insidias: certò sciens, neminem esse *principum vicinorum*, qui *secum audeat viribus decertare*. Tanta enim virtute animi atque constantia *erat fretus*, *ut* circumpositas barbarorum gentes non solùm non *timeret*, sed *contemneret*: *unde* adhuc intra *Gallias* positus in loco qui Canabat nuncupatur, cuncto exercitui, quòd fortiter et feliciter egisset, relatione gra-

(1) MS. *placata.*
(2) F. *fastu.*
(3) D. *cothurnosè.*
(4) MS. *adtulerat.*
(5) Id. *deterrita.*
(6) Id. *caruisse.*
(7) F. *domitis.*
(8) In MS. deest *directo.*
(9) F. *certò.*
(10) Id. *pugnam.*

TEXTUS LEGITIMUS.

(1) circumpositas barbarorum gentes non solùm non extimuit, sed contempsit; ut etiam adhuc intra Gallias positus, in locum qui *Canaba* (2) nuncupabatur, cuncto exercitui, quòd feliciter exissent, relatione gratifica satisfaceret; omnesque ab eo statim loco absolveret. Ipse quoque (3) Elnam perveniens, duorum ibi dierum immoratione detentus est. Sicque exindè profectus, secundis potitus successibus Hispaniam rediit, sedemque sui solii sexto postquam indè commigraverat mense repetiit. Et tamen sub (4) quàm celebri triumpho regiam urbem intraverit, de inimicis exultans, explicare necesse est: ut sicut ingentis eius gloriæ signum sæcula secutura clamabunt, ita seditiosorum ignominia non excidat a memoria futurorum.

30 Etenim quarto ferè ab urbe regia milliario Paulus Princeps tyrannidis, vel ceteri incentores seditionum eius decalvatis capitibus, abrasis barbis, pedibusque nudatis, (5) sub squallentibus veste vel habitu induti, Camelorum vehiculis imponuntur. Rex ipse (6) proditionis præibat in capite omni confusionis ignominiâ dignus, et piceâ ex (7) coriis laurea coronatus. Sequebatur deinde hunc Regem suum longa deductione ordo suorum disposi-

(1) Id. haud benè *positas circum.*
(2) Id. *nuncupatur.*
(3) Id. et D. *Helenam*: MS. *Herenam.*
(4) Id. *sub quo.*
(5) F. *vel squallentibus, veste vel habitu Camelorum induti, vehiculis, &c.*
(6) MS. corruptè *perdictio.*
(7) Id. *coreis.*

TEXTUS TUDENSIS.

gratifica *satisfecit*, omnesque ab eo loco statim *absolvit*. Ipse quoque (*) *Heliam veniens*, duorum ibi dierum *moram fecit*, sicque exinde profectus (1) in Hispaniam rediit, sedemque sui solii sexto postquam inde commcaverat mense repetiit. Quàm celebri triumpho *Toletanam* urbem intraverit de inimicis exultans, explicare vel in parte necesse est, ut sicut ingentis eius gloriæ signum sæcula (2) secutura laudabunt, ita seditiosorum ignominia non excidat à memoria futurorum.

(*) *Elnam.*

30 Etenim quarto fere ab urbe Regia milliario Paulus princeps tyrannidis vel ceteri incentores seditionum eius decalvatis capitibus, abrasis barbis, pedibusque nudatis, induti *villissimis saccis*, camelorum vehiculis (3) imponuntur. Præibat *à* (4) capite perfidorum Rex ipse *perditionis Paulus* omni confusionis ignominia dignus, *corona* picea coronatus. Sequebatur deinde hunc Regem suum longa deductione ordo suorum, omnes quibus relatum est vehiculis insidentes, eisdemque *illusionibus* acti, hinc inde astantibus *et sibilantibus* populis urbem *intrantibus*. Nec enim ista sine dispensatione iusti iudicii Dei illis accessisse credendum est: scilicet, ut alta et sublimia confusionis eorum fastigia vehiculorum *edo-*

(1) In MS. deest *in*, ut in Iuliano genuino.
(2) Hisp. illustr. perperam *subsecuta.*
(3) Ibi haud rectè *imponitur.*
(4) MS. *in capite.*

TEXTUS LEGITIMUS.

situs ministrorum, eisdem omnes quibus relatum est vehiculis insedentes, eisdemque (1) inclusionibus acti hinc inde adstantibus populis urbem intrantes. Nec enim ista sine dispensatione iusti iudicii Dei eisdem accessisse credendum est. Scilicet ut alta ac sublimia confusionis eorum fastigia vehiculorum (2) edoceret sessio præ omnibus subiecta: et qui ultra humanum morem astu mentis excelsa (3) petierant, excelsiorem luerent (4) consensionis suæ iniuriam. (5) Sint ergo hæc insecuturis (6) reposita sæculis, probis ad votum, improbis ad exemplum, fidelibus ad gaudium, infidis ad tormentum: ut utraque pars in (7) contuitu quodam sese lectionis huius inspiciens, (8) et quæ rectis semitis graditur, prolapsionis casus effugiat; et quæ iam cecidit, in horum se hìc semper proscriptionibus recognoscat.

FINIT DE PAULO STORIA. (9)

(1) Id. *inlusionibus.*
(2) F. *doceret.*
(3) MS. *penetrant.*
(4) Id. *conscensionis.*
(5) D. *Sunt.*
(6) MS. *insecutoris posita.*
(7) F. *circuitu*, MS. ut nos.
(8) D. *et quod.*
(9) Id. *Finit Historia*: MS. ut nos.

TEXTUS TUDENSIS.

edocerentur (*) læsione (1) nimiùm proiecta. Et qui ultra humanum morem (2) astu mentis excelsa *malè* petierant, *excelsiores* luerent suæ *confusionis iniurias.* Sint ergo hæc in secuturis reposita sæculis probis ad votum, improbis ad exemplum, fidelibus ad gaudium, infidelibus ad tormentum: ut utraque pars in contuitu quodam sese lectionis huius inspiciens, et quæ rectis semitis graditur, prolapsionis casus effugiat; et quæ iam cecidit, damnatam se æternis proscriptionibus recognoscat.

(*) *sessione.*

HUCUSQUE IULIANUS.

(1) Id. *in imo.*
(2) Hisp. illust. *fastu.*

INCIPIT INSULTATIO VILIS STORICI in tyrannidem Galliæ.

Libet tuis, Gallia, erroribus insultare victores, quibus tantæ prolapsionis cladem misera pertulisti. Ubi est illa libertas tua, in qua malè libera de erecto tibi fastus supercilio adplaudebas? Ubi elatæ voces, quibus Spanorum vires molliores esse tuis feminis detractabas? Ubi motus? Ubi tumentes quibus (*) cervicicum ratione Spanorum consortia respuebas? Ubi spansa oris tui fastigia, quæ de incertis sæpe divitiis tumescebas? Ubi elata colla atque consilia, quæ suorum semper ducum semper regimina (*) præberunt? Quid futurum esse putabas, quum tuis te operibus ipsa confoderes, manibus lacerares, consiliis everteres, fraudibus addicares? Tuis enim operibus iaculata es, quando criminibus crimen addebas, negotiorum fraude implicata, prostibulis dedita, periuriis mancipata, quæ Iudæorum potiùs quàm fidelium Christi amicitiis insudabas. Sic enim adulterii tenens legem, honestum putabas omne quod feceras: inter scortorum greges more pecudum lascivire, inter epulas amicos perimere, innocentes animas iugulare; simulabas enim te advenientibus (*) gratia: quumque virum quempiam cum coniuge et liberis hospitio recepisses, inter vina sanguinem propinabas, iugulando virum, filios abnecando, subperstitem matrem adsumebas in pellicatus tui ludibrio.

(*) Locus corruptus.

(*) *præbuerunt.*

(*) f. *gratam.*

2 Nec tamen ista faciens, tanti immanitate facinoris non tremescis, sed super hæc omnia Iudæorum consortiis animaris, quorum etiam infidelitatem, si libens adtendis, iam in tuis transisse filiis recognoscis, dum hi qui in te christianitatis titulo præfulgebant, ad Hebræorum probati sunt transisse perfidiam; eorum enim te semper iudiciis committebas, quorum iam a Deo reprobata corda cognoveras. Et qualiter Iudæorum a te poterunt infausta venerari sacraria, in quibus tam instanter salutis tuæ conlocaveras curam? Agnosce misera, agnosce quid feceris. Sufficiat tibi inter febres amisisse memoriam. Nunc iam depulsa febrium labe, nutricem te scandali recognosce, fomitem mali, matrem blasphemantium, novercam infidelium, negotiorum privignam, prostibulorum materiam, proditionibus spelæum, fontem perfidiæ, animarum interemtricem.

3 Hæc enim tota ex tuis uberibus promanasse non sufficiat: nam insuper ne tantæ calamitatis flagitio aliquid videretur deesse, regem habens, alium tibi regem statuis, astu, non ordine; fraudibus, non virtute. Quæ enim ex feminis aliquando reperta est, quæ virum habens, alterius viri consortia sine sui periculo concupiscat? Tu sola tuum postponis periculo, et perfidare non metuens, perfidiæ tibi subornas sceptrum. Quis ista quæ dicta sunt, fecit? In quibus hoc primùm terris famo-

mosum malum apparuit, nisi inter media uberum tuorum? Admirandus est ergo uterus mentis tuæ, quæ sub tanta criminum conceptione non crepuit, sed tanta admiratione concepit dolorem, ut tantam his nostris temporibus dolorum pepererit ubertatem.

4 Quòd si asseras aliunde venisse quod ipsa susceperis, audi an tuis an aliorum si patratum consiliis: conceptione tamen fœtus tui negare non (*) poterat. Si enim aliunde hoc accepisti, quare fovisti, ac non potiùs ut membrorum putribus a tuis finibus repulisti? Si autem tu genuisti, quare genita monstruosa priusquam adulescerent, non (*) secasti? An non potiùs mulieres idoneas monstra ex se genita abnecasse, virtutis erit indicium; criminis quidem, si ordinatos fœtus perimerent, ordinis, si informes necarent? Quòd si causseris non potuisse te virtuti eius resistere, vel concepto fœtui repugnare; ubi sunt illa oris tui superba fastigia, ubi tumentes voces, ubi elati motus, superciliosus incessus, verborum ille cothurnus, quibus non tam partem Spaniæ sed totam Spaniam uni pugillo tuo ad resistendum nullo modo suffecturam esse censebas, et verbis tonantibus insonabas? Hìc ergo nullis te iustis vocibus excusabas, quum etiamsi armis non posses, fide potiùs armata persisteres, et necem ultimam inter infidelium procellas fidelior sustineres. Devoveras enim tuam voluntariè religioso Principi fidem, sub divini nominis pollicitatione spondens, ut hostem te suis hostibus exhiberes, et cum adversariis salutis eius usque ad effusionem sanguinis decertares.

5 Dic ergo, quis tuorum pro fide recta occubuit, quis de tuis fidem conservando peremptus est, quis tuorum (*) occisurum se pro veritate exhibuit, quis etiam (*) perempturum se pro fide optavit? Nemo tuorum fuit, apud quem pretiosior esset anima Uncti sui, si infida in promisso, facilis in periurio exortum in te infidelitatis ignem non solùm non perimis, sed accendis; nec verbis tantùm, sed et operibus foves. Sed hæc sunt illa tui moris signa victricia, ut hostem non ferias, civem (*) accidas: melius fortè tibi definiens civem bello quàm hostem excipere; quippe cui vires semper fuerint socios potiùs quàm adversarios enecare. Quum nec hoc armis sed dolis potiùs et fraudibus agas, plus timenda sunt venena tua quàm arma; plures enim fellis tui antidoto, quàm armorum iaculis (*) confudisti.

6 Neque enim in campo tua aliquando directa contra hostem certamina vidimus, quum tamen intra domum venena tui pectöris senserimus. Vidimus præparatas acies tuas, sed pro iugulo civium, non pro necibus externorum. Quomodo tantæ crudelitatis nube crassaris, ut liberatoribus necem, defensoribus præparares ultionem? Quid tibi opus fuit fortiores provocare ad bellum, (*) validioribus præparares excidium? Sed ista non immerito agis, quippe quæ frenesim passa, quibus te audeas æquare non sentias. Solent enim frenetici tunc se

(*) fors. *an aliorum ut patratum consiliis, conceptio tamen fœtus tui negari non poterat*; aut, *conceptionem... fœtus tui negare non poteras.*

(*) f. *necasti.*

(*) *occidendum.*

(*) *perimendum.*

(*) fors. *occidas.*

(*) f. *confodisti.*

(*) fors. *ut validioribus.*

se robustiores viribus extimare, quando iam in ultimo defectu videtur natura ipsa consistere: sed hæc et alia faciunt non vitali sensu permoti, sed mortali dissolutione iam tabidi. Tu ergo si post frenesim memoriam recepisti, recordari te convenit, quibus inter febres vocibus perstrepebas, vel quos habendos nescia despectui iudicabas.

7 Nam ecce Spanorum exercitus post acerbissimas febres, quibus sensum amiseras, maturatè tibi occurrit, nec tamen totus, sed quadam sui extrema parte collectus, vires tuas usquequaque perdomuit, colla subegit, tumentia ora contrivit; et quid valeas, quidve non valeas, meliùs suis gladiis, quàm tuis vocibus adprobavit. Quid ergo misera victoribus ducis, quæ tam miserabilis iaces sub victorum mucrone devicta? Ecce Spanorum exercitus cum ordinato Principe suo te valenter edomuit, spoliis detrivit, servituti addixit. Sed nolo hunc diu semper te inclementiorem fuisse causseris, cuius tam citatis beneficiis revestiris. Quum enim iusta tibi servitus pro merito deberetur, ut verè sanum caput languenti membro compatiens, redactæ tibi in servitutem libertatis hostiam donans, et veteres perfidiæ tuæ notas clementiori manu obliterans; ante te elegit suæ sociam dignitati, quàm tu pœnitendo abluere maculas quas fecisti: scilicet ut quia impia temeritate libertatis perdideras titulum, testimonium reciperes gloriosum.

8 Sed quid mirum, ut hæc tibi non merenti præstiterit, qui pridem tuis periculis socium (*) te semper exhibuit, et in tua expugnatione se potiùs expugnandum immisit! Admirandus est ergo alternantium iste partium ordo. Quanta in te crudelitas, quanta in Spanis pietas fuerit! Illi tibi pacem, tu illis dolus: illi defensionem, tu peremtionem excogitas. Illi semper ad liberationem tui cum armato tibi currebant exercitu: tu ad eversionem illorum gladios incitas externorum. Illi hostem repellendum a te aut vi aut astu definiunt: tu utroque compendio agens, et fraudibus propriis et viribus alienis contra Spanorum exercitum venis. Illi semper defensionem tui quamquam periculo sui quærebant: tu e contra non sine perditione tui eversionis contra illos præparas munimenta. Illi salutem tuam, et ubi forsan armis non currebant, pretiis emebant: tu necem illorum, quam armis patrare non poteras, muneribus definis comparandam. Quando enim illi aut in tuis plagis alacres facti, aut in tuis mortibus aliquando lætati sunt? Quin potiùs si perlata nuntiorum fama aut ab hoste obsessam, aut hostium incursatione detritam eduxit, armata illico ad defensionem tui Spanorum manus se cita tamen exhibuit, et propria postponendo pericula cum hostibus tuis confligebat. Nec enim tot interiacentibus terris duros quosque se caussabatur pertulisse labores, dummodo tu statum pacis utcumque reciperes. Ecce iam notum est, quantus in (*) Spanos af-

(*) se.

(*) Spanis.

affectus pietatis processit, quantus in te crudelitatis turbo efferbuit. Nam Spanos, quos despectui deputabas, et victores et miseratores tui experta es : filii autem tui, qui ex te viperina nativitate sunt proditi, quid tibi nisi famem, luem, aut gladium attulerunt? Hucusque igitur tibi insultasse sit utile, et forsan ad emolumentum salutis tibi proficeret quicquid asperiori proclamatum est verbere, ut verborum ista asperitas correptionis tuæ sit potiùs causa quàm desperationis stropha.

9 Restat ergo nunc, ut flebile te lamentatione intendas, quanto sis pallore (*) deterrita, quanta macie decolorata; ut sub isto te semper humilitatis contuitu agens, sic de præteritis fornicationibus erubescas, ne in cicatricum locum sanies recrudescat, ne ulcus in sanata iam plaga appareat, ne vitiatus pulmo tumidum aliquid vel superbum emittat; sed restauratis omnibus ad statum salutis et insultasse tibi sit utile, et suasisse perdocile : ut de reliquo et sanus iste vigor memoriam teneat, et memoria ipsa iam sanior reddita motus in te omnes elati cordis abscidat. Quòd et si insultantes et suadentes protervis, ut consueta es, motibus abnuis, illis te postremò versibus insultando conveniam, quibus quidam sapiens morti insultasse convincitur. Dicam ergo

(*) *detrita.*

Iam sine lachrymis cedis, nec carmina sentis,
Sint tibi pro gladio quæ tibi verba loquor.
Ipse tibi damnet morsus et tartara vincat,
Qui vicit mundum per crucis exitium.

EXPLICIT INSULTATIO VILIS PROVINCIÆ GALLIÆ.

IUDICIUM IN TYRANNORUM PERFIDIA promulgatum.

TEXTUS LEGITIMUS.

1 Perfidorum denotata transgressio (1) ideò debet acriùs percuti, quò illicitis videtur ausibus quædam perpetrare. (2) Habeant ergo confusionis propriæ signum, quibus (3) contigit fidei violare promissum. Reportent nomen (4) proditionis (5) ad posteros, quòs in-

(1) F. *eo.*
(2) D. *Habeat.*
(3) F. *contingit.*
(4) Id. *perditionis.*
(5) Id. *in.*

TEXTUS TUDENSIS.

1 Perfidorum denotata transgressio ideò debet acrius percuti, quo in illicitis videtur ausibus perpetrari. Habeant ergo confusionis propriæ signum, quibus contigit *sacramentis* violare promissum. Reportent nomen *perditionis* ad posteros, quos indulgentia principalis fecit esse ingratos. *Denotentur* inter cuneos perfidorum, qui gentis suæ excidium *paraverunt* : ut reportent in progenies sæculorum titulos infamiæ suæ, qui

TEXTUS LEGITIMUS.

indulgentia principalis fecit esse ingratos. Renotentur inter [1] cuneos perfidorum, qui genti suæ [2] paravêre excidium, ut reportent in progenies sæculorum titulos infamiæ suæ, qui eversores facti sunt patriæ : quibus ex clementia Princeps dederit vivere, effosionem luminum non evadant; qui [3] patriæ gloriam minuentes, proditionis notam [4] incurrerant. Nam ecce prodidit [5] sese in apertum campum infausta perfidia, quæ nefandorum societatem cruentis sibimet amplexibus socians, commovit ad scandalum cives, ad suorum perniciem plebes, ad eversionem patriæ [6] gentes, ad interitum Principis non solùm proprias, sed externarum plebium nationes. Testis est horum quæ dicimus terra, quæ ipsorum est exterminatione detrita. Testis etiam cælum, sub quo nobis est a Deo attributum triumphale vexillum. Spontaneum enim promissionis fœdus [7] inrupit, novumque sponsionis iusiurandum constituit : quo voluntaria fidei promissione discissa, electum a Deo [8] Regem nostrum abiiceret, et maturatam illi vel patriæ perniciem exhiberet. Nam novo ritu periurii non solùm suam, sed et multorum animas populorum de-

(1) MS. *inter cunctos perfidorum nomine.*
(2) Id. *paraverant.*
(3) F. *propriam.*
(4) Id. *incurrant* : et notat deesse in Duchesnio ab *quibus ex clementia* adusque *incurrant.*
(5) F. *se.*
(6) Id. *gentem.*
(7) MS. *inrumpit.*
(8) Id. *Regnum.*

TEXTUS TUDENSIS.

qui eversores facti sunt patriæ : quibus ex clementia princeps dederit vivere. Effossionem luminum non evadant, qui patriæ gloriam minuentes, proditionis notam *temerariè incurrerunt.* Ecce prodidit sese in apertum campum infausta perfidia, quæ nefandorum societatem cruentis sibimet amplexibus socians, ad scandalum *impulit* cives, ad suorum perniciem plebem, ad eversionem patriæ gentes, ad interitum principis non solùm proprias, sed externarum *commovit* plebium nationes. Testis est horum quæ dicimus terra, quæ ipsorum est exterminatione detrita. Testis etiam est cælum, sub quo nobis est attributum á Deo triumphale vexillum. *Spontaneo* enim promissionis *fœdere perfidus Paulus irrupto*, novum sponsionis iusiurandum constituit, quo voluntaria fide promissionis discissa electum divinitus dominum nostrum Regem Bambanem abiiceret, et maturatam illi vel patriæ perniciem exhiberet. Nam novo ritu perjurii non solùm suam, sed et multorum decepit animas populorum; ita ut in iis illud Prophetæ vaticinium impleretur, quo dicitur : *Cadent in retia principes eorum à furore iræ* [1] *Dei, et erit subsannatio eorum in omnem terram.* Necnon, et illud quod Isaias in talium narrat *excessibus*, dicens : *Inventi sunt in populo meo impii insidiantes quasi aucupes, laqueos ponentes et* [2] *pedicas ad capiendos viros. Sicut decipula plena avibus, sic domus eorum plenæ dolo.*

Et

(1) MS. *diei.*
(2) MS. *peducas.*

TEXTUS LEGITIMUS.

decepit: ita ut [1] his illud prophetale vaticinium impleretur, quo dicitur: *Cadent in retia Principes eorum a furore iræ Dei, et erit* [2] *subsannatio in omnem terram:* Necnon et illud, quod Isaias in talium narrat excessionibus, dicens: *Inventi sunt in populo meo impii insidiantes quasi aucupes, laqueos ponentes et pedicas ad capiendos viros.* [3] *Sicut decipula plena avibus, sic domus eorum plena dolo.*

2 [4] Et hæc quidem necessariò [5] præmissa sufficiant. Nam cum nefandissimum Paulum serenissimus Dominus noster Wamba Rex ad vindicationem Galliæ destinaret, et ut dissidentes quosdam ad fidem suæ gloriæ matura dispositione colligeret; subitò iniunctum sibimet negotium in contrarium mutans, non solùm dissidentibus in fide persistendo non obstitit, sed etiam ipse [6] dissidentiâ sui plurimos infideles effecit. In tyrannidem enim contra prædictum Principem, gentem, et patriam [7] versus, spoliavit se primùm a fide promissa: et textrinii sui ordiens telam, induit se periurii [8] maculâ. Deinde in gloriosum Principem maledicta coniectat, et multimoda detractionum atque iniuriarum de eo protestatur convitia. Post hæc, quod ne-

(1) F. *In his.*
(2) MS. *subsanatio eorum.*
(3) D. *Sic.*
(4) In F. deest *Et.*
(5) MS. *præmissis.*
(6) F. *dissidentes plurimos sibi fideles effecit.*
(7) Id. *vertens.*
(8) Id. *maculam.*

TEXTUS TUDENSIS.

2 Et hæc quidem necessariò præmissa sufficiant. Nam cum nefandissimum Paulum serenissimus dominus noster Bamba Rex ad [1] vendicationem Galliæ destinaret, ut dissidentes quosdam ad fidem suæ gloriæ matura dispositione colligeret, subitò iniunctum sibimet negotium in contrarium mutans, non solùm dissidentibus in fide persistendo non obstitit, sed ipse dissidentiâ sui plurimos infideles effecit. In tyrannidem enim contra prædictum Principem, gentem, et patriam versus, spoliavit se primò fide promissa, et *pravitatis* textrinii sui ordiens telam, induit *proditionis* et periurii *maculam.* Deinde [2] in gloriosum Principem maledicta *coniecta* et multimoda detractionum atque injuriarum de *illo convitia* [3] *protestantur.* Post hæc, quod nefas est dici, regnum contra Dei voluntatem arripuit, et populos in hac nefaria *conspiratione* [4] sibimet *iurare coëgit*, ut contra fidem *glorioso Principi* redditam agerent, et necem, vel *deletionem* Principi exhiberent. Hunc præcipuè ordinem in ipsa perversarum conditionum serie servans, ut gloriosum dominum nostrum Bambanem infaustum Regem nominare auderet. Quod utique nomen iuxta interpretationem sui, infelicem

(1) Id. *vindicationem.*
(2) Ibi deest *in.*
(3) MS. *protestatur.*
(4) Hisp. illust. *civium* pro *sibimet.*

TEXTUS LEGITIMUS.

nefas est dici, Regnum contra Dei voluntatem arripuit, et populos in hac nefaria electione sibimet iurare coëgit : quo et contra fidem [1] redditam [2] agerent, et necem vel deiectionem Principi exhiberent. Hunc præcipuè ordinem in ipsa perversarum conditionum serie servans, ut gloriosum Domnum nostrum Wambanem Principem infaustum Regem nominare auderet. Quod nomen utique iuxta [3] interpretationem sui, infelicem significat esse. Qui tamen adhuc super [4] tyrannicæ sortis apice provocatus, provinciam [5] omnem Galliæ, et partem aliquam Tarraconensis provinciæ tumultuoso sui iuris imperio subdens, speciales omnium munitiones per singulas quasque civitates constituit, defensoresque in eas proprios ordinavit.

3 Huius rei nefariæ temeritate compulsi sumus arma arripere, et tot interiacentibus terris nefandorum perfidiam insectare. Unde et ad horum coniuratorum tyrannidem protinus extinguendam, in Tarraconensem provinciam et in Gallias pugnantes accessimus : et divina nobiscum comitante manu ad ipsas usque civitates atque castella venientes, hos ipsos satellites defensoresque civitatum castrorumque feliciter [6] cepimus. Nam primùm ad Barcinonam cum exercitu accedentes,

(1) D. *sibi redditam.*
(2) F. *gerent.*
(3) D. *iuxta interpretatio sui.*
(4) Id. *insuper.*
(5) In MS. deest *omnem.*
(6) F. malè *cœpimus.*

TEXTUS TUDENSIS.

significat esse. *Qui adhuc* insuper tyrannicæ sortis apice provocatus, provinciam omnem Galliæ, et partem aliquam Tarraconensis provinciæ tumultuoso sui iuris imperio subdens, speciales omnium munitiones per singulas quasque civitates constituit, defensoresque *in eis* proprios ordinavit.

3 Huius rei nefariæ temeritate compulsi sumus arripere arma, et tot interiacentibus terris nefandorum perfidiam insectare. Unde ad horum coniuratorum tyrannidem protinus extinguendam, in Tarraconensem provinciam, et in Gallias pugnantes accessimus, et divina nobiscum comitante manu ad ipsas civitates usque atque castella venientes, hos ipsos satellites defensoresque civitatum et castrorum feliciter cepimus. Nam primùm *ad satellites repugnantes*, Barcinonam cum exercitu accedentes, Euredum, Pompedium, Guntifredum, [1] Unulfum Diaconum, et Neufredum eamdem civitatem [2] vindicantes comprehendimus. [3] Deinde ad Clausuras venientes, castra ipsa disposito exercitu per iuga Pyrenæi montis intravimus, et vendicatores eorumdem ca-

(1) Hisp. illustr. *Gutrifredum*, *Arnulfum.*
(2) MS. *vendicantes.*
(3) Hisp. illust. *Dein.*

TEXTUS LEGITIMUS.

tes, Euredum, Pompedium, Guntefredum, Hunulfum Diaconum, et Neufredum eamdem vindicantes civitatem comprehendimus. Deinde ad Clausuras perveníentes, castra ipsa disposito exercitu per iuga Pyrenæi montis intravimus, et vindicatores eorumdem castrorum comprehendimus, (1) id est, Ranosindum, Hildegisum, Heliam, Carmennum, Maureconem, (2) Wandemirum, Dagarum, Xixanem, et (3) Luibitanem. Hoc etiam more belligerosis incursibus properantes, per divisiones exercituum comprehendimus in castro Caucoliberi Leofredum et (4) Gudrigildum, atque prædictorum coniuges. Castrum quoque Lybiæ, quod est (5) caput Cirritaniæ, simili ordine properantes, ingressi sumus. Quem Iacinthus Episcopus cum (6) Arangisclo in una concordantes perfidia post ius Pauli perfidi vindicabant. Sed quia idem Iacinthus eumdem castrum Lybiæ vindicare non potuit, nec ipse Deo fautore manus nostras evasit. Quorum omnium comprehensionem (7) sive ingressum Galliæ cùm idem Paulus perfidus per fugam Francorum, quos ad vindicandas Clausuras direxerat, comperisset; relicta et ipse (8) illicò civitate Narbona, fugæ se præsidio dedit. Ubi etiam conservatores ipsius civitatis reliquit:

TEXTUS TUDENSIS.

castrorum comprehendimus, id est, Ranosindum, Hildegisum, Heliam, Carmenum, Maureconem, Vandemirum, *Diagerum*, *Cixanem*, *et Liubanem*. Hos etiam belligerosis incursibus properantes comprehendimus in castro Caucoliberi, id est, Leufredum et *Gugidillum*, atque prædictorum coniuges. Castrum quoque Libiæ, quod est caput *Ceretaniæ*, simili ordine properantes ingressi sumus, *quoniam* Iacinthus (1) Episcopus cum Arangisclo in una concordantes perfidia post Pauli perfidi vendicabant. Sed quia idem Iacinthus *idem* castrum Libiæ vendicare non potuit, nec ipse Deo fautore manus nostras evasit. Quorum omnium comprehensionem, sive ingressum *nostrum* Galliæ, cum idem Paulus perfidus per fugam Francorum, quos ad vindicandas Clausuras direxerat, comperisset, relicta et ipse civitate Narbona, fugæ se præsidio dedit: *relictis ibi etiam conservatoribus* civitatis ipsius, scilicet Ramirum pseudoepiscopum, Victimirum, Argemundum, et *Galtritionem Primicerium*. Qui etiam Ramirus viso exercitu, antequam civitas ipsa expugnaretur, petiit fugam. Sed mox in Beterrensi territorio comprehensus, nostras non effugit manus. Unde cum prædictos Victimirum, et Argemundum Laicos sive *Galtritionem Primicerium* Narbonam vindicantes, et contra nos acriter dimicantes cepissemus, Agatensem civitatem imperio gloriosi domini nostri subegimus, comprehendentes in ea *Vilesmundum* Episcopum, et Arangisclum, et Ranosindum germanum *Vilesmundi* episcopi.

(1) D. *itidem*.
(2) F. *Wandamirum*.
(3) MS. *Liuvanem*.
(4) F. *Guidrigildum*.
(5) MS. *aput*.
(6) F. *Araugisclo*.
(7) MS. *suæ*.
(8) In eod. deest *illicò*.

(1) Ibid. *ipse* pro *Episcopus*.

TEXTUS LEGITIMUS.

Ranimirum pseudo-Episcopum, Wittimirum, Argemundum, et Gultricianem [1] Primiclerum. Qui etiam Ranimirus viso exercitu, antequam civitas ipsa expugnaretur, fugam [2] petiit. Sed mox in Beterrensi territorio comprehensus, nostras non effugit manus. Unde cum prædictos Wittimirum et Argemundum laicos, sive Gultricianem Primiclerum Narbonam vindicantes, et contra nos acriter dimicantes [3] cepissemus; Agatensem civitatem imperio [4] gloriosi nostri Domini [5] subegimus, comprehendentes in ea Wilesindum * Episcopum, Aragisclum, et Ranosindum * [6] germanum Wilesindi Episcopi.

4 Cumque post hæc divinis iudiciis adiuvantibus ad expugnandam Magalonensem civitatem accederemus, simul duorum exercituum navale, et terrenum [7] bellum Gumildus Episcopus [8] cum prævidisset, statim eamdem civitatem reliquit, et fugam appetens, Nemausum se cum Paulo perfido contulit. Cumque hanc ipsam Magalonensem civitatem defensoresque eius gloriosiùs cepissemus, statim usque in Nemausum post perfidum Paulum sociosque suos pugnaturi pervenimus. Ibi se idem Paulus non solùm suorum perfidorum fretus audacia, sed [9] etiam Francorum auxilio muni-

(1) MS. *Primiclericum.* (2) F. *appetiit.*
(3) Id. malè *cæpissemus.*
(4) Id. *gloriosissimi.*
(5) Id. *subiugavimus.*
(6) D. non habet asteriscis inclusa.
(7) In MS. deest *bellum.*
(8) In eod. deest *cum.*
(9) F. *etiam et.*

TEXTUS TUDENSIS.

4 *Post hæc cum divino iudicio adiuvante* ad expugnandam Magalonensem civitatem accederemus, *cum duobus exercitibus, navali scilicet et terrestri, Gumildus episcopus statim* eamdem civitatem reliquit, et fugam petens, Nemausum se cum Paulo perfido contulit. Cumque hanc ipsam Magalonensem civitatem defensoresque eius gloriosiùs cepissemus, statim usque in Nemausum post *prædictum* Paulum sociosque suos pugnaturi pervenimus. Ibi se idem Paulus, non solùm suorum perfidorum fretus audacia, sed etiam Francorum munitus auxilio ad dimicandum contulerat. Quo in loco instantissimè pugnans, et in perfidiæ temeritate perdurans, tandem divinis iudiciis nostrisque armis eadem civitate irrupta victus captusque est Paulus. Eius [1] etiam socios commemorare necesse est, quos et pugnantes contra nos in eadem civitate durè pertulimus, et qui tamdiu eius perfidiæ instantissimè adhæserunt, quam-

(1) Hisp. illustr. *et* pro *etiam.*

TEXTUS LEGITIMUS.

nitus, ad dimicandum contulerat. Quo in loco instantissimè pugnans, et in perfidiæ temeritate perdurans, tandem divinis iudiciis nostrisque armis eadem civitate inrupta, victus captusque detentus est Paulus. Eius etiam socios commemorari necesse est, quos et (1) pugnantes contra nos in (2) eadem civitate durè pertulimus, et qui tamdiu eius perfidiæ instantissimè adhæserunt, quamdiu cum ipso nefandissimo caperentur: id (3) est, Gumildus Episcopus, (4) Friusclus, Flodarius, Wistrimirus, Ranemundus, Andosindus, Adulfus, Maximus, * Ioannes, Clerium, Anvarnus, Aquilinus, Odofredus, Iberius, Ioannes, (5) Mosamius, Amingus, (6) Virimar, Eumericus, Transemirus, Bera, Ebrulfus, Recaulfus, (7) Cottila, (8) Guldramus, Liuba, Ranila, et (9) Ildericellus, * excepta vulgi multitudine, vel Francorum; quæ multiplex in eadem civitate comprehensa est.

5 Hic igitur sceleratissimus Paulus, dum convocatis adunatisque omnibus nobis, id (10) est, Senioribus cunctis Palatii, Gardingis omnibus, omnique Palatino officio, seu etiam adstante exercitu universo in conspectu (11) gloriosi nostri Domini, cum prædictis so-

(1) D. *expugnantes.*
(2) Id. *eamdem civitatem.*
(3) Id. *itidem.*
(4) MS. *Frugisclus.*
(5) F. *Mosimus.*
(6) MS. *Wazimar, Cunericus, Trasericus.*
(7) F. *et Cottila.*
(8) MS. *Guldramirus.*
(9) F. *Idericellus.*
(10) D. *itidem.*
(11) F. *gloriosissimi.*

TEXTUS TUDENSIS.

quamdiu cum ipso nefandissimo caperentur: id est, Gumildus episcopus, *Friuscus*, Frodarius, Witimirus, Ranemundus, Adosindus, Adulfus, Maximus et *Gotila*; excepta vulgi multitudine Francorum *vel Saxonum*, quæ in eadem civitate comprehensa est.

5 Hic igitur sceleratissimus Paulus dum convocatis adunatisque omnibus (1) nobis, id est, senioribus cunctis, et Palatii Gardingis omnibus omnique palatino officio, seu etiam adstante exercitu universo in conspectu *Regis* gloriosi nostri Domini (2) cum prædictis sociis suis iudicandus assisteret, sic prædictus Princeps *super* præmissa coniurationis interpositione eum allocutus

(1) Ibi deest *nobis*, et pro *id est*, legit. *ibidem.*
(2) Ibi *e prædictis.*

TEXTUS LEGITIMUS.

sociis suis iudicandus adsisteret; sic prædictus Princeps sub præmissa coniurationis interpositione eum adlocutus est, dicens: " Con„ iuro te per nomen omnipoten„ tis Dei, ut in hoc conventu „ fratrum meorum contendas me„ cum iudicio, si aut te in aliquo „ læsi, aut (1) occasione qualibet „ malitiæ nutrivi, per quod exci„ tatus hanc tyrannidem sumeres, „ vel huius regni apicem susci„ pere attentares."

6 Mox idem nefandissimus Paulus voce clara testatus est, dicens: " Per Deum, quia neque a „ gloria tua læsum me esse sensi, „ neque a vobis aliquid mali per„ tuli: sed tantum boni in me „ (2) impertiri iussisti, quod per„ cipere omnino non merui. Ego „ tamen diaboli instinctu provo„ catus id feci." Similiter iam dicti socii sui quæsiti sunt, et omnes similiter responderunt. Unde (3) prolatæ sunt conditiones, ubi spontanea promissione in electione gloriosi nostri Domini Wambani Regis ipse nefandissimus Paulus, vel socii sui unà pariter nobiscum consenserunt, et inviolabiliter se ei vel patriæ fidem observaturos sub divini numinis (4) sponsione testati sunt, quas etiam manus suæ subscriptionibus notaverunt. Quibus conditionibus reseratis atque perlectis, ad confusionem perfidiæ ipsorum subscriptio (5) manus eorum in ipsis con-

TEXTUS IUDENSIS.

tus est dicens: "*Adiuro* te per nomen »omnipotentis Dei, ut in hoc con»ventu fratrum *nostrorum* contendas me»cum iudicio: si aut te in aliquo læ»si, aut occasione *cuiuslibet* malitiæ, »*tibi malum* nutrivi, per quem excitatus »hanc tyrannidem *sumens*, huius regni »apicem suscipere attentares."

6 Mox idem nefandissimus Paulus voce clara testatus est dicens: "Per Deum, quia neque à gloria *ve»stra* sensi me esse læsum, neque à »vobis mali aliquid pertuli, sed tan»tum boni in me *impartiri* iussit »clementia vestra, quod percipere *nul»latenus* merui. Ego tamen diaboli »instinctu provocatus id feci." Similiter iam dicti socii sui quæsiti sunt, et omnes similiter responderunt: unde prolatæ sunt conditiones, ubi spontanea promissione in electione gloriosi Domini nostri Bambæ Regis ipse nefandissimus Paulus *cum sociis suis* una pariter nobiscum consenserunt, et inviolabiliter se illi et patriæ fidem observaturos esse sub divini numinis sponsione testati sunt, quas etiam *sponsiones* manus suæ subscriptionibus notaverunt. Quibus conditionibus perlectis, *quas ipsi malignè resecuerant*, ad confusionem perfidiæ ipsorum subscriptio manus eorum in ipsis conditionibus eis aspicienda ostenditur. Post hæc aliæ conditiones ad quas ipse perfidus Paulus populum sibi iurare fecerat, relectæ sunt. In quibus iste impietatis, et crudelitatis ordo servatus est, ubi ipsi Paulo omnes socii sui sub isto ordine juraverunt, ut et fideles illi essent, *et unanimes cum eodem* contra gloriosum Dominum nostrum Regem Bambanem pugnarent, atque in delectionem ejus vel periculum usque ad effusionem sangui-

(1) MS. *occasionem quamlibet... tibi nutrivi.*
(2) F. *impertire.*
(3) Id. *perlatæ.*
(4) MS. corruptè *sponte.*
(5) Id. *manibus.*

TEXTUS LEGITIMUS.

conditionibus eis aspicienda ostenditur. Post hæc aliæ conditiones ad quas ipse perfidus Paulus populum sibi iurare fecerat, relectæ sunt, in quibus (1) iste impietatis et crudelitatis ordo servatus est, ubi ipsi Paulo omnes socii sui sub isto ordine iuraverunt, ut et fideles illi essent, et unanimiter (2) cum eo contra (3) gloriosum Dominum nostrum Wambanem (4) Regem pugnarent, atque in deiectionem eius vel periculum usque ad effusionem sanguinis dimicarent, vel contra eos qui eumdem Domnum nostrum defendere voluissent. Infaustum Regem iam dictum gloriosum Domnum nostrum Wambanem, ut suprà præmissum est, in ipsis conditionibus nominantes, et cetera detestanda, quæ in ipsis conditionibus reperiuntur scripta.

7 His excursis atque perlectis, Canonum est prolata sententia ex Concilio Toletano * (5) Era LXXV. ubi ad locum sic dicit: *Quicumque* (6) *amodò ex nobis vel totius Hispaniæ populis qualibet coniuratione vel studio sacramentum fidei suæ, quod pro patriæ gentisque Gothorum statu vel conservatione regiæ salutis pollicitus est, temeraverit, &c.* Deinde legis est relata sententia, in libro

(1) F. *istius.*
(2) Id. *cum eodem.*
(3) Id. non habet *gloriosum.*
(4) Id. post *Regem*, addit *cum eo.*
(5) D. *Era XXV.* sed tam hic quam ceteri errore laborant, cum legendum esset, *Era LXXI.* Sanctus Iulianus hæc scribens refert sese ad can. 75. Concilii Toletani IV. anno 633. habiti, seu Era 671. cuius Canonis sunt verba hic allata.
(6) In F. deest *amodò.*

TEXTUS TUDENSIS.

guinis dimicarent; vel contra eos qui *eumdem Regem* defendere voluissent. Infaustum iam dictum Regem gloriosum Bambanem (ut præmissum est) in ipsis conditionibus *temerariè reperitur* scriptum.

7 Iis excursis atque perlectis, Canonum est prolata sententia ex Concilio Toletano, *qualiter debeant puniri* huiusmodi transgresores.

TEXTUS LEGITIMUS.

bro 2, tit. 1. Era VI. ubi ad locum sic dicit : (1) *Quicumque ex tempore reverendæ memoriæ Chintilani Principis usque ad annum Deo favente regni nostri secundum, vel amodò et ultra, &c.* Cuius sacri Canonis præceptione instructi, non ultrà nobis est dubitandum, ut illos paveamus iuxta legis huius sententiam, et in corpore et in rebus temporali punire censura, quos iam Patres illi perpetuo anathemate tam terribili iudicio (2) damnaverunt in anima. Ob hoc secundùm latæ legis (3) edita, hoc omnes communi definivimus sententia, ut idem perfidus Paulus (4) cum dictis sociis suis morte turpissima condemnati interirent. Qualiter casum perpetuæ perditionis (5) videntur excipere, qui et eversionem meditati sunt patriæ, et Principis interitum conati sunt eximere. Quòd si (6) forsitan eis a Principe condonata fuerit vita, non aliter quàm evulsis luminibus reserventur ut vivant. Res tamen omnes eiusdem Pauli sociorumque eius in potestate gloriosi nostri Domni persistendas esse decernimus. Qualiter quidquid de his agere, vel iudicare elegerit Serenitatis suæ clementia, potestas illi indubitata permaneat : ut seditiosorum nomen funditus a terra dispereat, et lugubrem eorum memoriam his titulis (7) denotatam secutura sæcula imitari refugiant.*

EXPLICIT FELICITER.

(1) Lex hæc est VII. lib. 2. tit. 1. Legum Wisigothor. sed quid significet Iulianus per *Era VI.* haud mente complectimur, nisi velit intelligere Eram 676 (ann. 638) in qua celebrata fuit Synodus Toletana VI. sub Chintilane Rege, ubi canone 12. et 18. in confugientes ad hostes, et in salutem Principis machinantes eadem sententia indicitur ac ea quam intimat lex, nimirùm sententia capitalis, vel oculorum effosio. Auctor legis videtur esse Reccesvinthus, qui ab anno 649. usque ad 672. solus et cum eius patre regnum obtinuit.

(2) F. *damnavere.*
(3) Id. *edicta.*
(4) Id. *cum iam dictis.*
(5) Id. *videantur.*
(6) Id. *forsan.*
(7) D. *devotatam.*

AP-

APPENDIX
OPERUM SUPPOSITORUM S. IULIANO.

MONITUM.

Omnia opera S. Iuliano falsò adscripta, pauca illa quidem, hac brevissima concludimus appendice: Chronicon scilicet Regum Wisigotthorum, Vulsæ frequenter appellatum; tum duo carmina, et epitaphia quatuor. Quæris quis hæc Iuliano imputaverit? Ille qui sub ementitis Iuliani, et Luitprandi nominibus chronica illa pervulgata, tot fabulis insignia commentus est. Et quod ad chronicon Wisigotthorum spectat, quamquam opus est verè aureum (quemadmodum illud appellavit perdoctus vir Ioan. Bapt. Perez in epistola prævia tom. 1. collectionis Concil. Card. de Aguirre) cuius luce Hispaniæ chronologia et sacra et prophana nimium quantum illustrata est; ut tamen illud S. Iuliano adtribuatur, nullo satis solido evincitur argumento. Neque enim illud totum, prout nunc extat ad usque Witizæ regnum perductum, Iuliani esse potest: neque etiamsi dicatur postrema eius capita fuisse ab aliquo prioris chronici continuatore conscripta, (quod nobis singula considerantibus, atque alterius ab altero in designandis annis diebusque diversitatem contemplantibus tantum non evidens est, et exploratum) prioris chronici partis Iulianus minimè potest auctor appellari. Si quid enim coniectando assequi valemus, ex nonnullis antiquioribus codicibus, in quibus præsens chronicon ad Ervigii regni initia tantùm pervenit, ut patet ex editionibus Aguirriana, et Vulcanii in notis ad historiam Wisigotthorum Iornandes, illud potius elicitur, auctorem illius alium fuisse quàm Iulianum nostrum, qui sub Egica mortuus, nec Ervigii mortem, nec Egicæ ad regnum accessum facilè silentio prætermisisset. Iam verò si illud adiungas, prædicti chronici nullam a Felice in Iuliani elogio fieri mentionem, cum tamen Wambæ regis historiam diligenter annotaverit, concludere oportet, huiusmodi opus temerè S. Iuliano fuisse adscriptum.

Nunc si verum auctorem quæris, omnino ignoramus. Nam quod Wulsæ appellatur, atque huius nominis scriptori vulgò tributum est, quem Episcopum Hispanum nonnulli etiam dixerunt, putidus est error, nostro quidem iudicio ex eo ortus, quod ab aliquo librario imprudenter exscriptum fuerit Wulse-Gotthorum *pro* Wise-Gotthorum, *quod in vetustis exemplaribus legitur, atque inde ad alios manaverit: Vulsæ certe nomen inter illius temporis scriptores, multo minus inter Hispaniæ Episcopos, uspiam legitur. De quo consulendus P. Florez tomo 2. Hispaniæ sacræ: cuius nos editionem præsentis Chronici expressimus, adiectis similiter ad marginem pluribus quàm is, variantibus ex Codice quem sæpe memoravimus, Ioan. Bapt. Perez.*

D. Ioann. Bapt. Perezius.

§. II.

Chronica Regum Wisigotthorum.

(*) *CDVII. S. Isidorus.*

Era (*) quadringentesima in Gotthis primus Rex Athanaricus efficitur. Post hunc Alarcius. Quo in Italia mortuo, Ataulphus eligitur. Isto regnante, Gotthi, relicta Italia, Gallias, ac postea Hispanias occupant. Anni verò Regum hac summa notantur.

1 Athanaricus regnavit annos XIII. (1)
2 Alaricus regnavit annos XXVIII. in Italia.
3 Ataulphus regnavit annos VI. (2)
(*) *Segericus.*
4 (*) Sigericus regnavit annos (3) VII. alibi semis tantùm.
(*) *Theudericus : : : vel XXIII.*
5 Walia regnavit annos III. (4)
6 (*) Theuderedus regnavit annos XXXIII. (5)
(*) *Thurismundus.*
7 (*) Thurismodus regnavit annos III. alibi I. (6)
(*) *Theudericus.*
8 (*) Theudoricus regnavit annos VII. alibi XIII. (7)
(*) *XX.*
9 Euricus regnavit annos (*) XV. aliàs XVII. (8)
10 Alaricus regnavit annos XXIII.

(1) Fors. XII. (2) Fors. V. (3) Malim pro *annos*, legi *dies*. (4) Fors. IIII. (5) Fors. XXXII. (6) Hæc chronologia sequenda, non prima. (7) Id. hoc in Rege. (8) Fors. XVIII. Quamquam credimus, annorum supputationem, quam notamus in Athanarico, Athaulpho, Walia, Theuderedo, et Eurico veriorem esse alterâ Chronicorum auctoris; nihilominus fatebimur, eum in ea secutum fuisse S. Isidorum in Gotthorum Historia.

(*) *Geselecus.* 11 (*) Geselicus regnavit annos III. et in latebra annum I. alibi XV. (1)

(*) *Item Theudericus de Italia in Spania.... per consors an. XI.* (*) Theudoricus de Italia regnat in Hispania, tutelam agens Amalarico nepoti suo, per Consules, annos XLI. aliàs XV. (2)

(*) *Amalericus.* 12 (*) Amalaricus regnavit annos V.

13 Theudis regnavit annos XVI. menses VI. aliàs XVII. m. 5.

14 Theudisclus regnavit annum I. menses (*) VI. dies XIII.

(*) *V.* 15 Agila regnavit annos V. menses (*) VI. dies XIII.

(*) *III.* 16 Athanagildus regnavit ann. XV. menses VI. alias XIV.

Vacat regnum menses V. et alibi XIII.

17 Liuba regnavit annum I.

(*) *Leubegildus.* 18 (*) Liuvigildus regnavit annos XVIII.

(*) *I.* 19 Reccaredus regnavit annos XV. menses (*) VI. dies X.

20 Item Liuba regnavit annum I. aliàs II. menses VI.

21 Witericus regnavit annos VI. menses X.

(*) *XIII.* 22 Gundemarus regnavit annum I. menses X. dies (*) XIV.

23 Sisebutus regnavit annos VIII. menses XI. dies XVI. aliàs menses VI.

(*) *menses.* (**) *IV.* 24 Item Reccaredus regnavit (*) annos (**) III. aliàs paucos dies.

25 Suinthila regnavit annos X.

(*) *III.* 26 Sisenandus regnavit annos (*) IV. menses XI. dies XVI.

(*) *IIX.* 27 Chintila regnavit annos III. menses (*) IX. dies IX.

28 Tulga regnavit annos II. menses IV.

(*) *Cindasvindus.* 29 (*) Chindasvinthus solus regnavit annos VI. menses VIII. dies XI.

(*) *Chindesvindus.Ag.* (*) *Reccesvindo.Aguir.* (**) *III.* (***) *XII.* Aguirre.

Item cum filio suo Domino (*) Reccesvintho Rege regnavit annos (**) IV. menses VIII. dies (***) XI. Obiit pridie Kal. Octobris, Era DCXCI.

(*) *Reccesvindus.* (**) *VI.* (***) *II.* 30 (*) Reccesvinthus (3) solus regnavit annos XXIII. menses (**) VII. dies (***) XI. Obiit Kal. Sept. die IV. Feria, hora III. Era DCCX. anno Incarnationis Domini N. Iesu Christi DCLXXII. anni Cycli decemnovenalis VIII. Luna III. Idem cum patre suo regnavit annos IV. menses VIII. dies XI.

(*) *gloriosus dominus.* 31 Suscepit autem (*) domnus Wamba Regni gubernacula eodem die quo ille obiit, in supradictis Kalend. Septembribus, dilata Unctionis solemnitate usque in diem (*) XIII. Kal. Octob. Luna XXI. Era qua supra. Idem quoque gloriosus Wamba Rex regnavit annos VIII. mensem I. dies XIV. Accepit quoque pœnitentiam prædictus Princeps die Dominico exeunte, hora noctis prima, quod fuit pridie Idus Octobris, Luna XV. Era DCCXIIX.

(*) *XII.* Aguirre.

(*) *statim.* (**) *deest noster.* 32 Suscepit (*) autem succedente die, secunda Feria, gloriosus domnus (**) noster Ervigius Regni sceptra, quod fuit Id. Octobris, Luna XVI. Era DCCXIIX. dilata Unctionis solemnitate usque in supervenientem diem Dominicum, quod fuit (4) XII. Kalendas Novembris, Luna XXII. Era qua supra (5).

Item quoque gloriosus Ervigius Rex reg. an. VII. diebus XXV. in quo die in ultima ægritudine positus elegit sui successorem in Regno gloriosum nostrum Dominum Egicanem, et altera die, quod fuit XVII. Kal. Decembris, sexta Feria, sic idem Dominus Ervigius accepit pœnitentiam, et cunctos seniores absolvit, qualiter cum iam dicto Principe, glorioso Domino Egicane ad sedem Regni sui in Toleto accederent.

33 Unctus est autem Dominus noster Egica in Regno in Ecclesia Sanctorum Petri et Pauli (*) Prætoriensis sub die VIII. Kal. Decembris die Dominico, Luna XIV. Era DCCXXV.

(*) *Prætoriensis.*

34 Unctus est autem Witiza in Regno die, quo fuit (6) XVII. Kal. Decembris, Era DCCXXXVIII.

(1) Cur hîc XV. adiiciantur, non facilè dixerim. Quod autem Geselicus unum regnasse annum in latebra dicatur, benè omnes norunt id esse quod S. Isidorus scripsit, nempè, Regem ex Africa redeuntem ob metum Theodorici petiisse Aquitaniam, ibique anno uno delituisse.

(2) Minime XLI. sed quindecim tantùm annos, videlicet ab 511. ad usque 526. Amalarici tutelam egit Theodoricus, cuius regnum in Italia triginta tres solùm annos ex S. Isidoro duravit.

(3) Perquam rectè probat Enricus Florez tom. 2. Hispan. Sacr. part. 2. cap. 2. §. 3. delendum esse verbum *solus*, cum Reccesvinthus post mortem patris tantùm regnaverit annos XVIII. menses undecim, id est, a prima die Octobris, anni 653. ad diem 1. Septembris anni 672.

(4) Ita correxit id. Florez. cum Aguirrius legerit *XIV.*

(5) Hucusque edidit Aguirre, reliqua Maiansius, et post eum laudatus Florezius.

(6) Id. et rectè nostro iudicio existimat hîc legendum XVIII.

MO-

MONITUM.

Piget multa, lector, in hæc duo subiecta carmina adnotare, Iuliano nostro ab eodem Pseudo-Iuliano attributa: neque id solum, sed et ab ipso conficta; cum MS. liber in Bibliotheca S. Iustæ Toleti asservatus, ut ipse asserit, hæc et alia multa S. Iuliani carmina continens, sicut et ipsa Bibliotheca, merum commentum sit, ad confingendas, faciliusque obtrudendas fabulas excogitatum ab homine mortalium omnium mendacissimo. Verùm ut fateamur quod res est, prioris carminis ad Imperatorem directi (cuius exemplar ante Pseudo-Iulianum nemo viderat) ansam confingendi præbuit Isidorus Pacensis in suis Chronicis ita scribens: Romam (*Iulianus*) per suos Legatos.... iterum cum versibus acclamatoriis, secundùm quòd et olim transmiserat, de laude Imperatoris, misit (*Apologeticum*) *&c. Quem locum totidem fere verbis exscripsit Rodericus in sua Hispaniæ historia. Unde illud Pacensis hauserit, ignoramus: certè Felix in elogio cum de Apologetico bis Romam misso loqueretur, versus nullos commemorat. Et en tibi Pseudo-Iulianus carmen ipsum, a se solo feliciter repertum, statim obtrudit, quòd nos nec dubitantes reiicimus propter levissimam proferentis auctoritatem. Alterum verò ad Sergium P. scriptum, atque ex eodem commentitio MS. erutum, multo magis suppositititum est. Nullus enim historicus huiusmodi carmen ad S. Pontificem missum ne innuit quidem, multo minus ad Sergium: quem Sergium de Apologetico loquentes, nec Pacensis, nec Rodericus commemorat: et ut commemorarent, a nobis ut assentiremus impetrari umquam poterit, repugnante historiæ veritate. Constat enim ex Felice, quin et Iulianus ipse testatur in Concilio XV. Toletano, anno* 688 *celebrato, Apologeticum se librum ante duos annos Romam misisse, scilicet anno* 686 *cum mortuo Benedicto II. in Petri Cathedra sedebat Ioannes V. cui successit Conon vita functus anno* 687. *sub finem Septembris, Quomodo ergo ad Sergium Cononis successorem carmen cum Apologetico misisset Iulianus? Spurium ergo et commentitium habendum est.*

CARMINA QUÆ PSEUDO-IULIANUS PETRI, Archipresbyter S. Iustæ, B. Iuliano tribuit, typis excussa ab Laurentio Ramirez de Prado in notis ad Luitprandi Chronicon, pag. 369, et seq. edit. Antuerp. anni 1640.

MONITUM PSEUDO-IULIANI.

Papa Benedictus (II) *offensus.... novitate vocum, scilicet, quòd* voluntas genuit voluntatem, *et quòd* Christus constaret ex tribus naturis, *vel* essentiis, *scripsit ad illum* (S. Iulianum) *comiter, et verbotenus iussit latori, ut illum admoneret de propositionibus. Videns sanctus Doctor aliquos scandalizatos esse novitate harum vocum, ad ipsum Papam misit libellum responsorium cum Petro Regionario Notario, et simul quædam carmina de Imperii laude; quæ ego excerpsi ex operibus Sancti Iuliani, quæ sunt huiusmodi.*

Latius Imperii maiestas præterit orbem,
Si pietas adsit, pervolat astra super.
Cæsaris ensis enim debet defendere Sedem
Immotam Petri, cui Deus ipse præest.
A quo suscepit vires titulique cacumen,
Nonne illi, o Cæsar, ferre decebit opem?
Romani decus Imperii iuga Regibus infert:
Illud agit populos, Gentibus illud adest.
Iustiniane, tuæ frangatur robore dextræ
Barbarus omnis iners, perfidus omnis homo.
Cæsare te celebres portet nova Roma triumphos,
Nomen ei invideat nobile Roma vetus.
Cæsare te referat virides Ecclesia lauros,
Portet ab hæreticâ conditione decus.
Et Monothelitæ subdant colla impia, Papa
Pastor sancte, tibi, clavigeroque Petro.

Vincat, et æterna Sedes sacra pace fruatur,
Cæsare te teneat, Iustiniane, solum.
Vive diu, Cæsar: quæ dat Benedictus, adora
Iussa libens, felix sic quoque Cæsar eris.

Rescripsit Iuliano, et adhuc mordet; et iussit Iulianum, communicato consilio suo cum Rege Egicane, cogi Toleti Concilium Episcoporum Gentis Gotthicæ et suæ nationale et universale, primo anno Regis Egicanis: et illic lectis Epistolis explicuit se, et fecit alium Apologeticum cum carmine in laudem sancti Papæ Sergii, qui successerat post alios Benedicto, anno DC.LXXXVII. missis etiam tribus viris sapientissimis sanctissimisque ex Clericis Sanctæ Ecclesiæ Toletanæ, ut res tanta postulabat, scilicet Felice Archipresbytero, Ulisando Archidiacono, Musairo Primiclerio vel Subdiacono, cum litteris, et libro Apologetico, ac carmine. Lectis litteris ac libro, approbavit eum sanctus Papa Sergius, et legendum omnibus dedit: et actis gratiis de labore et pietate, remisit cum reliquiis, et sua benedictione Nuntios cum litteris responsalibus. Carmina hæc sunt deprompta ex eiusdem sancti Iuliani Epigrammatis, quæ sunt in libro MS. S. Iustæ.

Ad te mitto libens codicem, sanctissime Sergi,
Qui regis innumeras et moderaris oves.
Inclita pervasit nos laudum fama tuarum,
Quòd bonus et clemens sis, pietatis amans.
Pectore, voce refers vivendique ordine Christum,
Cuius et in terris fungeris officio.
Vive diu nobis, et mundo, candide Sergi;
Cui Iulianus ovans oscula dat pedibus.
Accipe clementi, Sergi sanctissime, vultu
Scripta mea; excubias corrige, Papa, meas.
Perlege quodcumque est, quod Epistola nostra docebit,
Atque animo exiles curre labente notas.
Est censura Dei tua, quidquid dixeris ipse,
Hoc Deus in cælo duxerit esse ratum.
A Domino Christo summa est concessa potestas,
Claudere qui cælos, et reserare vales.
Ergo Pater Sergi, parvo benedicito fratri,
Ut fluat in nostrum gratia larga caput.
Regis Egicani, populi memorare fidelis,
Pontificum benedic plebibus inde tuis.
Rore tuo vernabit ager Hispanus abundè,
Catholicamque colet tempus in omne fidem.
Quam fera tempestas Phlegethontis turbine nulla
Auferet ex linguis pectoribusque piis.
Hei mihi! quàm timeo ne nos malus implicet error,
Demur et infandis Gentibus opprobrio.
Africa plena viris bellacibus arma minatur,
Inque diès victrix gens Agarena furit.
Ne meus iste metus sit verus, vindice Christo,
Ora pro populis, optime Papa, tuis.
Ut Deus avertat nostra a cervice securim,
Detque pius veniam, te lacrimante, reis.

MONITUM.

De quatuor sequentibus Epitaphiis, quorum miramur Nicolaum Antonium non meminisse, idem esto lectoris iudicium, ac de præcedentibus carminibus: Iulianum nostrum illorum auctorem non esse, quem etsi multa epigrammata scripsisse constet, quippe qui in eo genere neque Eugenio neque Ildephonso eius prædecessoribus ac magistris cedebat, quibus et ingenio et eruditione æqualis extitit, tamen veros, et indubitatos Iuliani versus nullos adhuc vidimus: siquidem ii, quos nunc edimus, postquam Tamaius de Vargas in suo exhibuit Martyrologio, unius Pseudo-Luitprandi auctoritate et testimonio consistunt, cui vel vera narranti tuto vix credas. Præterquamquod insignes habent suppositionis notas, secundum præsertim ac quartum Epitaphium: ut facilè agnoscas fabulatoris ingenium. In illo enim Quirici Episcopi, duos huius nominis Præsules satis cognitos, unum Barchinonensem, Toletanum alterum, confundens, ex duobus unum eumdemque efficit Quiricum, qui primùm ex Abbate Agaliensi ad Barchinonensem Cathedram assumptus, inde ad Toletanam translatus fuerit. Cum tamen ut egregie evincit P. Florez tom. 5. et 29. Hispaniæ Sacræ, Barchinonensis Præsul, quocum magna fuit Ildephonso nostro consuetudo, et amicitia, eodem ferme ac Ildephonsus tempore obierit, circa ann. 667. aut paulo post, alter verò Toletanus S. Ildephonso successerit, neque ante ann. 679 aut 680. mortuus sit. Denique Wambam regem, quem in Chronico suo ex Segoviensi Diœcesi ortum facit, in postremo epitaphio Diaconum fuisse commentatur, antequam ad regnum assumeretur, Sacerdoti in sacrificio ministrantem, Petrumque denominatum, quod nomen in Regno deposuerit. Quæ omnia quàm levia illa sint, et ridicula, temerèque conficta, nemo non videt.

EPITAPHIA SANCTO IULIANO TRIBUTA IN EOD. CHRON. PSEUDO-LUITPRANDI.

In sepulchro S. Ildephonsi, pag. 343.

Alfonsi iacet hoc corpus venerabile saxo,
(1) Quo Toletana nihil terra tulit melius:
Luciaque, et Stephanus clara de gente Gotthorum,
Sed virtute magis nobilitante micat.
Invenit iuvenis portum, sæcloque relicto,
Cænobii cellas Agaliensis amat.
Hincque Toletanam raptatur Præsul ad urbem,
Cui fuit in votis sede latere sua.

In sepulchro Quirici, pag. 349.

A (*) Domino qui nomen habes pie, voce, Quirice,
Et Monachus, Præsul Barchinonensis, ave.
Agaliensis eras quondam sanctissimus Abbas,
Barchino te multùm Præsule gaudet ovans.
Te Toletano pietas præfecit ovili:
Divisas Sedes Præsul amansque vides.
Nil uno melius fuit, aut te sanctius uno:
Et dementato Rege dolens moreris.
Te socium lætis Leocadia suscipit ulnis,
Corpus humo, mentem læta sub alta locans.
Gaude sorte tua, Præsul venerande Quirice;
Sic Dominus terris es, Dominusque polo.

(*) *Kiricus a græco* Κύριος *dictus, quod interpretatur* Dominus.

(1) In Martyrologio Ioannis Tamajo de Salazar ad diem 23. Ianuarii deest hic versus cum sequenti, ita ut in eo sic legatur:

Alphonsi iacet hoc corpus venerabile saxo,
Sed virtute magis nobilitate micat.

In

In sepulchro Gudilæ Archidiaconi Toletani, pag. 359.

Gloria Toleti iacet hac sub mole sepultus
Gudila, pars animi dimidiumque mei.
Qui senis a tenerâ mores ætate tenebat,
Et (1) iuvenis fecit hìc iuvenile nihil.
Spiritus in sacro residebat pectore Christi,
Exprimit hunc totum, moribus, ore, manu.
Pauperibus cibus est, viduis solamen, ut ægris
Grata salus: miseris omnibus unus erat.
Mercaris meritis multis, bone Gudila, cælum:
Nos desiderium lancinat usque tui.
Mærentesque vocamus eum, quem sustulit æther:
Prosequimurque piis funera lacrymulis.
Non violas, tenerasque rosas, non lilia cana
Spargimus ad tumulum, sed bona vota, tuum.
Nos ergo e supera prospecta candidus arce;
Teque amor, et moveat, Gudila, cura mei.
Mœnibus a patriis morbos averte, famemque,
Hostilesque minas, dogmata falsa, dolos.
Toleti ne temne preces, comitisque rogatus,
Qui tibi dat carmen sat Iulianus amans:
Ossaque Felicis tua sacrâ condit in æde,
Cuius mens superis est sociata choris.

In sepulchro Regis Wambæ, pag. 360.

Wamba priùs, qui Petrus eras, Missæque minister,
Rex Gotthicæ gentis religione micas.
Sponte tua non affectas Regale cacumen,
Sed subis Imperii grande coactus onus.
Spes tua, conatusque tuus, virtute potentis
Fretus, inauditas res operatus ades.
Nulla perinde tali res gratior usque quiete est:
Cænobium gaudens post sacra sceptra petis.
Septem ibi perpetuos Monachus benè præteris annos,
(2) Inde oblata cælos morte beatus adis.
Felix Wamba tuâ censeris sorte fuisse:
Tam benè qui calcat sceptra, per astra volet.
Septem sceptra tuæ gentis moderaris in annos,
Quæ sinis haud morbi mole, sed ipse libens.

(1) Id. ad diem octavam Martii hunc penthametrum sic legit:
Cui, nisi simplicitas, nil iuvenile fuit.

(2) Id. ibid.
Oblata inde polos morte Beatus adis.

FINIS APPENDICIS OPERUM S. IULIANI.

D. EULOGII MARTYRIS,
ELECTI ARCHIEPISCOPI TOLETANI,
OPERA OMNIA.

MONITUM AD LECTOREM.

Sanctorum Antistitum Toletanorum opera D. Eulogii scripta meritò sequuntur, qui illorum in Toletana Cathedra successor iam designatus, Presbyter Cordubensis occubuit adepta Martyrii palma: Vir plane ab omnibus summa veneratione suspiciendus tamquam singulare Cordubæ patriæ suæ ornamentum, perpetuum Toleti decus, totiusque Hispaniæ lumen, non minus propter virtutis laudem, quàm doctrinæ: quarum alteram vitæ sanctissimè peractæ gloriosus exitus, alteram monumenta, quæ litteris commendata reliquit, abundè testantur: adeo ut qui Eulogium cum magno illo Africano Doctore, inclytoque simul Christi Martyre Cypriano comparaverit, næ is æquus hominum æstimator habendus fuerit. Fac enim unam eloquii asperitatem excipias, quo limatius, ac politius tempora illa minimè ferebant, cetera Eulogium Cypriano facilè exæquaverim: ingenii ubertate, doctrina, eruditione sacra, vehementi fervidoque fidei zelo, animi virtute atque constantia, summo tandem caritatis ardore, sive gloriosa Christi atletharum certamina describere tentet, sive illorum vindicationem adversùs SS. Martyrum obtrectatores suscipiat, sive infirmos ac debiles accendere, nutantes verò confirmare conetur: quo in genere cum omnia fere Eulogii scripta cum laude versentur, tum admirandum omnibus Documentum Martyriale *edidit ad sacras Virgines directum Floram et Mariam ob fidei confessionem in vinculis detentas ipse etiam vinctus in Domino ac teterrimo carcere inclusus: cuius lectione quicumque se moveri neget, ab omni se pietatis fideique sensu oppidò alienum profitetur. Non tam enim humano ingenio elaboratum, quàm divino instillante Spiritu conscriptum videtur illud opus: ut optime de eo pronuntiaverit magnus Annalium Ecclesiasticorum Parens Baronius, sibi videri Eulogium cum Documentum scriberet,* in pixide Spiritus S. calamum intinxisse.

Sunt autem omnia Eulogii opera, ut dicebamus, eiusmodi argumenti, ut vel Martyrum Cordubensium suo tempore certamina narret, vel illorum in sese offerendo prudentiam rectumque zelum defendat; nempe Memoriale Martyrum tribus libris distinctum, Documentum Martyriale, Apologeticum Martyrum, et Epistolæ nonnullæ. Quæ omnia nos hìc edere suscipimus, unà cum S. Eulogii vita ab Alvaro Cordubensi eius familiarissimo

ac-

accuratè conscripta, in qua quæcumque ad Eulogium spectant abundè ac minutim persequitur. Sed bene habet, quòd in eiusmodi labore multo iam antea nos præivit eruditissimus vir Ambrosius Morales, cui multam est quòd habeamus gratiam, quoniam sæculo XVI. Eulogium summa cura edendum suscepit, atque egregiis animadversionibus illustravit. Quare nostra post eum opera fere tota versata est in repurganda Moralis editione a typographorum mendis, quibus est inquinata, ope alterius ab Andrea Scottho Francofurti adornatæ, quæ quamvis et ipsa erroribus scateat, loca tamen in editione Moralis corrupta diligenter habet emendata. Ambas ergo (nullis aliis codicibus manuscriptis adiuti) dum accuratè interse contulimus, effectum est ut nostra integrior ac sanior appareat utrisque. Sed et Ambrosii Moralis notas aliquando nostris auximus, iam textui Auctoris magis illustrando, iam ipsius Annotatoris sententiis explicandis, confirmandisve, aliquando etiam corrigendis: qua in re curavimus ut suum cuique constaret, ne virum doctissimum sua laude fraudaremus.

Verumtamen quoniam illius animadversiones nonnumquam longiores sunt ac fere perpetuæ, lectoris commodo consulentes, hac methodo usi sumus, ut breviores notas ad imam textus marginem subiiceremus, reliquas ad extremum, non uniuscuiusque libri, sed totius operis relegando: in quo illustrium editorum exempla sequimur. Scriptis (quantum licuit) eum locum assignavimus, quem ratio temporis, quo unumquodque elaboratum fuit, exigere videtur: hoc tamen non semper licuit: neque enim tres libros Memorialis Sanctorum a se invicem dividere æquum erat, quamvis non uno tempore fuerint conscripti. Præterea Martyrium SS. Virginum Floræ ac Mariæ, quod antea cap. 8. libri 2. Memorialis Sanctorum conficiebat, e sua sede, ut ita dicamus, evulsum, opportunum putavimus seorsim edere unà cum Documento Martyriali ei præfixo, tum quòd ea historiæ pars non ita cum reliqua narratione conglutinata sit, ut ab ea sine deformitate separari nequeat, tum verò maximè, quòd Documento proximè adhærens apertiùs demonstret quantam divini amoris flammam, ac perituræ huius vitæ contemptum ignita Eulogii verba in virginalibus pectoribus accenderint. Deinde Apologeticum, postremum omnium Eulogii Operum, præcedit epistola ad Wiliesindum Episcopum Pampilonensem, de cuius legitimitate nullo merito dubitasse Pellizerium, Marchionem Mondexarensem, et Maiansium, satis aperte evincit omni argumentorum genere iam sæpius laudatus P. Florez tom. 10. Hispaniæ Sacræ tract. 33. cap. 12. num. 70. et sequentibus. Reliquas epistolas ab Moralesio simul editas nos præfiximus tractatibus quorum causa fuerunt scriptæ; et in Actis Martyrum nonnullas adiicimus notas ex Bollandianis, ut ne hoc deesset in nostra editione.

MO-

MONITUM AMBROSII MORALIS
EDITIONI COMPLUTENSI PRÆFIXUM.

Huius D. Eulogii vitæ duo habuimus exemplaria. Alterum cum Sancti operibus in vetustissimo Ovetensi ad finem cohærebat. Alterum mihi benignè commodaverat Michaël Ruizius Azagra, Serenissimorum Bohemiæ Principum Ernesti et Rodulfi a secretis, adolescens ingenio et litteris ornatissimus, et in pervestiganda omni antiquitate studii et diligentiæ singularis. Fuit is etiam codex litteris Gotthicis in membranis descriptus, et quod multis indiciis apparebat, itidem vetustissimus. Plura continet poëmata, Dracontii nimirum de opere sex dierum libros duos cum Divi Eugenii tertii Archiepiscopi Toletani supplementis: Coryppi grammatici Africani ad Iustinianum Imperatorem libros tres: eiusdem Divi Eugenii epigrammata, et quædam alia. In fine vita hæc Divi Eulogii fuit adnexa. Ovetensis codex nullum titulum habuit huic operi præfixum. Ille alter hunc præferebat, quem apposuimus. Sed Eræ computatio fuit variè in margine signata, cum abraso numero, ut apparebat, alter fuisset suprascriptus. Annus Dominicæ incarnationis rectè fuit signatus. Inde nos et ex Astronomica nostra ratione supputandi (cuius nobis opportunitatem Alvarus ad finem operis, quemadmodum ibi apparebit, præbuit) utrumque rectè signavimus et astruximus. Nomen etiam Regis in titulo mendosè fuit ascriptum. Abderrahgman enim legebatur: cum ipso mortuo, Mahomad eius filius Divum Eulogium, quod ex eiusdem libro tertio constat, martyrio coronaverit: et Alvarus etiam ipsum regem Mahomad nominat. Ipse Alvarus nobilis admodum, et illustri genere videtur fuisse: siquidem Serenissimi titulo ipsum non semel compellat Eulogius. Quòd idem præceptorem suum etiam vocat, humilitatis est prorsus: cum fuerint, ut confestim legenti apparebit, condiscipuli. Quinimo et per catachrisin quamdam Alvarus doctor dicitur, homo laicus et coniugio, quantum coniicere datur, innexus, cui huiusmodi titulus minimè eo tempore poterat competere.

VITA VEL PASSIO
BEATISSIMI MARTYRIS EULOGII,
PRESBYTERI ET DOCTORIS,

Qui passus est Era DCCCXCVII. Anno Incarnationis Domini DCCCLIX. sub Rege Mahomad, die quinto Idus Martii.

AUCTORE ALVARO CORDUBENSI.

Ex Cod. Tol. Azagr. MS. ex edit. Moral. ex Schott. tom.IV. Hisp. Illust. Antuerp. ad XI. Mart. et Florez. tom.X. Hisp. Sacr.

PRÆFATIO.

S. Eulogius Cordubensis.

Beatissimi Martyris et Doctoris Eulogii passionem disponens scribere, priùs vitam eius putavi dirigendam in ordine, quàm sui finis agonem pulcherrimum designare: ut quis vel quantus fuerit ante lectoribus innotescat, et sic deinceps (1) adeptum ex merito palmam victoriæ evidentissimis (2) clarescat indiciis. In cuius operis principio Domini fretus et Redemptoris nostri auxilio, profiteor me non audita et dubia, sed visa et per me probata retexere; quoniam, gratia Dei cooperante, a primævo adolescentiæ flore caritatis dulcedine, et Scripturarum amore uno vinculo concordi innexi, huius vitæ, licèt non pari ordine, tamen pari affectu in cunctis quæstionibus duximus iugum. Sed ille Sacerdotii ornatus munere, pennis virtutum in sublime evectus, altiùs evolabat; ego luxuriæ et voluptatis luto confectus, terra tenus repens hactenus trahor. Et inde est, quòd non incerta, et quorumcumque hominum narratione comperta, sed mecum gesta, et per me cognita narrare disposui. Quia sicut de incertis temerè referre sententiam, periculosum fore profiteor; ita de cognitis subprimere ea quæ (3) nosci debent, vacuum periculis esse non reor. Est quoque et laudabilis pro exemplo prædicanda omnibus veritas, et nihilominus detestanda Rhetoricorum composita falsitas. Quoniam melius est de multis præclaris nihil facinoribus dicere, quàm ex parvis bonis multa (4) falsa disserere: tutiusque est, omnia quæ gesta sunt, præterire, quàm ea quæ non (5) fuerunt, aliqua fingere. Et mitiùs errat, qui non malitiæ voto, sed se-

Vide Schol.

Alvari admodum familiaris.

(1) Ita MS. editi verò *adeptam*.
(2) Iid. *elucescat*.
(3) Schottus in margine: *nori debentur*, ut MS.
(4) MS. *falsè*.
(5) Schott. in marg. *fuerint*, ut MS.

segnitiæ fastu vera subprimit, eo qui dissertè falsa confingit. Veritas enim, si studio veritatis, et non vanæ gloriæ iactantia dicitur, dicenti coronam implodit; falsitas autem si ab aliquo intentatur, coniectantem occidit. Et ideo sicut me veritatem dicentem remunerandum esse congaudeo, ita falsitatem si dixero, condemnandum esse non nego. Quibus ergo causis ad falsitatem retexendam insilirem, ipse non habui, qui veritatem in omnibus, non mendacium, remunerari cognovi.

CAPUT I.

S. Eulogii pia educatio, studia, Sacerdotium, titulus Doctoris, notitia cum Alvaro vitæ scriptore.

Eulogii nobilitas et educatio.

2 Igitur beatus Martyr Eulogius nobili stirpe progenitus, Cordubæ civitatis Patriciæ Senatorum traduce natus, Ecclesiæ ministerio (1) mancipatus, sancti ac beatissimi Zoyli æde deserviens, et in eiusdem Collegio Clericorum vitam deducens, multis et clarissimis virtutibus floruit, magnis et laudabilibus operibus viguit. Ab (2) ipsis enim incunabulis litteris ecclesiasticis hærens, et quotidie per studia bonorum operum crescens, perfectionem adeptus est, ac super omnes coætaneos doctrinæ scientia clarens, et eruditionis lumine florens, magistrorum doctor est factus. Quippe qui mentem senilem parvissimo corpore gerens, vincebat etsi non ætate, certè scientia universos. Erat (3) enim studiosissimus Scripturarum scrutator, et intensissimus sententiarum investigator. Ita ut nihil Scripturæ præponeret sanctæ, nihil magis eligeret, quàm in lege Domini meditari die ac nocte. Nec contentus magisterio doctorum suorum, alios, si quos fortè audiret, procul positos requirebat: et ne offenderet proprios, furtim se horis, quibus poterat, subtrahebat. Nam et Abbatem bonæ recordationis et memoriæ Speraindeum, (4) opinabilem et celebritate doctrinæ præconabilem virum sæpius invisebat, auditorioque more ex illius ore dissertissimo dependebat. Qui ipso tempore totius Bæticæ fines prudentiæ rivulis dulcorabat. Ibi eum primitus videre merui, ibi eius amicitiæ dulci inhæsi, ibi illi individua sum nexus dulcedine. Eram namque iam dicti inlustrissimi viri auditorum: et dum frequentiùs eius lumina tererem, inculumque ingenium acuerem, tandem respectione divina huius tanti viri societate coniungor. Et catenatim (5) inadibili nexu non in-

Vide Schol.

Ecclesiæ ministeriis ipse studet.

V. Schol.

Sacram Scripturam scrutatur.

V. Schol. *Speraindeum Abbatem sibi Doctorem eligit.*

In notitiam Alvari familiarem venit.

(1) Edit. *mancipatur.*
(2) MS. *ipso.. . incunabulo.*
(3) Schott. *autem*, ut in MS.
(4) Hispanismus, ait Schottus, pro *magnæ opinionis*: ut paulò inferiùs in passione *opinatissimum* Eulogium dicit.
(5) Ita MS. et Schottus, pro *insolubili*, ut Morales. Duplex quidem apud Alvarum, inquit rectè Florezius, vocis *inadibilis* notio apparet: una pro *inaccessibili*, ut dum ad finem dicit huius numeri, *Multa inadibilia tentare ex Scripturis*; altera pro *stabili*, ut ait ad num. 5. *Hic tamen inadibilis numquam vacillare*, id est, *stabilis, firmus, immutabilis*: qua etiam notione licuit ei dicere, *inadibili nexu*, quin opus sit vocem loco movere cum Morali.

innector tantùm, sed unior: factique sumus auditores viri, inquisitores veri, amatores nostri: in tantum, ut illa ætas indocta sibi non concessa præsumeret. Agebamus utrique Scripturarum delectabilem lusum, et schalmum in lacu nescientes regere, Euxini maris credebamur fragori. Nam pueriles contentiones pro doctrinis, quibus dividebamur, non odiosè, sed delectabiliter epistolatim in invicem egimus, et rhitmicis versibus nos laudibus mulcebamus. Et hoc erat exercitium nobis melle suavius, favis iucundius, et in ante nos quotidie extendentes, multa inadibilia tentare (1) in Scripturis, puerilis immatura docibilitas coëgit. Ita ut volumina conderemus, quæ postea ætas (2) matura abolenda, ne in posteros remanerent, decrevit.

Et mutuo studio excitatur.

3 Sed (3) cum iam annos iuventutis adtingeret Eulogius, Diaconii ministerio fungitur, atque in brevi meritò vectus ad superos, gradu Presbyterii sublimatur: moxque magistris ordine et vitæ moribus sociatur. Quanta illi humilitas, quanta bonitas, quanta inhæserat caritas, amor omnium ostendebat. Ex hinc cœpit se acriori vitæ austeritate constringere, et modestiæ legibus in universis actionibus perornare: Scripturis vacare divinis, et corpus suum vigiliis ac ieiuniis castigare, Monasteria frequentare, Cœnobia invisere, regulas fratrum componere. Hinc inde cuncta eo modo curare, quo si fieri posset, utrobique adesset. Ita Clericatum agens proprium, ut regularem ordinem non dimitteret alienum: ita Monachis adhærens, ut Clericus probaretur: ita in Clero degens, ut Monachus videretur, (4) et utrobique aptus adcurrens, et utrarumque professiones unus sufficientissimè complens. Currebat sæpius ad Cœnobiorum sacratissimos greges; sed ne proprium ordinem contemnere putaretur, ad Clerum (5) iterum remeabat: in quo dum aliquod tempus persisteret, ne virtus animi curis sæcularibus enervaretur, itidem Monasteria repetebat. Hîc doctrinâ oris Ecclesiam ornans, illic vitam propriam (6) excutiendo decorans, in (7) cunctis virtutibus positus, viam sæculi mœrens incedebat et anxius: et quotidie ad cælestia volare cupiens, corporea sarcina gravabatur. In tantùm ut Romam ire disponeret, ut adolescentiæ nævos lacrymis, et peregrinationis itinere (8) domaret, immò domitos deleret: sed ecce omnes hinc inde insistimus, et eum magis corpore quàm animo retinemus.

Fit presbyter, et doctor constituitur.

Versatur cum Clericis et Monachis.

Proponit Romam peregrinari.

(1) Schott. *ex* Scripturis... *egit*, ut MS.
(2) MS. *matura*: Morales *mutata*: Schott. *muta*. Antuerpienses *multa*. Omnibus potior est lectio MS. qui postea *abluenda* pro *abolenda* habet.
(3) Schott. *dum annos*, MS. *dum annis*, et non habet, *Eulogius*, nec *iam*.
(4) Deest *et* in MS.
(5) Deest *iterum* in edit.
(6) MS. *exculpendo*.
(7) Id. *tantis*.
(8) Id. *prædomaret*.

CA-

CAPUT II.

S. Eulogii captivitas, liberatio, Martyribus constantia data: acta conscripta.

V. Schol. 4 Verùm dum ista et alia referuntur, tandem Reccafredus Episcopus super Ecclesias et Clericos quasi turbo violentus insiluit: omnesque Sacerdotes, quos *Carceri cum aliis mancipatur.* potuit, carcerali vinculo alligavit. Inter quos ut electus aries ducitur, et cum Pontifice suo, vel aliis Sacerdotibus vincîtur. In qua retrusione magis orationibus et lectionibus operam dedit, quàm vinculis. Ibi sanctis Virginibus Floræ et Mariæ pro fide comprehensis illud Documentum Martyriale uno libro composuit, in quo eas ad mar- *Confortat ad martyrium SS. Floram et Mariam.* tyrium [1] nervis tenacissimis solidavit, easque et per se verbis, et per epistolas mortem contemnere docuit: seque suosque socios earum suffragiis vinculo solvendos commisit, quod et obtinere mox post sextum diem passionis earum promeruit. Nam illæ octavo Kalendas Decembris expleverunt martyrium; Sacerdotes verò Domini tertio Kalendarum earumdem solutionem adV. Schol. epti sunt. Extat super hoc inlustriore [2] stylo confecta, et mihi his diebus directa epistola, pas- *Vitam illarum scribit.* sionem earumdem Virginum, et ereptionem Sacerdotum ipsarum Virginum meritis continentem. Ibi metricos, quos adhuc nesciebant sapientes Hispaniæ, pedes perfectissimè docuit, nobisque post egressionem suam ostendit. Inde [3] et mihi pro libris illis, quos in defensionem Martyrum [4] dederat, epistolam facundo locutionis genere dictatam direxit. Nam cum omnes, qui cum eo erant Sacerdotes, vacarent otio et quieti, ille non noctibus, *Numquam otiosus.* non diebus a lectione cessabat, noctes diesque ingeminans, [5] et Scripturarum mella lambens, [6] ore et corde spiritaliter ruminans. V. Schol.

5 Verùm operæ pretium reor, si paulò altiùs incedentes, tempore persecutionis [7] qualiter probatus extiterit, inseramus. [8] Nam *Martyrium aggressuros roborat.* dum Episcopi, Sacerdotes, Clerus, et sapientes Cordubæ in martyrio nuper exorto devio calle incederent, ac timoris impulsu penè fidem Christi, si non verbis, nutu tamen negarent; hic tamen inadibilis numquam vacillare vel tenui est visus susurro. Sed omnibus pergentibus ad agonem occurrens, universorum animos roborans, cunctorumque ossa venerans et componens, in tantum ardescebat ardore [9] martyrii, ut ipse incentor ipsis diebus videretur esse [10] martyrum. Pro quo rectitudinis zelo multis extitit contumeliis propulsatus, ma-

(1) Ita MS. sed edit. *verbis.*
(2) In MS. deest *stylo*, particulaque *et* sequens. (3) Edit. *etiam.*
(4) MS. *dederam.* Quæ lectio si probaretur, satis firmo argumento esset, Indiculum Luminosum scriptum ab Alvaro in Martyrum defensionem.
(5) Deest *et* in edit. extat in MS.
(6) Edit. *et ore*, deestque in eis *spiritaliter.*
(7) MS. *qualis.*
(8) MS. pro *Nam*, habet *Denique.*
(9) Edimus hunc locum, ut MS. et Schott. et Antuerpienses; cum Florezius perperam habeat: *in tantum ardescebat: ut dote martyrii et ipse incentor, &c.*
(10) MS. *martyrii.*

magnisque terroribus fatigatus. Nam unus ex proceribus illum impetens, et minis exasperans, divino iusto iudicio in reprobum sensum conversus, fidem, quam tenens nescius impugnabat, mox miser et stultus amisit. De quo pleniùs in libro Memoriale Sanctorum tertio iam dictus beatissimus disputavit. In quibus libris et passiones singillatim martyrum claro fonte locutionis explicuit, et prosecutione sufficienti quæcumque acta sunt in martyribus (1) Dei et dicta sequuturis generationibus propallavit. Quantus autem, vel quàm excellens fuerit scientia, luce clariora eius pandent opuscula, quæ sale Attico et prosatico lepore, immò divina inspiratione composuit.

Acta Martyrum scribit.

6 Sed redeundum est ad Reccafredi Episcopi tempora, et qua arte a sacrificio se suspenderit, ne eius glutinaretur errori, proferendum. Namque ipsis diebus cuncti ei (2) et vi et potestate addicti, iussu regio subditi, iniquo videbantur hosti adiuncti: et qui priori insurrectione adversi et erecti contra eum (3) steterant, tunc terrore (4) conciti, quasi familiares hærebant, non mente, sed corpore; nec dilectione cordis, sed compulsione terroris; et ne aditus ei (5) nocendi daretur in amplius. (6) Ita quoque Rex contra nos desæviens legibus necessitatem induxerat, et liberum arbitrium interpollans, omnes truci subdiderat hosti. Cuius historiæ veritas in alio opere enucleatiùs disseretur.

V. Schol.

Plevisque furori Regis cedentibus.

7 Nunc verò huius admirabilis viri tantùm enodare sanctissimam cupimus artem. (7) Is enim gravi instinctu doloris, dum undique circa se dolosum cerneret ipsius Episcopi grassari ingenium, et ceteros (8) secum ei communicantes deprehenderet, nec resistendi sibi copiam inesse videret, nec amovendi licentiam (utpote fideiussoribus (9) datis) (10) remanere sibi conspiceret; cœpit se gravi adrerere gemitu, magnoque (11) ut diximus, intrinsecus mactari dolore. Sed nutu Dei contigit, ut quadam die præsenti Episcopo Beati Epiphanii Cypriæ Salaminæ Episcopi, Ioanni Episcopo Hierosolymitano directa Epistola legeretur, quam (12) ego cuidam Diacono præceperam legere: in qua idem Beatissimus Pontifex Origenis nænias arguens, et ordinationem cuiusdam Presbyteri in Monasterio iam dicti Hierosolymitani (13) adsignato a se consecrati defendens, cau-

Prudenti constantia utitur.

V. Schol.

V. Schol.

V. Schol.

(1) Ita MS. editi verò *Domini*.
(2) Deest in MS. *et*.
(3) Non bene in edit. *steterunt*.
(4) Schott. *concisi*, ut MS.
(5) Edit. *amplius nocendi daretur*.
(6) MS. *Ira.... Regis*.
(7) Schott. *Qui*, ut MS.
(8) Deest *secum* in edit.
(9) *Vadium interventu*, inquiunt hîc Antuerp. post Moralem, *non poterat seiungi a Reccafredo Eulogius e vinculis exemptus*.
(10) Schott. *imminere*, ut MS.
(11) Deest, *ut diximus*, in edit.
(12) Ex hoc loco inferunt Antuerpienses, Alvarum in aliqua dignitate ecclesiastica constitutum fuisse, utpote qui præceperit Diacono epistolam legere. Sed Morales, Nicolaus Antonius et Henricus Florez eum credunt coniugio adstrictum: qua de re nos dubii hæremus, quia parùm firma iudicamus illorum argumenta, et aliunde non satis perspecta res apparet ex ratione Antuerpiensum.
(13) Deest in edit. *adsignato*.

causam ordinationis retexuit, Beatissimorumque Presbyterorum Hieronymi et Vincentii continentiam sacrificandi laudando [1] innexuit. Quam narrationem tum iam dictus Eulogius avida mente magis arripiens, quàm suscipiens, et sibi a Deo datam occasionem cognoscens, ingenti vulnere quasi percussus, ab intimo corde trahens suspiria, meque intuens, conversus Episcopo dixit: " Si lucernæ Ecclesiæ, et „ fidei nostræ hoc egerunt co- „ lumnæ, quid nobis facere con- „ venit, quos delicti onera gra- „ viter deprimunt, et affligunt? „ Cognoscat ergo vestra paterni- „ tas, interdictam a me ipso mihi „ sacrificandi licentiam." Sicque huiusmodi ingenio tempore Reccafredi se ipse suo ligavit arbitrio. Cuius professionis licèt hoc modo ordinem sumeret, delectabili tamen [2] usu perfunctus, nolebat postea statum reiectum recipere. Sed Pontifex proprius in tantum eum [3] admissum officium sacrificandi compulit repedare, ut eum anathemate ferire non vereretur, nisi citiùs redire promitteret.

Exemplo S. Hieronymi.

Interdixit sibi licentiam sacrificandi.

CAPUT III.

S. Eulogii doctrina et virtus, peregrinatio, electio in Archiepiscopum Toletanum.

Summa eruditione præditus.

8 Et erat vir ille in omnibus professionibus principaliter et non mediè decoratus, cunctis ex æquo deserviens; et cum præiret omnes scientiâ, humilior certè etiam infimis videbatur. Clarus vultu, et honore præcipuus, eloquentiâ fulgidus, et vitæ operibus luminosus. Incitator Martyrum et laudator, tractator peritissimus et dictator. Quis ardorem ingenii, quis decorem eloquii, quis fulgorem scientiæ, quis affabilitatem usualem officii quocumque poterit prudentiæ [4] dicere flumine? Quæ enim illi non patuere volumina? Quæ potuerunt eum latere ingenia Catholicorum, Philosophorum, hæreticorum, necnon et Gentilium? Ubi libri erant metrici, ubi prosatici, ubi historici, qui eius investigationem effugerent? Ubi versus, quorum ille ignoraret canora? Ubi hymni, vel peregrina opuscula, quæ eius non percurreret pulcherrimus oculus? Quotidie enim nova et egregiè admiranda quasi a [5] ruderibus et fossis effodiens, thesauros elucidabat invisos. Quanta docibilitas tam pretioso munere ornatæ [6] inesset animæ, quanta et inexhausta cura solertiæ, nullus sapiens comprehendere poterat. Et ô admirabilis suavitas mentis! numquam privatim scire aliquid volens, nobis omnia præstabat. Vitiata corrigens, fracta consolidans, inusitata restaurans, antiqua repriorans, neglecta renovans, et quæque poterat ex antiquis viris gesta [7] petere, satagebat operibus adimplere. Severitatem Hieronymi, modestiam Augustini, lenitatem Ambrosii, patien-

Adiunxit summam in omnibus virtutem.

(1) Edit. *intexuit.*
(2) Schott. *usitate* ut in MS.
(3) Moral. *amissum*: Antuerp. *omissum.*
(4) MS. *elicere*, aut *edicere.*
(5) Id. *iugeribus.*
(6) Schott. *inerat*, ut MS.
(7) Schott. et Antuerp. *competere*, ut MS.

tientiam Gregorii in corrigendo errores, in sustentando minores, in demulcendo maiores, in sufferendo [1] horrores, unus idem se multipliciter [2] varium exhibebat.

9 Nec ei suffecit Monasteria patriæ suæ invisere, quin potiùs occasione fratrum suorum, qui ipsis diebus in Franciæ finibus exulabant, indeptam viam arripuit, et in Pampilonensium territoria ultro progrediens, Monasterium Sancti Zachariæ ingressus, et aliorum Cœnobia ipsarum regionum gliscenti voto percurrens, multorum patrum est amicitiâ dulcoratus. Quorum conversationem in Epistola, quam Episcopo Pampilonensi in carcere positus dedit, nominatim locatimve digessit. In quibus locis multa volumina librorum reperiens, abstrusa et pene a multis remota, [3] hûc remeans, suo nobis regressu adduxit. Ibi Beati Odoarii est fruitus conloquio, cui centum quinquaginta Regulares Monachi militabant. Inde secum librum Civitatis Beatissimi Augustini, et Æneidos Virgilii, [4] sive Iuvenalis metricos itidem libros, atque Flacci [5] satyrata poëmata, seu Porphirii depicta opuscula, vel Adhelelmi epigrammatum opera, necnon et Avieni fabulas metricas, et Hymnorum Catholicorum fulgida carmina, cum multis minutissimarum causarum ex sanctis quæstionibus multorum ingenio congregatis, non privatim sibi, sed communiter studiosissimis inquisitoribus reportavit. Idem præterea fulgorem operis et coruscationem ingenii resplendentibus semitis præsentialiter cunctis [6] præsentibus, et usualiter sequentibus, specificis semper ostentans indiciis, et luminosis deducens vestigiis, ubique lucidus gradiens, undique fulgidus rediens, limpidus, dulcorosus, nectareus, Christi coronatus emicabat omnibus famulus.

V. Schol.

Proficiscitur in Naturam.

Adfert plurimos libros.

V. Schol.

V. Schol.

10 Nec illud omittendum in hoc opere reor, quòd post divinæ memoriæ Wistremiri Toletanæ Sedis Episcopi in eamdem Sedem ab omnibus comprovincialibus, et confinitimis Episcopis electus, et dignus est habitus, et pro relatu omnium comprobatus. [7] Sed dispositio divina, quæ eum sibi ad martyrium reservabat, quibusdam repagulis obviavit. Cumque iam ipsa commu-

V. Schol.

Eligitur Archiepiscopus Toletanus.

Meritis ad marty

(1) Schott. *sorores*: quam lectionem MS. admittit, cum dicat, *in sufferendos orores*.

(2) Deest *varium* in MS. et pronomina *se*, *ei*, et præpositio, *in* ante verba *Franciæ*.... *Pampilonensium*.

(3) Nisi codex alter Ovetensis quo usus fuit Morales, et cuius meminit in Monito ad Lectorem, hunc locum ita legebat, plurimùm in eo sensui proprio indulsit, cum Azagrensis Codex sic locum habeat: *hic remeans suo nobis in sacratissimo pectore conlocavit*.

(4) *Sive*, *seu*, *aut*, pro *et* frequentissimè usurparunt medii ævi Scriptores, ac proinde perperam in edit. hic repositum fuit *et*.

(5) MS. edit. Moral. et Antuerp. *saturata*. Vide Schol.

(6) Minus rectè hîc Moral. *sequentibus*.

(7) Ex hoc unico Alvari testimonio quo constat Eulogium electum fuisse Præsulem Toletanum, nemo non videt quantum desipuit Fabricius tom. 2. Bibliothec. Latin. Med. et Infim. Ætat. pag. 123. edit. Patav. 1754. in not. (*c*) scribens: *Quòd.... alii Archiepiscopum Toletanum* (Eulogium) *faciunt, neutiquam idoneis argumentis constat*. Quod enim argumentum magis idoneum testimonio Alvari, quem Fabricius haud ignorabat vitam Eulogii scripsisse, ut patet tom. 1. eiusd. Bibliothec. pag. 75?

munis electio eum sibi consecrare in Episcopio adclamaret, rerum obviantium adversitate impediti, alium sibi eo vivente interdixerunt eligere. Qui licèt argutè frustraretur ab ordine, tamen non est privatus eiusdem ordinis munere. Siquidem Episcopatum cælestem adeptus est, dum per martyrii gloriam Christo coniunctus est. Omnes namque Sancti Episcopi, non tamen omnes Episcopi Sancti. Ille verò sanctitatem per cruoris fusionem inveniens, Episcopii ordine fungitur, dum cælo (1) tenus receptus, æternis promissionibus muneratur.

Meritis promovetur ad martyrium.

11 Cumque his virtutibus et dogmatibus insigniretur, et omnibus quasi lucerna super candelabrum posita, ac veluti civitas in montis (2) sita cacumine procul altius emicaret, et ut doctus scriba de thesauro domini sui nova et vetera universis familiis prævideret, in Sacerdotibus primus, in Confessoribus summus, in iudicibus residens non extremus: tandem voti compos effectus, divina sibi cooperante clementia inopinato iudicio, sed deliberativo studio evectus est ad superna. Et ea quæ a martyribus fusis postulaverat lacrymis, et per (3) tota sua opuscula more sparserat precis, obtinere meruit operibus sanctitatis. Quod veriùs poterit noscere, qui ipsa eius egregia opera curaverit legere. Et quoniam expedit, et dignum nobis visum est pro utilitate legentium, et pro annuo festivitatis suæ recursu, passionem eius breviter explicare; ideò sequestratim, purè et sinceriter agonis sui pulcherrimum induximus finem. V. Schol.

CAPUT IV.

Nova in christianos sub rege Mahomete persecutio. S. Leocritia ab Eulogio eiusque sorore instructa et adiuta.

12 Tempore igitur, quo sæva dominatio Arabum calliditatis astu omnes fines Hispaniæ miserè devastabat, quo Rex Mahomad incredibili rabie et effrænata (*) sententia Christicolum genus delere funditus cogitabat, multi terrore cruentissimi Regis metuentes, eiusque insaniam modificare nitentes, per trucem voluntatis iniquæ officium diversis et exquisitis occasionibus gregem Christi impetere tentaverunt. Plerique Christum negando se præcipitio commisserunt: alii duris tormentis agitati, commoti sunt. Porrò alii florenti virtute stabiliti sunt, et fundati. In cuius (ut diximus) tempore martyrium fidelium coruscando resplenduit, et error negantium fluctuavit. Nonnulli enim, qui fidem Christi tantùm mentibus retinebant, instinctu Dei quod celaverant, luminositer et patulè proferebant, nullo disquirente ad martyrium prosilientes, et coronam sibi ex tortoribus rapientes. Ex quibus Arabs genere Beatus Christophorus extitit, cuius passionis ordinem ali- V. Schol.

(*) fors. *sævitia*, ut visum est Antuerpiensib.

In persecutione Mahomad.

Aliis deficientibus.

V. Schol. *Martyrium subierunt SS. Christophorus, Aurelius, Felix, Flora.*

(1) Deest *tenus* in Moral. et Antuerp.

(2) Deest *sita* in Moral.

(3) Etiam et *tota*.

bi digerere cogitamus. Sed ex eorum numero Beatus Aurelius et sanctus extitit Felix, qui cum uxoribus ad passionis gloriam post multa et prolixa latibula prodierunt. Ex ipsis etiam florens virtutibus Flora virgo beata, quæ contemnens sæcularem labilem pompam, æternam meruit sine fine coronam. Quorum hic noster sanctissimus Doctor agonem singillatim exposuit, et actus vitasque corusco sermone explicavit.

S. Leocritia in fide Christi instruitur.

13 Hoc tempore puella nomine Leocritia quædam, genere
V. Schol. nobilis, mente nobilior, ex Gentilium fæce progenita, et ex luporum visceribus prodita, dudum (1) per quamdam sibi genere proximam Christo dicatam no-
V. Schol. mine Litiosam, aquis salutaribus tincta, et occultè fide Christi induta enituit, odoremque nectareum notitiæ suæ cunctis adsparsit. Etenim cum ad iam dictam religiosam in annis infantiæ more propinquitatis recurreret, eamque quibus illa sermonibus poterat, quotidie instrueret, tandem respectione cælesti fidem Christi mente suscepit, et ardore amoris susceptam pectore conservavit. Quæ dum ad annos sapientiæ veniret, et scientiæ contingeret lumina, fidem illam, quam tenerrimis institutis (2) occultè didicerat, quotidie fomentis spiritualibus auctam, in amplius crescentem alebat, primùm occultè, dein-

A parentibus dire verberatur.

ceps patulè et apertè. Quam parentes sedulè admonentes, et nihil omnino proficientes, conati sunt eam flagellis et verberibus impetere, ut quam per blandimenta amovere non poterant, saltim terroribus coërcerent. Sed ignis ille, quem Christus in corda fidelium misit, nullis minis cedere novit. In hoc conflictu dum diebus vapularet et noctibus, seque acerrimis impetiendam ultionibus et (3) duris vinculis præpeditam videret, metuens ne non propalata publicè fide, cauterio ureretur perfidiæ; per internuntios Beatissimo Eulogio, *S. Eulogium consulit.* opinatissimo iam multis talibus operibus viro, vel sorori eius Anuloni, virgini Deo dicatæ, cau- V. Schol. sam suam innotuit: et quia ad tutiora loca fidelium, in quibus fidem suam posset interrita propallare, ire vellet, exposuit. Illico Beatus Eulogius solitum officium recognovit: et ut erat fautor anhelantissimus Martyrum, hanc exire clam per eosdem internuntios (4) ordinavit. Illa concitè artem fingens, et parentibus quasi consentiens, nostramque fidem verbis impetens, et data (5) opera omnia selecta ornamenta induens, seque more illorum quasi placitura et nuptura sæculo ostendens, nisa est eorum inflectere animos, et sibi exosos comere (6) gressus. Cumque sibi o- V. Schol. mnia iam tuta inesse prospiceret, ad nuptias quorumdam propinquorum suorum, quæ ipsis agebantur diebus, fingens, ut eidem officio congruit, ornatè procedere, celeri cursu se Beatissimo Eu-

(1) MS. *a quadam... proxima... dicata.*
(2) Deest *occultè* in Moral.
(3) Schott. *diris*, ut MS.
(4) Moral. *ordinavit, illam concitè, &c.*
(5) Schott. *ex opere*, ut MS.
(6) Moral. *gressos*, ut MS.

Fugit ad eum, et sororem Anulonem.

Eulogio, vel sorori eius Anuloni tutandam exhibuit. Quam mox grato animo suscipientes, occulendam probatissimis tradiderunt amicis. At ubi pater eius et mater expectantes filiam non viderunt, delusos se ingemiscentes, rabie inaudita et dolore inviso (1) se ipsos cruciantes, cuncta disturbant, universa contaminant, currentes per ignotos et cognitos, et potestativè, ac iussione Præsidis, (2) quoscumque impetendos putabant, carceribus et vinculis onerabant; viros, mulieres, Confessores, Sacerdotes, devotas, vel quos poterant flagellis et carceribus affligebant, si quo modo possent filiam suam per hæc et ampliora recipere. Ille verò Sanctus immobilis ei loca diversa mutabat, et ne traderetur ovis luporum in manibus, omni intentione curabat. Illa tamen ieiuniis et vigiliis insistens, et cilicio membra tegens, vel pulvere cubans, severè membra corporis elimabat. Sed et vir beatissimus cum reverentia nominandus Eulogius nocturnas vigilias adpetens, et in Basilicam Sancti Zoyli terra tenus (3) prostratus orans, noctes insomnes ducebat, auxilium Domini et fortitudinem virgini imprecans, (4) et se per hæc exercitia Domino consecrans.

Occultatur in latibulis.

Aliis propter ipsam dira passis.

V. Schol. *S. Eulogio pro ea orante in Basilica S. Zoyli.*

14 Inter hæc virgo serenissima Beati Eulogii germanam, quam ardenti desiderio diligebat, videre voluit, et ad eorum habitacula nocte devenit, revelatione Domini provocata, et aviditate (5) consolationis perducta, ut uno die tantummodo cum eis moraretur, et iterùm ad solita latibula repedaret. Quibus et retulit, sibi una et alia vice oranti liquore mellis os repletum fuisse, (6) quod se non ausu temerario expuisse, sed inglutiisse, crassi elementi admirando speciem, referebat. Cui ille Sanctus hoc esse præsagium, regni cælestis dulcedinem perfruendam, disseruit.

Redit ad Eulogium tuique germanam.

CAPUT V.

Martyrium S. Eulogii et Leocritiæ. Corporum sepultura.

Verùm dum alio die (7) redire virgo disponeret, actum est, ut comes itineris non hora sueta, sed inlucescente aurora veniret. Nec potuit aditum exeundi habere, quippe quæ nocturno tempore pro evitandis insidiis solebat incedere. Provisum est, ut eadem die usquedum sol metam sui luminis terræ subduceret, et nocturnæ tenebræ quietudinem optatam indulgerent, virgo Dei, eo quo manebat loco, persisteret. Humano quidem consilio, sed divino retinebatur iudicio: ut et suam sibi coronam, et Beato Eulogio imponeret gloriæ diadema. Nam eo die, nescio cuius instinctu, quorumve insidiis et proditione locus Præsidi latibuli indicatur, et a militibus ad hoc missis ex improviso omnis illa eorum habitatio circumdatur. Actum-

(1) Deest in MS. *se ipsos.*
(2) MS. *quosque.*
(3) Deest in MS. *prostratus.*
(4) Id. *et semper.*
(5) Id. *conlationis.*
(6) Sch. *quod illa se*: MS. *illa ausu temerario non se expuisse*: Antuerp. *quod ista se.*
(7) MS. *ire.*

que est, ut electus et prædestinatus Martyr præsentialiter adfuisset. In cuius præsentia iam dictam virginem educentes, eumque unà pariter comprehendentes, verberantes, multisque contumeliis affligentes, iniquo Præsidi, et scelerato iudici præsentarunt. Quem mox iudex per flagella occidere cogitans, truculento vultu et impatienti animo vehementi furore accensus, furiosis verbis interrogat, virginemque cur domo retinuerit, minitando disquirit. Cui libentissimè et patientissimè more loquutionis suæ splendidè rei veritatem hoc ordine pandit. " Præ„ ses, ordo nobis prædicationis „ iniunctus est, et nostræ hoc fi„ dei convenit, ut disquirentibus „ a nobis lumen fidei porriga„ mus, nullique ad vitæ itinera „ properanti, quæ sancta sunt, „ denegemus. Hoc Sacerdotibus „ competit, hoc religio vera de„ poscit, hoc etiam Christus Do„ minus noster nos docuit: ut „ quisquis sitiens (1) fidei haurire „ flumina voluerit, in duplo po„ tum inveniat, (2) potiùs quam „ quæsivit. Et quoniam hæc vir„ go fidei sanctæ regulam a no„ bis inquirere visa est, necessa„ rium extitit, (3) ut illi nostra eò „ se libentiùs adplicaret intentio, „ quo eius in amplius incendere„ tur affectio. Nec decuit talia „ desiderantem reiicere, præser„ tim illi, qui ad hoc Christi „ electus est munere. Unde et „ ut posse mihi extitit, inlustra„ vi, et docui: et fidem Christi „ viam regni esse cælestis expo„ sui. Quomodo et tibi, si me „ disquirendum putasses, liben„ tissimè facerem." Tunc præses turbido vultu virgas inducere iussit, eum minitans flagellis perimere. Cui Sanctus dixit: " Quid „ istis virgis exercere cupis? „ Animam (inquit) tuam per has „ educere volo. Gladium (ait) „ acue et compone, pro quo ani„ mam a vinculo corporis expe„ ditam ei reddas, qui dedit. „ Nam flagellis membra dissecа„ re non æstimes." Et mox clara invectione et sufficienti eloquio falsitatem vatis sui et legis improperans, et prædicationis verbum ingeminans, sub omni velocitate palatium ducitur, et ad regis consiliarios usque pertrahitur. Ubi unus ex ipsis illi familiarissimè notus, compatiendo insiluit. " Si stulti (inquit) et „ idiotæ in hanc mortis deflen„ dam ruinam devecti sunt, tu „ sapientiæ decore præcinctus, „ et vitæ moribus inlustratus, „ quæ te dementia huic mortife„ ro casui, obliterato natura„ li (4) vitæ amore, committe„ re compulit? Audi me ob„ secro, et ne præcipiti casu „ corruas rogo. Dic tantùm ver„ bo in hora huius tuæ necessita„ tis, et postea tua, ubi potue„ ris, utere fide. Promittimus te „ (5) nuspiam inquirendum." Cui Beatissimus Martyr subridens: " O

Capitur Eulogius cum Leocritia.

Præsidi rationem dat instructa a se Leocritia.

Minas virgarum spernit.

Ad palatium trahitur.

V. Schol. *Nec vel semel fictè ut vitam servet vult loqui.*

(1) MS. *fidem.*
(2) Ita MS. sed Florez. et Antuerp. *in duplo potum inveniat potiùs, quam quem quæsivit*: in Moral. deest *potius quam.*
(3) MS. *ut illa nostra eo libentius sibi adplicaret.*
(4) MS. pro *vitæ amore*, habet *vigore.*
(5) Id. *uspiam.*

"O (inquit) si scire potuisses, „ quanta fidei nostræ cultoribus „ (1) maneant reposita! Aut si „ possem quod meo retineo, tuo „ committere pectori; tunc iam „ non me a proposito revocare „ (2) conareris, sed libentiùs te ab „ hoc mundiali honore amovere „ cogitares." Et cœpit eis Evangelii æterni verbum porrigere, et prædicationem regni constanti libertate infundere. Qui illico eum nolentes audire, gladio iubent transfigi. Cumque duceretur, unus ex eunuchis regis alapâ eum percussit. Cui ille alteram faciem præparans, "Obsecro „ (inquit) ut hanc iterum verbe„rando, priori coæques." Quam cum secundò feriret, ille patiens et mitis iterum priorem paravit. Sed impetu militum ad locum occisionis deducitur, ubi genua in oratione curvans, et (3) manus ad cælos extendens, signoque crucis totum se muniens, paucis verbis intra se orans, cervicem mucroni tetendit, et celeri ictu mundum contemnens, vitam invenit. Complevit martyrium suum quinto Idus Martii, die Sabbato, hora nona. Et o felicem et admirabilem nostro sæculo virum, qui et præmissit in multis sui operis fructum, et reliquit in virgine se sequendum! Secum victoriæ vexillum manibus elevans, et manipulum laboris sui pro se Domino libans, oblationem puram, et pacificas hostias offerens, et in se, quæ alios docuerat, Christo rerum Domino repræsentans. Mox verò ut proiectum est cadaver e loco eminentiori in ductum alvei, columba miro candore nivescens, videntibus omnibus, secans aëra pennis, super corpus Martyris aligerans sedit. Quam omnes missibilibus petris hinc inde abigere conantes, et nihilominus consistentem repellere non valentes, manibus voluerunt cominus effugare. Sed illa in circuitu corporis non volans, sed saliens, super turrem corpori imminentem propiùs resedit, et ad corpus beatissimi viri vultum convertit. Nec silendum est miraculum, quod ad laudem sui nominis Christus est super corpus Martyris operatus. Etenim unus Astigitanæ civitatis incola, dum inter ceteros palatinum lunatim mansionis servitium ageret, ibique cursum suum vigiliis expediret; nocte aquam potare desiderans, surrexit, et ad prominentem canalis ductum, qui super illa loca producitur, pervenit, ubi vidit desuper super corpus eius, quod deorsum iacebat, sacerdotes miro candore niventes, luminaria coruscantia retinentes, et psallentium more psalmos gnaviter recitantes. Qua visione perterritus, ad mansionis locum magis fugiens, quàm rediens, repedavit. Et socio (4) omnia renuntians, cum eo iterùm ad locum revertere voluit: sed iam secundò cernere illud non valuit. Cuius beatissimi caput alio die curiositas Christianorum redemit, corporis verò

Percutienti porrigit alteram maxillam.

Capite plectitur II. *Martii.*

V. Schol.

Insidet columba in corpore Eulogii.

V. Schol.

V. Schol.

Prope corpus psalmodiam Sacerdotes visi peragere.

(1) Id. *manent.*
(2) Id. *conares.*
(3) Id. *manum.*
(4) MS. *tota.*

rò reliquias tertio die collegit, et sub umbra Beatissimi Martyris Zoyli tumulavit.

S. Leocritia capite truncatur 15. Martii.

16 Beatissima verò virgo Leocritia multis oblectationibus delinita, multisque promissionibus impulsata, tandem divino munere soliditate fidei roborata, quarta post eius martyrii die extitit decollata, ac in flumine Bæthis proiecta. Sed aquis nec submergi potuit, nec celari, erecto enim corpore pergens, mirum omnibus visum [1] præbuit. Et sic a Christianis educta, in Basilica V. Schol. Sancti Genesii martyris, quæ sita est ad locum [2] Tertios, extitit tumulata. Hic fuit Beatissimi Doctoris Eulogii finis, iste admirabilis exitus, huiusmodi plenus opere transitus.

CAPUT VI.

Alvari scriptoris erga S. Eulogium affectus et invocatio.

Alvarus grates Deo agit.

17 Nunc restat in fine voluminis Regi omnium sæculorum gratias agere, qui ab initio fidei suam ornans Martyribus Ecclesiam, dat lassis virtutem, et de se nihil præsumentes perducit ad gloriam sempiternam. Ipsi [3] Deo nostro gloria et imperium per infinita semper sæcula sæculorum. Amen.

Invocat S. Eulogium.

18 At nunc quia sermone pedestri et inculta oratione agonem Doctoris nostri et Martyris [4] explevimus, restat, ut ad [5] eumdem amicissimum nobis patronum, quasi ad audientem, et precibus nostris præsentem, sermonem vertamus, et familiaritatem nostram ei cognitam referamus. Certè potens est audire rogantes, et patrocinari miseris, et afflictis, si merita nos adiuvaverint propria, si delicta non obviaverint dura, si affectio hoc postulaverit pura. Ergo Martyr Dei excelse, dul- V. Schol. cis nomine Eulogi, Alvarum tuum clamantem intende: et quem hîc tenuisti caritate [6] animi fixum, illic tibi adsocia servum. Non aliorum quàm tuis te interveniam verbis. Certè ego sum ille, quem tecum unitum esse dicebas, ad quem et pro quo hoc modo locutus es: „ ut non V. Schol. „ sit (inquis) alter Alvarus, quàm „ Eulogius, nec alibi quàm pe„ nes intima Alvari totus sit con„ locatus amor Eulogii.” Valeat, valeat, Christe Domine, hæc suavis fidelisque inter utrosque dilectio. Valeat perenni culmine sanctitatis, et quasi lux splendens procedat, et crescat usque ad perfectum diem. Ecce Domine testimonium tuum præ manibus habeo, litteris aureis et sententiarum gemmis depictum, sed desidero patrocinii tui complementum. Iam enim quod in terris positus oratione, ut valeret, indesinenti orabas, in cælis translatus, poteris in me suffragio, quod in te impletum est, obtinere. Servat namque amor verus (ut ipse dixisti) in absentem fideliter caritatem, et quod sibi poterat, hoc

(1) MS. *exercuit.*
(2) MS. *Terzos.*
(3) Edit. *Domino*, ex minus recta intelligentia MS.
(4) Schott. *explicavimus*, ut MS.
(5) Edit. *eum.*
(6) Schott. *animo*, ut MS.

Spiritualia dona petit.

hoc exhibet in amantem. Ergo Martyr egregie, et amice carissime, dum licet, et adhuc misericordiæ imminet tempus, intercessionis tuum amico porrige munus, ut sit hîc mihi concessa remelioratio morum, sint crebra munera lacrymarum, sit affectio labili menti inlata virtutum, sit affectiva compunctio iugis, sit purus pœnitendi affectus, sit locus optabilis ritè concessus, sit opportunus aditus nullis obicibus disrumpendus. Solvantur perplexionum omnium vincula, resiliant impeditionum cunctarum molimina, retinaculorumque obstacula, immutatione dexteræ excelsi in obsequentum mutentur auxilia. Aperiantur ianuæ cordis, ad suscipiendum regnum Dei altissimi: inclinetur cervix superba, et colla subdantur ad ferendum iugum suavissimum Christi. Vellem adhuc poscere maiora, sed temeritatis vereor incurrere notam. Sed tu, o serve Dei excelse, qui vultu Dominico satiaris, eiusque dono perpetuo iucundaris, illud adscisce misero (1) interventibus dignis, quo nosti millena delicta purgari. Vitam quoque æternam desidero, et regni cælestis requiem sitio. Quocumque (2) ergo tormento, aut flagello, cura remedium impendere servo, et eo ardoris igne dilectum purgare desidera, quo hîc nobiscum videbaris nexus in terra: ut dilectio illa clariori luce nunc emicet, quando et ampliori lumine lucet, et potiori suffragio prorogare quæsita valet.

19 Ego autem, mi dulcis Eulogi, memoriam nominis tui, quantum potui (3) inlustravi, vitam digessi, doctrinam expressi, agonemque pulcherrimum explicavi: et ut nominis tui delectabilis semper in mundo memoria floreat, et perenni splendore, sicut in cælo vita, ita hîc mentio rutilet, et si non enucleatissimis sermonibus, tamen evidentissimis, quibus valui, nisibus dedicavi. Construxi enim ære perennius monumentum gloriæ tuæ, quod nec nimbosus turbo, grandoque lapidea destruat, nec rogus flammarum quocumque igne (4) liquescat. Ædificavi nomini tuo memoriam ex auro obrizo, et lapidibus omnigenis pretiosis, quam nullus violentissimus valebit diruere prædonis more tyrannus. Composui fabricam culminis tui, et in sublime turrem habitationis tuæ erexi, ut sis speciosa pharus cunctis (5) viantibus hinc inde relucens. Ornavi titulum decoris tui unionibus miro candore niventibus, et topazione fulgenti, ut universis emicet finibus terræ. Adsparsi cineres sanctos nectareis flosculis, nullo æstu fatiscentibus, nec (6) indito cedentibus igne. Unxi pretiosum corpus nardi pistico pretioso, ac diverso thymiamatum genere, amomo, balsamo, bisamoque commiscens, ut flagrans sanctitatis tuæ suavissimus odor diffusus, per o-

V. Schol. *Et pro labore impenso in actis componendis.*

V. Schol.

V. Schol.

(1) MS. perperam *intervenientibus*.
(2) Id. quoque perperam *ego*; sed non malè *termino* pro *tormento*.
(3) Moral. et Antuerp. *lustravi*.
(4) Edit. *liquefiat*.
(5) Moral. et Antuerp. *virtutibus*.
(6) MS. *indicio*.

(1) omnia refertus sæcula nullo fine tepescat. Implevi amicitiæ vinculum, et caritatis tuæ nolui nudum sæculo dimittere nomen, ut sicut cælo vita resplendes et opere, ita mundo linguâ (2) clarescas et nomine. Ut generatio subsequens te laudatum inveniat, imitandum respiciat; et quantus fueris doctrinâ, nostro tenui ingenio recognoscat. Neque pri-
V. Schol. scorum studio corporalibus beneficiis, speciebus et floribus constipatum te ætas sequutura mirabitur, quæ (3) solitè consumuntur temporum vetustate; sed spiritalibus donis decoratum, et immortalibus sublimatum titulis venerabitur.

Mercedem optat vitæ æternæ.

20 Tu ergo, venerabilis Domine, æquiparando nobis redde mercedem, ut (4) quia servitio nostro tuæ decorantur reliquiæ, et ornantur excquiæ, inlustremur deinceps respectione felici, visitemur dono cælesti: ut ego ille, qui per prona hactenus et abrupta non liquidè fluens, ab iniquitate mea defeci, et tabidus hucusque in malis meis manens, a vultu (5) Dei mei recessi, maligno adhærens hosti, præveniente gratia inlustratus, et gratuita misericordia quocumque vitæ termino consummatus, merear ita cælestia indisrupta communiter tecum possidere gaudia, sicut hìc pari fletu et gemitu terrena maceratus angustia, traxi diuturna et longa suspiria. Ut etsi non æquali datum est mihi fulgere gloria, saltim vel delictorum meorum mihi inlata sit venia. Quatenus non pœnali doleam barathro mersus, sed in cælesti gaudeam requie tibi, vel ceteris dominis meis sociis tuis condonatus. Amen.

V. Schol.

HYMNUS

IN DIEM SANCTI EULOGII PRESBYTERI,

V. IDUS MARTII.

Almi nunc (6) redeunt festa polifera
Nostri Eulogii martyris inclyti:
Solvamus Domino carmina principi
Concentu fidei cælico munere.

V. Schol. Laudamus varia musico carmine,
Quæ non sunt Domini prædita lumine:
Hìc nunc sat melius res pia panditur,
Quum Christum resonant chordulæ metricæ.

(7) Hìc nunc est animus magna revolvere:
Splendenter anhelat balsama fulgidè

Gli-

(1) Schott. *tota reficiens*, ut MS.
(2) Ita MS. et Schott. ceteri verò *elucescas*.
(3) Deest in edit. *solite*.
(4) Moral. *qui*.
(5) Edit. *Domini*, ex prava intelligentia MS.
(6) MS. *revehit festa*.
(7) Id. *At nunc hic*.

Gliscens egregia clangere liberè,
Ut dulcis (1) reboet musica flamine.
Bellator Domini verbo potentior,
Doctrina et pariter fine celebrior,
Christi sic igitur gloria cingitur,
Ut florens vigeat hìc (2) et in æthere.
Rector dum populos doctè reficeret,
V. Schol. Gypsum, quum (3) diceret, fragmine (4) prodite:
Turbam multiplici germine lauream
Cælesti rutilus agmine provehit.
V. Schol. Ustus sic Domini zelo, fidelium
Convertens fluidos mores rebellium,
Adsciscens opibus munere nobili,
Abstractos barathro sublimat æthere.
Sed iam cum meritis digna rependere
Christus cunctipotens vellet, Leocritiam
Rectè mox lepidam virginem extulit,
Quæ clarum famulum axe reconderet.
Tunc celsus solitum ritè solatium
(5) Præstans, et placidum comptè remedium,
Cultum (6) tunc fidei dogmate et ingerit,
Adversans populis iusta rebellio.
Extemplo præconans prædo peranxius
Conturbat patriam, iussuve plebium
Per cunctas plateas longè revolvitur,
Quod princeps rabidus excitus imperat.
Regnantem tumidum respuit inclyta
Cælestis famuli mens Deo prædita:
Tandem præcipiti ductu notabili
Comprehensus, sonuit mox quoque liberè.
(7) Dicens: o proceres, temnite impium,
Christum æthereum credite principem,
Vatem impudicum rectè repellite,
Qui tantos populos igne recondidit.
Gaudens hæc resonat culmine gnaviter
Necnon et alia (8) conquerens fortia,
Hunc mandant gladio vertice tundere,
Ne sancta valeat turba recipere.
Adest intrepidus belliger annuens,
Tundunt, quem alapis, sed rogat horridum,

(1) Moral. et Antuerp. *dulci*: Edit. minus rectè *roboet*. (2) Moral. et Antuerp. *licet in*. (3) Schot. *doceret*, ut MS. (4) Id. *perdere*, *ut* MS. (5) Moral. et Antuerp. *Præstat*: Schot. *Præstant*. (6) Schot. ut MS. *mox*. (7) Id. *Optans*. (8) Id. *quæstuus*: MS. *quæstuve*.

Extendens faciem, verbere alteram
Alternans, gemina palma relidere.
Tunc signo fidei pectora servulus
Armat deificæ aurea, (1) roseo
Colla (2) lactentia sanguine prædita,
Incurvat Domino, instat, et obsecrat.
Sic ictu gladii sidere conditur,
Sic verbo fidei clarè revolvitur.
Adesto miseris, quæsumus, affatim
Perplexos precibus solvere concitè.
Adsiste gemitis poscimus excitis,
Inflectens famulis nunc quoque numinis
Auditum placidum, (3) quove sereniùs
Mentem ut precibus sanctè refocilet.
Ut rector deleat regna ferocia,
Conculcet validus dogmata impia,
Adspiret fidei comptæ refulsio,
Qua cæli reseret culmina fulgida.
Ut torquens hæresis longè resiliat,
Ut cultus Domini altiùs emicet:
Rectores patriæ flore redoleant,
Adversos cuneos liberè ventilent.
Sit vita populis, sit quoque provida
Sanctis religio per iuge tempora,
Sit Trino Domino gloria sedula
Æternum dominans inclyte sæcula. Amen.

Post hæc superiora in altero exemplari sequentia erant continuata.

V. Schol.

Translatio corporis Sancti Eulogii Presbyteri.

Translatio facta est Sancti Eulogii Martyris et Doctoris in Basilica Sancti Zoyli titulo principali, Kalendas Junias Era (4) DCCCXCVII.

V. Schol. Celebratur autem dies natalis eius in supradicto coto, eo quòd omni tempore in diebus quadragesimæ occurrit illius solemnitas.

(1) Id. *purpura*. (2) Id. *lactinea*. (3) Moral. et Antuerp. *atque*.
(4) Ita prorsus, non DCCCXCVIII. ut Moral. et qui eum secuti fuere, Schot. Baron. et Antuerp. qui nimis hallucinati sunt. Nam cum Schottus in margine animadvertat pro VIII. legi VII. in MS. hæcque nota VII. statim post verbum *dies* ad oram incideret, Antuerpienses utraque verba iunxêre, legeruntque, *Celebratur..... dies VII. natalis eius*, arbitrati per octavam aut VII. dies sequentes festum Eulogii continuari. Postea pro *coto* perperam *loco* reposuerunt; cotus enim diem non verò locum hìc significat.

Epi-

Epitaphium Sancti Eulogii.

Hìc recubat lepidus martyr, doctorque refulgens
Eulogius, lumen, dulce per sæcula nomen.
Qui zelo fidei rutilans, virtute (1) priorum
Accensit animos magno fulgore virorum.
Hic macte celeber libris præconatus et hymnis:
Et vita (2) vigidus, et sine sole coruscus.
Qui temnens fluida, conscendit lucida cæli.
Nec morte periit, sed vivit sede perenni.
Credite quæso mihi, vivit, per sæcula vivit,
Quisquis cælesti lætatur gloria regni.

Oratio Alvari.

Nunc te rogo, Sancte, recolas ut nomen amici,
Quem tua hîc tenuit dulcis amicitia fixum,
Alvari extremi, qui multa clade reati
Infectus vitiis pergit per devia mundi.
Prex tua hunc (3) revehat lapsum ad pascua vitæ,
Ut solitè sancto digno nectatur amore,
Quo tibi coniunctus mansit per sæcula carus,
Præsta Deus deorum regnans per sæculis. Amen.

(1) Haud rectè Schott. cui Antuerp. subscribunt, vult substituere, *piorum*.
(2) Moral. et Antuerp. *rigidus*. (3) Iid. *teneat*.

SCHOLIA AMBROSII MORALIS IN DIVI EULOGII VITAM.

1 *Et doctoris*. In Concilio Cæsaraugustano I. cap. VII. decretum his verbis fuit scriptum: "Ne quis doctoris » nomen sibi imponat præter has per» sonas, quibus concessum est, secun» dùm quod scriptum est." Hinc divus Eulogius doctor in Ecclesia Cordubensi et habitus est et vocatus. Et paulò post Alvarus notat, Eulogium inter magistros fuisse eo etiam tempore ascitum, quo fuit presbyter factus. Ipse quoque Eulogius Præsidem alloquens, hoc ipsum non semel de se testatur. Cæsaraugustanum Concilium primum notavi, quia tria in ea urbe celebrata in vetustissimis (1) exemplaribus habentur, quæ in regio divi Laurentii cœnobio servantur.

2 *Ego luxuriæ*. Humiliter de se loquitur, cum tamen uxorem se duxisse velit indicare.

3 *Cordubæ*. Hîc et ubique non *Cordubæ*, sed *Cordobæ* fuit scriptum in utroque exemplari, iuxta veterem illam illorum temporum veri nominis corruptelam, quæ iam, ut suo loco diximus, inoleverat. Fuit etiam ubique scriptum, *eglesia*, non *ecclesia*, ut agnoscas hîc

(1) Ex his et aliis exemplaribus Cæsaraugustana concilia post obitum Moralis edidit primò Garsias Loaysa Archiepiscopus Toletanus, cuius editionem Card. Aguirre et alii quam plures secuti sunt.

quoque paulatim obrepentem Hispanam, quam nunc retinemus, huius nominis prolationem. *Inlustratus*, *adspersus*, et huiusmodi alia, quemadmodum in exemplaribus fuerunt, reliquimus.

4 *Senatorum traduce.* Quod latè in nostra historia ostendimus, post Gothorum et aliarum externarum gentium in Hispaniam irruptionem, tria hominum discrimina Provinciam totam incoluere. Antiqui Hispani: Romani, qui se illis aliquot ante sæculis immiscuerant: Gotthi itidem, Alani, et Suevi cum reliquis: qui tamen uno nomine Gotthi postea appellabantur. Hoc cùm multis testimoniis pateat, legibus tamen Gotthicis, quæ in foro Iudicum, ut vocant, continentur, fit manifestum. Posteriores etenim Gotthorum reges in legibus Hispanorum populos in universum alloquentes, trium horum hominum discrimina separatim nominant. Et apud Paulum Orosium eorumdem est mentio. Cùm autem nobiles, qui ex Romanorum essent stirpe, volunt intelligi, Senatores eos illorum temporum scriptores appellant. Paulus Emeritensis diaconus, qui de Episcopis eius urbis scripsit: Samson Abbas Cordubensis, et cum Alvaro noster Eulogius. Ipsum itaque hic (1) Patritium et Romanorum stirpis credo significari. Quòd si quis per catachrisim nobilem tantùm, non Romanæ originis Eulogium hic dici existimet, ego cum hoc non contenderim. Mater D. Eulogii Elisabeth vocabatur, ut ipse in epistola ad Pompelonensem Episcopum scribit. Avus, Eulogius itidem dictus fuit, ut in Apologetico appellat.

Tria hominum in Hispania discrimina.

Mater et avus Eulogii.

5 *Sancti Zoyli æde.* Huius templi mentio est alicubi in D. Eulogii operibus. Eidem præfuit paucis post annis Samson Abbas, de quo plura in (2) sequentibus dici oportebit. In hoc D. Zoyli templo corpus eiusdem martyris suo tempore asservari D. Eulogius, et idem Samson docent. De Samsone Abbate lib. 1. de Paulo Emeretensi diacono initio lib. 2. dicemus.

6 *Sperandeum.* Huius viri (3) meminit lib. 1. et 2. Eulogius. Eius nomen variè in exemplaribus fuit scriptum: *Speraindeum* et *Sperandeum.*

7 *Tandem Reccaffredus.* Cùm multa non uno loco D. Eulogius de sua ista calamitate, et in carcerem trusione commemoret; numquam Reccaffredi huius meminit, nec quis hic fuerit tumultus, planè docet. Quantum ex sequentibus, et ex Eulogii dictis possumus coniicere, Reccaffredus metropolitanus fuit (4) Episcopus, cuius ministerio Habdarrahgman Rex Christianos voluit compescere. Ille autem aut pravo zelo instinctus, aut infideli metu compulsus Ecclesiam Cordubensem atque alias graviter afflixit: Episcopum Cordubensem, cuius nomen (5) nusquam proditur, aliosque templorum ministros in vincula coniecit. Sed neque qua de causa liberi postmodùm fuerint dimissi, memorant; neque nos aliunde possumus divinare.

8 *Extat super hoc.* Durat etiam adhuc hæc epistola. Ibi hæc omnia latiùs referuntur. Pariter et illa altera, quam e vestigio commemorat Alvarus, extat (6) epistola.

9 *Ibi metricos pedes.* Innuit D. Eulogium in carcere positum, hymnos iis carminum generibus scripsisse, quæ Hispanis eo tempore essent incognita. Nimirum, ut mox apparebit, Horatii Poëtæ opera ipse nuper adinvenerat, et illa illectus carminum varietate, similia tentare est aggressus.

10 *Namque ipsis diebus.* En tibi Reccaffredum iussio regio Ecclesiam afflixisse. Eulogius autem ac ceteri veri Christiani ei apertè resistere tametsi cuperent, piâ causâ, quam Alvarus non tacuit, commoti nolebant. Ceterùm D. Eulogius, qui illum excommunicatum et ab Ecclesia alienum meritò exi-

(1) Ex gente vel familia ordinis senatorii, notat hic Schotus, vocem *Patritium* significare apud Alvarum, eademque vi uti Eulogium vocabulo *traducis* lib. 3. Memorial. Sanct. cap. 17. num. 1.

(2) Et nos quoque in sequentibus de Samsone loquemur.

(3) Itidem et nos eius meminimus ad n. 7. lib. 1. Memor.

(4) Non solùm hodie constat Reccaffredum utpote Præsulem Hispalensem totius Bœticæ Metropolitanum fuisse ab anno plus minusve 850. ad usque 862. sed etiam antea rexisse Ecclesiam Cordubensem, cui præerat anno 839. quo anno nono Kalendas Martii congregatum ibi fuit Concilium adversus quosdam hæreticos acephalos, ut patet initio tom. XV. Hisp. Sacræ. Vide sis etiam tom. IX. tract. 29. cap. 7. n. 29. et seqq.

(5) Saulus nominabatur hic Episcopus, qui præfuit Cordubæ ante annum 850. ad usque 861. tom. X. Hisp. Sacr. cap. 8. tract. 33.

(6) Utramque epistolam edidit Morales, et nos iterum edemus.

existimabat, sacris abstinere toto illo tempore decrevit: ne se videlicet eius etiam labe respergeret, quocum foris videretur consentire. Satis autem indicabat, quàm non consentiret, qui ita se contineret. Neque tamen vitare omnino poterat Reccaffredum: cum fideiussoribus, quos dederat, hac ratione noceret.

11 *Cuius historiæ veritas.* Quum Alvarus hunc, quem refert, librum scripsisset, quo plenius omnia ista digesserat, hic innuere tantummodo contentus, effecit, ut tenuis et subobscura ista notitia ad nos tantùm perveniret. (1)

12 *Utpote fideiussoribus datis.* Apparet cavisse Reccaffredum vadium interventu, ne ab se posset Eulogius, postquam vinculis fuerat exemptus, seiungi.

13 *Beati Epiphanii.* Extat hæc epistola a Divo Hieronymo in latinum sermonem conversa, et inter eius opera excussa.

14 *Quinpotius occasione fratrum suorum.* Hæc omnia fusiùs in ea epistola narrantur, cuius mox Alvarus meminit. Sed temporum series diligenter est attendenda. Reversus enim ex hac peregrinatione, ab Reccaffredo in carcerem coniicitur. Inde eductus, concilio Cordubensi cum aliis metropolitanis celebrato (2) interfuit, quamquam illorum sententiæ penitus non acquievit. Quod lib. 2. cap. 15. ipse commemorat. Et tempus quidem ita digesisse, et continuasse, ut multum deinceps ad intelligenda, quæ narrat Eulogius, contulerit. Reccaffredi namque nomen ipse nunquam apposuit, modestiæ verè Christianæ ergo, ut ego interpretor. Unde illa omnia hinc sunt prorsus intelligenda.

15 *Inde secum.* Animadvertere decet, qua cupiditate et diligentia perquirendorum librorum veterum vir sanctus teneretur. Inde quanto opere Cordubæ ferverent etiam in illo rudi, et undique Christianis miserabili sæculo studia litterarum, satis apparebit.

16 *Flacci* (3) *saturata poemata.* Allusit ad Iuvenalis versum. Satur est cum dicit Horatius, *obe.* *Satyr. 7.*

17 *Porphyrii depicta opuscula.* Tyrius fuit Philosophus Plotini auditor, Iamblichi præceptor, Malchus seu Basilius antea dictus: sed Porphirius deinceps cognominatus ob purpuream vestem, qua semper propter generis nobilitatem utebatur. Acerrimus Christianorum hostis, quique ab egregiis Ecclesiæ ducibus Methodio, Eusebio, et Apollinari contra ipsum decertantibus, fuerit profligandus. Plura de illo Suidas. Picta autem eius opera referens Alvarus, ea intelligi credo, quæ ad eloquentiam spectantia Suidas recensuit.

18 *Vel Adhelelmi Epigrammatum opera.* Intelligit plane Adhelelmum Saxonum Occidentalium Episcopum in divinis litteris clarum, sed humaniorum studiorum et poetices studiis sui temporis clarissimum. Floruit sub Iustiniano minore annis ante D. Eulogium plus ducentis. Eius operum catalogum Abbas Trithemius texuit: et inter cetera librum carmine scriptum de Virginitate Sanctorum, quem hìc intelligi præsertim crediderim.

19 *Necnon Avienni fabulas metricas.* Rufus festus Aviennus seu Abydnus poeta, ut quidam volunt Hispanus, inter cetera Virgilianas fabulas iambicis versibus descripsit: et Æsopi etiam fabellas, quæ elegiaco carmine circumferuntur, huius esse auctoris multi affirmant. Aut alterutrum, aut utrumque opus hìc possumus intelligere. Qui hæc et plura de hoc auctore scire voluerit, quartum Lilii Giraldi de Poetis Dialogum legat.

20 *Post divinæ memoriæ* (4) *Wistremiri.* Cordubam ex Gallia rediens Eulogius, ut ipse in epistola ad Pompelonensem Episcopum narrat, aliquandiu Toleti apud hunc sanctissimum Antistitem est diversatus. Inde haud dubiè factum est, ut Toletani Mozarabes, et sanctæ Ecclesiæ præsertim ministri, quibus ex hac

(1) Et etiam hodie latet quod fuerit hoc opus Alvari, nisi adstipulemur Henrico Florez, qui tom. XI. Hisp. Sacr. tract. 34. cap. 2. num. 63. existimat secundum librum, qui suo iudicio desideratur, Indiculi Luminosi esse: quem librum alii desiderari negant, non levibus argumentis.

(2) Celebratum fuit Concilium anno 852. post 16. Septembris.

(3) Nos cum Schot. *satyrata* posuimus, quoniam arbitremur, ut Antuerpienses, hìc Alvarum verba facere de Horatianis satyris.

(4) Hunc Præsulem, quem S. Eulogius in epist. ad Episcopum Pampilon. prædicat tamquam sanctissimum senem, faculam Spiritus Sancti, mirisque aliis encomiis, et Alvarus hìc virum *divinæ memoriæ*; nihilominus nec Toleti nec alibi canoni Sanctorum adscriptum constat, quidquid dicat Tamajus Salazarius in Martyrolog. Hisp. ad 31. Decembris, et nebulones quos sequitur.

hac consuetudine eius viri sanctitas et doctrina probè fuisset perspecta, ipsum Præsulem sibi optarent, et deligerent. Alterum exemplar, *Tolenatæ*, calami certè vitio hìc habuit. Est autem Toletum urbs Hispaniæ celeberrima, non semel ab Tito Livio nominata, et ab Plinio etiam et Ptolemæo inter ceteras connumerata. De qua, ut de Carthagine Sallustius, præstiterit hìc nihil, quàm pauca referre. Præsertim cum sublimis huius urbis nostro hoc tempore magnificentia et præstantia omnibus sit notissima.

22 *Pro annuo festivitatis suæ recursu.* Attende festivitatem D. Eulogii et aliorum perinde martyrum Cordubensium, iam tunc institutas fuisse, et quotannis celebratas: et translatio etiam D. Eulogii solemni more, ut paulò post apparebit, colebatur.

23 *Rex Mahomad.* Habdarrahgmanis huius nominis tertii fuit filius: quod ex tertii libri principio patet.

24 *Arabs genere beatus Christophorus.* Huius martyrium cùm breviter D. Eulogius lib. 2. expedisset; Alvarus latiùs describere cogitabat.

25 *Ex Gentilium fœce.* Gentilium nomine semper Arabes sectæ Mahometicæ vocat Eulogius. Hoc quoque esse videtur ex illa Romanorum vocabulorum affectatione, qua Consules et fasces aliaque eiusmodi sæpiùs repetuntur.

26 *Christo dicata.* Sanctimoniales nostrates variis nominibus in Conciliis Hispanis appellantur: *Devotæ*, *Religiosæ*, *Deo dicatæ*, *sacræ virgines*, et hoc ipsum *Christo dicatæ*. Utitur eisdem nominibus variè D. Eulogius, et ipse Alvarus.

27 *Nomine Elitiosa.* Alterum exemplar Litiosa habuit: nos id sequuti hìc sumus, quod cum D. Eulogii operibus cohærebat.

28 *Vel sorori eius Anuloni.* Præter hanc sororem alteram etiam habuit D. Eulogius nomine Niolam. Tres etiam ei fratres fuerunt, Alvarus et Isidorus, et natu minimus Ioseph. *Ex epistola ad Pompelonensem Episcopum.*

Eulogii fratres.

29 *Comere gressos.* Ita fuit in ambobus exemplaribus. Et sensus interim cum tota argutia est manifestus.

30 *Cum reverentia nominandus.* Tam in his duobus exemplaribus, quàm in aliis pervetustis libris Mozarabum Christianorum litteris descriptis, quos mihi videre hucusque contigit; *f* pro *v*, et *v* pro *f* semper cernitur appositum. Itaque hìc *referentia*, non *reverentia* fuit scriptum: et semper *provanus*, non *profanus*. Item e converso. Nescio quid hoc habet ex Digamma Eolico Fabii Quintiliani.

Quint. *lib.* 1. *Instit. Oratoriar. cap.* 4. et Aul. Gell. *lib.* 14. *Noct. Attic. cap.* 5. *et lib.* 19. *cap. ult.*

31 *Cui beatissimus martyr.* Expressit ad vivum D. Eulogius, et verò implevit sancti senis Eleazari exemplum. Quod quia est ipsum per sese illustrissimum, et dictante divino spiritu facundissimè perscriptum, lectu est dignissimum.

32 *Complevit martyrium suum.* Mensis dies signatur, Martii videlicet undecima: Sabbatum etiam fuisse dicitur: cùm Era aut annus non fuerit ab Alvaro expressus. Hinc tamen iam, licèt aliunde astrui non posset, passum fuisse D. Eulogium anno Domini octingentesimo quinquagesimo nono, quem in titulo apposuimus, necessariò penitus probatur. Illo enim anno Martii dies undecimus in Sabbatum incidit, neque aliquot retro annis in eum hebdomadæ diem inciderat, neque aliquot sequentibus Sabbatum fuit occupaturus. Neque extra hos non paucos annos pati potuit Eulogius. Nam tres quatuorve ante hunc annos ipse (quod ex suis libris patet) in vivis erat. Nostra autem hæc supputandi ratio, ubi hebdomadæ dies signatur, non vera solùm, sed omnino etiam irrefragabilis, ex canonica cycli solaris conversione, et ex ea annorum et mensium desumitur observatione, qua cùm ab initio sancta Christi uteretur Ecclesia, postea Abbatis Dionysii, ut plerique tradunt auctores, doctrina et diligentia in dilucidiorem et certiorem formam fuit disposita, et constituta. Ceterùm quemadmodum inde nos ad certissimam hanc annos in historia supputandi et digerendi firmitatem, si quando hebdomadæ dies nominatur, rationem inierimus; in nostra historia, ubi ad Gotthorum tempora pervenimus, latè sumus præfati. Occasionem autem huius observationis nobis Petrus Appianus primùm in suo Cæsareo astronomico, et F. Onuphrius Panvinius uno atque altero loco in Fastis olim præbuerant. Nunc verò Gerardi Mercatoris chronicon superiori anno evulgatum astronomicam etiam in supputando rationem, tametsi ab nostra ista diversam, per eclipsium nimirum, quæ apud historicos reperiuntur, notationes, videmus retinere. Et quia solemne est divo Eulogio hebdomadæ dies in martyrum cæde notare, unde an-

anni plerumque asseverationem et certitudinem demonstravimus; ideò fusiùs aliquantò de toto hoc nostro invento hìc fuit disserendum.

31 *Lunatim mansionis servitium.* Menstruas significat excubias, quæ in arce agerentur, cùm finito mense, novi excubitores prioribus succederent. Hoc enim adverbio temporibus illis efficto divus etiam Eulogius aliquando utitur, et eo præsertim loco, ubi tributum Christianis per singulos menses impositum deplorat.

32 *Et ad prominentem canalis ductum.* Prope arcem profectò iacuit ad fluminis ripam sanctum Divi Eulogii cadaver, prope turrim, quæ *Arcarum* nunc appellatur: siquidem excubitor longiùs recedere non auderet. Et proprius arcem haud dubiè is erat sive fons sive aquæductus, quem petebat. Alioqui potûs causâ in flumen, quod arcis alluit fundamenta, citissimè potuit descendere. De ea autem arce loquitur, quæ nunc etiam Cordubæ perdurat. Ea enim iam fuerat ædificata, quod ex Rasis (1) Chronico, et ex peculiari Ruderici Toletani Præsulis de Arabum rebus historia, quæ nondum (2) est excussa, apertè constat. Illud etiam est animadvertendum, præcipitium ingens esse ab arcis platea in alveum fluminis, ut sit ab latere per clivum descensus.

33 *In basilica sancti Genesii.* Huius templi et loci mentio non semel erit in divi Eulogii libris.

34 *Dulcis nomine Eulogi.* Alludit ad Græcam originem vocabuli. Eulogius enim *bonus sermo* interpretatur. Alioqui et amoris teneritudine ita potuit Alvarus loqui.

35 *Ut non sit, inquis.* Scripserat hæc proculdubiò verba in aliqua ad Alvarum epistola Eulogius. Sed ea intercidit.

36 *Ego autem ni dulcis Eulogi.* Offert iam hoc suum opus divo Eulogio: et dum attollere orationem studet, multa ingeminans, et accumulans, cacozilon non potuit evadere, et tumidum quid, magis quàm sublime perfecit. Fertilitas nimirum Cordubensis soli hanc quoque ubertatem semper in ingeniis protulit.

37 *Construxi enim ære perennius monumentum.* Horatii versum tantùm dissolvit; et ex recens lecto opere aliquid affectavit inspergere. Horatii versus hi sunt in fine carminum.

Exegi monumentum ære perennius, &c.

*38 *Bisamoque commiscens.* In altero exemplari *bisamo*, in altero fuit *visamo*. Sed neutrum quid sit reperio. (3)

*39 *Neque priscorum.* Locus in utroque exemplari corruptissimus spem etiam ademit divinandi. (4)

SCHOLIA IN HYMNUM ET EPITAPHIA.

1 *Hymnus in diem.* Titulos qui fuerant in veteribus codicibus, conservavimus. Est autem hic hymnus, quemadmodum et epitaphia ab Alvaro, ut ego existimo, compositus. Carmen est quale illud, *Sanctorum meritis inclyta gaudia.*

2 *Laudamus varia.* Sensus est: solemus carminibus varias res celebrare, quæ ad Dei gloriam non pertinent. Quantò rectius carmina divinis laudibus, ut nunc contingit, impenduntur.

3 *Rector dum populos.* Quatuor sequentes versus in utroque exemplari fuere corruptissimi: nos quoquomodo potuimus ex coniectura et ingenio emendavimus.

4 *Gypsum.* In antiquis libris ad hunc modum legebatur: *Gypsam quum doceret, fragmine prodere.* Nos substituimus, *Gypsum quum diceret fragmine prodite.* Sic versus constat: Sic aliquis sensus elicitur, nempe iste ex allegoria. Eulogius clamabat: Legem Mahomad peni-

(1) Hanc historiam, quæ sub Rasis nomine vulgò circumfertur, illo prorsus indignam habendam, meram esse farraginem ex Arabicis et Latinis monumentis, spuriumque planè opus, asserit perdoctus vir Michael Casirius tom. 2. Bibliothecæ Arabico-Hispanæ Escurial. pag. 329. et seqq.

(2) Iam editam habemus volum. 2. Hisp. Illustrat. Francofurti 1603. et rursus Lugduni Batavor. 1625.

(3) Incertum adhuc hodie post Glossarium Cangeanum, quid hìc *bisamo* significetur. Sed cum Samson Abbas lib. 2. Apolog. cap. 25. eamdem vocem usurpet; rectè eam explicat Florez per unguenti cuiusdam magnæ suavitatis speciem. tom. XI. Hisp. Sacr. pag. 498.

(4) Locus planus adeo et apertus ut nobis videtur, numquam satis mirabimur quomodo effugerit perspicaciam Moralis.

nitùs introspicite : ipsa se cum sua deterrima turpitudine ostendet et reteget. Quasi vas terreum aut testaceum fractum docebit, quàm sit fragile.

5 *Ustus sic domini.* Hoc ideo dicit, quia aliquos ex martyribus parum constantes, et iam iam labantes, in fide confirmavit. Quod alicubi ipse idem Eulogius testatur.

6 *Translatio corporis.* Exemplar cum divi Eulogii operibus coniunctum, cum epitaphium solummodo haberet, nihil habuit de eius translatione. In altero Michaelis Azagræ hæc ipsa fuére. Cùm autem initio in hoc eodem templo fuerit, ut est in eius vita, sepultus; intelligo nunc elevationem solemnem fuisse factam. Nam illa verba, *titulo principali*, non diversum templum, quantum ego possum intelligere, innuunt; sed ab rege aliquando conditum significant. Et hoc sensu in conciliis nostratibus scribuntur.

7 *Cotum.* Vocabulum est ab Hispanis nostris ex latino *cautum*, depravatum : quod vetustissima regum diplomata ostendunt, et lapides in quibus legitur : *Rex fecit cotum, et fecit cautum*, indifferenter. Et multa huiusmodi.

Illud autem operepretium fuerit animadvertere et expendere. Cum divus Eulogius Martii undecimo die interemptus, et Iunii primo fuerit translatus; cur in Martyrologio Usuardi, et in Romano nuperrimè excusso et adaucto, vigesimo Septembris eius festum reponatur? Quin etiam Breviarium Cordubense eodem die habet. Huius rei causam ego eam fuisse crediderim, quòd cum eo ipso die, Septembris videlicet vigesimo, sancti Eulogii presbyteri (eius qui inter priscos Eremi cultores insignis fuit) obitus fuisset annotatus in libro qui Vitæ Patrum inscribitur, et divo Hieronymo ascribitur, et in Martyrologio (1) Romano; quidam eumdem illum et nostrum hunc Cordubensem esse credentes, veritatis alioqui ignari, eidem diei eius festum attribuerunt : et in Romano quidem utriusque eodem die festum notatur.

Illud etiam animadvertendum, Usuardum non potuisse D. Eulogii, et aliorum eiusdem sæcli martyrum Cordubensium, quorum frequens in eius Martyrologio mentio est, passiones scripsisse. Nam cùm (2) Carolo Magno suum Martyrologii opus dicaverit, quantumvis iuvenis Imperatori admodum seni scripserit, vix credibile est, D. Eulogio superstitem fuisse. Restat, ut aliquis postea eius operi nostrates hos martyres superaddiderit : qui certè ex divo Eulogio non res solùm, sed ipsa etiam eius verba aliquando deprompsit. Romanum verò Martyrologium, siquidem divo Hieronymo tribuitur, meminisse divi Eulogii et coætaneorum martyrum non potuit. Sed adiectitia sunt omnia, quæ de his sanctis inibi leguntur, ut est opus novis et novis accessionibus opportunum. Idem dicendum de Bedæ Martyrologio, qui divum Eulogium ducentis annis præcessit : et tamen Lupi et Aureliæ festum (3) mense Octobri ibi apponitur. Ado Viennensis in Gallia Archiepiscopus legerat profectò divi Eulogii libros. Nam et omnes fermè hos Cordubenses martyres in suo Martyrologio posuit, et quæ pauca de his commemorat, hinc planè desumpta sunt. Et eius historia ad vigesimum post divi Eulogii martyrium annum protenditur.

Hoc verò nostro tempore corpus divi Eulogii simul et Leocritiæ Oveti in celeberrimo multorum sanctorum corporum et reliquiarum sacrario, quod Cameram sanctam vocant, decentissimè asservantur. Thecâ reconduntur benè

(1) Quodnam Romanum Martyrologium hìc intelligat Morales, latuit Antuerpienses hagiographos, nisi illud fuerit, quod Maurolycus edidit, in quo utriusque Eulogii memoria recolitur. Præter Usuardum inseruere Eulogium ad diem 20. Septembris Bellinus, Canisius, Ferrarius, et Galesinius; sed rectiùs Baronius Alvarum secutus retrahendum censuit Eulogium nostrum ad 11. Martii, quidquid dicat Solerius Usuardi editor.

(2) Labitur Morales, ut et alii quamplurimi existimantes floruisse Usuardum sub Carolo Magno, eique Martyrologium dicasse. Iam pridem constat, ut ostendunt Adrianus Valesius, Mabillonius, et Sollerius post ceteros Antuerpienses eum vixisse sub Carolo cognomento Calvo, atque huic opus suum nuncupavisse circa annum 875. proindeque sexdecim annis post obitum Eulogii.

(3) Quo tempore hi vixerint Sancti, incertum; nec Beda eorum non meminit, sed potiùs Auctarium Flori iuxta MS. Barberinum, ut videre est initio tom. 2. Martii apud Bollandianos. Neque satis constat Lupum et Aurelium Cordubæ passos, qua de re consulatur Henricus Florez tom. x. Hisp. Sacr. tract. 33. cap. 9. num. 99. et seq.

nè magna, argento undique obtecta, signis perbellè exornatâ : in cuius summitate hæ litteræ argento insculptæ leguntur.

Anno Domini MCCC. (1) *Quinto nonas Ianuarii Dominus Fernandus Alvari Ovetensis Episcopus transtulit.* Hic tres dictiones desunt. *M Eulogii et Lucritiæ in hanc capsam argenteam.*

Neque dubium tamen esse potest, quin qua parte argenti subtractio fragmentum effecit, ad hunc modum esset scriptum : *Corpora sanctorum martyrum.*

Hanc verò argenteam arcam cum sanctis corporibus, ego, etsi indignus (quod summi beneficii loco mihi a Deo Opt. Max. misericorditer tributum, libentissimè recolo) his meis oculis, non tam senio iam caligantibus, quàm spectaculi sanctitate præstrictis, contemplatus sum : his miseris manibus, hisce immeritis ulnis venerabundus sustuli hoc ipso anno Domini MDLXXII. cùm Philippus II. Rex potentissimus, idemque et cognomine et studio pietatis et religionis verè Catholicus, sancta me et religioso in primis Principe dignissima legatione (2) misisset ad reverenter invisenda sanctorum per Legionenses, Gallecos, et Astures corpora et reliquias : custodiam, cultum, et venerationem, si digna pro eorumdem maiestate esset, diligenter perquirendum et renuntiandum. Et ut omnem sanctæ eius legationis summam breviter complectar, providentissimamque et benè gratam Regis erga suos maiores curam et sollicitudinem referam ; habui etiam in mandatis, ut priscorum Hispanorum Regum sepulchra perspicerem, an dignè et honorificè essent eorum tumulata corpora animadverterem : quàm plenè et accurate iis statis diebus sacris tum anniversariis solemnibus, tum etiam quotidianis parentaretur, intelligerem. Illud etiam superiniunctum, ut bibliothecis omnibus publicis diligenter perlustratis, veterum omnium exemplarium catalogum perscriberem, et ut diligenti custodia asservarentur, monerem. Sed ad sanctorum corpora redeo.

Celebrat etiam sancta Ovetensis Ecclesia festum translationis horum duorum sanctorum corporum : in cuius matutinis lectionibus scriptum est, quo pacto Ovetum fuerint adducta. " Rex » Alfonsus (quotus fuerit non (3) refe- » runt) Dulcidium quemdam Legatum » ad regem Mahomad Cordubensem » misit. Is opera Samuelis cuiusdam » (qui se hanc ipsam translationis hi- » storiam scripsisse testatur) adiutus, » ipsa sancta corpora adeptus, Ovetum » tandem pertulit. Rex verò simul cum » Hermenegildo, Ovetensi tunc tem- » poris Archiepiscopo, in Sanctæ Leo- » cadiæ sacello, saxeo sepulchro sub- » tus altare excavato, quod nunc etiam » vacuum conspicitur, eadem beata » corpora thecâ cupressinâ inclusa de- » center cum solemni pompa reposuit.

» Mi-

(1) Hoc est, *anno* 1305. *nonis Ianuarii*; quin necesse sit, ut cum eod. Moral. lib. 15. Chron. cap. 15. corrigamus *anno* 1300. *quinto Idus Ianuarii*. Neque enim hic mentio fit translationis SS. MM. ex Corduba Ovetum factæ die nona Ianuarii anno 884. cuius memoria ab Ecclesia Ovetensi ea ipsa die celebratur ; sed alterius multò postea anno 1305. peractæ a sacello S. Leocadiæ ad Cameram Sanctam, quam vocant, intra eiusdem S. Ecclesiæ Ovetensis muros.

(2) Historiam huius dignissimæ Legationis, quam postea scripsit Ambrosius, excussit sæpe laudatus Henricus Florez Matriti 1765. in fol.

(3) Benè postea Morales innuit, hunc Alphonsum fuisse tertium huius nominis cognomento Magnum ; sed nihil addidit de legatione et legato. Nos ex Chronic. Albeld. edition. Florez. in tom. XIII. Hisp. Sacræ nonnulla prælibabimus. Abuhalit Saracenorum Imperator, missus ab Mahomete Rege Cordubæ ad evertendos christicolas, *dum in terminos Legionenses fuit* (auctorem audis ipsius Chronic.) *verba plura pro pace Regi nostro* (Alphonso III) *direxit. Pro quo etiam et Rex.... Legatum nomine Dulcidium Toletanæ urbis Presbyterum cum Epistolis ad Cordobensem Regem direxit Septembrio mense, unde adhucusque non est reversus Novembrio discurrente.* Sic auctor qui hoc scribebat mense anni 883. Postea Dulcidius beatorum martyrum corpora consequutus, Ovetum cum eis intravit die nona Ianuarii anni 884. qua die a Rege, Episcopo et Clero solemni pompa recepta fuere. Rex autem haud dubiò gratus optimis Legati officiis, eum provexit ad Sedem Salmanticensem, cui iam præerat pridie nonas Maii anni 899. cum Ecclesia consecrata est Compostellana. Cetera de hoc Antistite vid. apud Florez. tom. XIV. Hisp. Sacræ pag. 281. et seqq. sciasque ibi eum Dulcidios, ut sæpe aliàs, alios Ecclesiarum Præsules multiplicasse ob illius consecrationis perturbatam chronologiam, cui adhæsit a tomo secundo ad usque decimum septimum, ex quo stabilire cœpit eius festivitatis diem, sextam nempe quam diximus, Maii.

» Miraculum paulò post paralytici sa-
» nati consequutum est.

» Multo verò post tempore Ruderi-
» cus Guterrius Ovetensis Archidiaco-
» nus, distorto ore mutus repente fa-
» ctus, horum sanctorum martyrum
» interventu, quorum patrocinium fu-
» sis interne precibus imploraverat, sa-
» natur. Eius miraculi occasione factum
» est, ut sepulchro extracti, et thecâ
» argenteâ denuò reconditi, in sanctam
» Cameram, quemadmodum retulimus,
» elevarentur." Hæc ibi. Ceterùm ex Hermenegildi Archiepiscopi, et Mahomad Regis mentione intelligimus, Regem Alfonsum huius nominis tertium, cognomento Magnum, fuisse eum, ad quem Corduba sancta corpora fuere perlata. Nec gravabor carmina etiam apponere, quæ loco antiphonarum et responsoriorum in eo festo decantantur, quamvis rude quiddam et incultum sonent : cum Hispanæ eorum temporum in carminibus vetustatis expressam imaginem retineant.

Eulogii cultus crescit per sæcula multus,
Lucritiæ pariter festa sequuntur idem.
Nec timet Ovetum subitum contingere lethum.
Nam festum lætum iussit abesse metum.

ORATIO.

Deus, qui per beatissimos martyres tuos Eulogium et Lucritiam Ovetensem Ecclesiam adornasti: concede nobis famulis tuis veniam delictorum: ut eorum patrociniis roborati, pro tuis beneficiis gratias tibi debitas referamus. Per Dominum, &c.

Et *Lucritia* sanè ubique Oveti scribitur, non *Leocritia*. Nos vetustos codices potiùs sequuti sumus.

Alvarus verò hic noster librum etiam scripsit *Scintillarum* : ipsum nos in Regio, de quo iam diximus, sanctorum Fecundi et Primitivi cœnobio manuscriptum in membrana cum hoc titulo vidimus : *In Christi nomine incipit liber scintillarum Alvari Cordubensis, collectus de sententiis sanctorum Patrum.* In fine constat ante quadringentos annos fuisse descriptum. Eundem etiam multò vetustiorem litteris Gotthicis scriptum, sed lacerum, principio fineque carentem in inclyto Cisterciensi prope Vallis Oletum Monasterio dicto *del Espina*, conspeximus. Eundem etiam habet Mindoniensis Ecclesiæ in Gallæcis bibliotheca. Fuitque eius operis argumentum in illa eo tempore librorum penuria admodum necessarium, nec nunc tamen aspernandum. Etenim per locos communes de virtutibus et vitiis, multa quæ in sacris litteris, multa quæ ab sanctis doctoribus dicta sunt, congesta reperiuntur. Excussum etiam Basileæ, sed mutilum, et sine nomine auctoris, circumfertur. Scripsit præterea, ut D. Episcopus Placentinus existimabat (1), idem Alvarus opus egregium, cui titulus est, *Indiculus Luminosus*. Permanet Gotthicis litteris in membrana descriptus Cordubæ in bibliotheca Fani maioris, sed sine auctoris nomine. Tantùm notatum ab ipso auctore est, scriptum opus fuisse Cordubæ anno Domini octingentesimo quinquagesimo quarto, quo, ut frequenter apparebit, et florebat et scribebat Alvarus. Stylus etiam aut Alvari prorsus est, aut simillimus. In eo opere multa ad ea ipsa, quæ in his Divi Eulogii operibus continentur spectantia traduntur. Mentio enim fit quorundam ex his martyribus, quorum vitam et agonem scribit Eulogius : ut hinc etiam Alvari esse videatur. Unum illud est, quod ut Alvari opus illud esse non credam, omnino persuadet, quia nimirum D. Eulogii ibi mentio nulla fit. Nec arbitror Alvarum in tanta benevolentia continere se potuisse, quin eius eadem scribentis meminisset. Et de hoc iterum in Scholiis libri primi ad finem.

(1) Perquam rectè existimabat Illustrissimus Antistes (quidquid aliter visum fuerit Ambrosio nostro hic et in Schol. ad lib. 1. num. 1. et 23.) scripsisse Alvarum Indiculum Luminosum. Hoc argumentum egregiè discutit idem Florezius tom. x. Hisp. Sacræ, pag. 41. et seqq. qui et Indiculum edidit eod. tomo.

D. EULOGII MARTYRIS CORDUBENSIS, DOCTORIS, ET ELECTI ARCHIEPISCOPI TOLETANI, *MEMORIALIS SANCTORUM* LIBRI III.

EPISTOLA D. EULOGII AD ALVARUM CORDUBENSEM.

ARGUMENTUM.

Opus MEMORIALE MARTYRUM appellatum ad Alvarum mittens, quando cœptum, intermissum, et tandem finitum fuerit, memorat. Censuram et limam eius exposcit. Primum autem eius operis librum solummodo nunc missum, et hinc et ex Alvari responso apparet, quando in carcere positus Divus Eulogius ad Alvarum scribit.

Carissimo in Domino Iesu Christo fratri meo Alvaro Eulogius.

Olim, mi frater, tranquillitate vegetatus domestica, et pacatis familiaribus curis, cuncta mihi commodiùs prosperabantur. Verùm dum subitò omnes ex martyrio Beati Isaac turbaremur, totaque urbs tantæ rei novitatem stupesceret, cœpere omnes, tàm clerici, quàm laici, magnanimiter colere quod actum est, summoque honore tanti prædicatoris extollere constantiam. Sed dum coalescens calor divinus multos incenderet, ageretque catervas fidelium in forum descendere, ac præmissa fidei confessione, hostem Ecclesiæ detestari; illicò iracundiâ tyranni sævientis omnes exterriti, inaudita versibilitate sententias mutant, detrahunt, maledicunt: auctoresque magni sceleris esse, et eos qui talia agunt, et qui eis favent, annuntiant: paucis admodum, sicut ipse non nescis, talium sacrilegio sequestratis, qui primam sententiam suam nullatenus a venerabilitate Sanctorum immutaverunt. Qua de re nisus sum huic insistere operi, et pro captu virium, Domino adiuvante, succinctam huius mediocritatem formare libelli: ut suum de nobis reddens futuris generationibus testimonium, aut [1] mendacii infamiam, aut laudis ab eis susci-

SCHOLIA AMBROSII MORALIS.

(1) *Aut mendacii infamiam.* Ex fiducia veritatis ita loquitur subobscurè.

perem titulum. (1) Cum nos obtentu eius præmium defensoris iustitiæ nihilominus a Domino speremus accipere. Quod opus iam penè expeditum, cum me furibunda optio præsidalis horribilibus carceribus applicaret, turbata omni familia mea irruptione satellitum, ut erat cartulis et (2) pitaciis diversis dispositum; arbitratus sum, quod per (3) varia fuisset dispersum. Sed illud tunc Domino conservante, nunc inter angustias carcerales, ipso demum iuvante, non solùm perfici, verùm etiam alibi transcribi promeruit, seseque non priùs alteri quàm tibi innotesci elegit. (4) Quia ceteris magis non audet publicari, quàm nolit: ne detrahendi occasionem inculta materies adversariis præbeat, ne ridiculum oratio impolita perosis exhibeat. Hinc ad te, frater carissime, arbitrum scientiolæ meæ iustissimum, opus ipsum vilibus adhuc membranis digestum, primò procuravi transmittere, ut fraterno elimatum iudicio, si probaveris, pateat; si reprobaveris, taceat. Ac deinceps tunc iam (5) illabili gressu cuneos susurronum armata dextera scindat, et ad fideles suos (6) victoriando accedat: ut simplici exhortatione catholicum imbuens gregem, quidquid gloriæ promeruerit, vestris laudibus admittatur, vestræque parti tota eius benedictio applicetur. Sin verò turbinibus suæ obvolutum segnitiæ silentio eum decreveris perenni sopire, nullus mutum irridere, nemo tacentem poterit infamare. Unde quæso serenitatem vestram, ut intuitu caritatis, qua utrique inconvulsibiliter copulamur, electione arbitrii nostri hoc opus *Memoriale Sanctorum* vocatum, percurrendo emendetis, recensendo excolatis; et si nominis sui meritum geret, vestro testimonio roboretis. Ita cum eisdem ipsis, de quibus loquimur, Sanctis, adscripta nominis vestri memoria in cælesti pagina, gaudeatis, dum mihi, vel in ultimo angulo paradisi gratia interventus eorum situm præstiterit quiescendi. Amen. Vale in Domino Iesu Christo, serenissime frater.

SCHOLIA AMBROSII MORALIS.

(1) *Cum nos obtentu eius.* Et hìc non admodum perspicuè loquitur, et tamen zelo fidei et veritatis etiam fiducia hæc dicuntur.

(2) *Pitaciis.* Tabellæ, græcè pitacia dicuntur. Omnia autem in quibus scribebatur, tabellas prisci vocabant, tametsi membrana esset aut cartha.

(3) *Per varia.* Aliquid deesse videtur: discrimina, aut loca.

(4) *Quia ceteris.* Subtile quiddam cum dicere cuperet, non potuit effugere obscuritatem. Cum indignè, inquit, ferat opus se supprimi, horret tamen in vulgus exire. Cupit, et pariter timet evulgari. Videtur pauculis verbis comprehendere voluisse, quod librum suum alloquens, non paucis versibus Horatius exequitur.

(5) *Illabili gressu.* Hoc est, firmo, et quod labascere iam non formidet.

(6) *Victoriando.* Novatum illo tempore vocabulum, sicut et illud paulò post *inconvulsibiliter*: et multa huiusmodi, quæ omnibus nota annotatione nostra non indigent, cum præsertim catalogum ipsorum iam in ipso operis vestibulo apposuerimus.

RESCRIPTUM ALVARI AD EULOGIUM.

ARGUMENTUM.

Superiori respondens Alvarus, opusque magno opere laudans, rerum præstantiam, et orationis extollit gravitatem. Ut edat hortatur; sublimitatem verò dictionis affectans, in affectationem per Cacozeliam incurrit.

Reverentissimo Patri Eulogio Alvarus.

Reprioraſti, mi Domine, emolumenta priorum: et anteriorem iamque obliteratum fulgorem catholicum, ceu fontem obturatum vitæ æternæ, saturum, ex Iesu pectore scaturientibus profluens venis, reserasti fidelibus universis. Ille enim, qui ætatis nostræ huius miseratus errorem, athletarum suorum occultum propallavit agonem, ipse magnum præ omnibus inspiravit doctorem, quem talium verissimum accingeret laudatorem. Vigore nempe æthereo, non mundiali caduco, accinctus, et eloquentia pariter divinâ humanâque ornatus, et in hortatione martyrii primus accurris, et in defensione Ecclesiæ ante alios milites palæstræ æternæ desudans, bella Domini prælians, præ cunctis assurgis. Verè namque ille Spiritus corda vestræ prudentiæ tetigit, qui olim missus Apostolis, Ecclesiam diversis donis ornavit. Et qui heroas, de quibus loquimur, armavit ad pugnam, aptavit ad gloriam, et ad perennem perduxit coronam, ipse fidei vestræ constantiam, ac linguæ dissertæ facundiam, seu sapientiæ profluentem doctrinam plus solito accuens in rebus sibi placitis, eo dogmatis imbuit munere, (1) *quo sibi notum est soli placere. Et licèt philosophica dictio, et Tulliani fontis redundans oratio* (2) *trimodum illud loquendi genus pro insita naturali cautela retentet; tamen maiori laude habendum est, quod apostolico more digestum est. In uno enim et parvo, ut videtur, volumine, et lumen inenarrabile profers cæli, et venustatem sermonis non mediè repræsentas humani: dum et oratorum florem aspergis rhetoricum, et prorrigis legenti-*

SCHOLIA AMBROSII MORALIS.

(1) *Quò sibi notum est.* Obscurè aliquantulum, ut alia quædam, dixit. Eo te munere Deus donavit, quod illi repensum, solet illi placere. Novit autem ille solus, et quod tandem hoc munus sit, et quo pacto eodem donati, in ipsius obsequium gratum eidem et iucundum refundant.

(2) *Trimodum illud.* Triplex dicendi genus Rhetores distinguunt, sublime, mediocre, et infimum. In idem penè recidunt Asianum, Rhodium, et Atticum.

tibus cibum divinum. Tibi (1) *lacteus Livii subditur amnis, tibi dulcis cedet illa* (2) *sæcularis lingua Catonis, fervens quoque Demosthenis ingenium, et dives Ciceronis olim eloquium, floridusque Quintilianus.* (3) *Et dudum præconatus stylo in rebus perditis et caducis, et labilis ævi rotatu decursis, omnisque mille generibus exculta doctrina, comparata luculentissimo operi, obsoleta est, et infecta. Terrestris quippe nitor æquiparatur ex nulla parte cælesti, et immortale ingenium immortali extollitur laude. Nescit namque finiri cum sæculo, quod collatum est dono supernо. Bonus enim homo de bono thesauro profert ea, quæ bona sunt, et doctus a Deo scriba de thesauro Dei profert nova, et vetera, de quibus summi patris regat familiam.*

Ornasti (mi sanctissime) nostræ ætatis ultima tempora, et sequuturis generationibus odorem nectareum propinasti: ut a generatione in generationem nostra ætas laudetur, et nomen tuum redoleat in universis finibus terræ. Nec vigor divinus humano præconio indiget: et quod per se extat laudabile, haud dubium quin in prima gloriosum sit facie. Pulcher enim, mox ut videtur, licèt a longè videatur, amatur; et (4) *ignicomus centri viator confestim ut oritur, cæli oculus comprobatur: nec operoso indiget visu, qui non videntibus oriendo præbet aspectum.*

Quod verò humilitati serviendo, meo subdis iudicio, quod divino instruxisti oraculo; licèt ob nostram ædificationem (5) *tua dicta inficias, et satius veritatem a suo tramitis gressu in obliquum mergas; tamen cavendum est iterum, ne dum humilitati nimium servis, infringas iudicium veritatis: dum infimum, et quem tu inscium multotiens comprobasti, tantæ materiæ superponis, et pretiosum a vili non solùm non secernis, sed quod magis est verendum, cæno limoque involvis. Verùm quia nostræ censuræ (quæ nulla est) hunc tacendum, publicandumve iniungis; patienter perfer nostram sententiam, et ipsum*

SCHOLIA AMBROSII MORALIS.

(1) *Lacteus Livii subditur amnis.* Titi Livii plenam, et dulci quadam æquabilitate redundantem ubertatem, lacteam primus Fabius appellavit. Inde Divus Hieronymus lacteo illum eloquentiæ fonte manare dixit.

(2) *Sæcularis lingua Catonis.* Non video cur sæcularem Catonis linguam appellaverit. Nisi fortè in nomine Catonis mendum insit, aut in epitheto, ut *singularis* legendum sit.

(3) *Et dudum præconatus.* Hunc auctorem quem maximè omnium nominatum opportuit, reliquit sine nomine: nec divinare datur quem innuat. *Et* coniunctio quidem deerat in exemplari, fueratque superaddita prisca admodum, et Mozarabi scriptura, sicuti et multa alia sæpe. Et manifestum utique est coniunctionem ab Alvaro interpositam; neque enim quæ sequuntur, Quintiliano tribui possunt.

(4) *Ignicomus centri viator.* Tragicum plane est epitheton, quemadmodum et poeticum etiam est, solem cæli oculum appellare. Mundi oculus apud Ovid. 4. Metamorph.

(5) *Tua dicta inficias.* Hoc est: hoc colore, quod dicis, intingas, et hoc prætextu utaris. Et *satiùs* adverbium mox additum pro *cautiùs* positum crediderim.

ipsum codicem sydereo splendore coruscum ad multorum remedium solida, si dici fas est, litteris in æternum. Egisti autem, beatissime Pater, carmen sonorum, quo mortis metus excantatus effugiat, et antiqua glacie duratus animæ stupor, frigusque pellatur: quo calor vitæ et ignis ille Deificus, quem Christus venit mittere, ardeat, et extincti carbones, vel corpora mortua, flante ex quatuor partibus mundi spiritu, vivant, et lumen Arabico dolo extinctum recipiant. Macte virtute, macte gloriæ semper habendus, qui non solùm linguæ in laudibus Confessorum solvisti officium, (1) *verumetiam ob oris gratiam in præmium Confessorum ex parte sentis supplicium; et inter sæva claustra et arcta custodiæ verbum regni serens, feliciori polles victoria. Præconandus sæculis universis, qui et in suppliciis positus linguam non cohibet, et pro omnibus solus non tacet. Splendesce, et ampliori lumine, quo fulges, claresce: quia reposita tibi sunt præmia, et centuplicata te manet corona, nosque tuo suffragio, quo semper fovisti, tuere.*

DIVI EULOGII

IN PRIMUM LIBRUM MEMORIALIS SANCTORUM

PRÆFATIO.

V. Schol. Ego quidem volumen hoc *Memoriale Sanctorum* appellans, illis tantummodo ascysteriis commentaveram, e quibus prior ille monachorum globus ad resistendum mendacissimo vati processerat. Sed postquam ex urbibus, viculis, oppidiculis, et castellis certatim proruere ad hoc certamen viros ac mulieres cognovi, neque quemquam vereri præsidis tribunal comperi, sed omnes pro testamento, et legibus Dei nostri mortem incunctanter elegisse conspexi; universis illud Ecclesiis supra solidissimam petram fundatis dicavi: ut tantum haberent cuncti de triumpho eorum suæ consolationis et gloriæ exemplum et gaudium, quantum fuit illos ex diversis locis venisse, et in exemplum totius Ecclesiæ discrimina passionum subiisse.

Inter plurimos martyres præcipuus S. Isaac.

2 Sed reor, quòd inter ipsos haud dubiè principatum obtinet sanctus Isaac monachus, qui prior e Tabanensi cœnobio in forum de-

SCHOLIA AMBROSII MORALIS.

(1) *Verumetiam ob oris gratiam.* Subtile et inde obscurum, præterquamquod ipsa verba nescio quid perplexum involvunt. Sensus est: Non solùm debito officio linguæ fungeris, Confessores laudando; sed præmium etiam laudabilis huius officii assequeris, Confessoris iam sustinendo supplicium. Ob martyres laudatos eo munere a Deo afficeris, ut penè iam martyr efficiaris.

descendens, iudicem adiit, atque his verbis eum aggreditur. " Vellem (inquit) iudex, cultor „ fidei strenuus fieri, si modò tu „ non differres ordinem rationem- „ que eius mihi exponere." Cui cum libenter, quasi iam tyrunculo fidei suæ credituro iuveni inflatis buccis, turgenti gutture, crepitantia infra cava palati verba institutionis lingua fallax proferret; sectæ huius auctorem Mahomad fore prædixit, qui angeli Gabrielis magisterio illustratus, verbum Prophetismi ab Altissimo nationibus relaturus accepit, legem instituit, paradisum disseruit, regnumque cælorum plenum epulis et fluxibus fœminarum edocuit. Sed et alia plura, quæ hìc disponi perlongum est, ex ritu pro vano arbitrio prosequente, protinus ephebus ille venerabilis monachus, ut erat apprimè litteris Arabicis imbutus, Arabicè dans illi responsum, " Mentitus, ait, est vo- „ bis (ita maledictionibus tabescat divinis), qui tanto scelere „ implicatus, tantorum agmina „ perditorum invasit, secumque „ inferorum barathro mancipa- „ vit. Ille etenim dæmonio ple- „ nus, dæmonicis favens præ- „ stigiis, lethale morbidis propi- „ nans poculum, æternæ perdi- „ tionis luet interitum. Quare „ vos scientiâ prædìti a talibus „ non abdicatis periculis? Quare „ non renuntiantes ulcus pe- „ stiferi dogmatis, perennem „ fidei Christianæ Evangeli- „ cam sospitatem optatis?"

V. Schol.

V. Schol.

Arguit legem Mahometi.

V. Schol.

3 Hæc et his similia ore pudico, summis reverentiæ ausibus viribusque, linguâ peracutâ beato disserente Isaac, stupore nimio iudex turbatus, ac veluti amens effectus, ubertim lacrymasse perhibetur: et quadam mentis hebetudine occupatus, vix potuisse fertur, exprobranti se monacho respondere: sicque manu extensa faciem eius verberanti, confestim monachus dixit: " Consimilem imagini Dei vul- „ tum audes ferire? Vide qua- „ lem propter hoc redditurus sis „ rationem." Iccirco a consedentibus secum sapientibus deprehensus arguitur, quòd gravitatis (1) Censoris oblitus, leviter per semetipsum ad cædendum martyrem egerit: et præsertim quia secundum legum suarum sententiam is qui pro crimine dignus est mori, nullius pæne convitiis lacerari debet. Tunc iudex ad sanctum Isaac conversus ait: " Forte madidus vino, aut fre- „ nesi captus ad ista, quæ pro- „ fers, non facilè potes adverte- „ re. Nam ipsius vatis nostri, „ quem tu temerè convitiis im- „ petis, sententia manet irrefra- „ gabilis, animadverti debere in „ eos, qui talia de ipso non ve- „ rentur profiteri." Ad quem venerabilis Isaac intrepida responsione ait: " Ego quidem, iudex, „ nec vino madidus, nec quo- „ libet morbo saucius sum; sed „ zelo iustitiæ conflagrans, qua „ vatem vestrum, vosque ex- „ per-

Cæsus in facie.

Intrepidus respondet.

(1) Censorem, vocat hoc loco, quem antea et paulò post iudicem appellat: et infrà lib. 3. cap. 16. *Schot.* Ibi nos ad Schol. Moral. de hoc loquemur.

„ pertes existere comperi, veri-
„ tatem vobis exposui: propter
„ quam si mors furibunda occur-
„ rerit, libens excipiam, placi-
„ dus subeam, nec ab eius casi-
„ bus cervices meas avertam.
„ Novi enim Dominum dixisse:
Matth. 5. 10. „ *Beati qui persequutionem pa-*
„ *tiuntur propter iustitiam:*
„ *quoniam ipsorum est regnum*
„ *cælorum.*" Tunc iudex carceri illum tradens, protinus regi causa eius innotuit, qui tantæ accusationis eventu perterritus, illico ferocioribus animis ferox promit edictum, dicens morti usquequaque fieri debere obnoxium, talem in auctorem fidei suæ ferentem convitium. Hinc *Martyr obiit anno 851. die 3. Iunii.* Dei servus ad necem damnatus vertice plectitur: hinc in stipite elevatus capite deorsum appenditur, atque ultra amnem in spectaculum urbis locatur tertio Nonas Iunias, feria quarta, Era octingentesima octuagesima nona. Cuius corpus post aliquot dies cum ceteris, qui eum imitando perempti sunt, igne crematum, et in favillam conversum, deinceps in amnem proiectum est. V. Schol.

In infantiâ prodigiis claruit. 4 Sed necesse est exponere, quibus indiciis vel prodigiis hic beatus Isaac extiterit in infantia denotatus; ut ex eo divinitus ad coronam martyrii illum fuisse credamus electum, ex quo in matris utero positus terribilem valde parentibus stuporem intulerit. Tribus namque vicibus una die, paulò antequam nasceretur, visus est loqui: cuius rei novitate perterrita mulier pene mortua vim verborum nequaquam potuit intelligere. Alio etiam tempore, cum adhuc septennis existeret, virgo quædam (1) vidit per visionem globum luminis e cælo descendere, et inter omnium præstolantium turbam solus hic ulnas extendens, manibus lumen excepit, totamque eius claritatem ori suo iniectam ebibit: felicem tunc et verè beatum omnibus tali condignum munere nuncupantibus. Hæc sunt infantiæ eius prodigia et signa, quæ illum dignum martyrio longè antea portenderunt.

Et post obitum visione honoratus. 5 Nam quidam sacerdos ex cœnobio Tabanensi, ex quo idem Beatus ad agonem processerat, peractis Missarum Dominico die solemniis, septimo scilicet Iduum Iuniarum, qui post quintum (2) martyrii sui diem evenerat, in quodam lectulo fratrum recumbens, obdormire paulum cœpit; et ecce subitò per somnium vidit puerum decoris pulcherrimi a partibus Orientis venire, schedamque miræ pulchritudinis manibus gestantem sibi adsistere. Quam ab eo accipiens, scripturam eius legere cœpit: erat enim his exarata sermonibus: " Sicut
„ pater noster Abraham Isaac fi-
„ lium Deo in sacrificium obtu-
„ lit, ita et nunc sanctus Isaac in
„ conspectu Domini sacrificium
„ pro fratribus immolavit." Et continuò quidam e civitate venientes dixerunt beatum Hieremiam martyrio cum aliis fuisse coronatum per Dominum nostrum Iesum Christum, cuius exem-

V. Schol. *Sanctus Hieremias martyr.*

(1) Schot. *cernit.*

(2) *Inclusivè, uti aiunt, computat.* Moral.

exemplo nonnulli ad publicum sub eadem professione perempti sunt.

Sanctus Perfectus Presbyter martyr.

6 Sed dudum anticeps illis beatæ memoriæ Perfectus presbyter extitit, qui ob eiusmodi professionem, qua et isti, occubuit; sed non eo modo quo ipsi deciderunt. Prædictus namque presbyter coactè ad passionem tractus, viriliter consummavit sancti certaminis cursum. Hi verò sponte sua venientes, acriter hosti resistunt, et quadam violentia per effusionem cruoris regnum cæli capessunt. Quo autem ordine idem venerabilis Perfectus presbyter passionis bravium emeruerit, principium libri secundi exponet; ac deinceps ceterorum nomina, ætates, ortus, temporaque allisionum edicet. Quapropter hanc præfationem in capite voluminis posui, ut inter laudes vituperationesque sanctorum me discurrente, interdum etiam auctori profano obviam venientem lectores mei faciliùs intelligerent, precibus expiarent, orationibus adiuvarent: et tam de illis, quàm de me ipsis favente, iudicium proprium et nunc et ante Dominum ferrent.

MEMORIALIS SANCTORUM

LIBER PRIMUS.(1)

Vide Schol.

Ecclesiæ commodis invigilandum.

Peritissimorum virorum providum semper esse debet consultum, commoda Ecclesiæ Catholicæ non parvipendere, nec ab obventu perfectionis eius desistere; vel si qua vitio cuiusque hebetudinis sese interserunt commenta piæ religiositati adultera, nullatenus improbo neglectu silentii in maiorem perniciem sinendum accrescere. Quia quantum meritis præclaræ conversationis, seu sanctæ doctrinæ gradibus sancta Ecclesia in superna evehitur, in sublime elevatur, ubique incremento fidei dilatatur; tantùm etiam, aut eo ampliùs incuria negligentium deiicitur, impulsibus horum miserè concutitur, et quorundam socordia ad ima proiicitur. Hinc provenit, ut auctæ vires perversorum detrimentum semper fidelibus ingerant, dispendiumque gregi pusillo, cui complacuit Patri dare regnum, exaggerent: dum aliquando torpenti silentio omnibus contentis, seu proniori lapsu ultimo vitiorum abyssu immersis, nullus adsit, qui redimat, neque qui salvum faciat, dicente Propheta: *Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis murum pro domo Israël, ut staretis in prælio in die Domini.* Illius etiam quàm maximè vaticinium Prophetæ formidans, quo socordiam inutilium pastorum Dominus contestatur, *Ecce*, inquiens, *vos lac comedistis, et lanis operiebamini: oves autem meas lupi invaserunt:* et dum non procuratis pascua salubria, ab inimicis eis sunt herbæ morbidæ procuratæ.

Luc. 12. 32.

Psalm. 7. 3.

Ezech. 13. 5.

Ibi 34. 3. 5.

2 Quapropter ne canis mutus,

Isai. 56. 10.

(1) Scriptus anno 851. post medium Iunii, et ante finem Novembris.

tus, et non valens latrare appellarer a Domino, sive ut evaderem in futurum negligentium iudicium; conatus sum ex pauperrimo nostræ scientiæ scrinio depromere aliqua, et ex olerum ferculis, tamen catholico studio apparatis, fidelium saturare esuriem. Eorum scilicet, qui veritatem fidei christianæ, sicut a sanctis Patribus acceperunt, sana credulitate retentant: ne desistente procurationis nostræ salutari edulio, lethiferum ab inimicis sumerent cibum. Ideoque urgente me divinæ caritatis stimulo, et consultum gerens Catholicæ plebis, quam nutantem in certaminibus militum Christi cognovi, seu obvius illis studens occurrere ense verbi Dei accinctus, qui non solùm eos recipere inter martyres nolunt, verumetiam ore sacrilego convitiis atque blasphemiis impetentes, redidivum, si possibile est, quietis Sanctorum implodunt supplicium: seu dignis beatorum satisfacere memoriis anhelans, qui cælo regnantes exemplaria victoriarum suarum mortalibus reliquerunt; libuit mihi pro modulo exigui ingenii talibus rebus insistere, nostroque licèt rusticano sermone (1) parvipendulos informare, æmulis contraire, et cælo tenus acta sanctorum extollere.

V. Schol. 3 Sed nescio quò tendere rea mens poterit, cui legalis auctoritas ex voce Domini occurrit, dicens: *Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras iustitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum?* Psalm. 49. 16. Hinc silere decreveram, hinc meliùs ab huiusmodi intentione abducere me iudicaveram: quoniam nefas esse putabam, os nulla sanctitatis ope subnixum, temerè acta elucubrare sanctorum; sive quòd maiestati rei gestæ nostrum imbecille ingenium consideravi posse succumbere. (2) Quia sicut divina res humanum supergreditur conatum; sic lingua terrenis incumbens, ætherea non potest mysteria loqui. Sicut prædicare liberè nescit, qui minùs peccatis liber existit; sic abnuendum creditur dogma eiusdem, cuius vitiis infecta est vita. Sed numquid mercedem suam coram Domino perdet mens talibus oblectata studiis? aut æternorum vacuabitur gratiâ munerum? Qui init quod Deo est placitum, etsi non effectum, certè vel pium geret affectum. Aut non erit coram Domino compensandum, quod hi, qui zelo Dei armati contra hostem, publicum apertumque gesserint bellum, in eo nos ineffabilium attollat lætitia gaudiorum? Sicut enim mihimet nescius non sum, peccatis obnoxium, sceleribus implicatum me ipsum esse; ita quoque de cle-

(1) Hispanismus: quos vulgò *poco considerados*, et *burladores* dicimus. Utitur sæpe eod. verbo, et in eod. sensu voce *Parvipendens* infr. in orat. ad fin. lib. 2. et in Apolog. num. 4. *Schot.*

(2) Hunc locum ita restituimus, cum et in editione Ambrosii Moralis, et apud Andream Schotum, eum corruptum credamus. Ubi enim nos *sicut* in utraque periodo apponimus; Morales *sic*, Schot. verò *si* priori, *sic* autem secundo aptavit.

mentia Redemptoris mei nullatenus sum diffisus, qui reprobans peccatores ab officio prædicandi
Matth. 7. 6. (quia non licet committere cani sancta Domini) non refutat peccatorum utilem voluntatem in id quod sibi placet. Denique execranda sunt opera reproborum, non contemnenda vota probabilia peccatorum. Quia sicut opus sinistrum usquequaque nos deiicit, ita pium affectum in nobis Dominus non spernit. Quapropter illico mens deiecta erigitur, Christumque instituentem ac promittentem recolens, spe quodammodo possibilitatis ani-
Psalm. 80. 11. matur, qui ait: *Aperi os tuum, et ego adimplebo illud.* Et alibi: *Dominus dabit verbum evangelizantibus in virtutibus multis.* *Psalm.* 67. 12. Inde voti compos effectus credo, quòd idem magister verus dignabitur nobis conferre præconabile verbum ad instructionem catholicorum honestam, ad laudem sanctorum dignissimam, et ad expugnationem adversariorum efficacissimam, qui præstitit animali irrationali eloqui ritu ho- *Num.* 22. 28. *&c.* minum. Et sicut me indignum tanto opere fateor, ita quoque sui perfectione non solùm erui culpis confido, verumetiam pœnis abstractus, præstantiorem gratiam interventu eius apud Dominum invenire spero: ut est illud philosophicum:

Hoc opus hoc olim forsan me subtrahet igni.

4 Igitur de memoriis Martyrum quidpiam me locuturo, principium orationis nostræ ad vos dirigatur, o sancti fratres nostri, et sorores in Christo beatæ, ex quorum collegiis sacratissimo Deo libata est hostia, non verens pudorem inculti eloquii, non venustatem leporemque affectans liberalis studii, quod nullius instituentis magisterio traditum habui: præsertim cùm et in huiuscemodi rebus magis noverim simplicem veritatem esse observandam, quàm tonantem musarum turgidam pompam. Loquar etiam tibi, o universalis Ecclesiæ sanctæ conventus, ut verbum veritatis, quod ore nostro edicitur, placidis mentium ulnis amplectens, nullatenus prædicationis nostræ arcendam velis doctrinam, quæ apostolica affirmante auctoritate, libera ad instructionem omnium redditur: cùm unius fidei auditores vario discretos talento, diverso præceptorum accendit oraculo: et ibi acriorem spiritu patientiæ virtutem demulcet, ubi mitem vivido iubentis imperio perarmavit: uni dicens: *Argue, obsecra, in-* 2. *Tim.* 4. 2. *crepa in omni patientia et doctrina;* alteri verò præcipiens: *Argue cum omni imperio. Ne-* *Tit.* 2. 15. *mo te contemnat.* Unde parati estote omni homini reddere ra- 1. *Petr.* 3. 15. tionem, petere a vobis volenti, de illa, quæ in eo manet spe; ne (quod absit) stupido auditu sanæ doctrinæ dogmata respuentes, illius quondam apostolicæ imputationis sententiæ obnoxii iudicemini, qua dicitur: *Erit* 2. *Tim.* 4. 3. 4. *enim tempus, cùm sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad*

ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus : et a veritate quidem auditum avertent , ad fabulas autem convertentur. Quia sicut nobis incumbit officiositas prædicandi , ita vobis subest necessitas audiendi. Nec propter hoc quòd nos inordinatè degimus, turpique conversatione deiicimur , respuendum verbi Dei documentum arbitremini : quoniam plerumque in magna domo Patrisfamilias novimus (1) haud ambiguè conversari asseclas deploratæ vitæ , quorum ministerio familiares dominorum interdum expediuntur necessitates. Nam et Imperatoribus mundi plumbeis adducitur cuniculis unda ; et inter sacra Domini vasa auro argentove conflata , pretiosorum lapidum ornamentis percompta, etiam non abiicienda habentur testacea. Solet enim peccator sorti Dei immixtus quotidie in aures populi hæc dicere : Dominus ait , proclama : de transgressionibus præceptorum Dei plebem argue : de severitate iudicii , quæ peccatorum debetur excessibus , contestare : de redditu veniæ, et spe promerendæ clementiæ admone ; cùm tamen ille ipse nec modum sibimet in criminibus ponat, nec terrorem futuri examinis metuat , et quod aliis prædicat , moribus ipse impugnat : verbo autem eius nonnulli intenti , ab illicitis abstinent, et perfectioribus adhærent. De quibus in Evangelio dicitur: *Omnia quæcumque dixerint vobis , observate , et facite : secundùm opera verò illorum nolite facere : dicunt enim , et non faciunt : alligant onera gravia et importabilia , et imponunt ea humeris hominum , digito autem suo nolunt ea movere.* Unde congruit, ut cum Ecclesia possidet rectorem vitæ moribus delectum, non contemnendam eius prædicationem existimet, quamvis hanc ipse pravis actibus impugnet. Officium itaque vulgi est intendere ad concionantem , et audire dicentem , et doctoris prædicationem operando exequi , et non proprium iudicium de præpositorum meritis ferre , quos suo Dominus distringendos examini reservavit , dicens : *Propheta namque , et Sacerdos polluti sunt , et in domo mea inveni malum eorum , ait Dominus. Iccirco via eorum erit , quasi lubricum in tenebris : impellentur enim , et corruent in ea. Afferam enim super eos mala, annum visitationis eorum.* Et iterùm : *Mihi vindictam , et ego retribuam , dicit Dominus.* Et licèt hæc , quam dudum digessi auctoritas , meriti mei defensionem inquirat , et quibus modis iustorum legem evadere non possim , ostendat ; plus tamen simplicem religiosorum conventum accendere anhelat , ne sancta sanctorum , quamvis ore improbo edita , respuat.

Matth. 23. 3. 4.

Ier. 23. 11. 12.

Deut. 32. 35.

5 In horum igitur certaminibus confessorum tantò alacrioribus animis est exultandum , tantaque libertate cordis et vocis glo-

(1) Haud dubie , procul dubio. *Schot.*

gloriosum consummatæ victoriæ cursum ferendum ; quantò his divina vox indulgentissimæ sponsionis verum salutis confert solatium, dicens : *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Quoniam veraciter cognovimus, non inchoantibus deberi præmium, sed perseverantibus. Adeò illa primordialis abrenuntiatio rerum, mundique contemptus præcipuis votis, et studio ardentiori ab eis exercitatus est, ut contuendi velociùs Deum, et beatorum fruendi consortio desiderium haberent, ut etiam labentis vitæ obnixè occasum appeterent : meliùs putantes sub unius puncti spatio ferre sententiam hominum, quæ illico, nulla intercedente dilatione, eos ferret ad cælum, quàm per varia et longa discrimina temporum cum gravi molestia sustinere versutias dæmonum. Et Dominus quidem ad officium prædicandæ veritatis discipulos imbuens, impavida eos audaciâ iubet esse contentos, dicens : *Euntes per universum mundum prædicate Evangelium omni creaturæ, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit : qui verò non crediderit, condemnabitur.* Et iterum : *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, quia non habent quid ampliùs faciant : sed potiùs eum timete, qui potest corpus et animam perdere, et mittere in gehennam. Vos estis lux mundi. Non potest civitas abscondi super montem posita : neque accendunt lucernam, et ponunt eam sub modio. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine : et quæ in aure audistis, prædicate super tecta.* Quod in mysterio cognovistis, apertiùs enarrate : quod didicistis absconditè, publicè loquimini : quod vos erudivi in parvo Iudeæ loco, in universis urbibus, et in toto mundo audacter dicite. Docet fiduciam prædicandi, ne Apostoli abscondantur ob metum, et sint similes lucernæ sub modio : quoniam hi qui libertatem faciendi verbum in populis divinitus acceperunt, nequaquam resilire a prædicatione veritatis, etiam periculis imminentibus, debent, ut non lucernis sub modio, sed supra candelabrum positis comparentur.

Matth. 10. 22.

Ibid. 28. 19. *et Marc.* 16. 15. 16.

Matth. 10. 28.

Ibid. 5. 14. 15.

Ibid. 10. 27.

6 Et licèt formidolosis facultas collata sit declinandi rabiem persequutionis, non tamen passim hoc observandum est a (1) perfectis, qui iam præsciâ Redemptoris potentiâ denotati et conscripti, quasi ab (2) immensis legionibus ad exercitium prælio-rum Dei electi sunt. Ut si propter veritatem mors cruenta eis occurrat, non curandum est de iactura membrorum, ubi sine dubio solatium vitæ perennis acqui-

Fugere persecutionem quo pacto liceat.

(1) Ita ferè auctor Indiculi Luminosi : *Fugiant debiles et infirmi, certent fortes et animi honestate præcincti.* Tom. XI. Hisp. Sacr. pag. 223. *Si infirmus, debilis, inanis, timidus es... quiesce.... si habilis, si fortis, si audax, si constans.... contra hostes ut strenuus, et non ut ignavus contra tuos iacula torque.* Pag. 238.

(2) *Pro* numerosis *Schot.*

quiritur animarum, dicente Do-
Ibid. 16. 24. 25. mino: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. Qui enim perdiderit animam suam propter me, in vitam æternam inveniet eam.* Inde sancti viri placidis auditibus veritatem evangelicam capientes, eam totis nisibus adimplere contendunt: scilicet viam sanctæ confessionis virtutem huius præconii esse solummodò arbitrantes. Qui illico relictis urbibus, et his quæ mundanis hærent affectibus, avida rapiendi regnum Dei cupidine conflagrantes, circuïerunt in mellotis, et in
Hebr. 11. 37. 38. pellibus caprinis: egentes, angustiis afflicti, quibus dignus non erat mundus: in solitudinibus errantes, in montibus, et in speluncis, et in cavernis terræ: expectantes Dominum, qui salva-
Psalm. 54. 9. ret eos a pusillanimitate animi, et tempestate. Sed ista pro nihilo computantes, immò verò contra spiritalis nequitiæ hostem dubium quotidie agonem gerentes, nutu Dei mortificatione subita temporalis vitæ accendun-
Philipp. 1. 23. tur, et secundùm Apostolum dissolvi cupiunt, et esse cum Christo: viam compendii requirentes, qua de corpore mortis huius eruti, properè ad cælestem patriam pervenirent, et piâ violentiâ regnum Dei arriperent. Sic quoque armati loricâ iustitiæ, in forum prosiliunt, prædicantes Evangelium Dei principibus, et nationibus mundi. Super Christum montem excelsum contemplatione mentium elevati, didicerunt confessores beati ex Psalmistæ oraculis iustitiam Domini in Ec-
Psalm. 39. 10. clesia magna fore annuntiandam: et ideò perfecto odio contra adversarios Ecclesiæ insurgentes, arguunt impios de falsidica vatis iniqui doctrina, præstigiis, sacrilegiis, et vanitatibus sæculi plena: detestantur quoque, et maledictionibus auctorem tantæ perversitatis impugnant, eumdemque cœtum talibus inservientem culturis perenni anathemate damnant: et ita interriti contra hostem publicum apertum veritatis erigentes vexillum, utpote ante fores Prætorii, et in ipso accessu palatii proferentes testimonium in ducem perditionis, confusionis et ignominiæ: non verentes, quòd suppliciorum pro eadem veritate subirent tormentum, aut qualibus periculis vitæ huius haberent occasum. Quippe quos immensus urgebat ardor migrandi ad cælum, festinantes videre faciem eius, cui servierunt. Stimulatur zelo ultionis cohors iniqua gentilium, celerisque animadversionis emergit vindicium in obtrectatores sectæ suæ. Nescientes quia illi, ut hunc (1) præcocem obitum exciperent, liberis vocibus inimico iustitiæ et adversario Ecclesiæ Dei progressu ultroneo restiterunt: loquentes de testimoniis Domini in conspe-
Psalm. 118. 46. ctu regum, et nihil verentes: quia nihil aliud mortem suam, quàm vitam perpetuam existimantes, sponte interitum carnis exoptant, voluntarium Deo animarum suarum

(1) Quasi ante temporarium præmaturum. *Schot.*

rum sacrificium offerentes. Quibus rectè prophetica voce cantatur : *Qui sponte obtulistis de Israël animas vestras ad periculum , benedicite Dominum.* Ac per hoc veri imitatores Pauli Apostoli mihi esse videntur, qui ait : *Si quis vobis evangelizaverit præter quod accepistis, anathema sit.* Cuius testimonii informati oraculis, prosiliunt contra angelum Satanæ et prævium Antichristi , patulè ea quæ sancta sunt confitentes , quæ nunc etiam omnis Ecclesia Hispaniæ, quamquam clandestinis, ut oppresa , prædicat vocibus.

Iudic. 5. 2.

Gal. 1. 9.

V. Schol.

Mahometi abominanda perversitas.

7 Nam idem perversi dogmatis auctor , et multarum animarum perniciosus eversor , inter ceteros post Ascensionem Domini hæresum institutores solus novæ superstitionis sectam instinctu diaboli condens , procul ab unione Catholicæ Ecclesiæ separatur. Prophetarum vaticinia respuens, et Apostolorum doctrinam infamans , sancti quoque Evangelii veritatem conculcans, piorumque doctorum dogmata abnegans , et ridiculum potiùs quiddam , quàm rerum necessariarum causas per eamdem sectam suam insinuans ; docuit Christum Dei verbum esse, et Prophetam quidem magnum , nulla tamen potentiâ divinitatis subnixum, ceteris hominibus similem , sed non Deo Patri æqualem. Comessationes quoque in paradiso , et carnis proposuit voluptates. Quam quæstionem vir dissertissimus, magnum temporibus nostris Ecclesiæ lumen (1) Speraindeo Abbas cùm contra nugas huius nefandi stylum admoveret , et uno opusculo ex eius deliramentis nonnulla niteretur arguere , in sexto ipsius libelli capitulo , quasi ex voce cultorum eius obiectionem inducens , ac deinceps suam proponens sententiam , ita disseruit , dicens : " Futuro aiunt in „ sæculo cuncti ovantes asporta„ bimur in paradisum : ibi nam„ que nobis a Deo erunt mulie„ res concessæ pulchræ , et supra „ hominum naturam speciosissi„ mæ , atque nobis in voluptа„ tem præparatæ. R. Nequaquam „ ergo vestri in paradiso beatitu„ dinis obtinebunt statum , si eo„ rum uterque sexus vacaverit „ exercitio fluxæ libidinis. Hoc „ non erit paradisus , sed lupa„ nar , et locus obscœnissimus: „ cùm Dominus sciscitantibus „ Pharisæis , cuius in resurrectio„ ne illa mulier coniux existeret, „ quæ septem fratres secundùm „ legem Moysi acceperat ad sus„ citandum proximi semen , re„ sponderit : *Erratis , nescien„ tes scripturas , nec virtutem „ Dei. Filii huius sæculi nu„ bent , et tradentur ad nuptias: „ in*

V. Schol.

Luc. 20. 34. 35.

(1) Hunc virum quem Alvarus initio vitæ D. Eulogii commemorat , et Eulogius hic et in vita SS. Virginum Floræ et Mariæ, fuisse utriusque magistrum ipsi dicunt. Eius Opusculi contra Mahometum nihil amplius habemus quam hocce fragmentum ab Eulogio translatum. Scripsit etiam acta martyrum Adulphi et Ioannis Hispalensium , quæ laudat idem Eulogius in prædicta Vita ; sed omnino periêre. Aliud opus dogmaticum adversus quosdam hæreticos mysteria Trinitatis et Incarnationis labefactantes composuit , quod hucusque delitescens , in lucem a nobis proferetur in Appendicibus hanc S. Eulogii editionem subsequuturis.

„ *in resurrectione autem nec nu-*
„ *bent, nec tradentur, sed erunt*
„ *sicut Angeli Dei in cælo.* Ta-
„ ceam sacrilegium illud, et to-
„ tis Catholicorum auditibus im-
„ mane facinus respuendum, quod
„ de beatissima Virgine, mundi
„ Regina, sancta et venerabili
„ Domini et Salvatoris nostri ge-
„ nitrice Maria canis impurus di-
„ cere ausus est. Protestatus enim
„ est (salva loquor reverentiâ tan-
„ tæ Virginis) quòd eius foret in
„ sæculo venturo ab se violanda
„ virginitas. O vacuum cerebro
„ caput, et (1) privilegio Satanæ
„ occupata præcordia! O vas per-
„ ditum, et habitaculum spiri-
„ tuum immundorum! O frusta-
„ tim præscindendam ense bici-
„ piti linguam! O organum dæ-
„ moniorum, et symphoniam za-
„ buli! Quis furor, quæve de-
„ mentia tantis se blasphemiis in-
„ quinari compulérunt? Quis te,
„ o sordium cloaca, laqueus per-
„ ditionum, gurges iniquitatum,
„ et omnium vitiorum sentina,
„ sensibus privavit humanis, ut
„ non modò tibi sat fuerit tot
„ nationibus inferre interitum,
„ quibus præstigiosum documen-
„ tum suasisti, et totis nisibus
„ nunc, et in futuro luxuriarum
„ obscœnitatibus inservire; sed
„ etiam in Creatore scelus ope-
„ rari aggressus es, impius teme-
„ rator, asserens cæleste hospi-
„ tium et receptaculum Spiritus
„ sancti incontaminatum, incoin-
„ quinatum, purum, sanctum, et
„ mundum, sacrilegiis immundi-
„ tiæ tuæ in futuro sæculo con-
„ taminandum? Quæ nutu super-
„ no Verbum deitatis utero suo
„ excipiens, carne sua creatorem
„ vestivit, salvoque pudore ipsum
„ Verbum ad redimendam in
„ morte creaturam præcipitem
„ edidit. Quæ omnis tactûs aspe-
„ ctûsque expers virilis expavit
„ salutationem Angelicam; et li-
„ cèt sine viro nullam fœtari
„ posse cognosceret, tamen su-
„ perno credula numini, se ad
„ huiusmodi inusitatum conce-
„ ptum electam Deo revelante
„ sciens, consentit, et dicit: *Ec-* Luc. 1. 38.
„ *ce ancilla Domini, fiat mihi*
„ *secundùm verbum tuum.* De
„ cuius gloriosa parturitione olim
„ Dominus per Ezechielem præ-
„ dicare dignatus est, dicens:
„ *Converti me ad viam portæ* Ezech. 44. 1. 2.
„ *sanctuarii, quæ respiciebat*
„ *ad Orientem, et erat clausa.*
„ *Et dixit Dominus ad me:*
„ *Porta hæc, quam vides clau-*
„ *sam, non aperitur, et vir non*
„ *transit per eam, quoniam*
„ *Dominus Deus Israël egre-*
„ *dietur per eam, et erit clausa.*

8 Multa denique alia inaudita vanitatis figmenta scelerosus idem instinctu maligni spiritus, a quo obsidebatur, transfigurando se illi in Angelum lucis Gabrielem componens, delubra in quibus pessimum dogma coleretur, extruxit. Cuius quidem erro-

(1) Privilegium hîc pro imperio usurpat Schottus; sed nos considerantes hanc vocem Eulogium Speraindeum, et ceteros medii ævi Scriptores non pro quocumque imperio, sed pro tyrannico accepisse, ut videre est, lib. 2. Memorial. cap. 1. et tom. 1. nostræ Collection. pag. 11. minimè dubitamus, quin hoc loco privilegium Satanæ eius significet tyrannidem.

roris insaniam, prædicationis deliramenta, et impiæ novitatis
V. Schol. præcepta nonnulli nostrorum philosophorum zelo Dei armati, commentariis et voluminibus exponentes, iustitiæ arietibus illiserunt. At verò confessores beati non leviter spurcitiam eius ferentes, præstantiùs illum, eiusque sectam patulis assertionum congressibus expugnarunt. Quia nimirum noverant, quòd propter eamdem veritatem, quam de ipso cæcorum duce proferrent, gladio vindice protinus erant ruituri.

9 Et licèt primò sanctus Perfectus Presbyter exemplar detestandi fidei hostem omnibus exhibuerit, metumque moriendi pro veritate robur confessionis eius a multis excluserit (de quo in libro secundo nos pleniùs loquuturos, propitio Deo, spondemus); non tamen parvipendenda est invictissimi illius Ioannis
V. Schol. *S. Ioannes Confessor.* constantia præconabilis, qui inter sæva ac dira flagella forti animo durans, plurimos documento suo ad martyrium incitaverit. Super quem inimici Dei viventis falsum coram iudice testimonium proferentes, huiuscemodi contra eum crimen deponunt. "Novi„mus hunc, o iudex, in sub„sannationem doctoris nostri „semper insistere, eumque ma„ledicis verbis irreverenter im„petere. Ita ut cùm fortè nego„tium mercimonii sui in nundi„nis vellit exercere, non aliàs „illicere potest ementes, nisi „cùm sacramentum nostrum di„ctis parvipendulis subtilissimus „irrisor proposuerit. Cuius rei „nos testes sumus, et in verita„te dignum hunc morte confi„temur." Verùm quia minùs idoneorum accusatione testium impetebatur, nec poterat reis mortem inferre obiectio testationis eorum, damnatur Dei servus acrioribus flagris, et crudeli verbere laceratus cogebatur Christum negare. Ille verò non se talibus obnoxium criminationibus solummodo confitebatur, sed etiam neque usque ad mortem religionem Crucifixi deserturum clamabat. Cuius obstinatione iudex vehementi furore commotus, quingentis et eò ampliùs hunc macerandum tradens flagellis, tamdiu verberibus iussit insistere, quousque exanimis inter cædentium manus in solum prorueret. Sicque semivivum vix palpitantem, retrorsus asello impositum, totam circuire urbem ac plateam fecit, præcedente sacrilega præconis voce, dicentis: Hæc merebitur exprobrator vatis nostri, cultûsque irrisor perferre. Postquam verò ad vindictam sui doctoris talia exercuerunt, ad ultimum gravissimo ferri onere coarctatum ergastulo deputarunt. Quem nos ibidem religatum, adhuc dorso eius vigentibus plagis invenimus, nostroque contubernio per idem tempus, quo detrusi sumus, accivimus. Nam beatissimus Perfectus Presbyter, de quo supra meminimus, cui Ioannes ad vincula et cædes successit, violenter ad passionem tractus, posteaquam carcerem adiit, divinitùs illustratus, ad præliandum armatus est. Ita ut necessitatem in voluntatem convertens, vim illam cælesti quodam

dam respectu esse considerans, quo martyrio dignus haberetur, totus in superna erigitur, alienatur præsentibus, futurorum commoda præstolatur, et totius mundani expers affectûs, ad ea quæ diligentibus Deum promissa sunt, futurus martyr aptatur. Hinc sæculo mortuus, et Deo vivens, quod primò se dixisse negaverat, postmodum ultroneus confessor, et athleta fortissimus coram iudice asserebat. Magis eligens mori pro veritate, occasione inde sumpta proferendi iustitiam Dei gentibus, ac detestandi adversarium fidei, quàm negando veritatem tanto se præmio abstrahere.

10 Horum igitur duorum et spontaneus et violentus ad passionem cursus ceteros in unum eumdemque consensum dimicandi ultrò venire coëgit. Quia non erant de corona ambigui, qui noverant etiam vi protractos regni perpetui coronam percepisse. Quapropter ordine, quo in præfatione voluminis huius digestum est, omnis turba sanctorum ad palæstram certaminis currens, dat repudium adversario Dei, et inimico iustitiæ. Omnes summo ore Christum laudantes, cuius tanta virtute subnixi in certamine claruerunt, ut in nullo penitus terrenum formidarent supplicium, qui summi Redemptoris gratiâ illustrati, plus noverant æternum metuere tormentum. Quod ideo in principio libri exposui, ut non deesset cognitionibus posterorum, quæ res confessoribus nostris obtulerit obitum: et cuius rei odio in molestissimam iracundiam excitata gentilitas, totum immanitatis furorem ad perniciem talia profitentium admoverit. Inde etiam prudentissimi lectores facilè poterunt advertere, quàm meritò hoc opusculum in beatorum laudibus laboret, repagula opponens diffidentibus et dubitantibus, qui eos loco martyrum renuunt coli debere.

Crudelitas in martyrum cadavera.

11 Ceterum eorumdem sanctorum corpora, qui primo conflictu occisi sunt, equuleis versis vestigiis affigentes gentiles, post sextum diem allisionis eorum, id est, pridie Idus Iunias, inopinato scelere crudelitatis cuncta iam putredine resoluta attrocibus incendiis deputant. Quin etiam ne virtutum emolumenta præstarent Christicolis, deformes cineres, quos legere e camino quiverant, minacis alvei ultimo conduntur abysso.

Sarraceni unde martyres contemnerent.

12 Instabat quoque universitas ethnicorum resultando, pietatis exprobans cultum, quòd in suorum ultione nullum adversariis daret opprobrium. Lætabatur namque, quòd in vindictam sui doctoris tot contemptorum corpora prostravisset, nulla novitate prodigiorum obstante, quæ horrorem posset scelerosis incutere. Dicebatque: „ Si verè Deus „ est, in cuius nomine tantæ vos „ calamitati submittitis, et verum „ hoc esse martyrium creditis, vel „ si nulla veritate prophetiæ hic „ noster vates succinctus est, (qui, V. Schol. „ ut idem docuit, Angelo instituente Gabriele gentibus, totique orbi verbum Dei prædicare permissus est, lex quam „ cultores eius meditarent, docu„ mento ipsius Angeli promulga-

„ ta est. Cuius vocabulum rudis „ protoplastus, cùm adhuc olim „ paradisum incoleret, adnotatum in supernis, globoque micantis claritatis immixtum contemplans, quæ esset illa lux ceteris præstantior in centro micans, quæ fulgoribus Dominum expiaret, fertur creatorem Adæ interrogasse, illumque respondisse: Hic verus propheta est futurus in mundo, qui ex semine tuo oriens, ipso quem radiare nomine obstupescis, Mahomad appellabitur, cuius quoque meritis tu creatus subsistere meruisti); quare non satellitibus qualecumque prodigiorum infertis terrorem, vel quibuslibet astanti vulgo signaculis coruscatis? quia dum vos improvisæ morti ob quamdam assertionem superfluam destinatis, neque ulla virtute miraculorum, quæ sententiam nostram in vestrum latam excidium infringere possit, præcellitis; cùm partem vestram minimè adiuvetis, nullum etiam cætui nostro infertis dispendium."

Christianorum adversus martyres obtrectatio.

13 Et ob hoc ipsum plerisque nostrorum parvipendulis verum non esse videbatur martyrium, quòd non ad confusionem incredulorum, vel roborationem fidelium aliquod ostentaret miraculum. Nescientes quia in fine sæculi, ut sanctus Gregorius refert lib. Moralium, aberunt de Ecclesia signa virtutum. *Lib. Mor. 34. n. 7.* „ Terribili quippe, ait, ordine dispositionis occultæ, priusquam „ Leviatan in illo damnato homine quem assumet, appareat, „ a sancta Ecclesia virtutum signa subtrahentur. Nam prophetia absconditur, curationum gratia aufertur, prolixioris abstinentiæ virtus imminuitur, doctrinæ verba conticescunt, miraculorum prodigia tolluntur. Quæ quidem nequaquam superna dispensatio funditus subtrahit, sed non hæc sicut prioribus temporibus apertè ac multipliciter ostenduntur. Quod tamen mira dispensatione agitur, ut una ex re divina simul pietas, et iustitia compleatur. Dum enim subtractis signorum virtutibus sancta Ecclesia velut abiectior apparet; et bonorum præmium crescit, qui illam pro spe cælestium, et non propter præsentia signa venerantur; et malorum mens contra illam citiùs ostenditur, qui sequi invisibilia, quæ promittit, negligunt, dum signis visibilibus non tenentur." Signa namque virtutum nec omnibus data, nec passim quocumque tempore sunt exercenda. Quia et hi, qui hoc munus divinitus acceperunt, nisi spe et fide probatis nequeunt erogare, Evangelista narrante: *Et non poterat Iesus inter eos facere virtutes propter incredulitatem illorum.* *Matth. 13. 58.* Et Veritas per semetipsum, *Multi,* *Luc. 4. 27.* inquit, *leprosi erant in Israël sub Eliseo Propheta: et nemo eorum mundatus est, nisi Naaman Syrus.* Desistente enim fide quærentium, largitas erogantium quassatur. Nam cùm idem Dominus ardentissimis persæpe multorum votis consolator occurrat, dicens: Ite in pace, fides

Miracula non mirum si cessent.

ve-

vestra vos salvos fecit; tamen deficiente fide, virtus nihil proficit. Quam plerumque exigente fide languentium, etiam homines reprobi, et mente corrupti impertiuntur. Sicuti de illis in Evangelio legitur, qui in futuro ante fores Domini questuri sunt, dicentes: *Domine, Domine, nonne in tuo nomine prophetavimus? et in tuo nomine dæmonia eiecimus? et in tuo nomine virtutes multas fecimus?* Quibus utique dicturus est Dominus: *Non novi vos: discedite a me operarii iniquitatis.* Et iterum: *Exurgent pseudo-christi, et pseudo-prophetæ: et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducant, si fieri potest, electos.* Et in Exodo: *Fecerunt et malefici per incantationes, sicut et Moyses.*

Matth. 7. 22. 23.

Ibid. 24. 24.

Exod. 7. 11. 22. et 8. 7. 18.

14 Miraculorum verò signa ideo olim per servos suos Dominus congruenti tempore præstabat mundo, quoniam præscia divinitate proficere nihilominus præstolantibus ea sciebat, nec in vanum currere operarios virtutum cognoverat. Ut saltem prodigiorum novitatibus cederent, qui sacræ legis præcepta salutaria respuebant. Eratque temporibus illis satis congruum Dei Martyres signis coruscare virtutum, quoniam rudem diffusum christianismum nunc instructione verborum, nunc exhortatione Scripturarum, nunc ostensione signorum, nunc etiam trophæis inclytis passionum conabantur solidis radicibus fieri firmum in cordibus credentium populorum. Nam quia non omni tempore (ut suprà relatum est) signorum exercitium congruat, neque omnes cælestium contemplatione virtutum digni existunt, facilè adverti potest ex comparatione eorum, quæ gesta sunt ab Apostolis. Qui cum vellent bonum nuntium Asianis prædicare, prohibiti sunt a Spiritu sancto: et qui pridem adnuntiare Evangelium omni creaturæ præceperat, sciens in Asia nullum existere dignum percipiendi evangelicam veritatem, præsaga divinitatis auctoritate discipulos ab eorum salute inhibuit. Utpote qui verbum vitæ arroganti spiritu erant reiecturi, neque audirent, quoniam spernerent.

Act. 16. 6. 7.

Marc. 16. 15.

15 Miracula denique dum aut propter fidem credentium, aut propter futuram credulitatem astantium Dei providentia operatur; non tam nos in eorum admiratione debemus stupere, quàm provida compensatione intueri, si eorumdem effectores signorum expulsis vitiis morum honestate præcellant: si sæculo mortui Deo vivant: si propter illam veram caritatem, quæ cuncta charismatum dona exuperat, omnes affectiones mundi pro nihilo pensant: si acceptam virtutem non ad suam gloriam, sed ad beneficium referunt collatoris: si attentis auribus cordis, veri magistri admonitione percepta, non quia dæmonia eis subiiciantur, tripudiant, sed quia nomina sua scripta sunt in cælis, exultant. Et iccirco hæc dinumeratio virtutum in illis prodigiorum auctoribus potiùs quàm ipse signorum effectus est admirandus, et quod sit magis prævium specimen eundi

Luc. 10. 17. 20.

di ad regnum quærendum, no verò quòd [1] signiferos ac notabiles nos vulgo ostentet. Quia sanctitas et timor Domini cultusque regni cælestis non nisi ab idoneis et perfectis procedunt. Signa verò atque prodigia et sancti et reprobi faciunt. Quæ nihil aliud quàm notitiam vanam etiam aliquando hominum conferunt. Hinc provenit, ut qui fuerit hominibus notus, nisi fuerit iustus, ad æterna supplicia perveniat condemnandus. Ille autem qui cælesti gratia inlustratus, sub notitia sui creatoris vixerit sanctus, etsi mortalibus sit ignotus, in futuris tamen sanctorum gaudiis erit annumerandus.

Miraculorum præstantia.

16 Nec nos ista prosequentes, miraculorum penitus abdicamus insignia, cælesti dono quibusdam collata, et congruenti tempore per Dei dispensationem nationibus ordinata; sed latratibus rabidorum canum obviam venimus, qui martyrum nostrorum intentionem exinanire attentant, dum eos de miraculis redarguere sperant. Quid potiùs generaliter sequendum sit, cunctis ex auctoritate divinorum librorum, vel dictis sanctorum Patrum ostendimus. Non (quod absit) funditus charismata cælestium munerum extirpamus.

17 Radix itaque ac fundamentum omnium virtutum, signumque victoriæ fides est, per quam iusti vivunt, per quam Sancti omnes *regna vicerunt, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones, obturaverunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugaverunt aciem gladii, convaluerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello.* Quorum vestigia hi sancti veraciter prosequentes, intrepida confessione Deum et Dominum Iesum Christum in concilio Principum profitentes, omnem quoque, quam evangelica auctoritas non recipit prophetiam ut furum et latronum detestantes ac maledicentes abiiciunt. Ob quam causam inauditis sævitiæ furoribus illa frendens turba Gentilium cunctos animadversione gladii præmittit ad cælum, Presbyteros, Levitas, Confessores, Virginesque beatas. Et quoscumque confessio talis haberet, ut publicè eorum subsannando prophetam, cultum eius deriderent, mox amputatis cervicibus ruerent. Ac ne sibi quidpiam inesse humanitatis ostenderent, nonnullos quos gladio vindice huius vitæ limen sub testimonio veritatis excedere coëgerant, præ foribus palatii inhumatos relinquentes, canibus iusserunt exponi, adhibitis simul custodiis, ne quis Catholicorum intuitu pietatis carnibus etiam spoliata cadavera sepeliret. Quasi sentirent persequutoris supplicium, quorum animæ paradisi requie fruebantur: aut obesset animabus cælo regnantibus temporalium pœna tormentorum illata corporibus: vel de inhumatis curare poterant membris hi, qui verè sciebant, quòd sicut nihil commodius foret impiis sepul-

Hab. 2. 4.

Hebr. 11. 33. 34.

V. Schol.

Sarraceni martyres prohibent sepeliri.

V. Schol.

(1) Miraculorum auctores *Schot.* quæ vocis interpretatio potest addi Glossario Cang.

pultura, auctis reverentiæ studiis solemniter præparata, ita beatis et sanctis nequaquam officere posset vilem, aut nullam sepulturam adipisci. Licuit etiam de hoc poëtis plausibiliter ludere:

Cælo tegitur, qui non habet urnam. (1)

Obiectio christianorum adversus martyres secunda.

18 Sunt autem plerique fidelium, et (heu proh dolor!) etiam sacerdotum, temerè horum confessorum gloriam adimere non verentes, qui iubent eos non recipi in catalogo sanctorum, inusitatum scilicet atque prophanum asserentes huiusmodi martyrium. Quippe quos nulla violentia præsidalis fidem suam negare compulit, nec a cultu sanctæ piæque religionis amovit; sed propria se voluntate discrimini offerentes ob superbiam
Eccli. 10. 15. suam (ita dicunt) quæ initium est omnis peccati, interempti, suarum parricidæ effecti sunt animarum. Præceptis etiam Evangelicis eos arguendos esse cre-

martyres sepelirii.

Matth. 5. 44. 45. dunt, quibus dicitur: *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos: et orate pro persequentibus, et calumniantibus vobis: ut sitis filii Patris vestri, qui in cælis est.*
Luc. 3. 14. Et iterum: *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis.*
1. *Petr.* 2. 23. Et: *Dominus quidem cùm malediceretur, non maledicebat: cùm pateretur, non comminabatur: tradebat autem se iudici iniustè iudicanti.* Illud præ-
1. *Cor.* 6. 10. terea obiiciunt de Apostolo: *Neque maledici regnum Dei possidebunt.*

19 Hæc et his similia ore pestifero contra Dei milites proferentes, multorum corda pervertunt: quia verba hæreticorum
2. *Tim.* 2. 17. ut cancer serpunt in mentes humilium; et modico fermento sce-
1. *Cor.* 5. 6. leris faciliùs ingens massa panis corrumpitur, exturbatque quàmproperè filios Dei lethalis assertio zabuli. De quibus beatus Apostolus dicit: *Quidam enim*
1. *Tim.* 1. 6. 7. *aberrantes, conversi sunt in vaniloquium, volentes esse legis doctores; nescientes quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.* Et iterum: *Docuerunt*
Ierem. 9. 5. *linguam suam loqui mendacium: ut iniquè agerent, laboraverunt:* non verentes derogare gloriæ fortium, qui iam coram rege suo haud dubiè extollunt victoriæ suæ vexillum. Nec contenti sunt Scripturas sano sensu intelligere, sed eas pro suo libitu exponentes, dum in superficie litterarum quasi concordantia suæ vesaniæ repererint testimonia, non modò christiano more simpliciter eis utuntur, vel ab eruditioribus virtutem sensus earum explorant; sed quasi inauditæ rei nuntii, et alicuius novitatis scioli, per forum, per plateas, per vulgus, per nundinas obdurata fronte easdem in summitate linguarum promendo, recensendo, atque cantando vehunt sententias. Et ut faciliùs agnoscantur cuius partis sint defensores, per devios intelris

(1) Carmen hoc citat Isidorus sine auctoris nomine, cum sit Lucani lib. 7. *Schott.*

telligentiæ suæ calles veritatem Scripturæ torquentes, lineam sanæ doctrinæ proprio electionis iudicio derelinquunt. Ut quandoque illis ad interitum animarum suarum proveniat, quod non sine gravissima indignatione pro-
Isai. 5. 20. pheta infert, dicens: *Væ qui dicitis malum bonum, et bonum malum: ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras: ponentes amarum dulce, et dulce amarum:* id est, claritatem sacræ legis pravo errore nescientiæ interpollantes, eiusque suavitatem non rectè coniiciendo, in fellis amaritudinem convertentes. Quod bonum et pium est, malivolis coniecturis inficiunt, expertes nos arbitrantes ab illorum intelligentia testimoniorum, quibus victoriosissimam extenuare intentionem sanctorum Martyrum arbitrantur, vel nostram de eis sententiam (quæ semper in laude ipsorum exultavit) enervare co-
V. Schol. nantur. Quippe qui iam nos evidentioribus indiciis eorum passionibus communicare credamus, dum causâ professionis eorum, et carceres, et vincula, insuper et damna rerum perpessi, ad ultimum gratiâ intercessionis eorum propitio Deo evaserimus.

20 Ipsi denique Sancti, qui hanc corporis cladem cælitus compuncti propter veritatis professionem aggressi sunt, in nullo a prædictorum custodia mandatorum se avertunt. Quia et propter Deum inimicos diligentes, de salute eorum valde solliciti, ne diutiùs labyrintho impietatis detinerentur, arguere non destiterunt, et benefacientes his qui oderant Christum, meliùs visi sunt per effusionem sanguinis vecordiam eorum, quàm per doctrinæ verba instruere: ut relicta vanitate superstitionis, non solùm Christum credere, verùm etiam usque ad mortem propter illum decertare contenderent. Sine dubio precibus et obsecrationibus etiam apud Dominum animarum impetrantes salutem illorum, qui sæpe et incessanter Ecclesiæ membra calumniantur. Quapropter exemplo veri magistri educati, cùm ad passionem traherentur, maledicti non remaledicebant, flagellati non murmurabant, comminati silentium observabant: hoc solummodo exprobrantes, quod Deo convitium infert, et quod maiestatem tremendam impugnat: sacrilegum scilicet illius vanissimi ac perditi homunculi prophetismum, qui non veritus est spiritu diabolico perarmatus se loco prophetarum inserere, sanctisque prædicatoribus ut deificus evangelizator adiicere. Et cùm toto penè orbe Evangelica præcelleret veritas, nec deesset lux fidei christianæ a notitia gentium, (quia in omnem *Psalm.* 18. 5. terram sonus eius exivit, patentibus iam domui David, et ha- *Zach.* 13. 1. bitantibus Hierusalem tinctionis gurgitibus in ablutionem peccatoris, et menstruatæ, maximè in Oriente, quò mysterium incarnationis Christi speciali effectu quodammodo operatum est, ubi quoque et hic sceleratissimus ac perversus vates exortus (1) et enutri-

(1) *Nemo nescit Mahometum in felici Arabia genitum.* Moral.

tritus est); nescio quâ prærreptus insaniâ, clarentibus iam in mundo lucernis, tanto se perditionis laqueo dare præcipitem non extimuit, tantarumque animarum irreverenter parricidam se fieri non
Sap. 1. 11. expavit, cùm scriptum sit: *Os quod mentitur, occidit animam.* De quo olim Zacharias prophe-
Zach. ibid. 2. 3. ta loquutus est, dicens: *In die illa, dicit Dominus exercituum: Disperdam nomina idolorum de terra, et non memorabuntur ultra: et pseudo-prophetas, et spiritum immundum auferam de terra. Et erit, cùm prophetaverit quispiam ultra, dicent ei pater eius, et mater eius, qui genuerunt eum: Non vives: quia mendacium loquutus es in nomine Domini. Et confringent eum genitores eius, cùm prophetaverit.* Iccirco huic perdito atque spurcissimo vati resistere, virtus mactæ coronæ est; summumque trophæum tanti derisoris cultum evertere: adeò ut si illum ætas nostra superstitem haberet, nequaquam ab eius esset interitu Christicolis resiliendum; quanto magis non sit dignum eius hodie dogma venenosum infringere, maledicere sectam, detestari sententiam, qui tantæ multitudinis perditionem inducens, perenni eam dedicarit barathro? Foretque (ut reor) tunc meliùs pœnitudinem unius occisi homunculi gerere, quàm tot nationum luere perniciem: congruè universo gregi consulendum arbitrantes, dum unius pecudis e medio conati fuissent avellere contagium. Quoniam quemadmodum sine culpa non est, maledicere iustos, pios persequi, adversitatem parare electis; ita magni meriti esse credo, subvertere impios, Ecclesiæ hostibus contraire, bellum parare incredulis, et frameâ verbi Dei concidere adversarios fidei, ut secundùm Psalmistam, contra *Psalm.* 138. 22. Deo invidentes perfecto armati odio exurgentes, non curemus de inimicitia eorum, quibus est amica impietas. Neque enim sine culpa patitur fieri Patrum doctrina eos, qui improbo silentio erga dogmata torpent hæreticorum, et e regione hostibus fidei non occurrunt, aut zelo creatoris vindictam in hæreticos non exercent. Quod bene Arnobius (1) Rhetor, dum centesimum tricesimum nonum Psalmum interpretaretur, dicit: " Qui peper-
„ cerit hæresiarchis, aut prædi-
„ catoribus falsitatis, et non eos
„ gladio fidei suæ iugulaverit,
„ hoc ei evenire, quod evenit
„ Sauli, quis ambigat? Aut qui *1. Reg.* 15. 1. *&c.*
„ misericordiam suam putaverit
„ se in hæresi permanentibus ex-
„ hibere, quis neget similiter a
„ regno Dei excludi, sicut Saul
„ a regno humano probatur ex-
„ clusus? " Qui vana miseratio-

(1) Hunc Arnobium alium esse ab eo qui floruit tempore Diocletiani, rectè animadvertit Sixtus Senensis, quem hodie sequuntur eruditi, adversus Trithemium, et Erasmum, quibus adstipulatur Laurentius de la Barre, existimantes Arnobium qui Psalmos commentatus est, eum esse cuius meminit Hieronymus in lib. de Scriptorib. Ecclesiastic. cap. 79. Sed Arnobium Hieronymi ferè duobus sæculis alterum præcessisse omnes norunt; cum hic circa annum 460. scripserit, orta iam, et damnata Eutychetis hæresi, senior verò desinente sæculo tertio.

ne Amalecitis parcens, subitò semetipsum Dei benedictione, et regni sceptro privatum ingemuit. Et si hoc iis qui contradictoribus veritatis non resistunt, promittitur; quod vel quale erit ultionis discrimen iis, qui derogant electis? quia non solùm expugnare hæreticos nolunt, verùm etiam expugnantibus maledictionum armis accincti occurrunt.

Tertia adversus martyres obiectio.

21 Aiunt præterea, non debere esse martyres, aut haberi, qui non violenter tracti sunt ad martyrium, sed sponte sua venientes, his convitium intulerunt, qui eos in nullo molestia affecerint. Nullam opinantes esse molestiam diruptiones Basilicarum, opprobria Sacerdotum, et quod lunariter solvimus cum gravi mœrore tributum: adeò ut expedibilius nobis sit compendium mortis, quàm egentissimæ vitæ laboriosum discrimen. Si ergo exosum Deo est maledicere diabolo, et eius ministro; frustra utique Ecclesia contra omnem diabolicum incursum utitur exorcismis. An quia domesticis fidei maledicere inhibitum est, nullumque oportet pusillanimem de membris Ecclesiæ scandalizare; iccirco hospitem diaboli, et habitaculum Satanæ non necesse est maledicere? Et ubi est quod scriptum est?(1) *Maledicti omnes, qui spernunt te, Hierusalem, et omnes qui blasphemant te: maledicti omnes qui oderunt te, et omnes qui dixerunt in te verbum durum, &c.* quod dictum esse pro Ecclesia nullus ambigit. Et quis inter cunctos persequutores fidelium cruentiùs quàm hic infandus Ecclesiam insequutus est? Quis tanta in eversione Catholicorum, quanta idem exaggeravit infaustus? Quia (ut ita dixerim) nemo nostrum inter eos securus ingreditur, nemo quietus permeat, nemo septum eorum nisi dehonestatus pertransit. Etenim cùm nos cuiuslibet rei familiaris necessitas ire in publicum coëgerit, et instante domestica necessitate ex angulo tugurii nostri in forum prosilire contigerit, mox ut stigmata in nobis ordinis sacri advertunt, acclamatione derisionis ut amentes, et fatuos impetunt, præter illa puerorum quotidiana ludibria, quibus non satis est inferre linguæ convitium, turpia exaggerare scurrilitatum, verùmetiam tergo nos lapidibus insectari non desinunt. Quid illud memorem, quod in contumeliam signi venerabilis proferunt, quòd cum fortè competens tempus psallendi signum fidelibus dare compulerit, et imminens hora obsecrationis indicium populis facere consuetum poposcerit, mox ut illectum superstitione mendaci vulgus clangorem tinnientis metalli aure captaverit, in omnem maledictionem et spurcitiam linguam admovere non differt. Ergo non incongruè maledicuntur, qui tanto odio adversus Dei sortem sequipedas suos informant. Sæpe ab eis, et incessanter cal-

v. Schol.

Christianorum sub Sarracenis miseria.

Tob. 13. 16.

Templorum sacrorum cymbala.

(1) Hæc Tobiæ verba, quæ frustra in Vulgata requiras, leges in Brev. Mozarab. in Vigiliâ Epiphan. ad Cantic. in Laudib. et pag. LXXXII. edition. novissimæ Cantic. LII. Vide Schol. in not. 21.

lumniamur, causâque religionis eorum sævitiam ubique perpetimur. Adeò ut multi ex eis tactu indumentorum suorum nos indignos diiudicent, propiùsque sibimet accedere execrentur. Magnam scilicet coinquinationem existimantes, si in aliquo rerum suarum admisceamur. Cum utique milites Dei veritatem coram eis magis confessi fuerint, quàm maledicta iniecerint, veri magistri præcepta servantes, quibus olim discipulos informaverat, dicens: (1) *Qui enim me confessus fuerit, et verba mea in generatione ista adultera et peccatrice, hunc et filius hominis confitebitur, cum venerit in gloria patris sui, et sanctorum angelorum.* Quis ille tam vecors est, qui laudibus deroget beatorum obviantium pro defensione iustitiæ cultoribus impietatis? Dictum sanè fuerat eis: *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum: estote ergo prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ.* Cuius præcepti sensum hunc esse arbitror, quòd immixta gentibus caterva fideli, quasi innocentia prædita ovium, truculentiam ferre cogeretur luporum. Ac ne segnitiei dediti faciliùs versutiis succumberent inimici, congruè divinitus admonentur, ut essent cum adversariis fidei opportuna semper cautelâ subnixi, et contra astutias hostium erecti ubique et provi-

Saraceni contactum christianorum vitant.

Marc. 8. 38.

Matth. 10. 16.

di. Ne pravæ doctrinæ verbis illecti protinus corrumperentur sensus eorum, et discederent ab æquitate. Porrò etiam Christiani admonentur: Confratribus vestris et domesticis fidei exhibete vosmetipsos, *ut Dei ministros in multa patientia, in longanimitate, in benignitate, in Spiritu sancto, in caritate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei: per arma iustitiæ a dextris et sinistris, per gloriam et ignobilitatem, per infamiam, et bonam famam: ut seductores, et veraces: sicut ignorati, et cogniti: tanquam morientes, et ecce vivimus.* Et iterùm: *Estote autem invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut et Deus in Christo donavit nobis:* ut verè columbarum sectantes simplicitatem, eodem intuitu quo vestram, proximorum quoque affectetis salutem. De quorum constantia, simplicitate, et fortitudine, discretione, et prudentia Eusebius Cæsariensis Episcopus rerum ecclesiasticarum historiam texens, ait: " Erant ergo martyres Chri-„ sti inter fratres humiles, inter „ persequutores elati, suis mites, „ adversariis terribiles, Christo „ subiecti, diabolo erecti." Sed et Arnobius (de quo suprà memoravimus) aliquid huic simile in eodem Psalmo disseruit, dicens: " Age ergo, et cùm pu-„ gnantibus pugna; et si auxilium „ po-

2. Cor. 6. 4. &c.

Ephes. 4. 32.

(1) Textum Evangelicum credimus Eulogium adduxisse secundùm Marcum, quamvis nullam Bibliorum versionem usque dum legerimus, quæ non habeat, *confusus.... confundetur* pro *confessus.... confitebitur*, ut est apud SS. Matthæum et Lucam. Nihilominus siquis asseruerit, locum Evangelicum ex duobus tribusve Evangelistis conflatum esse, non repugnabimus. Vid. Docum. Martyr. n. 14. not. (3).

„ poscis a rege, repugnantem te
„ ostende. Linguæ contra te pu-
„ gnant, quas acuunt hæretici,
„ sicut serpentes : his et tu esto
„ sicut serpens astutus, et te sim-
„ plicem ut columbam esse ci-
„ vibus tuis, id est, Catholicis
„ solis ostende. (1) Ceterùm hæ-
„ reticis, et cunctis contra ve-
„ ritatem venientibus, ipsis ser-
„ pentibus esto astutior. Noli ti-
„ mere : iussum tibi est a domino
„ tuo. Tam bona est astutia con-
„ tra malitiam, quàm benigna
„ simplicitas circa iustitiam. Occi-
„ de hæreticos, et Domini tui spiri-
„ tuali gladio interfice inimicos."

V. Schol. 22 Sic nimirum beati martyres Emetherius, et Celedonius, cum tradere pro Domino animas anhelarent, tali sese invicem ad passionem astantes hortatu impellunt : " Feriat (2) ubique ho-
„ stem missilibus suis vibrata con-
„ fessio, et latentem fidei inimi-
„ cum, ubicumque fuerit, inqui-
„ ramus." O incomparabilis magnanimitas, et fortitudo admiranda, laudanda, atque imitanda sanctorum. Qua, etiam si torpeat inimicus, ac persequi Ecclesiam Dei sinat, irrumpere tamen latebram eius, et incitare ipsum ad bellum iubemur ; ut hostem frigidum strenuus agonotheta accendat, proferat latentem, erigatque ad conserenda certamina desidem. Et quamquam effuso cruore consternatis membris succumbat, feret tamen ad sedem patris captum ex hoste triumphum, spiritus belliger victoriæ laureâ potiturus. Quia in eo vires militis comprobantur egregiæ, quo non requisitus ultrò se obtulerit palestræ martyrii, sancta Scriptura testante : (3) *Qui propria voluntate obtulistis vos discrimini, benedicite Dominum.* Si ergo qui zelo caritatis nostræ adversariis nostris fidelis expugnator occurreret, arma sumeret, ensibus desæviret, animam ponere contenderet, nequaquam eum immunem condignis patemur donariis, eiusque liberalitatem largo munificandam beneficio censeremus ; quanto potioris gloriæ honore ferendi sunt, qui obtentu capessendi gratiam Regis æterni, vigore aucti iustitiæ, ad obitum quoque resistentes infensis, crudeli morte perempti sunt ? Ille denique angelus veritatis et præco iustitiæ, Redemptoris præcursor, et nuntius pacis, Baptista Ioannes, cum regem iniquum de stupro Herodiadis commoneret, cumque adulterino incestu thorum violare fraternum inhiberet, ergastulo propter veritatis professionem detruditur, ibi-

Iudic. 5. 2.

Marc. 6. 17. &c.

(1) *Ceterum* correximus ex Arnobio, cum antea *ceteris* legeretur.

(2) Quæ notamus verba, ea sunt quæ Morales in Scholiis ait reperiri in Codice Tolet. ab Eulogio desumpta ex Actis martyrii SS. Celedonii ac Emetherii, primùm editis a Ioanne Tamaio Salazar in Martyrolog. ad diem 3. Martii, postea eod. die ab Antuerpiensib. demumque ab Emmanuele Risco tom. 33. Hisp. Sacræ Append. 2. quibus omnibus in locis videtur numeri vel sectionis 3. verba illa, *Feriat ubique hostem missilibus suis vibrata confessio*, unius esse duor. martyrum, et iuxta nonnullos MSS. Emetherii ; reliqua verò alterius, nempe Celedonii.

(3) Ex hoc loco potest repleri lacuna, quam hîc habet antiqua Versio apud Petrum Sabatier.

ibique absque ulla fidei persequutione truncatur. Nec tali succumbere recusavit dispendio, qui sine dubio noverat, divino revelante spiritu, tantundem esse propter iustitiam mori, quàm pro fidei confessione prosterni. Unde et Dominus vitalia discipulis doctrinæ ministrans præcepta, sic eos de monte alloquitur: *Beati qui persequutionem patiuntur propter iustitiam: quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Et quid aliud ad omnia beatitudinis præmia, quàm cælorum affectandum est regnum?

Matt. 5. 10.

Quarta obiectio adversus Martyres.

23 Calumniantur etiam inimici ultroneum ad mortem eorum progressum, quos (1) passim liberalitas Regis suum incoli iusserat Christianismum. Sed præcessit hoc reor exemplum in illis septem fratribus, quos gesta beati Iuliani commemorant. Qui ideò quòd Augustalibus præpollebant natalibus, ex decreto principum liberè exercebant religionis Catholicæ cultum. Sed tamen in agone sudantem beatum Iulianum cernentes, illicò ad bellum prosiliunt, et amore martyrii voluntarium obitum expetunt. Legitur quoque de Domino in Evangeliis: *Obfirmavit faciem suam, ut iret in Hierusalem.* Quod ita sanctus exponit Hieronymus: " Obfirmatione „ enim et fortitudine opus est ad „ passionem sponte properanti. „ Unde et Ezechieli, cui dixerat „ Deus: *Fili hominis in medio „ scorpionum tu habitas, ne timeas; obfirma* (inquit) *faciem „ tuam. Et dedi faciem tuam „ æneam, et frontem tuam ferream:* ut si fortè surrexisset „ contra eum malleus universæ „ terræ, quasi incude durissima „ resisteret, malleumque conteret. De quo scriptum est: „ *Quomodo confractus est, et „ contritus est malleus universæ terræ?*" Idem quoque doctor in supradicto opere quandam Evangelii sententiam exponens, ait: " Non est delicata in „ Deum, et secura confessio: „ qui in me credit, debet suum „ sanguinem fundere. Qui enim „ perdiderit animam suam in „ præsenti, lucrifaciet eam in „ futuro." Denique Agabus propheta cum venisset ad Apostolos tollens zonam Pauli, alligavit sibi pedes et manus, et ait: *Hæc dicit Spiritus sanctus: virum cuius est zona hæc, sic alligabunt in Hierusalem Iudæi, et tradent in manus Gentilium.* Quod cum audissent Apostoli, et qui loci illius erant, ne ascenderet Hierosolymam, cum lachrymis precabantur. *Tunc respondens Paulus, dixit: Quid facitis flentes, et affligentes cor meum? Ego enim non solùm alligari, sed et mori in Hierusalem paratus sum propter nomen Domini Iesu Christi.* Et cum ei suadere non possent, quieverunt dicentes: *Domini voluntas fuit: fiat.*

V. Schol.

Luc. 9. 51.

Quæst. V. ad Algasiam.

Ezech. 2. 6. et 4. 3. et 3. 9.

Ier. 50. 23.

Quæst. III.

Act. 21. 10. 11. &c.

V. Schol.

24 Sic namque et felicissimus Felix cum fideli relatu persequutionem Catholicorum, quæ apud Gerundam Hispaniæ urbem con-

(1) *Publicè, palàm*: Schott. sed minus rectè.

confinem Galliæ gerebatur, comperiret, crudeliterque Ecclesiam Dei ibidem a paganis infestari cognosceret; extemplò litteraturæ liberalis studium derelinquens, quod in Cæsarea Mauritaniæ positus excolebat, præpeti navigatione æquore transmisso, prædictum oppidum adiit, ibique martyrium, quod patriæ suæ decerat, devotus miles Christi triumv. Schol. phabiliter consummavit. Sic sanctus Sebastianus, sic beatissimus Thyrsus, sic electus Adrianus, sic Iustus et Pastor, sic Eulalia virgo Barchinonensis, sic Babilas pontifex, multique alii sponte se obtulerunt, et coronati sunt. Et iccircò, ut quidam sapientium meminit: „ (1) Inter primas dignitates regnorum cælestium „ sunt ponendi, qui ad passionem venerunt non quæsiti: et „ excellentis voti est, inter tormenta prosilire, ubi non est „ criminis latuisse."

v. Schol. 25 Sed in veritate crimen esse fatendum est latitare, si virtus excellentis meriti est ultrò procedere; quando fidei nostræ confessio prædicationem exigit, et testimonium postulat. Nam si audito verbo veritatis, fidem incredulus non accommodet, magisque exprobret evangelizanti, quàm credat; cum sit ante cognitam veritatem inculpabilis, fit postmodum sanctæ prædicationi obnoxius. Quia non poterit de ignorantia se excusare, ubi veritas elucubrata responderit, domino et magistro testante: *Ioan. 15. 20. &c.* *Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis: Non est servus maior domino suo. Si me persequuti sunt, et vos persequentur: si sermonem meum servavérunt, et vestrum servabunt. Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum: quia nesciunt eum, qui misit me. Si non venissem, et loquutus eis non fuissem, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo.*

Quinta obiectio adversus Martyres.

26 Obiiciunt etiam adversarii corporum eorumdem corruptionem. Sed quæso respondeant, quid obest cælesti iam præmio coronatis, quasi illi carnis affectarint honorem, qui verè noverant perlatam olim mortalibus legem, qua dictum est Adæ: *Pulvis es, et in pulverem redigêris*, aut per supplicia tyrannorum, quibus datum est corpus occidere, quandoque finem accipere? Quia *omnis caro fœnum, et omnis gloria eius quasi flos agri.* Et cum omnem dicit, nullius carnem ex humano semine orientem reliquit (et licèt audenter, dicam tamen) non Patriarcharum, non Prophetarum, non Apostolorum, non Martyrum. Legant Apostolorum Actus, qui ista somniant, et invenient testante Petro, David illum a Deo electum, et secundùm cor suum fidelissimum servum, sepulturæ corruptionem esse perpessum, iis verbis Apostolo disserente: *Viri fratres, licèt audenter, dicam de patriarcha David, quia et defunctus est, et sepultus est: et sepulchrum eius est apud nos* us-

Gen. 3. 19.

Isai. 40. 6.

Act. 2. 29.

(1) *Verba sunt ex eadem illa historia Emetherii et Celedonii desumpta.* Moral.

usque in hodiernum diem : et caro eius vidit corruptionem.
Iob 2. 7. 8. Considerent patriarcham Iob vermibus scatentem, et Lazarum
Luc. 16. 20. Evangelicum ulcerosum præ foribus purpurati divitis mendicantem. Percurrant ceterorum sanctorum, ad instar syderum cæli, diversarum victoriarum fulgentia gesta, et insultet, si audet, sacrilegus eorum putrida membra, doloribus tormentorum, pœnisque consumpta. Sed hæc temporalis corruptio corporum in nullo detrimentum infert animabus sanctorum : quæ tamen incolumis materies carnis prodesse non poterit in futuro iniquis. Nam cur vana sollicitudine de corporum integritate distenderentur, qui verè noverant omnem temporalem salutem etiam cum ipso mundo perire, et illam protoplasto Adæ sententiam mortis collatam generaliter cunctis mortalibus
Gen. 3. 19. congruere : *Pulvis es, et in pulverem revertêris ?* Sancti etenim, qui expertes eius legis non sunt, quòd in terra sua, id est Hierusalem cælesti, duplicia nacturi sunt præmia ; non magnopere corporalem pensant iacturam, quam veraciter in illa generali hominum resurrectione de quibuscumque labefactationibus, locis, antris, et speluncis, seu ex aliorum elementorum abditissimo sinu, quo dilapsa cadavera perierint, in temporis puncto reddenda, et reintegranda ex legali auctoritate cognoscunt et credunt : ut ipsi quidem sancti duplici præmio congaudentes, bina confusione conterant impios ac peccatores.

27 Unde obsecro vos, o sancti fratres nostri, et sorores in Christo beatæ, ne stultorum assertionibus exturbemini, aut coniecturis creduli nescientium aliquo saltim scrupulo (quod absit) contra Dei milites moveamini. Hi sunt enim, qui piæ religionis ardore non compunguntur, et iccirco non solùm veritati favere non possunt, verùmetiam fidem sanctam, quam leviter et non alto credulitatis fundamento cordibus gerunt, defendere nequeunt : magis derogantes, si propter illam quis ultroneus moriatur, quàm dolentes, si ab ea plures recedendo laqueum prævaricationis incurrant. Et hinc ad sacrilegium impietatis facilè prolabuntur, dum quod a Deo iustificatum est, isti condemnare non vereantur. Plebs sine disciplina, de quibus scriptum est : *Et impiè agent impii, neque intelligent omnes impii :* qui, ut sal infatuatus, a cœtu Catholicorum foris proiiciendi, et ab omnibus conculcandi, ac velut nemus infructuosum securi Evangelica præscindendi, igni perpetuo deputandi sunt. Dan. 12. 10.

28 Pensandum est, fratres, cui dispendio subiacebit, qui tantæ victoriæ laudem infamare non metuit, qui tot virorum triumphis obvius venit. Illi quidem prædicationis Apostolicæ non immemores, non erubuerunt testimonium Domini nostri Iesu Christi, et veritatem sancti Evangelii ad confusionem impii doctoris, et cultorum eius palàm proferre. Quem unum, et magnum ex

pseu-

pseudo-prophetis, ore Dominico olim per Evangelium denotatis, esse cognoverant, dum cauta circumspectione Apostolos intentos
Matth. 24. 4. 5. fore iuberet, dicens: *Videte, ne quis vos seducat; multi enim pseudoprophetæ venient in nomine meo, et seducent multos:* et nos formidine amittendi temporalem honorem, quos Martyres non colimus, Hæreticos protestamur. Væ illis qui ista sectan-
Isai. 5. 20. tur! Væ eis qui bonum putantes malum, et lucem convertentes in tenebras, quod patulis refutarunt blasphemiis, occultis etiam convitiis insequuntur! ne inter Martyres habeantur, ne debita eis reverentia exhibeatur: qui contumaciori spiritu contra inimicum fidei ore blasphemo venientes, digna ultione consumpti sunt. Ac ne ceteri ad huiusmodi palæstram discurrant, schedulis anathematum per loca varia damnari iubentur. Si ergo ab iis Dominus abstrahit præmium, eo quòd apertum et spontaneum adversùs hostem religionis gesserint bellum; quantò longiùs aberunt ab æterni Regis consortio, qui id occultis murmurationibus timore carnis depressi quotidie agunt? Numquid ori nostro hæc prædicatio deest? Numquid vacua est Catholicorum professio tali præconio?

29 Resistendum est igitur omnino iustitiæ adversariis, et nullatenus pro defensione veritatis corporalis interitus differendus. Meritò namque hoc ab illis exercitatur, qui aucta virtute magnanimitatis divinitùs illustrati sunt, uberioremque pensant certaminis fructum, quàm securæ confessionis profectum: non interim penitùs imbecillia contemnentes Ecclesiæ membra; quia scriptum est: *Spiritus quidem promptus, caro autem infirma.* Matth. 26. 41. Nec violenter ad hoc stadium pertrahendi sunt, qui cælitùs non compuncti sunt: Scriptum est enim: *Qui potest capere, capiat.* Matth. 19. 12. Et iterùm: *Eligentur, et dealbabuntur, et quasi igne probabuntur multi:* Dan. 12. 10. non omnes. Quamobrem terminis donorum, quæ Deo dispensante unusquisque sibi inesse cognoscit, contentus sit, nec supra mensuram collati muneris quisquam temerè conatum extendat. Hinc congruit, ut qui se destitutum viribus ad præliandum non ignorat, et minùs posse proprio iudicio considerans, aciem hosti non paret, e regione sponte præparantibus non resistat. Ut quem non habent certamina expeditum, pavorque bellandi efficit timidum, hunc iusta non inveniat detractionis ultio puniendum. Quoniam scriptum est: *Omne* Matth. 12. 36. *verbum otiosum quod loquuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die iudicii.* Quòd si omnis vaniloquus condemnandus veniet in iudicium, quâ sententiâ punietur infamator sanctorum? Qui enim sui non imperitus grandia non exequitur, gradientibus ad celsiora non adversetur: hæreatque imis, et solo proclivibus, qui nequit meditari sublimia. Ut est illud apud Salomonem: *Al-* Eccli. 3. 22. *tiora te non investigaveris, et profundiora ne exquisieris.* Et consequenter Cato infert Philo-

so-

V. Schol. sophus : *Quod potes, id tenta operis ; ne pondere pressus*
Succumbat labor, et frustra tentata relinquas.

30 Certè si quosdam palàm quæ sancta sunt profitentes, infernus tenet, multò magis qui in abscondito veritatem prædicant, claustra possident inferorum. Quia si oberit palestricum luctamen iustitiæ assertoribus, profectò nihil proderit clàm veritatem fatentibus. Et quæ mens religiosa hanc insaniam credat, ut ex eo in opprobrium veniat veritas, reprobans malum, ex quo non violenter trahimur ad gentilitium malum ? Et inde ipsa iustitia martyriale non habeat præmium, quæ in auctorem sceleris patulum infert convitium ? Unde libenter a cultoribus eiusdem vatis inter regni eorum privilegia fidei christianæ sinimur gestare vexillum. Quasi eorum patientiæ sit deputandum, quòd inter ipsos sine molestia fidei degimus, et non potiùs divinæ dispensationi sit referendum, quæ Patriarchas, Prophetas, et Apostolos suos inter feritates gentium conservavit, honoribus extulit, dignitatibus sublimavit. Qui etiam pia promissionum spe discipulos consolans, ait : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Quapropter non huius impiæ gentis beneficio, in cuius ditione nostro compellente facinore sceptrum Hispaniæ post excidium et evulsionem regni Gotthorum translatum est, (quod felicissimo fidei Christianæ pridem cultu pollebat, venerabilium Sacerdotum dignitate florebat, et admirabili Basilicarum constructione fulgebat) ; sed gratiâ Redemptoris sui, et eius assiduo comitatu Ecclesia custodiri meretur, qui dixit : *Sicut lilia inter spinas, sic amica mea inter filias.* Et iterùm : *In medio nationis pravæ, et perversæ : inter quos lucetis, sicut luminaria in mundo.*

Matth. 28. 20.

Hispaniæ excidium propter peccata.

Cant. 2. 2.

Philipp. 2. 15.

31 Sed noverint ipsi, qui hæc obstinata mente de martyribus Dei sentiunt, impurisque linguis gloriam sanctorum mutilare non verentur ; quòd cùm eisdem sanctis causas in futuro examine sunt acturi, et, nisi fructuosa præcesserit satisfactio, rationem ante tribunal Domini reddituri. Nam qua fronte clarificatum gloria passionis tunc vultum eorum aspiciet in contubernio Regis æterni ob meritum constantiæ glomeratorum, quos hîc tantis impetiit blasphemiis, tantis laceravit opprobriis, tantisque affecit iniuriis ? *Tunc* utique *cùm iusti in magna constantia adversùm eos* adstiterint, *qui se angustiaverunt*, et gloriam martyrii eorum non coluerunt, *et qui abstulerunt labores eorum:* reor, *videntes turbabuntur terrore horribili, et mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, dicentque inter se, pœnitentiam agentes, et præ angustia spiritus gementes : Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum, et in similitudinem improperii. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, et finem illorum sine honore. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors*

Martyres ulciscentur seipsos.

Sap. 5. 1. &c.

V. Schol.

sors illorum inventa est.

Martyrum votum et finis.

32 Vellem responderent mihi Christi militum derisores, utrum amor mortis eos ad mortem perduxerit, an non magis oblectatio paradisi, ut æternæ mortis evaderent incendia, ad supplicium ire coëgerit? Quantùm reor, nullus responderet, quòd intuitu moriendi obitum expetierint Sancti; sed ut per temporalem interitum ignes evitarent perpetui lethi. Quapropter eos incunctanter eadem remuneratio nihilominùs consequetur, quæ fuit causa moriendi, non quæ extitit voluntas moriendi. Unusquisque ergo eorum quod vult credat, dicat, vel sentiat: me tamen ea pars firmum obtinet defensorem, quæ cum summa reverentia eorum cultum veneratur, et extollit honorem: ibique fidelem sub testimonio Domini nostri Iesu Christi dono assensum, ubi eorum præcipuis titulis sublimatur trophæum. Quapropter in posterorum notitiam hunc decrevi manere tractatum, ut qualem de dominorum meorum tulerim agone iudicium, et ætatis nostræ vulgus noverit, et futurum.

33 Vos autem, viri fratres, credite mecum, immò cum omnibus piè religiosèque beatorum certamina venerantibus credite beatos esse Martyres talia exequentes, et feliciores animas sub eorum testimonio morientes. Armate credulitate fidei pectora vestra, solvite divinis laudibus ora, summique Redemptoris beneficia extollentes, præconate et
Num. 23. 10. dicite: Moriantur animæ nostræ morte istorum, et fiant novissima nostra horum similia. Qui dat lassis virtutem, et iis, quibus nullæ suppetunt vires, potentiam potenti dextera roborat in certamine, det mihi, ut usque ad mortem pro eo fortiori animo cum his militem, qui perfecto desiderio in eius amorem exæstuant. Quia non erit immunis coram Domino intentio, quæ pro veritate exeritur; neque ullatenus repudianda mors, quæ pro iustitia irrogatur. In tali igitur conflictu laudatur Christus, detestatus remanet hostis iniquus, atque sub eadem professione necem excipit furibundam miles strenuus.

Sanctos venerantium præmium.

34 Ideoque non solùm ii, qui talia confitendo sub ictu gladii ceciderunt, digno præconio celebrandi sunt, verùmetiam illi digna laude efferendi, qui talium laudibus oblectantur. Quia cùm Martyrum gloriæ passionibus acquisitæ recoluntur, et beatorum certamina edita reserantur, debitus honor martyribus redditur, ac piæ mentes exemplorum incentivis armantur. Et si martyrium nequeant adipisci, ad participium tamen merebuntur honorandorum præmiorum promoveri; ut quorum ascribi triumphis cupiunt conscientiæ voluntate, non imparem sumant ex devotione mercedem. Nam si pessimis factis animum accommodare perversitatis est; quomodo optimis communicare, non est virtutis? Et cùm Deus omnipotens iudicem se non solùm factorum, sed etiam votorum insinuet; cur piissimum in martyri-

ribus semper votum intentum non conciliet gaudia beatorum? Psalm. 138. 17. sancto David approbante: *Mihi autem nimis honorificati sunt* Luc. 10. 16. *amici tui, Deus.* Et iterùm: *Qui* Matth. 10. 40. *vos diligit, me diligit: et qui vos recipit, me recipit.*

35 Ipsi denique Sancti corpora sua gladiis offerentes, perennem animarum incolumitatem capessunt; et acquirentes sibi in regno Christi electorum consortium, relinquunt nihilominùs persequutoribus æternæ pœnalitatis incendium. Quia licèt scriptum Psalm. 78. 2. 3. sit: *Posuerunt mortalia servorum tuorum escam volatilibus cæli: carnes sanctorum tuorum bestiis terræ. Effuderunt sanguinem eorum velut aquam in circuitu Hierusalem: et non erat qui sepeliret;* (1) tamen ad puniendum sævitiam eorum occurrent, qui ista fecerunt; non ad derogationem virtutum proveniet eorum qui talia sustinuerunt: ut ea ipsa crudelitas cumulum perditionis lictoribus augeat, martyribus verò sanctis præmium sempiternæ felicitatis acquirat. Nam quamvis hæc obtutibus hominum dira et aspera videantur, tamen pretiosa est in conspectu Psalm. 115. 15. Domini mors sanctorum eius.

36 Vos autem fratres, et sanctæ in Domino Iesu Christo sorores, gaudete et exultate, quòd manipulos messis vestræ in horreum Domini recondendos iam præmisistis. Iam fructus seminis vestri Sion illa beata civitas habet: illa pacis visio Hierusalem cælestis domesticos cognationis vestræ in pace suscepit. Pergite securi, properate exultantes. Itui vestro nullus adversari quibit, nullus contradictor assistet: pervenientesque ad patriam, procedet in occursum vestrum non solùm illa cohors sanctorum, qui nuper coronati sunt, verùmetiam cetera turba electorum, quorum consortio isti novitii Martyres adnumerati sunt.

37 Ergo libet mihi, fratres, paululum iucundantis more loqui vobiscum: et pro caritate sufferte verbosum, quem ex dilectione Christi cernitis in laudibus versari Sanctorum. Quoniam ut meritorum meorum evaderem debitum, et beatorum adipiscerer intercessionis suffragium, hoc opus victoriis dedicans Martyrum, decrevi appellare *MEMORIALE SANCTORUM:* ut ex quo vinctis compatimur, et Dei amicos veneramur, saltim eorum patrociniis adiuvemur. Dicitur enim in Psalmo: *Mihi autem honorificati sunt amici tui Deus, quia valde confortatus est principatus eorum.* Quamobrem, fratres carissimi, et sorores beatæ, iubete me vestris admitti tripudiis, quem non sinit abesse talibus gaudiis huius confessio operis. Nec invida affectatione vobismet solummodò vindicetis sanctorum patrocinia Martyrum,

Tituli operis ratio.

Psalm. 138. 17.

(1) Quare hunc locum corruptissimum dixerint Morales et Schottus, nos certè latet: planè enim sensus illius apparet, si legatur: *Occurrent tamen ad puniendum sævitiam eorum qui ista fecerunt*; quasi diceret: Quidquid moliantur persecutores in sanctorum martyrum corpora, non proveniet ad eorum derogationem virtutum, sed in persecutorum supplicium. Cui rei occurrent in die iudicii: nam *stabunt iusti in magna constantia adversùs eos qui se angustiaverunt.*

quos nostis pro totius Ecclesiæ membris subiisse discrimina passionum. Sed quare ego diutiùs his gaudiis immorari delector, quasi vestrum sit nostro satisfacere optatui ? Certè ut saltim non sine consultu vestro adsint nobis Dei testes in tribulatione quæsiti, qui generaliter pro grege Catholico coram Patre, et Angelis eius manent solliciti. Itaque et vestri et nostri sunt. Ex vobis carne prodierunt, sed nobiscum uno Baptismatis fonte renati sunt. Nihil est quod de eorum gloria vobis privatim vindicetis, quia omnes in Christo unum sumus. Nam et nos quosdam ex illis ad prælium incitavimus : et si ipsi pugnare desivimus, arma tamen quibus militarent, sugessimus. Quosdam verò ex consanguineis inter ipsos Martyres in cælum præmisimus. Paulum loquor Levitam egregium, carne nobis connexum, et Sanctium [1] auditorem nostrum, qui secundo conflictu post beatum Isaac perrexit ad Christum.[2] Sed numquid soli de perfectione eorum gloriabimur, quia quos informavimus, quos fratres habuimus, vicisse videmus ? Sit commune omnibus gaudium : sint cunctis indiscretè fruenda felicium monumenta virorum. Misceamus utrique vota, et paribus studiis laudum Deo persolvamus libamina, cuius dono reddita sunt nobis inoliti temporis felicia sæcula. Quibus olim tempestatibus persequutionum crebrissimis Christiana Ecclesia lapides in illius cælestis Ierusalem coaptabat digniter structuram ad Dei gloriam, cuius munere pugnant Sancti, et vincunt ; oppetunt mortem, et vivunt : cuius gratiâ roboratur constantia martyrum : cuius virtute quicquid sævitia protulit impiorum, virili animo prægrediuntur. Quia non sunt condignæ passiones huius temporis ad superventuram gloriam, quæ revelabitur in eis. Nec pendunt, quo mortis genere hanc vitam amittant, quandoquidem per huius defectum perennis regni felicitatem expectant. *Rom.* 8. 18.

Paulus, Sanctius, Isaac martyres.

38 Verùm quia semper laudabilis est mediocritas, faciliùsque lectorem oblectat succincta brevitas, quàm fastidiosa prolixitas, ideò finali claudendus est limite liber. Ne præter unam, et summam incultionis suæ absurditatem, alium parturiat meditantibus ex longa verbositate laborem. Hinc vos instanti iam voluminis termino, o corona sanctorum, ego ipse licèt indignus vestri laudator Eulogius postulo, ut hoc opus vobismetipsis probatum efficiatis, acceptum sanctificetis, sanctificatum Deo libetis, neque inordinatam narrationis eius seriem pensetis ; sed velle meum potiùs quàm posse considerantes, voluntatis votum, non impossibilitatis remuneremini defe-

(1) *De his lib.2.cap.3. et 6. scribit.* Moral.

(2) Benè hìc notat Schottus propterea Eulogium hoc loco non meminisse Ludovici fratris Pauli, quòd dum hæc commentaretur, Ludovicus martyrium nondum passus fuerat. Hic enim interfectus est pridie Kalendas Maii anni 855. ut patet in lib. 3. cap. 13 ; et librum primum scribebat Eulogius anno 851. ut iam diximus.

V. Schol. fectum. Quia ideò primitias huius commentarii præ omnibus Philosophis patriæ nostræ vobis offerre curavi, ut eius obtentu vestrum habeam patrocinium, vestroque interventu omni caream vitio: quò Dominum contra me pro peccatis offensum merear et nunc et in æternum in-
V. Schol. venire propitium. Et licèt inde gravioris culpæ me obnoxium conscientia mea remordeat, quia res præconabili stylo ad posterorum notitiam ordinandas temerè infecerit eloquii mei inculta barbaries; tamen ex eo tanti (1) deliquii remedium adipisci spero, ex quo omnem vim suam brevitas ingenii nostri in laudem vetram expenderit. Sed et susurrationibus maledicorum obvius veniens, acies perfidorum postravit, fundamenta subvertit, vires confregit. Ac veluti canes, qui ardentissimo zelo pro dominis suis sæpe rixare non desinunt, eò ampliùs in importunis latratibus exacerbantur, quò fortè impugnatoris fuerint verbere lacerati; ita nos licèt asperrimi temporis angustiâ coarctemur, et imminentibus periculis obruamur; nullatenus tamen linguam de vestris laudibus abstraximus, aut de perfidorum insectatione cessavimus. Hæc nos quadam spe cogunt lætos existere, et de clementia boni Parentis confisos manere. Et iccirco non me desperare faciet oratio inculta, et vilis oblatio muneris huius de obtentu gratiæ Redemptoris; quia plus coram ipso votivum novi valere affectum, quàm segnem affluentiam munerum. Quapropter iterata supplicatione vos quæso, milites Dei, bellatores egregii, testes idonei, Martyres Christi, consortes regni perpetui, ut me hîc fideli servitute Deo iungatis, et post debitam pro sceleribus in futuro examine ultionis sententiam a me auferatis. Ut qui liber *Memoriale Sanctorum* a nobis appellatus, vestrorum actuum gloriosam memoriam præconatur, memoriam meam coram tribunali futuri iudicis favore suæ acceptionis in sortem ovium præscribat. Quò a læva in partem dexteram demutatus, pii Redemptoris aspectibus sine confusione merear perfrui: nulloque præpediente reatu, illi cætui connumerari promerear, cui idem Redemptor pia voce dicturus est: *Venite benedicti Patris mei, percipite paratum vobis regnum a constitutione mundi.* Matth. 25. 34.

LIBER SECUNDUS.

PRÆFATIO.

Contigua huius secundi operis brevitas Martyrum tantummodo beatorum gesta exponens, nomina, ætates, ortus, diesque allisionum fideli proferet relatione: quo prudens lector perpaululum prio-

(1) Pro *criminis* Schot.

prioris libelli seriem protelatam compensans, quos præconio suo extulerit, sive e contra quos zelo Dei armatus incesserit, facilius possit coniicere. Nam quod ille vario disputationis ambitu obvolutè disponit, iste enucleatim compendiosa disserit brevitate. Quem per capitula ideo digessimus, ut uniuscuiusque Martyrum agonis principia liberiùs se meditantibus exhiberent.

CAPUT I.

De Perfecto, Presbytero Cordubensi Martyre.

IN NOMINE DOMINI.

Regnante in perpetuum Domino nostro Iesu Christo, anno incarnationis eius octingentesimo quinquagesimo, Era octingentesima octuagesima octava, consulatus autem Habdarrahagman vicesimo nono: cuius temporibus rebus et dignitate gens Arabum in Hispaniis aucta, totam penè Hiberiam diro privilegio (1) occupavit; Cordubam verô, quæ olim Patricia (2) dicebatur, nunc sessione sua Urbem regiam appellatam, summo apice extulit, honoribus sublimavit, gloriâ dilatavit, divitiis cumulavit, cunctarumque delitiarum mundi affluentiâ (ultra quàm credi, vel dici fas est) vehementiùs ampliavit: ita ut in omni pompa sæculari prædecessores generis sui reges excederet, superaret, et vinceret. Durnque sub eius gravissimo iugo Ecclesia orthodoxorum gemens, usque ad interitum vapularet, venerabilis memoriæ Perfectus presbyter Cordubæ natus, et sub pædagogis Basilicæ sancti Acisculi clara eruditione nutritus, plenissimè ecclesiasticis disciplinis imbutus, et vivaci educatione litteraria captus, necnon ex parte linguæ Arabicæ cognitus, totam penè iuventutem in prædicto transegit cœnobio.

2 Quodam verò die dum ob rei familiaris necessitatem iter perageret, et rerum domesticarum commodis consulens, per urbem ingrederetur, quorumdam gentilium sciscitationibus de fide catholica exploratur, suumque coram eis de Christo, et propheta Mahomat testimonium proferre iubetur. Qui continuò diffusso ore divinitatis Christi potentiam profitens, et esse Deum super omnia benedictum in sæcula præconans: " Vatem (inquit) vestrum „ qualiter apud catholicos habea„ tur exponere non audeo, quia „ gravi molestia propter hoc vos „ vulnerari non ambigo. Verùm „ si fœdus intercesserit amicabi„ le, et pacificam fidei pactio„ nem accommodatis, dicam quo „ Evangelii testimonio denote„ tur, vel qua veneratione a chri„ sticolis excolatur." Illico fraudulenter fidem spondent, et quicquid de illo apud religiosos tenetur, omni pulsa formidine enarrare compellunt. Ad hæc prudens sacerdos arabicè illos reciprocans, pseudo-prophetam illum, et falsissimum dogmatistam, quia

natus S. Perfectus presbyter eruditus.

Christi divinitatem profitetur.

V. Schol.

Sub Habdarrahagmano Cordubæ

(1) Vide sis not. sub num. 2. lib. 1. num. 7.
(2) De utroque urbis nomine multa iam diximus. Itidem de regni Arabici sede ibi collocata. *Moral.*

Intentatur Mahometi maleficio. quia plures seduxerit, ex Evan-
Matth. 24. 24. gelio protulit, dicens: " *Multi*
„ *pseudo-prophetæ venient in no-*
„ *mine meo, et multos seducent:*
„ *et dabunt signa magna, et pro-*
„ *digia, ita ut in errorem in-*
„ *ducantur, si fieri potest, etiam*
„ *electi.* E quibus inter ceteros
„ summus hic propheta vester
„ hostis antiqui præstigiis occu-
„ patus, dæmoniorum figmentis
„ illectus, maleficiorum sacrile-
„ giis deditus, multorum parvi-
„ pendentium corda lethali ve-
„ neno corrumpens, æternæ per-
„ ditionis laqueis mancipavit. Sic
„ nulla spiritali discretusruden-
„ tia, principi Satanæ eorum fi-
„ dem accommodat, cum quo
„ ipse asperrima inferorum lui-
„ turus tormenta, vos quoque se-
„ quipedas secum arsuros, inex-
„ tinguibilis camini deputavit in-
adulteria, „ cendiis. Nam quo pacto inter
„ prophetas reputabitur, aut qua-
„ re non maledictione cælesti
„ plectetur, qui Zeinab uxorem
„ vernaculi sui Zaid specie de-
„ coris eius obcæcatus, iure bar-
„ barico auferens, sicut equus et
Psalm. 31. 9. „ mulus, in quibus non est in-
„ tellectus, adulterinâ sibi copu-
„ lâ nexuit, seseque ex iussu
„ Angeli hoc egisse prædixit? "
V. Schol. Multa deinde beatus Perfectus
de fœditatibus et libidinibus, quæ
e legem impuram. lege Mahometica præcipiuntur,
superaddidit; et tandem finem
his verbis fecit: " Sic fautor im-
„ munditiæ, et libidinum volu-
„ ptatibus serviens, omnes vos
„ perennis luxuriæ impuritatibus
„ dedicavit." Alia etiam plura,
prout noverat, de ipsius nefan-
dissima doctrina eis exponens,
multaque auditui exosa coram
omnibus denuntians, licèt non
tunc illum superbo oculo impe-
tierint, accensum tamen ultionis
furorem in corde ad perniciem
eius reponunt.

3 Perficit Dei famulus sibi
hinc necessariæ rei utilitatem, et
expleto sui itineris cursu, pro-
priæ quietis cellulam repetens,
securus aliquandiu permansit. Ce-
terum post non longam digres-
sionem temporis, dum occasio
familiaris necessitatis eum aliquò
ire compelleret, casu per eosdem,
cum quibus dudum conflictum
gesserat, habuit commeatum.
Quem æmuli venientem ab emi- *Comprehensus iudici offertur.*
nus contuentes, æternum adver-
sùs eum sub pectore vulnus ser-
vatum, in apertum produnt in-
cendium, et in vindictam sui
vatis circumastantium hoc modo
hortantur conventum: " Ecce
„ quem temeraria pridem impel-
„ lente insania, tanta coram no-
„ bis adversùs vatem (psallat V. Schol.
„ Deus super eum, et salvet eum)
„ maledictionis verba protulit,
„ quanta nullus vestrorum audi-
„ tus potest perferre." Hoc au-
tem genere benedictionis semper
ad honorem eius utuntur: Zalla,
Allah, Halla, Anabi. V. A. Zal-
len. Quod latinè dicitur, Psallat
Deus super prophetam, et salvet
eum. Et ita quasi apes stimula-
tæ, tota illa cohors perditionis
in eum furibunda consurgens ap-
prehensum sub omni celeritate
iudici vix plantis solum tangen-
tem offerunt, atque huiusmodi
de eo testimonium proferunt:
" Hunc, quem tuis reverentissi-
„ mis tribunalibus, iudex, attra-

xi-

„ ximus, maledixisse prophetam „ nostrum, eiusque cultoribus „ exprobrasse comperimus. Quæ „ verò sententia tales ausus com„ pescat, furiamque retundat, „ meliùs tua novit prudentia co„ gitare." Tunc iudex iniquitatis ergastulis futurum Dei Martyrem tradit, ferroque vinctum importabili pondere vinculorum coarctans, victimandum in eo die differt, quo profanis ritibus festivum paschæ gaudium apud eos excolitur. Vadit miles Christi exultantibus animis abdita carceris petens, lætusque illum reorum specum, quasi ad epulas invitatus, ingreditur. Ubi summâ timoris et sanctimoniæ reverentiâ præditus, vigiliis, orationibus, atque iciuniis inserviens, fertur suam sententiam, quam dudum ante iudicem formidine mortis negaverat, fortiori mente in virtute sancti Spiritus confirmasse. Et priusquam foro plectendus educeretur, tradunt prophetico vegetatum spiritu de quodam eunucho vocabulo Nazar, Claviculario proconsule (qui eo tempore totius reipublicæ in Hispaniis administrationem gerebat) dixisse: " Hunc quem hodie super „ omnes Hiberiæ primates fastus „ principatus extollit, et cælo „ tenus gloriosa potestas in hac „ parte occidua sublimavit, re„ voluto venturi anni curriculo „ ipsum, quo me prosterni die „ decreverit, non attinget." Quod ita divina virtus, ut confessori suo iam quidem per squalores carceris elimato revelaverat, implere non distulit.

Virtus, carceri includitur.

Præcidit mortem Nazar eunuchi.

4 Exactis igitur non multis in carcere mensibus, post expleta ieiuniorum suorum tricenna diecula, in quibus gastrimargiæ crapulis, et fluxu libidinis, sicuti in [1] primo libro digestum est, propensiùs solito insistunt; illucescit Martyri ceteris temporibus gloriosior dies: ille ille scilicet, quem solemni veneratione summoque tripudio ritu vanæ legis gerunt dicatum. In quo se magnum deo suo præstaturi arbitrantes obsequium, eductum ex antro gladio vindice trucidarunt confitentem Christum in gloria Deitatis manentem, et Ecclesiæ Catholicæ inimicum liberis vocibus exprobrantem atque dicentem: " Prophetam vestrum et maledi„ xi, et maledico, virum [2] dæ„ moniorum, magum, adulte„ rum, et mendacem: sicuti pro„ fessus sum, et profiteor. Profana„ tiones sectæ vestræ commenta „ diaboli esse denuntio. Vos quo„ que cum ipso duce tenebrarum „ æterna luituros tormenta pro„ testor." Turba verò gentilium, quæ intuitu tantæ festivitatis in campum ultra pontem fluminis, in parte ab urbe Australi situm, latissima planicie ad exorandum processerat, ovans præpeti regressu ad necem Martyris contemplandam sese divertit. Quæ iam prostratum ante fores prætorii, suoque se volutantem sangui-

Martyr occumbit;

sed ante repetita professione fidei contra Mahometum.

Audet du

v. Schol.

(1) Hæc inde resecata fuerunt ab Ambrosio Moralesio; quare locus suboscurus. *Schot.* Vide sis Schol. in lib. 1. num. 7.

(2) Fortè *dæmoniosum*, ut in Apologet. num. 12. et in docum. num. 15. Utroque autem modo hispanismum vulgarem sonat *hombre endiablado*, aut *hombre de los diablos*. Schot.

guine cernens, inlitis quoque et ipso extincti Sacerdotis cruore vestigiis, aucta iucunditate, ad exolvendum sacrilegium voti compos regreditur. Nihilominus commoda se faciliùs potitura confidens, quæ tanti hostis sanguine combinatis gressibus incedebat.

5 Sed ad propositum redeamus, et quod ad laudem sui Martyris ipso die, quo decidit, divina pietas fuerit operata, sicut plurimorum fideli relatione comperimus, referamus. Nam celerem ad vindicium sui militis ultionem effundens, nonnullos de pessimorum caterva gurgite fluviali immersit. Regredienti namque vulgo a loco orationis, quo ritu sacrilego irrita vota persolverat, plerique ascensis navibus (1) dorso vectantur æquoreo: sectoque carinis et præpeti navigio amne, domum revertunt. Inter quos una fluctuatione undarum eversa navicula, quæ octonis homunculis vehiculum inter fluctus præstabat, gremio interioris abyssi reconditur. Vix inde nando sex evadentibus, bini naufragio perierunt. Ut non esset vacua Scriptura, quæ dicit: *Ego Dominus dabo impios pro morte tua, et divites pro sepultura tua.* Unum enim in cælum crudelitas persequentis præmisit, et duos inferis sæva tempestas fluminis dedicavit. Corpus autem sancti Martyris piis Religiosorum officiis, dignoque Præsulis et sacerdotum obsequio in Basilica beati Acisoli, in eo titulo, quo felicia eius membra quiescunt, humatur. Illudque prophetismum divinitus ore eius prolatum de Proconsule eunucho clavicolario Nazar, ita (Deo dispensante) impletum est, ut carcere adhuc religatus convinctis prædixerat. Nam priusquam in anno altero profanæ solemnitatis paschale gaudium perituris occurreret, multis ante diebus eunuchus idem occubuit. Ignita namque febre intrinsecus viscera eius adusta, et (ut nonnulli ferunt) toxica potione corrupta, ante obitum, dum urgente corporali necessitate ad purgandum alvum secretius cubiculum peteret, disco effusa sunt, et interiit. Sicuti quidam poëta christicola Arii finem describens, heroicè lusit, dicens:

Isai. 53. 9.

V. Schol.

Sepelitur in S. Acisoli æde.

Nazar eunuchus misere perit.

duobus submersi.

Visceribus fusis vacuus quoque ventre remansit.

Sedul. *lib.* 1. *Oper. Paschal. circa fin.*

Sic namque Dominus utroque miraculo militem suum glorificans, magnæ spei solatiis fidelium vota corroborat, impiorumque sacrilegam vanitatem stupore vehementi exturbat. Hæc nos per pauca ex gestis beati Martyris dixisse sufficiat, quæ viris catholicis referentibus, qui eius contuberniis a principio in vinculis adhæserunt: sed et ipsorum ethnicorum relatione vera esse cognovimus, dum nos tempore compeditionis nostræ omnes, cum quibus ille Martyr futurus morabatur, vix paucos solutos reperimus.

(1) *Fluviales lintres naves per abusionem qua mdam vocat.* Moral.

mus. Consummavit autem vir Dei cursum agonis sui in pace quarto decimo Kalendas Maias, die sexta feria, Era, qua supra adnotatum est. V. Schol.

Perfecti exempla multi martyres occumbunt.

7 Res verò tanti facinoris in sacerdote commissi, multos otio securæ confessionis per deserta montium, et nemora solitudinum in Dei contemplatione fruentes, ad sponte et publicè detestandum, et maledicendum sceleratum vatem exilire coëgit, maiorisque ardoris fomitem moriendi pro iustitia cunctis ministravit. Et quod ab isto uno infida persequutorum executio primitus violenter extorsit, et quod in hunc calida circumventione suadendo ulciscitur; postmodum in plurimos ultro se tali discrimini offerentes exhorruit. Adeò namque terrore nimio ethnicorum universitas in horum progressu concussa est, ut perditionem reipublicæ regnique sui excidium iam imminere arbitraretur, ac nostros athletas ab huiusmodi intentionibus inhiberi suppliciter exoraret. Sed nos, sicut huius voluminis præfatio continet, nostrorum agonistarum ætates, ortus, temporaque decisionis fideli prosequamur stylo; ut quod divino munere nobis, nostræque ætati coniunctum est, propriis scilicet obtutibus Sanctorum contemplari agonem, venturis etiam sæculis pura libelli series innotescat. Ut nostri quoque gaudii futura generatio particeps fiat, dum mente credula vera esse non abnuat, quæ sibi catholicorum mandasse industria lectitat.

Sarracenorum perturbatio.

V. Schol.

CAPUT II.

De Isaac Monacho martyre.

Beatus itaque Isaac ex civibus Cordubensium nobilibus, et locupletioribus parentibus natus, dum primævos adolescentiæ annos ingrederetur, atque inter opes bonaque genitorum tenerrimè degeret, adeò ut peritus et doctus lingua Arabica Exceptoris reipublicæ officio fungeretur; ex improviso spiritali flagrans ardore, monachorum vitam optans, Tabanos viculum petiit, qui in partibus Aquilonis inter prærupta montium, et condensa sylvarum septennis ab urbe milliaribus distans, formosissimis in exercitatione vitæ monasticæ virorum atque ancillarum Dei rumoribus decoratur. Siquidem in eodem cœnobio virum summâ timoris Dei reverentiâ præditum Hieremiam patruelem habebat: qui etiam inclitus opibus, rebusque abundans, et coniux eius venerabilis Elisabeth, ac liberi, totaque penè cognatio sumptu proprio fundamenta ipsius cœnobii iacientes, divinarum legum perenni adhæsuri obsequio, pridem sese eo contulerant. Ibi per triennium beatus Isaac sub regularibus disciplinis, seu sub reverentissimo Abbate Martino prædictæ feminæ fratre, in sancto proposito militans, extemplò divinitus illustratus, forum adiens, iudicem petiit, et ordine quo in præfatione libri disposui, felici obitu sub testimonio Domini nostri Iesu Christi in eadem regia urbe, tertio nonas Iunias, feria quarta, Era octingentesima octuagesima no-

V. Schol.

V. Schol.

Hieremias sancti Isaac patruelis.

Tabanense cœnobium a quibus fundatum.

Martinus Abbas illius cœnobii.

V. Schol.

nona [1] occubuit. Cuius corpus equuleo suspensum, post aliquot [2] dies cum ceteris, qui eum imitando decisi sunt, rapacissimo igni commissum, usque ad ultimam favillam minutum est, ac deinceps amni perdendum immersum est.

CAPUT III.

De Sanctio martyre.

Sanctus verò Sanctius auditor noster, laicus, adolescens, ex Albensi oppido Galliæ Comatæ olim captivatus, nunc autem inter militares regis pueros liber præscriptus, et regalibus annonis nutritus, in eâdem urbe regia sub eâdem professione, nonas Iunias, Era qua supra, feria sexta, prostratus est, [3] et affixus. V. Schol.

CAPUT IV.

De Petro, Walabonso, Sabiniano, Wistremundo, Habentio, et Hieremia martyribus.

Semovius hic Martyrum globus ipso vocabulo venerabilis est.

Veniamus nunc ad illum mysterii [4] senarii sacratissimum Martyrum globum, qui uno die, unaque hora sub ictu sævientis mucronis ob testimonium veritatis occisi sunt.

2 E quibus Petrus sacerdos in urbe Astigitana progenitus, et sanctus Walabonsus Diaconus ab Eleplensi civitate exortus, utrique prioribus coævi Martyribus, Cordubam studio [5] meditandi adeuntes, liberabilibus disciplinis traditi sunt. Sed Deo fautore scientiâ, et doctrinâ Scripturarum pollentes, sub Frugello Abbate monasterio sanctæ et gloriosæ Virginis Mariæ præficiuntur. Quod in vico Cuteclara non longè ab urbe in parte Occidentali præclaro ancillarum Dei proposito enitescit. Sanctus quoque Sabinianus ex vico Froniano montanæ Cordubensis, iam plenæ iuventutis monachus, ortus, et Wistremundus ex Astigia adolescens strenuus, e cœnobio sancti Zoyli Armilatensi, quo dudum sub regula, vel Abbate sc dederunt: unus a tempore longo in castris Domini militans: Wistremundus verò nuper se in idem cœnobium conferens, ad martyrium ambo discurrunt. Qui locus penè a Corduba in parte

Primus et secundus Cordubæ studuerunt, V. Schol.

V. Schol.

V. Schol.

et virginum cœnobio præfecti fuerunt:

V. Schol.

tertius pridem,

quartus recens,

V. Schol.

ingressi monasterium Armilatense.

Mmm 2 se-

(1) Usuardus in Martyrologio ad diem 3. Iunii occubuisse ait S. Isaac anno ætatis vigesimoseptimo: quod licèt Henschenius ignoraverit, unde ille acceperit, nos credimus cum Henrico Florezio bene potuisse Usuardum eam rem Cordubæ inquirere, cum ibi ferè duos menses permansisset anno 858. quo adsportavit Parisios ex illa urbe corpora SS. Georgii Monachi, Aurelii, et Nathaliæ. Vide tom. x. Hisp. Sacr. pag. 369. 387. et seq.

(2) Morales et Schott. hîc edidêre, *dierum*; sed nos cum Henschenio *dies* reponimus ob id maximè quòd Eulogius in Præfation. Memorial. num. 2. in fin. eodem modo legerit.

(3) Per prostrationem et affixionem modum illum supplicii indicat, ait Papebrochius ad diem 5. Iunii, *quo hodiedum apud Turcas et Hungaros, rei proditionis, qualis censebatur* SANCTIUS, *extenduntur humi, transacto per corpus palo confingendi, cum eoque in altum erigendi in longam mortem et crudele spectaculum, quod* impalationem *illi vocant.*

(4) De senarii numeri mysteriis multa Ioannes Tamaius Salazar in Martyrolog. Hispan. ad diem 7 Iunii horum martyrum passionem commemorans. Ea nobis transcribere placuit in Scholiis, quando Papebrochius ad ea nos reiicit.

(5) *Litteris incumbendi. Meditationem pro studio D. Eulogius usurpat hîc et infra cap.* 10. Schott.

septentrionis triginta et amplius milliaribus distans, vastissimam horret inter deserta montium solitudinem: ad cuius collis radices, quo idem situm est, flumen Armilata discurrens, magno pisciculorum solatio inediam refovet monachorum. Ex quo etiam Armilatense cœnobium appellatur. V. Schol.

Habentius martyr ex S. Christophori cœnobio.

3 Beatissimus verò Habentius virili iam ætate perfectus, e civibus Cordubensibus, monachorum vitam oblectans, sancti Christophori monasterium incoluit, quod situm est in spectaculum urbis, in parte Australi super crepidinem ulteriorem Betis. Ibique sæculo mortuus, Christo autem sub arctissima regula degens, utpotè spontaneo carceri se tradens, altis maceriarum sepibus circumclusus, ferreisque laminis intus ad carnem obseptus, per fenestras se adventantibus exhibebat visendum. Iste talis ac tantus cum beato sene Hieremia (de quo supra affati sumus, quique etiam inter ceteros Dei servos (1) *fuit* acrioribus stimulatus flagris) occubuit. Hi sex viri fortissimi, et præclarissimi simul ad expugnandum hostem improbum descendentes, omnes quasi ex uno ore clamaverunt, dicentes: " Et nos sub eâdem professione, „ o iudex, manemus, quâ pri„ dem confratres nostri sanctissi„ mi Isaac, et Sanctius decide„ runt: exerce sententiam, cru„ delitatem exaggera, et in ul„ tionem tui vatis totis exardesce „ furoribus. Quoniam Christum „ Deum veraciter confitentes, „ prævium Antichristi, et autho„ rem profani dogmatis vatem „ vestrum esse profitemur. Vos„ que lethali succo prophetismi „ eius infectos, et virulento præ„ dicamine Zabuli propinatos, „ æterna postmodum luituros „ tormenta scientes dolemus, ve„ stramque orbitatem, et igno„ rantiam satis deflemus." Hæc cum animoso spiritu Sancti Dei professi sunt, statim decollari iubentur. Priùs tamen beatum senem Hieremiam, nescio ob quam assertionem flagellis graviter cæsum, et inter ipsa verbera (ut ferunt) emortuum, vix hærentem gressibus foras traxerunt. Qui Martyres dum ad locum mactationis accederent, invicem sese quasi ad epulas invitarunt. Et primò quidem reverentissimi Dei ministri Petrus, et Walabonsus ruentes, ceteri deinceps sub eodem iugulantur momento, septimo scilicet Idus Iunias, feria prima, Era qua supra. Quorum corpora stipitibus defigentes, post aliquot (2) dierum vastissimo consummarunt incendio, eorumque cineres perdendos flumini tradiderunt.

V. Schol.

Omnes autem sex Mahometum execrati,

V. Schol.

iubentur decollari.

Hieremia priùs dire flagellato.

V. Schol.

CAPUT V.

De Sisenando Levita martyre.

Denique Levita sanctissimus Sisenandus ex Pacensi oppido ortus, V. Schol.

(1) Addimus *fuit* ex ipso Papebrochio ad eumdem diem, cum aliunde sensus imperfectus maneat.

(2) Suppleas hîc *intervallum*, ut fecit Papebrochius; vel lege *dies* ut antea monuimus.

tus, Cordubam intuitu discendi advectus est, ibique apud beatissimi Aciscli Basilicam, qua corpus eiusdem Martyris requiescit, digniter enutritus; ut ipse familiaribus retulit, invitantibus se beatissimis Petro et Walabonso iam cælo Martyribus collocatis, martyrium quoque et ipse aggressus est. Qui dum in carcere religatus maneret, tradunt quòd prophetico illustratus spiritu, patibuli sui horam præscius nuntiaverit. Nam quodam die cùm responsum cuidam amico se interroganti aptaret, eique reciprocationis schedam scriberet, tribus aut quatuor iam digestis versiculis, subitò nimia hilaritate perfusus, cælesti quodammodo gaudio vegetatus, e loco sessionis suæ consurgens, astanti puero schedulæ portitori, cui miles Christi reciprocari intendebat, semiscriptam ut erat accommodans, multis audientibus ait: " Recede modò fili, ne impetu „ satellitum opprimaris; quoniam „ iam potestas tenebrarum vin„ culis me extrahere præcipiens, „ nunc decollandum sibimet ex„ hibebit." Post hanc prophetiam immobili semper gressu ipso persistente, eodem momento vociferantes lictores adveniunt, eumque præcipiti furore ad locum, quo martyrium erat consummaturus, pugnis alapisque cædentes perducunt. Pergit Dei famulus lætantibus animis de corona victoriæ certus, qui ad cæleste convivium exhortantibus Sanctis fuerat invitatus. Sic namque iudici præsentatus, eâdem qua priùs constantiâ in sancta confessione perdûrans, delicatus ephebus gloriosa morte peremptus est, atque inhumatus præ foribus palatii derelictus est, septimo decimo Kalendas Augusti feria quinta, Era qua supra. Cuius ossa post multos dies donante Deo a quibusdam mulieribus inventa inter lapillos alvei, in prædicti martyris Aciscli aulam deportata reconduntur.

CAPUT VI.

Pauli Diaconi Cordubensis, et Theodemiri monachi martyrium.

Sanctus verò Paulus (1) contribulis noster, et hic Levita dignissimus, cùm primo adolescentiæ flore venustaretur, e civibus Cordubensibus progenitus, simplex affatim, obediens, et humanus, semper carceratis opem miserationis impendens, apud Basilicam quæ corporis beati martyris Zoyli præsentiâ illustratur, spiritalibus enutritus est disciplinis. Qui exemplo sanctissimi Sisenandi verboque instructus, Principibus et Consulibus adsistere non extimuit, eosque de vanitate culturæ suæ, et scelerosi vatis insania arguens, Christum quoque Deum veraciter confitendo, peremptus est. Fertur tamen, cùm adhuc carcere detineretur, imploratus a Tiberino Pacensi Presbytero, qui ei ita dice- V. Schol.

(1) Sanguine aut cognatione affinis, cum lib. 1. carne ipsum sibi connexum dixerit; fratremque Ludovicum eodem modo postea contribulem nominarit, lib. 3. cap. 13. Quod etiam constat ex cap. 17. eiusd. lib. 3. cum S. Aurea a suis ut contribula invisitur. *Schot.*

cebat: "Obtine solutionem meam „ coram Domino, beate minister, „ et digno interventu tuo, dum „ coronatus Christo perveneris, „ longævum a me carceris squa- „ lorem amove." Erat enim idem sacerdos penè viginti annos ergastulo mancipatus, nescio ob quod crimen accusatus ab inimicis coram Rege. Qui Presbyter florentissima adhuc iuventute præpollens, ac virili præditus
V. Schol. venustate, illi subterraneo specui deputatus, penè decrepitus, et senio confectus inde eductus, publicis demum carceribus mancipatur. In his Martyres Christi usque in horam mortis degebant: In his parricidarum, homicidarum, latronum, et scortatorum improbi ausus, et execranda temeritas, ac diversorum criminum rei sub arctissima macerabantur custodia: In his positus prædictus sacerdos, causam sui carceris beato Paulo commisit. Cui Martyr sanctus de corona victoriæ confisus, satisfacere [1] optioni eius promittens, non post multos dies martyrii sui, fidelis sponsor eum carcere absolutum, Deo fautore, propriæ urbi restituit. Consummavit autem Dei servus martyrium suum in pace tertio deci-
V. Schol. mo Kalendas Augusti, feria secunda, Era qua supra. Cuius cadaver inhumatum, et ante fores palatii derelictum, post nonnullos dies quorumdam fidelium curiositate clam sublatum, cum bea-
V. Schol. ti Theodemiri Carmonensis monachi corpore, apud Sanctuarium prædicti martyris Zoyli conditum est. Qui et ipse iuvenis post sexta die, qua sanctus decidit Paulus, id est, octavo Kalendas
V. Schol. Augusti, feria septima, Era qua supra occubuit, regnante Domino nostro Iesu Christo, qui sanctos suos adiuvit, et coronavit in pace in sæcula sæculorum. Amen. [2]

CAPUT VII.

Nunilo, et Alodia virgines et martyres.

Hucusque finem libri secundi esse decreveram, hucusque terminum Sanctorum ad huiusmodi palæstram currentium esse putaveram. Nec quemquam post tot discrimina Ecclesiarum nostrumque carcerem talia certamina opinatus sum aggressurum. Verùm quia Sanctorum numerum præsaga divinitas adhuc disponebat augeri talium professione, ideò postmodum quorumdam mentes multiplici ardore inflammans, plures prioribus ad illud destinavit certamen. Et simili quidem voto ac magnanimitate ceteros imbuens, viros, mulieres, et parvulos ad exercitium præliorum suorum armavit. Nec quisquam ad talem tantamque præscriptus militiam, resilire a certamine poterat. Cuius vocabulum cælestis liber notatum a principio sæculi retinebat, suasque vires ad huiusmodi palæstram divinis ausibus crescere cernebat. Quorum nomina, ætates,

(1) Forsan *optationi*, si credimus Bolandist. ad diem 20. Iulii.

(2) Quamoptimè Henricus Florez tom. x. Hisp. Sacr. pag. 435. hanc vult hîc subiici notam: Hucusque scripsit Eulogius ante finem Novembris anni 851. Quod sequitur omne, posterius est anno 853, et anterius 857.

tes, gestaque bellorum suo loco ac tempore disponenda sunt. Priùs autem illa Sanctorum trophæa elucubranda sunt, quæ ratio et
V. Schol. cursus mensium ordinatim ut acta fuerunt adducit, licèt in aliis regionibus gesta extiterint. Sed quia una est confessio quæ utrosque coronavit, idemque tempus quod utrosque per feralem impietatem in cælum præmisit; reor absurdum non esse, quòd competens annotatio nostra Sanctorum agminibus eos inseruit, et coëlectorum cætui adunavit. Ut pari magnificentia laudis a nobis attollerentur in terris, qui uno sunt adnotati codice in supernis. Hac de re actum est, ut brevitas succincta huius opusculi modum promissæ contiguitatis excederet. Et liber, qui dudum parciùs se loquuturum sperabat, aliis supercrescentibus ex improviso rebus, in longam devolveretur seriem scripturæ.

V. Schol. 2 Igitur referente viro sanctissimo ac venerandæ paternitatis Venerio Complutensi Episco-
V. Schol. po didicimus, in urbe Osca apud oppidum Barbitanum duas sorores virgines fuisse (quarum una
V. Schol. Nunilo, altera vocabatur Alodia) patre quidem gentili, matre verò christiana progenitas. Quæ, dum post mortem impii parentis, mater earum secundum et (1) gentilitium iniret connubium, nec liberè possent fidem Christi tenere, obstante cervicoso victrici paganismo (iam enim animi puellarum a pio Christi fonte ir-
V. Schol. rigabantur); spreto materno cubili, nutritione materteræ suæ fidelissimè refoventur. Illico earum sancta infantia Christo Domino cœpit fideliter adhærere, et paterni oblitæ ritus, Crucifixi religionem tenerrimis et sanctificatis mentibus reponentes, illibatè custodire. Et quoniam natalium infulis præpollebant, summisque dignitatum fascibus enitescebant, non potuit delitescere urbi illarum propositum, redolente ac relucente conversatione sanctæ fidei quam gerebant. Siquidem primævum adolescentiæ florem iam attigerant, et totam penè provinciam rumor sanctitatis earum impleverat: cunctique stupebant, geminum rosarum prosiliisse decorem ex vepribus. Hinc zelótipus hostis antiquus suorum membrorum dolens iacturam, dum per terrores præsidum invido arbitratu posse immutari iam præsignatas ad thalamum sponsi æterni confidit, dilatum præmium per mortes asperas accelerando, virginibus sacris adducit. Ideòque sanctarum virginum causam instantiâ satellitum suorum Præfecto urbis insinuat, qui illico suis eas assistere obtutibus iubet. Quas vana promissione munerum illicere tentans, ac perinde de rerum copiis, et clarissimorum iuvenum connubiis adhortatur, si ab hac religione Christi animos avocassent, propriis utique natalibus redditæ, insuper multarum divitiarum affluentia ditarentur. Si verò pertinaciori spiritu consultum præsidis conculcassent, in ultimo die

(1) Schott. *gentilium.*

die excruciatione tormentorum addictæ, ad ultimum gladio vindice interirent. Cui beatæ virgines sancto spiritu animatæ, constantes et intrepidæ sub una confessione dixerunt: "Quomodo „ nos, Præses, a pietate Dei iu„ bes avertere, quas pietas sancta „ suo lumine perlustrando fecit „ cognoscere nihil esse Christo „ divitius, nihil fide christiana „ felicius, per quam iusti vivunt, „ per quam Sancti regna vicerunt? „ Sine quo vita nulla est, sine „ quo mors perpetua viget. Cum „ quo manere, et in quo vive„ re, solatium verum est; a quo „ recedere æterna perditio est: „ a cuius consortio iam nos in „ hac vita nullatenus discedemus, „ quia ipsi integritatem nostram „ credentes, eius quandoque tha„ lamis speramus admittendas. „ Nam rerum labentium commo„ da, quibus nos illicere autumas, „ pro nihilo reputantes, eo in„ tuitu spernimus, quia cognovi„ mus omnia vana esse sub sole. „ Nec de pœnarum comminatio„ ne turbamur, quam ad modi„ cum valere cognoscimus: quin„ imo ipsam mortem, quam ul„ timo terrore proponis, eo gra„ tissimo exoptamus affectu, quo „ credimus nos per illam incun„ ctanter ad cælum ascendere, „ Christum adire, eiusque in„ convulsibiliter inhærere am„ plexibus." Quarum constantiam fidei Præses virtutemque professionis advertens, quibusdam mulierculis profani ritus peritiâ præditis, sigillatim eas instruendas commendat, et terroribus quibus potest, ne alternis, aut cuiuslibet fidelium fulciantur colloquiis, admonet. Mulierculæ verò suscipientes virgines Christi, sacrilegi cultus quotidie venenosum dogma eis exponunt, ac pervigili cura cælesti iam manna refectis cloacæ putrientis poculum propinantes, casso consummuntur labore. Sed hanc illarum pertinaciam Præsidi referentibus mulierculis, post nonnullos dies virgines in forum eductæ, in spectaculum publicum constituuntur, et Christum confitentes, et hostem fidei detestantes, sub ictu gladii (1) corruerunt undecimo Ka- V. Schol. lendas Novembris, Era qua supra. Quarum corpora loco, quo deciderant, derelicta, summo militum observantur studio, ne Christiani ad emolumentum patrocinationis furtim eas surriperent, et reconderent. Ferunt tamen, quòd illa virginalia cadavera in loco, quo ab ethnicis altis scrobibus magis abscondita, quàm humata sunt, signis et miraculis corruscant, et gloriam emeritæ consolationis virtutum efficientiâ tam fidelibus quàm gentilibus ostentant. Per Dominum nostrum Iesum Christum, qui vivit cum Patre et Spiritu sancto unus Deus in sæcula sæculorum. Amen.

CAPUT VIII.

Vitam continet, et passionem sanctarum Virginum Floræ, et Mariæ.

Consultò omittimus præsens caput, il-

(1) Schott. *corruunt.*

illud inferius edituri unâ cum Documento Martyriali S. Doctoris: cuius consilii rationem supra reddidimus in monito nostro.

CAPUT IX.

Gumesindus Toletanus, et Servus Dei, Cordubæ passi.

Sanctus Gumesindus presbyter ex oppido Toletano olim cum utroque parente puer adhuc parvulus Cordubam veniens, votivo genitorum affectu per sacrum clericatûs ordinem cælesti ascriptus militiæ apud Basilicam sanctorum trium, qua Faustus, Ianuarius, et Martialis martyres præsentialibus corporum suorum favillis quiescunt, digna pædagogorum educatione in Dei timore clarescit. Ubi post aliquod tempus in sancto Diaconii ministerio consecratus, demum cuiusdam Campaniæ Cordubensis Ecclesiæ Sacerdos adolescens præficitur. Inde ad urbem descendens cum beato Servo Dei monacho, qui tunc in supradicto Sanctuario (1) adhuc iuvenis cum Paulo presbytero reclusus manebat, principibus et iudicibus ambo assistentes, sub confessione ceterorum occubuêre idibus Ianuarii, Era octingentesima nonagesima. Quorum corpora furtim a christianis sublata, in Basilica sancti Christophori martyris, quæ est ultra amnem in parte meridiana, religioso cultu extant recondita.

v. Schol.

v. Schol.

v. Schol.

CAPUT X.

De sanctis martyribus Aurelio, Felice, Georgio, Sabigothone, et Liliosa.

Fuit præterea quidam iuvenis, nomine Aurelius, natalibus et rebus plurimis antecellens. Hic in infantia matre christiana, et patre gentili orbatus, tutela amitæ suæ fidelissimè usque in annos adolescentiæ fovebatur, docebaturque Christum veraciter credere Deum: nec præter Ecclesiam salutis viam, et iter regni cælestis alibi posse reperiri, imbuitur. Quod documentum venerabilis puer apprimè ebibit, ita ut licèt Arabica erudiendus literatura traderetur cogentibus affinibus, insontibus tamen præfixam cælitus animis fidei sanctæ notitiam nulla vanitatis figmenta immutare quiverunt: sed corde semper christianismum suum retentans, cum ad solam derisionem (2) meditationi periturarum insisteret litterarum, eò ampliùs in amorem christianæ fidei exardescebat, quo liquidiùs deliramenta perversi dogmatis probans, subtilem (3) dæmoniosi illius fallaciam advertebat. Et cùm non posset publicè cultum fidei gerere, ubique tamen Dei sacerdotibus sese commendans, pro se efficaciùs exorari poscebat.

v. Schol. *S. Aurelius fide christiana institutus*

mire proficit,

Nnn In-

(1) *Sanctorum trium Fausti et Comitum templum intelligit.* Moral.

(2) *Studio, ut supr. cap.* 4. Schot.

(3) Benè Sollerius notat hoc ad Mahometum referri, et apud medii ævi scriptores pro *dæmoniaci* usurpatum esse *dæmoniosi.* Qua de re vide, si placet, Glossarium Cangeanum, et Schotti animadversionem suprà in cap. 1. num. 4.

et sponsæ condignæ destinatur:

2 Interea provehitur in annis iuvenilibus strenuus adolescens, et florentibus genis, virili facies exornatur decore. Hinc adhortatione affinium condignum suæ nobilitati connubium appetere cogitur. Hinc unusquisque suorum, prout noverat, illius vel illius [1] optimam esse sobolem asserebat: ipse autem interiùs aliter ruminans, Christo sui connubii negotium committebat, crebris interventibus precum cæleste numen exorans, ut talibus præpollens votis coniux sibi daretur, quæ secretum suum in melius proficere contenderet, faveretque mente et corpore cultori latenti. Cuius favore tandem adiutus, reperit honesto germine virginem constipatam, rebus inclitam, moribus comptam, specieque pulcherrimam. Quæ cùm præcipuo venustatis habitu extrinsecus decoraretur, præstantiùs tamen introrsus spiritali enitebat decore. Quia omnis gloria filiæ regis ab intus, id est, in penetralibus mentis. Ibi enim sanctitate, in fimbris aureis, varietate scilicet amicta virtutum, Christo regi placitum exhibebat famulatum.

Psal. 44. 14.

quæ et ipsa religiosè educata fuerat.

3 Hæc namque puella parentibus paganis progenita, adhuc cunabulis incubans, patre orbata est. Cuius genitrix alium virum ducens, [2] qui fidem Christi occultè retinebat, coniugem impietatis errore extirpans, privignam Christo assignare studuit, eamque ex sacramento baptismatis [3] Sabigotho appellans, licèt publicè paganis admiscerentur, gestabant verò animo firmiori utrique pietatis religionem. Hanc sibi puellam venerabilis iuvenis, iure coniugalitatis asciscens, completis sponsalium titulis, arrarumque pignore alternanti in invicem exhibitione contradita legitima, ad ultimum ministerio sacerdotum ex more sacrantur, sicque pari commercio aliquo tempore clanculè fidem Christi gerentes, non omnibus arcanum suæ fidei revelabant carnis infirmitate depressi, non diminutione utique voti.

Sic et Felix Liliosæ coniunctus est

4 Fuit autem beato Aurelio proximus genere vir quidam nomine Felix, sancta insuper eidem dilectione connexus, qui occasione diaboli in fide vacillans, cùm postea lapsum prævarications suæ altiùs suspiraret, ultra non potuit patulo congressu religionem Christi exercere. Qui et ipse filiam occultorum christianorum nomine Liliosam in coniugem ducens, Christum in abditis tectiùs excolebat. Quapro-

(1) *Illius vel illius*, *Hispanismus*. Moral.

(2) *Matrimonium inter virum et uxorem alterius religionis*, *ut supr. cap. 7. num. 2.* Schott.

(3) Sabigothonem quam semper Nataliam appellant alii, ut Usuardus, Surius, Baronius et quique passim auctores exteri, binomiam fuisse rectè suspicatur Henricus Florezius, tom. x. Hisp. Sacræ, credens Nataliæ nomen eam habuisse a nativitate, Sabigothonis verò a baptismate, sicut hic indicat Eulogius. Bollandistæ Sollerio visum est ferire nonnihil Sabigothonem nomen christianum. Quicumque verò historiam nostram attentè legerit, facilè animadvertet Baddonam, Liubigothonem, Baldegothonem feminas christianas hæc ipsa nomina Gothica etiam post baptismum absque ulla offensione retinuisse.

propter inconvulsibiliter invicem adhærentes, semper unam habuere familiaritatem, eamdem gesserunt dulcedinem, nec prosperis nec adversis casibus se disparantes, idem illis extitit affectus: tantaque illa pietatis necessitas in utroque fratre perfectionem contulit caritatis, ut nec vita nec morte dividerentur, quos par religionis occasio glomeraverat, de quibus meritò enarrandum est:

1. *Reg.* 1. 23. Sancti, amabiles, et decori, quomodo in vita sua dilexerunt se invicem, ita et in morte non sunt divisi.

Ioannis aliorumque martyrum passionibus

5 Exactis igitur non plurimis annis, accidit ut eo die in forum proficisceretur Aurelius venerabilis, quo Ioannes ille (cu-

num. 9. ius in priori libro meminimus) odio nominis Christi usque ad necem verberibus cruentatus, retrorsum asello evectus, immen-

V. Schol. soque vinculorum pondere coarctatus, ut in parte stramentum reclinaretur iumenti, qua eius crura pendebant; præcedentibus illusorum præconibus, totam circumeundo urbem, satellitum ministerio ad spectaculum vulgi pertractus est. Et cum hinc inde voces exprobrantium resultarent, dicentes, nullatenus dignam sui sceleris pœnam eumdem adhuc persolvisse, quippe quem tantæ reverentiæ vatem subsannatione impetere non verentem, plectendum potiùs morte turpissima congruebat; extemplò futurus belliger amore compunctus martyrii, cælesti quodammodo flamine aspiratur, ut illud pro se fieri spectaculum crederet, causâque admonitionis sibi fuisse ostensum, ne scilicet formidare deberet eos, qui corpora trucidant, cùm nihil anxietatis animabus possint inferre, sed illum potiùs pertimesceret, qui potest corpus et animam perdere, et mittere in gehennam.

mirè animatus Aurelius se ipsum ad perfectionem exstimulat,

6 Cuius fidei stabilitatem admirans, " Verè, inquit, super „ Angelicam petram tabernacu- „ lum credulitatis huius viri fun- „ datum est, quod tanta vis tor- „ mentorum non impulit, nec „ labilium pœnarum aura con- „ cussit. Quòd si qui vexillum „ Christi revelatis gerit aspecti- „ bus, tot seria cruciamenta ze- „ lo Redemptoris sustinuit, cum „ utique cladem illius supplicii „ prævaricando posset evadere, „ et melius carnis suæ iacturam, „ quàm perniciem animæ iudi- „ cans, non se passus est sub „ unius vocis articulo a Christi „ religione abstrahere; quibus me „ ego dignum convitiis credam „ erudiendum, vel quo me ar- „ guendum supplicio debeo tra- „ dere, ut vigorem illius damna- „ ti, quem hodie intuitus sum, „ capiam, fruarque constan- „ tia? "

coniugem ad eamdem exhortans:

7 Hæc dum crebrescentibus supernis iam vocationis suspiriis, ruminare animo cœpisset, regressus domum retulit piæ sodali cuncta, quæ viderat, lætoque spiritu addit: " Tu semper, dul- „ cissima coniux, cùm ego mi- „ himet viverem, et Deo mor- „ tuus essem, sedulò me adhor- „ tata ad confessionem trahebas: „ instabas quotidie me sæculi vo- „ luptatibus nitens avellere: te- „ nebrosis mundi affectibus feli-

„ citatem æterni regni præferebas : labentia cuncta, et omne „ quod fine arctatur, suadebas „ relinquere : prædicabas monachos, mundum renuntiantes laudabas, religiosarumque conversationem oblectans, vitam sæpius suspirabas sanctorum. Sed „ ego necdum supernæ gratiæ „ compunctione lustratus, omnino salutaribus non poteram acquiescere hortamentis, aut fortè correctionis meæ præfinitam „ a Deo Patre nondum insistens „ admonitionem, differebam operibus exequi, quod licèt tenuiter, animo meditabar. Ecce „ iam nunc, carissima, tempus „ acceptabile venit : adsunt dies „ salutis, in quibus a retroactis, „ et exterioribus resilientes, in „ id quod in ante est, nos extendamus. Et primò omnium „ munditiæ et continentiæ perfectiùs studentes, vacemus orationi, quò faciliùs ad reliqua „ sanctitatis industriâ properemus. „ Fiat nunc soror, quæ extitit conIux : in affectu germanitatis thorus nostræ coniunctionis pertranseat : proficiant soboles animarum : subcrescat spiritualium „ generatio, et spreta glutinatione membrorum cænosa, noverit mens præstantiùs (adempta carnis delectatione) perpetuæ incolumitatis producere „ germina. Ut quoquo modo „ condigni martyrii præmio ha„ beamur talium meditatione laborum."

8 Suscipit lætantibus animis venerabilis mulier pium viri consultum, gaudensque multipliciter in subitatione insperatæ salutis: " Hæc est (ait) immutatio dexte- *Psalm. 76. 11.* „ ræ Altissimi ; hæc sunt iam no„ stræ vocationis auspicia : hæc „ sunt, quæ semper optabam, „ æterni regis commercia : ut „ carne morientes, vivamus spi„ ritu, quo illi faciliùs uniamur, „ de quo scriptum est : *Spiritus* *Ioan. 4. 24.* „ *est Deus, et eos qui adorant* „ *eum, in spiritu et veritate* „ *oportet adorare.* Quamobrem, „ Domine mi, quia hoc tibi non „ humanitus revelatum est, sed „ Pater cælestis te olim ad æter„ nam præscriptum militiam, „ concitis vult iam gressibus pro„ perare, cunctis nos vinculis „ absolvamur, excutiamur a pul„ vere, desiderio vitæ perennis „ surgamus."

hoc verò eodem spiritu impulsa

9 Fit itaque utrorumque communis in Dei servitute assensus. Dividuntur cubilibus, votis conciliantur. Præfulgent lectuli fulcra vestium colorumque varietate, quâ suam conversationem vulgo celarent. Illi autem in interioribus angulis tabernaculi super structum crudo [1] latere thorum, hispidis tantummodo instructum ciliciis, dispares [2] incubabant. [3] Ieiu-

in thori separatione omniaque pia conatu.

(1) Hispanismus pro *nullo strangulo aut veste strato.* Schott.

(2) *Seorsum alter ab altero.* Id.

(3) In Surio legimus multa hoc loco interiecta, quæ in omnibus editis, et in MS. nostr. desiderantur. Cuius codicis auctoritate nitantur, ignoramus : digna tamen putavimus, quæ lectoribus exhiberemus. Itaque narrationem hoc modo prosequitur Surius: *Quod divortium sancti propositi divino est tali decoratum miraculo. Quadam nocte cum in huiusmodi stratis membra quieti dedissent, iam noctis medio ecce subitò videt venerabilis mulier agmen candidatorum, patentibus foribus, in domum suam ingredi. Quæ turba cælestis dum pa-*

iunabant sæpè, sine intermissione orabant, et quoscumque noverant Psalmos, noctu meditabantur. Vincebant tenebrarum chaos interiecto vigiliarum labore, omnemque dæmoniorum fraudem talibus evincebant studiis. Ministrabant egenis, curam pauperum omnino gerebant. Et quoniam adhuc iam dictus Ioannes carcere detinebatur, nos quoque ex antro educti his vinculis detinebamur: utraque etiam virgo, Maria scilicet et Flora, tunc feminarum (1) latibulis causa fidei incolebant: aderat frequens eorum erga compeditos discursus, ex eo videlicet tempore quo beatus Isaac monachus, seu ceteri Sancti, qui præditam veritatis præconio linguam, principibus et iudicibus confessuri, quæ vera sunt, astiterant, et propter eamdem veritatem occubuerant. Quorum constantia perdurabili, multiplici virtutum robore horum auctæ sunt vires. Nam ille viros perlustrans, illa suis retentas claustris feminas requirebat.

In sancti Eulogii captivi notitiam adducti

10 Ibi ego eum agnovi: ibi amicitiam eius adeptus sum, ibique se a nobis institui deprecatur, quid agi deberet tam de rebus, quàm de gemino pignore, quod Deo donante acceperat. Si liceret tales destitui, quas utique post necem suam profano tradendas ritui altiùs condolebat: vel si illam divitiarum copiam protinus fisco agglomerandam, inordinatam relinquere congruebat. Cui cùm omnia intuitu regni cælestis, et causâ retributionis æternæ non solùm relinquenda, verùmetiam fugienda fore censerem, potissimumque suarum potiùs animarum, quàm liberorum esse commodis consulendum, quibus utique Christus vindex, pater, et tutor est, nihilque prorsus rerum temporalium præponi debere desiderio Redemptoris, seu fruendi sanctorum consortio docerem; confestim subiunxi: " Si provida fa- *sic ambo instituuntur,*
„ cilitas suppetit, qua hæc omnia,
„ magistra intercedente discretio-
„ ne, ordinentur; utile primô
„ iu-

christianæ perfectionis principiis

pavimentum linteis niveo candore micantibus sternit, sole clarior simul inducitur splendor. Dehinc post paululum subsecutus iuvenis incomparabili nitore redimitus, quem nemo sine multo terrore humanis oculis intueri posset, accessit ad thorum nobilis Aurelii, muniensque illum signo crucis undique, dixit ibi quædam solemnia verba, quæ illa professa est præ nimio metu se intelligere nequivisse. Postea verò ad Nataliæ stratum accedens, celebravit eadem, pariterque cum ipso splendore recessit. Nos quidem, iuvenis tanto stipatus obsequio, quis fuerit, lectoris arbitrio censendum relinquimus: non tamen absurdè ille qui in suo sancto Evangelio promittit, Ubi duo vel tres congregati sunt in nomine ipsius, ibi se fore in medio eorum; suos milites ad tantum agonem destinatos visitasse intelligitur. Si quis autem, quod minimè credimus, hoc fabu-

losum autumaverit; sciat testem esse conditorem omnium et arbitrum, ita me ab illis accepisse, qui se illam hæc eadem sæpe audisse narrantem dicebant. Testabatur etiam eadem Christi electa, quia viderit nuper domum penetrari eamdem a turba monachorum dicentium: Ecce venit Domina, ecce venit Domina. *Cumque hæc loquerentur, illicò succesisse quamdam virginem, inæstimabili specie cultuque vestium nimis vernantem, quæ confestim adiens virum ipsius, arrisit ei, hinc-que recessit. Hanc fatebatur Genitricem Domini nostri Iesu Christi fuisse, quæ semper castitatis amatrix, cunctos huius gratiæ sectatores adiuvando circuit, fovet, ac blandè amplectitur. Igitur his tam magnis rebus animati, non elationis permoti sunt stimulo, sed magis ac magis in dies in Dei servitio fervebant.* Ieiunabant, &c.

(1) *Mallem legere*, latibula. *Soller.*

„ iudicamus sobolem tutiori loco „ transponi, ubi Christo liberiùs „ assignetur: rebus quoque iuxta „ mandatum Domini venditis pau- „ peribus erogari, quò expedi- „ tior vobis pateat deinceps post „ Christum ingressus. Sic deni- „ que Veritas sancta sciscitanti „ se iuveni quatenus vitam æter- „ nam possideret: *Si vis* (inquit) *Matth. 19. 21.* „ *perfectus esse, vade, vende o- „ mnia quæ habes, et da pauperi- „ bus: et veni sequere me, et ha- „ bebis thesaurum in cælis.* Sed „ etsi pars aliqua in (1) stipendium „ relinquatur infantium, culpa- „ bile esse non poterit, quod „ multa patrum insinuant docu- „ menta. Ideoque si ad hanc dis- „ pensationem potestis attingere, „ optima res, et perfectius opus „ est: quod vos, omnibus expe- „ ditis negotiis, securiùs ad mi- „ litiam cæli ire compellet. Sin „ verò quorumdam difficultatum „ repagulis oblatrantibus, hæc „ dispensatio revellitur, et nulla „ interest libertas, qua hæc in- „ dulgentissimè suppleantur, præ- „ sertim cùm magis ex aliquo „ perturbationes emergere formi- „ datis, quæ vestræ intentioni „ obsistant; non cunctandum est „ spernere patrimonium, quod „ multò melius et latius in cæ- „ lo, quo vos nitimini proficisci, „ reperitur. Non filiarum affectus „ societati Sanctorum est præ- „ ponendus, cùm et illas potest „ Deus in sæculo enutrire, qui „ compactavit in utero; siquidem „ ei provida de omnibus cura est. „ Non omnes parvuli parentum „ industriâ refoventur, nec cun- „ ctæ proles nutritio educantur „ labore. Nascitur homo, orba- „ tur in cunabulis solatio genito- „ ris, non tamen creatoris gu- „ bernaculo destituitur, qui est „ pater orphanorum, et iudex vi- „ duarum. O quàm multi parvu- „ li nutricum curâ delicatiùs edu- „ cati, in deteriora deveniunt! „ Quàm plures pupilli ab horri- „ bili egestate in magnarum af- „ fluentiam opum excrescunt, et „ fiunt multarum Domini rerum, „ qui vix pauperrimo pane pro- „ vecti sunt! Multi ex Christia- „ nis progeniti, præpediente de- „ liquio, Ecclesiæ membro pri- „ vantur; et nonnulli filii paga- „ norum, præveniente gratia „ Domini, ad redemptionem fi- „ dei salutaris recurrunt. Nec „ istis sacrilegium obest paren- „ tum, nec illis prodest religio- „ sitas genitorum: cùm et hi a „ fide recedentes, Deo alienan- „ tur, et illi credentes in Chri- „ stum (per quem iusti vivunt) „ eripiuntur diabolo, perenniter „ Deo cohærentes. Cuius rei te- „ stis est Dominus, qui in Evan- „ gelio protervam Iudæorum ar- „ guens vanitatem, ait: *Genimi- Ibid. 3. 7. &c.* „ *na viperarum, quis ostendit „ vobis fugere a futura ira? „ Facite ergo fructus dignos „ pœnitentiâ, et ne velitis dice- „ re intra vos: Patrem habe- „ mus Abraham: dico enim vo- „ bis, quia potens est Deus de „ lapidibus istis suscitare filios „ Abrahæ.* Et iterùm: *Multi ab Ibid. 8. 11. 12.* „ *Oriente et Occidente venient, „ et*

(1) Pro *victu quotidiano.* Id.

„ *et recumbent cum Abraham,*
„ *Isaac, et Iacob in regno cæ-*
„ *lorum : filii autem regni pro-*
„ *iicientur in tenebras exterio-*
„ *res : illic erit fletus, et stri-*
„ *dor dentium.*"

ut vinctis coniungi valeant.

11 Instructus igitur venerabilis iuvenis quomodo processum martyrialis prælii meditaretur, vinctorum se precibus solatiandum implorans, animo lætiori in pace discessit. Et cum nos sæpius idem, quamdiu illa horribilium claustra carcerum habuere, non desisteret visitare, frequenter tamen prudentissima Sabigotho latibulum illud feminarum, quo sacratissimæ virgines Flora et Maria detinebantur, noctu quasi una e compeditis incoluit, ut vel consolaretur certantes, vel se affectui commendaret certantium : imò potiùs ut pugnandi pro Christo rege usibus (1) imbueretur, haberetque consuetudinem præliandi. Instabat precibus, obsecrationibus laborabat, ut memores sui existerent, adepto post triumphum sponsi consortio, quo saltim effuso cruore cælum ingredi mererentur. Dant illico fiduciam hoc præstandi beneficium sanctæ virgines, quæ suas noverant in nullo (2) repugnari post victoriam preces, nec poterant commilitonibus quicquam negare, quæ se non dubitabant audiri.

Ad hæc Sabigotho

12 Dum ergo ancilla Domini Sabigotho, proximè post martyrium virginum, infra domesticos parietes Christo servitutem minus suspecta persolveret, fessoque exercitatione vigiliarum corpori consulens, paululum quievisset ; ferunt, utramque virginem, Mariam scilicet et Floram, niveis amictas cicladibus, diversarum ligustrium manibus gestantes manipulos, cum choro Sanctorum phialas palmis gerentium (quibus, ut putò, orationes eorum, qui ad prælium venerant informari, in conspectum Domini ferrent) omnes cælestium luminariorum claritate fulgentes, eidem per somnium astitisse. Quas cùm illa, ut arbitrabatur, (3) sediliis se reclinari humillima supplicatione optaret, territa maiestate cælicolum, vix tenui alloquutione aggreditur, dicens : " Quam fiduciam olim præmissæ
„ obsecrationis vobis in carcere,
„ o sacratissimæ virgines, me ha-
„ bere iubetis ? Et si votorum
„ meorum commodis potitura
„ sum, gratissimis deflorate re-
„ sponsis ; ne frustra currentes,
„ in vacuum decidamus : ne vi-
„ res nostri conatus vano con-
„ summantur labore, dum aliud
„ intentio quærat, aliud merita
„ expetant. Quia cùm Deus plus
„ meritis, quàm precibus faveat,
„ novit tamen idem abdicare con-
„ geminationem precaminum,
„ quam non iuvat dignitas meri-
„ torum. Idcircò, dominæ meæ,
„ sponsæ Christi, si hactenus
„ sustinendi præmium sponsionis
„ vestræ spes nobis fida subsistit,
„ enar-

SS. Mariæ et Floræ visione recreata.

(1) Vult dicere, inquit Sollerius, *experimentis edocta certare disceret*, quod etiam infrà recurrit.

(2) *An non melius* repugnare ? *Soller.*

(3) Hic *sediliis*, inquit idem, supra *ligustrium*, infra *deflorate* pro *exponite*, et plura huiusmodi sæculo isti condonanda sunt.

„ enarrare iubete: quò promptiùs
„ ad superna tendamus, quò va-
„ lidiùs in certamine roboremur."

13 Tunc eam sanctæ virgines cælestium diffusione gratiarum affatibus præditis demulcentes: "Commoda (inquiunt) ve-
„ stri laboris in æthereis reposi-
„ ta, tempore necessario vobis
„ metienda, servata sunt. Nec
„ labetur præscriptorum merces
„ ad prælium, quod cogit athle-
„ tas invictissimos ire ad regnum.
martyrium sibi destinatum cognoscit, „ Martyrium denique vobis a
„ constitutione mundi divinitus
„ præfixum, et prædestinatum
„ est. Quod vos post paululum
„ impleturas, congruit feliciori-
„ bus solito sanctitatis studiis in-
„ sistere. Quapropter libamina
„ sacerdotum laboribus vestris
„ adsciscite: suffragia implorate
„ Sanctorum: ubique vos preci-
„ bus servientium Christo com-
„ mittite: votivo veneranda Dei
„ sanctuaria discursu incolite, et
„ omnium Religiosorum inquirite
„ obsecrationes. Quia quamlibet
„ præscripta vobis quandoque fu-
„ tura sint præmia, per hanc ta-
„ men industriam veluti quibus-
„ dam gradibus innitentes, tan-
„ tæ bonitatis arcem vos verum
„ est posse contingere, nostrum-
„ que sermonem huiuscemodi
„ certum esse: indicio contestan-
„ tes, instanti vobis certamine,
„ adhæsurum contuberniis vestris
„ cœnobitam [1] nostrum mitte-
„ mus, qui vobiscum palmâ po-
„ titurus martyrii cælitus ordina-
„ tus est."

ad quod sese disponit: 14 Post hanc visionem oculis intuentis abductam, vehementiùs tantæ rei miraculo beata Sabigotho ad perficienda bella Domini concitatur. Quæ mox hilarior e somno exurgens, auget opera sanctitatis, fragilem ad pugnam erigit sexum, supernoque munere vires ad certandum corroborat. Hinc iam fiduciata spe firmiori virum informans, omnino terrenis exui edocet, quoniam a principio mundi cælestibus dedicati militiis, continuò post victoriam cælicolis admiscerentur.

ipsaque et coniux omnibus se expeditas 15 Hinc magis magisque fruendi Redemptore, et collegis Sanctis ignito desiderio conflagrati, natorum postponentes affectum, spernunt quicquid mundialis peritura species continet. Omnia distrahunt, venditant universa, quò liberiores in assequendo Christum existerent. Ex quo *ad illud unicè aspirant,* pretio quicquam infantulis relinquentes, totum aliud stipendiis applicant egenorum. Virorum ac mulierum visitant monasteria, præcipue tamen Tabanense cœnobium, de quo sæpius memorabimus, quia summis monasticæ regulis disciplinæ cunctum honestæ famæ rumoribus illustrabat Occiduum. Inde athletæ fortissimi hauriunt documentum: inde instituta percipiunt: ibi se poculo vitæ perennis ingurgitant: ibi sanctissima Sabigotho frequenter cum ancillis Dei moratur: discit ibi totius sancti timoris industriam: ibi geminum pignus sub beatarum tutela constituunt.

relicta etiam filiarum curâ. 16 O stupenda mundi renuntiatio, et admirabilis ardor di-

(1) *Georgium intelligit.* Ita rectè *Schot.*

divinus, quo filiorum affectus respuitur, quo opum affluentiæ repugnatur, quo proximorum dulcedo refellitur, quo mors pro vita eligitur, quo labentia cuncta contemnuntur, quo intuitu æternæ felicitatis vincla, cædes, cruces, carceres, verbera et tormenta pro summis habentur deliciis! Una siquidem filiarum octennio, lustro altera ducebatur. E quibus ego post necem parentum minorem reperiens, vix tenerrimo ore facundiam exprimens, me (1) infantissimè adhortatur, ut genitorum gesta scriberem, proderem actus, elucubrarem trophæa. Et cùm propter hoc quid ab ea beneficii præstolarer, exquirerem (mira dicturus sum, tantillam ætatem talia quivisse in promptu advertere, nisi fortè credendum sit, quòd ab illo imbuebatur interiùs, qui ex ore infantium, et lactentium perficit laudem suam): Impetrabo (inquit) pater, tibi a Domino paradisum.

17 Verùm quia competenti occasione, gratiâ disserendi parvitatem infantularum, paululum ab ordine directo recessimus, quò rem scilicet post novenum martyrii eorum mensem patratam subiungeremus; nunc ærumnosæ et sub mundanis adhuc molestiis laboranti inseruimus historiæ. Non nos obinde fraterna infamare debet reprehensio, unde culpabiles argui non veremur a Domino. Nec obstat ultimo, an priori, mediove loco veritas disseratur; quandoquidem veritatis assertor nullatenus benedictione privatur. Iccirco e vestigio repedantes, ad reliqua Beatorum studiosiùs gesta referenda curramus.

18 Cum ergo intenti cælestibus, omni tempore vigiliis, orationibus, eleemosynis, et ieiuniis incumberent (frequenter tamen superno sidere in cubiculo suo, quo ista meditabantur, respersi sunt, adeò ut illapsum iubar æthereum omnem præsentis speciem luminaris interpollans, horridum esse chaos sui comparatione autumari compelleret); divinis sæpe revelationibus eriguntur: fruuntur colloquiis Angelorum, lætitiâ cælicolis mente et spiritu adunati, non sine gravi molestia corporale onus ferebant. Quodam namque die cùm atrium serenissimi præceptoris nostri (2) Alvari toto in Scripturarum scientia Occiduo laudati, gratiâ collationis mutuæ, nostraque alternanti propositione mentem erudiendi in Scripturarum problematibus, petivissem; reperi coram eo militem Christi Aurelium, consultum agonizandi quærentem, et quatenus

Novis stimulis incitatus Aurelius

V. Schol.

(1) Sic ediderunt Morales et Schottus; sed Sollerius *instantissimè* legit. Infantium *infantissimus* dixit Paulinus Nolan. epist. 12. (al. 21,) n. 5. et *infantissimum* se Prudentius nuncupat in hymno Romani Martyris, quam vocem pro *ineloquentissimum* magister Ison in Glossis accipit. Verùm nec Paulini nec Eulogii (si ita scripsit) hæc esse mens videtur. Quamobrem in Glossario Cangeano alium sensum huic voci aptari oportuit, saltim ad exponendam mentem Paulini.

(2) Haud mirari non possumus, Cl. Sollerium adeò hîc lapsum fuisse, ut post *Alvari* adderet *Tovari*, divinans hanc vocem esse Alvari appellationem adiectiam, seu cognomentum. Erroris causam planissimam aperiamus. In editione Francofordiensi Hisp. Illustr. desinit pag. 272. in Alvari prima syllaba *Al-*, reliquas excipit pagina subsequens, cuius est initium *vari toto in Scripturarum scientia, &c.*

nus arriperet martyriale auspicium implorantem. Quem idem doctor egregius, et temporis nostri fons sapientiæ profluus, patrum exemplis instituens, iubet primò constantiæ vires perpendere, secretum suum advertere, considerare arcanum, et utrum imminentia magis nosset ferre, quàm declinare supplicia, ultimò excepturus delicatis cervicibus gladium: et si magis merita martyrum adipisci, quàm vocari martyr contenderet: et si magis terris ignotus, florentibus cælo meritis cathalogo electorum sese affectaret describi, quàm in supernis diminuto præmio, famosum temporalis martyrii anhelaret nomen habere.

spe tormentorum exsultat:

19 Tunc ille se usque ad mortem dimicaturum spondens, nulla prorsus vi tormentorum intentionem suam superandam esse fatetur. "Mihi, mihi (inquit) „ maximum vitæ solatium Chri„ stus est, et mori lucrum. Cui „ terrena conversatio teterrimæ „ noctis caligo est, et memoria „ transitus mundialis perpetuæ „ lucis odorem aspirat." Fit commune deinceps gaudium causa nostri adventus: de alterno admodum intuitu lætamur. Credimus interesse concilio nostro Verbum Patris Altissimi, qui ubique nomini suo dicato collegio se illabi testatus est, dicens: *Ubicumque fuerint duo vel tres in nomine meo congregati, ibi sum in medio eorum.* Et cùm plura suo agoni competentia referremus, idemque gratissimis animis nostrum exciperet documentum; satis, ut reor, collatione nostra iuvatus, continuo bella Domini initurus, ad propria regreditur. *Matth.* 18. 20.

Sabigotho autem no- va varione confortato

20 Beata verò Sabigotho nonnullis ante passionem diebus dum sola domo resideret, Christumque ob perfectionem martyrii sui, quibus posset (1) quæstibus obsecraretur; subitò astare sibi miræ pulchritudinis virginem cernit, angelico vegetatam decore, primum, ut putabatur, adolescentiæ florem gerentem. Cui cum illa diceret: "Tu quis es filia? „ Et si e vicino accedis, causas „ tui adventus edissere." Protinus spectabilis virgo: "Soboles, in„ quit, amici vestri Montesis „ sum, quam tu mundialibus „ ærumnis scis olim exemptam, „ quamque eâdem horâ, qua su„ premis vexabatur angustiis, „ priusquam propiùs visitares, „ reperisti exanimem. Et cùm te „ ego sæculo penè eliminata non „ novissem, ipso tamen obitus „ mei momento quis esses, Do„ mino revelante, agnovi: et „ nunc,

Illi autem syllabæ *Al-* subiecta est vulgaris illa typographorum nota, quæ apud nos dicitur *reclamo*, principium scilicet paginæ subsequentis, quo admoniti in compingendis paginis omnem errorem effugiant. Erat autem hoc loco prædicta nota *vari to-* quam Sollerius unâ cum historiæ contextu perlegens, illa confecit verba: *Alvari Tovari, toto in Scripturarum, &c.* in quo cognomen Alvari sibi visus est reperisse, in Hispania satis notum *Tovar.*

Iam verò antequam hinc abeamus, etiam animadvertimus, perperam ab ipso Scholia Moralis nostri ad Acta horum martyrum Andreæ Schotto attribui; rectè verò notari superfluam esse explicationem vocis *collatio* pro *colloquio* aut *conversatione*, a Moralesio paulò post adhibitam: utpotè in re minimè obscura.

(1) Pro *lamentationibus aut querelis, unde vulgare nostrum* quexa *extractum.* Schot.

„ nunc, eo mittente, prævia nun-
„ tiatrix palmæ tuæ accessi. In-
„ stat namque iam vobis tempus
„ exequendæ victoriæ: adsunt
„ dies publicè profitendi fidem
„ catholicam, hostemque repel-
„ lendi teterrimum. Quibus se-
„ datis litibus cælorum penetra-
„ lia vos coronandos adsument,
„ perpetua deinceps pace funda-
„ tos."

pulli vestigiis inutil.

21 Igitur scrutans cor suum venerabilis femina, secumquè meditans eloquium adsistentis, confestim revolutâ memoriâ, rem gestam agnoscit, et priusquam grates evangelizanti sibi puellæ referret, labitur a conspectu eius illa virginalis species ætheris nuntia, et præco sui martyrii. Fit læta tali præconio: animatur cælesti oraculo: et tantò spe firmiori ad prælium excitatur, quantò sese patratæ actionis veritate cernit informari.

Est interim prolixus doctor

22 Verùm ut magis magisque scopo prædestinationis suæ intenderent, essentque non dubii de mercede reposita, sive ut sanctarum Virginum impleretur edictum; octonis ante suam captionem diebus, dudum promissus ille Confessor contuberniis eorum adsciscitur, et inconvulsibiliter his quodammodo alligatus, felici martyrio omnes sub uno momento pariter coronantur. Idcirco congruum iudicavimus, eiusdem monachi rationem, quia optio intercessit, exponere; et quod vehementi admiratione ætatem nostram eius causa concussit, succiduis quoque generationibus opere dignum relegenda mandari: ut in eo catholicorum religiositas incremento fidei augeatur, in quo sui Redemptoris oraculum speciali quodammodo cernit esse veritate impletum. Prædixerat quippe magister noster et Dominus, quòd multi ab Oriente et Occidente venientes, recumberent cum Abraham, Isaac, et Iacob in regno cælorum. Quod testimonium revelatis contuemur effectibus in ipso monacho atque levita Georgio omnino perfectum. *Matth. 8. 11.*

monachus Sabaita in Africam missus.

23 Huic rus Bethleemiticum ortum, et incolatum æthereum peregrina littora contulerunt: hic, inquam, vir ultra maria procreatus, ab adolescentia servitute Dei oblectatur. Viginti et septem annos apud monasterium sancti Sabbæ, quod ab Hierosolyma in parte Australi octo milliaribus distat, cum quingentis (ut ipse nobis ore suo professus est) qui in eodem cœnobio morabantur fratribus adunatus, sub regulari magisterio deguit. Quem venerabilis Abbas David, eius ascisterii tunc procurator ob (1) stipendium monachorum Africam mittens, is nullo modo tot interiacentia terrarum mariumque distulit subire discrimina, quibus utique incunctanter commodum summæ virtutis obedientiæ noverat promereri. Sed cùm ibidem vapulare asperiùs Dei Ecclesiam incursatione tyrannorum reperisset, Hispaniam quoque eorum, quibus missus fuerat consultu, aggredi-

V. Schol.

(1) Recte Sollerius: *Non video intelligi aliud posse quàm* eleemosynas *ad monachorum sustentationem, quæ hîc* stipendium *appellantur.*

tur. Erat enim, ut ipsi de eo certissimè approbavimus, summæ humilitatis, magnæque abstinentiæ vir. In omni eloquio suo, dicto, atque responso timor Domini resonabat: ociùs semper de puro cordis fonte caritatem exhauriens, favum dilectionis promebat. Prædicabat cælestis desiderii requirendam esse compunctionem: mortificare cum vitiis et concupiscentiis membra iubebat: ut in adventum Domini recidivo virtutum animata vigore, gloriosiora cum ipso apparerent. Ita sobria præditus sanctitate iustus videri, vel dici nimium recusabat. *De cuius patria, præclaris virtutibus,* Iucundus admodum, hilaris, modestus, et abstinens, sic utebatur mundo, tamquam non uteretur. Et cum fortè fraterna impetrante caritate cibum sumere cogeretur, epulabatur parciùs, bibebat sobriè, ut magis abstinentem iudicares, quàm vescentem. Merum aquâ tamdiu temperabat, usque dum color inficeretur, sapor abesset. Insipidus namque ille gustus (ita referebat) nec bibere nimium, nec temulari convivam patitur. Crebriùs ad exorandum currebat, vigilabat attentiùs: sæpius corde divinum carmen meditabatur, dicebatque: *Psalm.* 33. 2. *Benedicam Domino in omni tempore, semper laus eius in ore meo.* Et cum variis linguis peritus existeret, Græca scilicet, Latina, atque Arabica, nec qualemcumque saltem propter has gloriam affectavit. A die qua monasterium petiit, et cohortibus monachorum ascitus est usque ad coronam martyrii sui (ut ipse quibusdam secretiùs retulit) nec lotus aquâ, nec balneis usus est. Quamdiu nobiscum conversatus est, nulli omnino ordinem suum revelavit, nisi cùm iam carcere detineretur.

24 Commentatus est fratribus, ac propinquis suis, cunctisque patriæ suæ civibus martyrii sui breviarium, quod mihi causâ expoliendi transmisit; ne incultior sermo fidem rei gestæ, quibus mittebatur, adimeret. Ibi in principio dictionis suæ monachum se, atque Levitam fore testatus est. Verùm quid opus est sermonem in longum protrahere? Quasi non summam reverentiam vitæ hominis Dei martyrialis cruor adhibeat, præsertim cum quantus et qualis extiterit effusus propter iustitiam Dei ipse eius martyrialis cruor insinuet, et quod peregrinus mundo peregrinam non renuens sepulturam, omnem penitus genitalis soli, affiniumque affectionem repulerit? Aut quæ potiùs laus militem Christi extollet, quàm pro Domino mortem, pro vita animam, pro crucifixo cruorem dedisse? Ut ipsum esset redhibitio famuli, quod extitit victoria crucifixi. *de adventu in Hispaniam,* V. Schol.

25 Quomodo autem beatus minister cætui Sanctorum agglomeratus fuerit, meliùs ore ipsius sancti Georgii credimus posse innotescere, quo vel nostræ dictionis series, interposito martyris eloquio, quasi desuper benedictionis sale condiatur, vel præstantius commercium suæ connexionis cum ceteris Sanctis eodem narrante addiscatur. Nam et ipsis diebus, quibus unà cum Sanctis habuit conversationem, sua ac *et accessu ad Martyres agitur.*

præ-

prædictorum martyrum gesta brevi satis stylo exponens, ultimo nobis comprobanda direxit. Ex cuius dictis ea huic operi inserenda curavimus, quæ ad insinuandam eorum coniunctionem satis esse prævidimus. Cetera verò, quæ post defectum sermonum servi Dei sequuntur, nos obtentu, quo cœpimus, indagavimus. Inquit autem hoc modo.

25 „ In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Universæ Catholicæ Ecclesiæ a me indigno et peccatore Georgio monacho necnon et Diacono, fratre et collega servorum Dei filiorum sancti Sabbæ quingentorum virorum, perfectam in Domino Iesu Christo salutem. *Georgius a Sabigothone invitatus* Cognoscite, o fratres carissimi, introitum meum in Hispaniam nihil aliud fuisse, nisi gratiâ stipendii vestri requirendi, qui sub arctissima regula, et regimine sancti patris David Hierosolymis degitis. A quibus Africam missus, deinceps in Hispanias commigravi. Sed hanc ipsam (1) (2) insulam (3) nimis afflictam reperiens, cœpi cogitationibus variis æstuare, ut aut proprium solum reviserem, aut regna Christianorum, id est, Franciam peterem. Et cum proximos, et carissimos super hac re consulerem, nonnulli peragrare iubebant, plerique ad cœnobium meum revertere cogebant. Hinc velut dubius diverso præpeditus tractatu, cui me primo cogitationi submitterem, nesciebam. Pergens autem de Corduba ad Tabanense cœnobium, quo fratrum et sororum benedictio iter meum comitaretur, dixit mihi Abbas ille Martinus, et soror eius domina Elisabeth: Veni frater, et accipe benedictionem ancillæ Dei Sabigothonis. Quæ mox ut me intuita est, Promissus (inquit) nostri certaminis comes et collega hic monachus erit.

26 „ Ego verò agnita causa eius, et ratione comperta, illico pedibus eius advolutus, pro me Dominum exorare rogavi, ut forsitan Spiritus sancti respectu illustratus, ad ea, quæ illa præstolabatur, pervenire meruissem. Et illa, Unde hoc nobis (inquit) pater, ut tu cum peccatoribus pergas? Cumque eâdem nocte ibidem mansissem, apparuit mihi in visione noctis ipsa venerabilis mulier Sabigotho, et nescio quod genus odoramenti pretiosissimi ligni accommodans, referebat. Ditior ex hoc mihi thesaurus est. *Martyribus sese adiungit.* Mane autem facto, descendimus ambo in civitatem ad virum suum Aurelium, prostravique me pedibus eius, petens ab eo, ut oraret pro me, quòd illis in martyrio socius essem. Qui statim præbens assensum, exarsit in me ignis cælestis per orationes eorum, et factus sum unus ex illis: et ex tunc non sum ab eis separatus, sed omnes pariter in domo sancti Aure-

„ lii

(1) *Quòd per mare ex Africa in eam traiecerit, ita vocat.* Schot.

(2) *Cathacrisis illorum temporum est, quales aliæ pleræque.* Moral.

(3) Soller. *minis.*

„ lii congregati, [1] reddimus Do-
„ mino cum iucunditate vota lau-
„ dationis. Ibi apud illos reperi
„ beatum Felicem cum coniuge
„ sanctissima Liliosa, qui et ipsi
„ iam omnia sua vendiderant, et
„ locis sanctis, seu pauperibus
„ erogaverant, parati omne ge-
„ nus tormentorum propter Fi-
„ lium Dei, et dilectionem eius
„ suscipere. Eâdem horâ exivi
„ ab eis, et causas, quibus præ-
„ pediebar, in omni festinatione
„ composui. Et sic demum val-
„ de iam roboratus, ad eos re-
„ verti. Qui læti et exultantes de
„ reditu nostro, gratias Deo re-
„ ferunt, dicentes: Scimus, fra-
„ ter carissime, quia Dominus te
„ misit ad nos.

qui agniti ut christiani

27 „Post hæc omnes in com-
„ muni cœpimus cogitare, quo-
„ modo ad desideratam perveni-
„ remus coronam: et ita Domi-
„ no dispensante visum est nobis,
„ ut pergerent sorores nostræ re-
„ velatis vultibus ad Ecclesiam,
V. Schol. „ si fortè nos alligandi daretur
„ occasio, et ita factum est. Nam
„ revertentibus de Ecclesia mu-
„ lieribus, quidam præpositus ob-
„ vius adstans, cùm causam reli-
„ gionis agnosceret in feminis,
„ illico [2] viros interrogat, quid
„ sibi vellet ille recursus femi-
„ narum ad Sanctuaria christia-
„ norum? Qui responderunt: fi-
„ delium mos est Ecclesias visi-
„ tare, et atria venerabilium Mar-
„ tyrum pio devotionis affectu
„ requirere. Unde quia christiani
„ sumus, ideo nos ipsius fidei ge-
„ stare vexillum profitemur. Sta-
„ timque iudici delator accedens,
„ omnem rationem nostram co-
„ ram eo dolosis linguis propo-
„ nit. Post hæc vadit Dominus
„ Aurelius filias visitare, quibus
„ pacis osculo valedicens, cæ-
„ lesti virtute armatus ad præ-
„ lium festinavit." Sed hîc iam sanctus Georgius stylum compescens, nos quæ restant, ut occœpimus, prosequamur.

ab Aurelio confortati

28 Ipso postea die, quo se beatus Aurelius noverat comprehendi, priusquam auroræ crepusculum respiraret, domo nos gratiâ valedicendi revisens, precatur pro se Dominum exorare, suique agonis fautorem per nos fraternam fieri caritatem expostulat. Ibi nos illi commendavimus. Ibi patrocinium suum pro nobis, et pro omni Ecclesia fieri, oscula- V. Schol.
tis manibus eius, impetravimus. Post hæc datis invicem osculis, separamur in pace.

apprehendi iubentur

29 Igitur cùm prolatam adversùm Dei sanctos iudex quæstionem intenderet, sciretque auctorem huius rei esse Aurelium; graviter ex hoc interiùs vulneratus præcepit eos quampropere suis conspectibus exhiberi. Tunc milites rapido cursu domum beati Aurelii occupantes, qua omnes Sancti collecti manebant, præ foribus clamare cœperunt: " Exite „ miseri: exite cominus moritu-
„ ri, quibus vita præsens tædium
„ est, et mors pro gloria com-
„ putatur. En iudex vocat, instat
„ decretum ultionis effundere:
„ con-

(1) *Haud dubie pro* reddidimus. *Soller.*

(2) *Aurelium profectò et Felicem, qui cum uxoribus processerant.* Moral.

„ conterere vult recedentes a cul-
„ tu, rebellia paratus colla præ-
„ scindere : pergite vos modò
„ iam debitum mortis exolvere,
„ et commissæ prævaricationis
„ pendentem sententiam."

30 Ex hinc viri cum mulieribus suis quasi ad epulas invitati procedunt : vadunt ovantes: læti prosiliunt : putares eos iam apud iudicem sua inventuros donaria, qui nihil aliud habere poterant, quàm tormenta. Et cùm se Georgius sanctus a militibus cerneret non teneri, illico sanctâ fretus audaciâ in exprobrationem lictorum conversus: " Quare (in-
„ quit) privilegium hoc fidelibus
„ irrogatis, et vanum colere vio-
„ lenter cogitis numen, quos san-
„ cta fides proprios hactenus ven-
„ dicavit? Ut quid alieni a Deo
„ vero perditioni vestræ agglo-
„ merare nitimini prædestinatos
„ ad vitam? An non poteritis vos
„ infernalia claustra adire, nisi
„ nos comites habeatis? Num-
„ quid sine nobis æterna vos cru-
„ ciamina non adurent? Vos abi-
„ te, vos illuc pergite perituri,
„ quo simul cum duce vestro in-
„ ferorum deliciis perfruamini.
„ Nam quid nobis cum tartaro,
„ quem Christus Deus noster pe-
„ netravit, absorpsit, expoliavit,
„ et vicit, ut non iam auderet
„ fideles addicere, qui pridem
„ consueverat privilegio suo San-
„ ctos diripere?

etiam Georgius militibus invitans

31 Vix ille sermonem compleverat, et iam furens dextra satellitum in iniuriam monachi laborabat. Quem diversis laceratum stimulis solo allidentes, calcibus etiam pugnisque acerrimè tundunt. Cui cum sancta Sabigotho (iam emortuum putans), Surge, frater, eamus, clamaret; ille quasi nihil mali esset perpessus, respondit: Hæc omnia, soror, meritorum commodis prosunt, augentque coronam. Et ita seminecem a terra levantes, pari cum Sanctis ducatu iudici astare fecerunt. Quibus oblatis, cùm primùm ab eis blando affatu requireret, cuius rei causâ a cultu suo recederent, vivere recusarent, niterenturque perdere temporalium commodum multiplici deliciarum flore vernans, quos utique postmodum in futuro non solùm muliebris oblectatio admirabilis, verùmetiam dignitatum, et ferculorum copia demulcendos expectaret; protinus quasi ex uno ore: " Nulla (inquiunt) o arbi-
„ ter, temporis affluentia lucris
„ comparatur æternis, quorum
„ gratiâ hanc vitam despicientes
„ per fidem Iesu Christi, qua
„ omnis sanctitatis operator iusti-
„ ficatur, eius denique in futu-
„ rum benedictionis requie, quæ
„ sanctis promissa est, nos poti-
„ turos confidimus. Omnem ve-
„ rò cultum, qui a Christi divi-
„ nitate dissentit, nec profitetur
„ sanctæ Trinitatis essentiam, re-
„ futat baptismum, infamat chri-
„ sticolas, sacerdotio derogat,
„ omnino reprobum iudicamus:
„ pro nihilo rerum labentia com-
„ putantes, quæ non diu subsi-
„ stunt. Quæ autem diligentibus
„ se Christus promisit, cùm sint
„ ineffabilia, semper tamen inde-
„ fessa iugitate perdurant; et nec
„ oculis contemplantur, nec au-
„ re captantur, nec corde per-
„ pen-

Ridentes blanditias, carceri mancipantur,

„ penduntur." Verùm, ut credo, quiddam etiam aliud religiosius diffuso ore Sanctis ante iudicem asserentibus, sectamque impiorum fortiter expugnantibus, in furore maximo concitatur iudex, rapido tractu eos carceri applicandos insinuans, importabilium vinculorum onere aggravari decrevit.

ubi Christum laudare non cessant.

32 Continuò exultantibus animis beati Martyres ergastulum adeuntes, gaudent auspicio passionis, parvipendunt supplicium, perstrepunt hymnos, insonant laudes, Psalmos persolvunt, insistunt orationi, quâ (favente Domino) victoriam adipisci prævaleant. Visitantur ab Angelis, miraculis illustrantur, disiliunt vincla, et non audent restringere, quos Christus absolverat. Ibi etiam quam cælis sortem haberent, revelante Deo, agnoscunt. Hinc de palma securi manentes, et Christum, cui fideliter servierunt, cernere festiniùs anhelantes, dilatant usque in quintum diem mortem suam, serumque putant se diutius elongari ab illa suavitate regni cælorum, quam crebris iam corporeis [1] usibus ferme intuebantur.

33 At cum iam in forum prosternendi educerentur, venerabilis Sabigotho armare virum sanctis alloquiis cœpit, confortat, instruit, et confirmat. Introducuntur palatio, consulibus adsistunt, adhibentur opes, exhibentur fasces, quibus, si crederent, fruerentur. Sed his oppidò in professione sua demorantibus, lictoribus perimendos instituunt consules: sospitem abire sanctum Georgium decernentes, pro eo quòd iidem ipsi optimates et priores palatii nihil convitiorum proferentem eum adversùs vatem suum audiissent. Ille verò minister egregius, protinus ut se comperit derelinqui, nec sub uno cum sociis ictu mucronis perimendum institui; " Cur, ait, o „ principes, de professione mea, „ quam coram vobis non protuli, „ dubitatis, aut putatis me de „ discipulo Satanæ quidquam „ prosperum cogitare? Ego enim, „ ut veriùs agnoscatis, illum An„ gelum, qui eidem præceptori „ vestro, transfigurando se in spi„ ritum lucis, apparuit, dæmo„ nem credo fuisse, et hunc cun„ ctis abiectiorem hominibus ad„ iudico, utpote diaboli credu„ lum Antichristi ministrum, et „ vitiorum omnium labyrinthum: „ qui non solùm se voragini ba„ rathri immerserit, verùm et „ vos sequipedas sua per inania „ instituta æternis dedicarit in„ cendiis."

A iam perimendis separari renuit Georgius,

cum ceteris gloriam martyrio coronatur.

34 Tunc in insaniam proceres concitati prævalidam, unâ simul cum ceteris sententia necandum præcipiunt. Ac sic primò beatum Felicem, deinde sanctum Georgium trucidantes, post venerabilem Liliosam, ultimo egregios agonistas Aurelium et Sabigothonem interimunt, vj. Kalendas Augustas, Era DCCCXC. Quorum corpora nostri christiani furantes, diversis locis recondunt. Georgius namque cum sancto Au-

V. Schol.

Sanctorum diversa sepultura.

(1) *Quasi dicat quibusdam veluti experimentis.* Moral.

Aurelio [1] Pilemelariensi cœnobio servantur. Beatus Felix sancti Christophori, quæ ultra flumen est, [2] aulam tuetur. Sancta Sabigotho sanctorum trium [3] cineribus adunata est. Requiescit apud Genesium martyrem venerabilis Liliosa. Capita verò Georgii et Sabigothonis incolunt.*** [4]

V. Schol.

V. Schol.

35 Hi sunt, qui propter testimonium Dei, et fidem Iesu Christi usque ad mortem certantes, nihil amori eius præposuerunt: non filios, non parentes, non affines, non proximos, non amicos, non res, non vicos, non possessiones, non prædia. Sed omnia post tergum abiicientes, mortificatis cum vitiis et concupiscentiis corporibus, ad æternam immortalitatem producti sunt. Regnante Domino nostro Iesu Christo in sæcula sæculorum. Amen.

CAPUT X.

Christophorus, et Leovigildus monachi martyres.

V. Schol.

Deinde Christophorus monachus contribulis noster, ephebus adolescens Cordubæ natus, et a pueritia nostri auditor, qui post nostrum magisterium cœnobium sancti Martini, quod est in montana Cordubensi, loco, qui appellatur *Rojana*, ingressus; magnum piè volentibus conversari specimen sanctitatis ostendit. Hic agnita præcedentium nece Sanctorum, concito gressu in urbem descendens, mox obviare iudici non extimuit: et reddens coram eo testimonium veritatis adnuntiat Evangelium, sancta Domini prædicat, prophanationibus deditum vulgus exhortatur, arguit malè credulos, luituros cum authore falsario æternum profert incendium. Quem continuò iudex sævo commotus furore carceri deputat: arctioribus macerandum vinculis commendat.

V. Schol.

V. Schol.

2 Tunc etiam Leovigildus monachus Eliberi progenitus, plenæ iuventutis, vir sanctus, iustus, et timoratus ex cœnobio sanctorum Iusti et Pastoris, quod est in interiori montana Cordubensi, loco qui dicitur *Fraga*, inter clivosa montium, et condensa sylvarum confini viculi Leiulensis, qui á Corduba distat quinque milliarios lustros [5], quo se nuper moraturus contulerat; martyrio potiturus advenit. Et priusquam forum intraret, instituendi se gratiâ nos inquirens, obsecratur, precatur, exoptat, ut conatus suos nos precibus iuvaremus, eique benedictionem consummandi agonem traderemus, promittens se nostri curam

(1) Bene Sollerius: *Scribendum videtur* Pinnamellariensi, *ut describit Eulogius ipse lib.* 3. *cap.* 11.

(2) Id. cum Schot. *aulam.*

(3) Recte quoque id. Sollerius: *Nempe deposita in Basilica sanctorum Fausti, Ianuarii, et Martialis.*

(4) Corpora SS. Georgii et Aurelii caputque Nataliæ seu Sabigothonis anno 858. translata fuere ex Corduba Parisios ab Usuardo et Odilardo monachis Gallis. Quorum translationem, quam Ambrosius Morales ignoravit, Mabillonius verò ex monacho Aimoino edidit sæcul. 4. Actor. SS. Benedictinor. part. 2. visum est nobis transcribere pro Appendice, ut nec hoc desit nostræ editioni.

(5) *Viginti longo circuitu significat.* Moral. Sed Schott. *Viginti quinque potius censendi sunt.*

gerere ante Dominum. Cumque a nobis firmatus in pace discederet, mox coram iudice suam relaturus professionem adsistens, dat testimonium fidei secundùm ceterorum constantiam : qui cæsus alapis, convitiisque distentus, illico apud sævos carceres traditur alligandus. Ibi se famuli Dei alterno fovent consultu, roborantur in invicem : sicque pari voto connexi, cùm iam mactationis hora instaret, præire sanctus Christophorus beatum Leovigildum reverentiâ ætatis exoptat, postmodùm ipse ruiturus. Et ita hoc ordine uterque interiit, xiij. Kalendas [1] Septembris, Era qua supra. Quorum corpora suppositis adusta incendiis antequam penitus urerentur, fidelium curâ erepta apud Basilicam sancti Zoyli sepulta sunt.

CAPUT XI.
Emila, et Hieremias martyres.

Post non longo iterum intervallo, duo adolescentes illustres ex civibus Cordubensibus nobili familia procreati, ad palæstram martyrii cucurrerunt. Emila scilicet, et Hieremias, qui ab infantia sua apud Basilicam sancti Cypriani litteras [2] edocentes, unus ad ministerium Diaconii consecratus, alter in habitu laicali degebat simpliciter. Et quoniam uterque Arabico insigniter præpollebat eloquio, ferunt tanta per eamdem linguam in eorum vatem volubilitate egregium Emilam exaggerasse opprobria, ut præcedentium Martyrum convitia obliviscerentur, cernentes horum prosequutiones contra suum dogmatistam acriùs invalere. Et iccirco non iam solummodo de mortibus resistentium sibi excogitare cœperunt, verùmetiam totam extirpare Ecclesiam ruminarunt. Quoniam nimio terrore tot hominum recurrentium ad martyrium concussa gentilitas, regni sui arbitrabatur excidium imminere, cùm tali etiam virtute præcinctos parvulos prævideret. Quos per carcerem maceratos, postremùm gladio vindice peremerunt. Et cùm totus ille dies clara esset serenitate lustratus, subitò eâdem horâ qua decollati sunt, vehemens tonitruorum fragor exurgens mundo incutitur : spargit radiantia lampadum fulgura æther: superos avelli cardines existimares. Armatur nube grandinum axis : fuscatur dies : turbinibusque inficitur aër : pios cecidisse athletas elementa fatentur. Quorum corpora equuleis suspendentes, ultra amnem statuunt, xvij. Kalendas Octob. Era qua supra. V. Schol.

CAPUT XII.
De Rogello, et Servio-Deo martyribus.

Cum adhuc præfatos Martyres ergastula haberent, ecce alii duo supervenerunt, eamdem quam ceteri professionem tenentes, eodemque voto hostem fidei expugnan- V. Schol.

(1) *Dies in Usuardo, Adone, Equilino, et Cordubensi Breviario concordat.* Moral.

(2) Fors. *addiscentes.*

gnantes. Quorum unus Eliberi progenitus, ex vico qui dicitur
V. Schol. (1) Parapanda, monachus et eunuchus iam senex provectæque ætatis, nomine Rogellius, advenit. Alter Servio-Deo vocatus, spado adhuc iuvenis ante paucos annos ab Orientis partibus ultra maria in prædictam urbem habitaturus peregrinus accessit. Hi verò pari se fœdere colligantes, unum propter iustitiam Dei, usque ad mortem certandi votum gesserunt, nullo casu ab invicem recessuri, quousque cælestia sanV. Schol. guine mercarentur. Ideoque fanum illud sacrilegorum petentes, in quo exceptum vulgus abominabiles ritus sæpius reddere convenit; transcendunt limina, turmis se ingerunt, prædicant Evangelium, sectam impietatis subsannant, arguunt cœtum. Appropinquasse regnum cælorum fidelibus, infidelibus autem gehennæ proponunt interitum, quem proculdubio ipsi incurrerent, nisi ad vitam recurrerent.

2 His et huiuscemodi verbis populum exhortantes, necdum ab ore eorum sermo recesserat, et ecce, quasi crepitans in sentibus rogus, cohors malignantium adversus Dei famulos exardescens, cædit, lacerat, percutit, obruit, nititurque perimere Sanctos, qui delubrum suum intrare præsumpserant (quod apud illos quoque grande facinus reputant) et nisi iudex adesset, qui quodam privilegio potestatis insanientis populi murmur compescuit, tunc iam vitæ spiraminibus privarentur. Quos ereptos cædentium manibus, carceri deputans, astringi ferro graviùs iubet, furibusque admiscet. Ibi etiam adhuc prædicant, prophetizant, instare mortem tyranno annuntiant, laudant religionem, vanitatem refellunt. Et cùm penitùs vigor membris deesset, qui ferret supplicium, non tamen destitit lingua usque ad mortem a præconando veritatis oraculo. At verò pro eo quòd templum suum evangelizando intrassent, decernunt eos tyranni et (2) consules, prius manibus pedibusque abscisis, decollari postremò. Gaudent tali decreto famuli Christi: exhilarantur oppidò huiusce mortis sententiam excepturi. Instat ferocissimus carnifex, clamat, frendet, minatur, festinare ad pœnam iubet electos, quos utique cernebat maiorem migrandi habere affectum, quàm idem inferendi interitum gerebat. Quis illius horæ, fratres carissimi, crudelitatem exponat? Quis referat clades? Quis cruces adnuntiet? Quis denique admirabilem Sanctorum enarret constantiam? Cùm et ipsa gentilitas tali spectaculo stupefacta, nescio quid de Christianismo indulgentius sentiebat.

3 Igitur statuti in loco decollationis Martyres sancti, antequam lictor admoneret, palmas extendunt, lacertos parant, ie-

(1) *Ignotus nunc vicus*, ait Morales: sed quam sit notus, norunt ferè omnes: de quo consulendus Henricus Florez tom. XII. Hisp. Sacr. tract. 37. cap. 6. num. 247. *Parapanda* græca vox est, quæ latinè *ad omnia* sonat, inquit idem.

(2) *Id est*, magistratus. *Bollandist.* ad 16. Septembris.

iectumque [1] iugulum ulnis excipientes, in diversa manus dissiliunt. Deinde cruribus amputatis, nulla compuncti tristitia, abscissis denuo collis corruerunt. Quorum cadavera, ut erant truncata, patibulis affigentes, ultra fluvium crucibus ceterorum adsciscunt, xvj. Kalendas [2] Octobris, Era qua supra.

CAPUT XIII.

Consilium Christianos disperdendi, quod Rex cum proceribus iniit.

Præterea Martyrum causâ ethnici conturbati, ipseque Rex in furorem maximum concitatus, varia corde præmeditatur, quibus posset intentionem Sanctorum reprimere. Sciscitatur etiam sapientes, explorat philosophos, regnique sui consules super hac re percontatur. Qui omnes unanimiter in perniciem conspirantes fidelium, comprehendi Christianos, et vinculari sub arctissimos carceres decreverunt. Tunc V. Schol. iam proculdubio enecandi eos difficultas fuit adempta, si quisquam vatis sui temerarius exprobrator ultra occurreret. Hac nos miseri opinione comperta, diffugimus, abimus, evagamur, delitescimus, timidoque discursu et habitu demutato nocturna silentia carpimus. Decidente folio exturbamur, crebrò mansiones mutamus, tutiora loca requirimus, ac tremebundi undiquaque dilabimur, mori formidantes per gladium, quandoque morituri per debitum. Qui ideò fortè martyrium fugimus, non quia timemus mortem, quæ quandoque ventura est; sed quia indigni sumus martyrio, quod quibusdam, V. Schol. et non omnibus datum est. Qui enim nunc martyrizantur, et martyrizandi sunt, ab initio mundi præscripti sunt, dicente Apostolo: *Quos præscivit, et prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinavit, hos et vocavit: et quos vocavit, illos et glorificavit.* Rom. 8. 29. 30.

CAPUT XIV.

Christianorum perturbatio, et eorumdem variæ sententiæ in Concilio Episcoporum Cordubæ congregato.

Multi igitur horreo inutiles Dominico, eiecti foras de rete Apostolica ab eo, qui non ut bonos vasis recondere, sed potiùs ut stipula, inextinguibili meruerunt incendio deputari; nobiscum vel [3] fugere, vel compati, vel etiam delitescere recusantes, pietatem relinquunt, fidem prævaricantur, abdicant religionem, Crucifixum detestantur. Sese (proh dolor!) impietati tradentes, submittunt colla dæmonibus, blasphemant, detrahunt, subvertuntque christicolas. Plurimi [4] etiam, qui pridem Rom.

(1) *Id est*, gladium, *vel* securim. *Iid.*
(2) *In sequenti post Emilam et Hieremiam die hi martyres perimuntur, quos nullum Breviarium commemorat.* Moral.
(3) *Hoc namque erat imbecillioribus, et qui martyrio impares erant, permissum divinæ legis indulgentia.* Moral.
(4) *Contra hos tum primo libro, tum etiam in Apologetico Eulogius fusiùs disputat.* Id.

dem nobiscum sano sensu victorias martyrum prædicabant, constantiam efferebant, laudabant trophæa, extollebant agonem, tam ex Sacerdotibus, quam ex laicis; sententias mutant, aliter sentiunt, iudicant indiscretos, quos hactenus felicissimos asserebant, pro eo quòd ipsi sancti infirmioribus nolentes compati, suæ potiùs tranquillitatis et pacis commoda, quæ in cælestibus sanguine mercari fidebant, quàm nutanti Ecclesiæ inter scopulos perfidorum consulere studuerunt: quibusdam ex lege sententiolis, immutationem oris sui, ac linguæ versibilitatem quasi roborare nitentes. Non perpendentes, quòd nullus tantæ præscriptus militiæ, et cælesti curiæ adnumerandus, instante hora vocationis, nexibus retineri posset mortalibus: cum quotidie in Scripturis sacris nobiscum perlegant, quòd nec vita, nec sæva pericula, nec ipsa etiam mors
Rom. 8. 35. &c. Sanctos a caritate Domini nostri Iesu Christi avellere unquam prævaleant.

2 Illi autem, qui ab initio actus non destiterunt infamare Sanctorum, fœdaque susurratione eorum conati sunt intentionem evertere; bellum quod militibus gloriosis nequiverunt inferre, in nos crudeliter vertunt: nosque auctores huius rei existere asserentes, nostro instinctu illa omnia perpetrata fuisse accusant. Adeò ut quidam illius temporis publicæ rei Exceptor, præpotens vitiis et divitiis, solo Christianismi nomine denotatus, operibus autem Deo et Angelis eius ignotus, a principio certaminibus beatorum infensus, detractor, derogator et infamator eorum, iniquus, tumidus, elatus, superbus et improbus; quodam die præsenti Concilio Episcoporum multas adversùm me, linguam commovens, exaggeraverit contumelias. Anathematizare Sanctos decernit talia meditantes, maledicere imperat, persequi stilo iubet electos. Verens infelicissimus omnium, ne iacturam honoris patiatur. Qui non solùm nullam reverentiam Sanctis exhibere studuit, verùmetiam prædicare sinistrum esse, quod agunt in populis, præcepit.

3 Et quamquam metu compulsi, seu Metropolitanorum iudicio, qui ob eamdem causam tunc e diversis provinciis a Rege fuerant adunati, aliquid commentaremur, quod ipsius tyranni ac populorum serperet aures; inhibitum esse martyrium, nec licere cuiquam deinceps ad palæstram professionis discurrere, præmisso pontificali decreto ipsæ litteræ nuntiarunt: eademque scheda minimè decedentium agonem impugnans, quòd futuros laudabiliter extolleret milites percipitur: verumtamen allegoricè edita, nisi a prudentibus adverti non poterat. Non tamen inculpabile illud fuisse putamus simulationis consultum, quod aliud gestans, et aliud sonans, quasi a discursu martyriali plebem compescere videbatur. Quinimmo nisi legitima satisfactione, saltem pro plebe, nullatenus remittendum esse confitemur.

V. Schol. V. Schol. V. Schol. V. Schol. V. Schol.

CA-

CAPUT XV.

Habdarrahgman rex subitò moritur, filius eius Mahomad in regno succedit.

Denique cum ex omni parte Christianis immineret interitus, ardensque immani furore comminatio Principis multos electorum errare compelleret; plerique nobis illam exprobrationem Israëliticam, cum se graviùs opprimi cernerent, inferebant, dicentes: "Videat Dominus, et „ iudicet, quoniam fœtere fecistis sudorem nostrum coram „ hoc tyranno, et servis eius, et „ præbuistis eis gladium, ut occiderent nos." Crescente etenim numero Martyrum, crescebat in maius iracundia Principis, augebaturque fidelibus conturbatio, ut pene casus nostri olim Pharaoniticis contra Israël persequutionibus computarentur. Qui sicut ob interventum Moysis ad Pharaonem pro populo Dei acriùs Ægyptii desæviunt, et operum gravissimorum importabili calamitate subditos opprimunt; ita quoque et nos ex eo, quo Sancti ad prælium descenderunt, ut loquerentur ex nomine Domini nostri Iesu Christi coram Rege, et profiterentur consulibus et iudicibus evangelicam veritatem, proderentque falsitatem vatis iniqui, solito asperiùs evertimur, et funditus a ministris dæmoniorum perdendi insequimur.

2 Cumque tantâ coarctati angustiâ crebriùs gemeremus, et latentibus ac vagantibus nobis, V. Schol. denuo Pontifex horribili carcerum specui traderetur, nullusque nobilium laicorum ingredi fores [1] auderet, futurum in perendie ergastulum metuentes; cœpit Rex alta ædium petere, scanditque sublime solarium, oppida lustraturus, confestimque e regione pendentia stipitibus Sanctorum V. Schol. corpora intuetur. Continuò suppositis ignibus cremari ea præcepit. Quorum cineres Deo fautore, per loca sancta repositi sunt. Et o! admiranda potentia Salvatoris, et stupenda virtus Domini nostri Iesu Christi, qui semper quæsitus in tribulatione adsistit, pulsatus aperit, invocatus exaudit! Nam os illud, quod Sanctos Dei comburi præcepit, repente eâdem horâ divinitus obstruitur, lingua verò Angelo percutiente repressa, suo hærens palato, ultra fari non potuit. Sicque portantium manibus in stratum reductus, quadam noctis ipsius hora spiritum reddens, priusquam rogus sanctorum cadaverum extingueretur, idem vitâ exemptus, æterno clibano deputatus est, relinquens successorem imperii Mahomad primogenitum, hostem Ecclesiæ Dei, et christianorum malivolum persequutorem. Qui ingenito quodam odio sæpius quæstionem adversùs fideles proponens, non illo inferior esse meritis apparuit, cuius nomine insignitus ostenditur. Nam ipso die, quo sceptrum regni adeptus est, Christianos abdicari Palatio iussit, dignitate privavit, honore destituit: multa postmodum in

(1) *Hoc est, domi se continerent nobiles christiani, pedem inde efferre non audentes.* Mor.

in nos mala irrogari disponens, si regni felicitate et prosperis potiretur eventibus. Nos autem, instanti fine opusculi, spem nostræ incolumitatis in Domino collocantes, non timeamus quid nobis faciat homo. Credentes nos ubique advocati nostri Domini Iesu Christi interpellatione salvari, qui dixit: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Amen. Matth. 28. 20.

v. Schol.

EXPLICIT FELICITER OPUS MEMORIALE SANCTORUM.
DEO GRATIAS.(1)

Obsecratio ad Christum eiusdem Eulogii in complementum Libelli sive pro omni lapsu, qui in hoc opere commissus est.

Ecce Domine Deus meus Alpha, et Omega, principium et finis, verus Emmanuel noster, initium vitæ meæ, plenitudo animæ meæ, perfectio salutis meæ, zelo tuo accensus, amore Sanctorum tuorum compulsus, fratrum caritate coactus, parvipendentium (2) nutationi compassus, odio inimicorum tuorum commotus, tantillus scientiâ, ingenio parcus, exilis intellectu, spectamine bonitatis ac misericordiæ tuæ magnanimus, fretus pietate, clementiâ roboratus, aggressum opus te adiuvante perfeci atque conclusi, sicut potui, non sicut debui, immò sicut tu mihi posse dedisti. Aperui os meum, Domine, et loquutus sum, quia tu iussisti; et quantum voluisti, implesti, atque ad enarrandum iustorum tuorum actus iustissimos cor iniquitate deiectum coëgisti. Armasti ad præconandum laudes tuas impeditam sceleribus linguam; et os meum, quod sera vitiorum diu obstruxerat, subitò quadam præditum agonia, ad tua elucubranda fidelia testamenta reserasti. Verebar, Domine Deus meus, opera mea, et sollicitus de proprio manens facinore, licèt emendationis differrem remedium, meditabar tamen de iniquitatibus meis penes memetipsum probatum sæpius testimonium: perpendebam iudicium, debitum mei reatus cogitabam vindicium. Et cùm apud te notitiam facti sui mens consternata deliquiis manere cognosceret, vix cælum audebat intendere. Tu verò linguam meam quasi ministeriis tuis aptam ad sacramenta cælestia ordinanda dignaris impellere. Nam quòd exiguis meis meritis materian tanti meriti construere intentavi, et quòd immundus munda disserui, et quòd sordidus sancta sanctorum disposui; non superbiæ tumore subnixus, sed humilis et abiectus, gratiâ acquirendorum præmiorum, et patrocinio potiendi Sanctorum hoc egi: vel certè ut penes te ingratus non essem talenti collati: aut etiam ne

(1) *Sic fuit in exemplari hic titulus, quemadmodum et ille sequentis precationis.* Moral.

(2) Schott. *mutationi.*

ne res cælo dignæ, nullo adstipulante, oblivioni traderentur perenni.

Tu, Domine Deus meus, scisti affectum meum, penetrasti intentionem, votum intellexisti, et causam talia commentandi non ignorasti. Tu parvulo instinctum dedisti, miserrimum adiuvisti conatum, erexisti ad grandia imbecillem, et invalidum animosum fecisti. Neque enim, Domine Deus meus, ad tanta me præelectum fieri opinatus sum, ut ego tandem essem elucubrator gestorum Sanctorum, qui eram gravium operator peccaminum. Numquid si ego mentior, tu testis non es? Si falsum astruo, nonne vides? Si aliter quàm fuit affirmo, tu poteris ignorare? Si non profero veritatem, non latere te potest, qui omnia nosti. Certè tu cuncta consideras, penetras universa, secretum intelligis, vides profundum, omneque tibi patet arcanum, et totum in præsenti tibi manens, præteritum et futurum in tuo cuncta volumine ascribentur. Et quod inspiratione tua mens provocata ruminavit, et quod prædita cælestium gratiarum virtute elicuit, et quod vanæ laudis stimulata compunctionibus affectavit, et quod ibidem lapsu linguæ nolens incurrit, apud te reposita manent, universaque tuis examinationum libris exarata sunt.

Hinc ad te, Domine Deus meus, vario corruptus facinore rediens, multiplicus scelere, iniquitate prælargus, quæso, peto, imploro, ut de illa ineffabilium clementiarum sede beata obsecrantem intendas, aspicias consternatum, adsis roganti, ut priùs abdita cordis mei emundans, liberum in confitendo te semper statuas. Purgesque deinde satum opusculi huius, si quid zizaniæ pravi sensus subtilis circumventio tentatoris in ea, me non volente, aspersit; si quod loliorum deviæ prosequutionis, ignorante me, seminavit. Quicquid ibidem erroris casu respirat, quicquid resonat impolitum, quicquid a te alienum est, quicquid a te procul est, omne quod te ignorat, cuncta quæ tibi obstant, tuamque voluntatem refellunt, et nesciunt pietatem; Tu cuncta, omnipotens Deus meus, erudera, ablue universa, totaque purificando sanctifica; ut tam sit Domino Deo meo hoc opus acceptum, quàm sanctis Angelis tuis gratiosissimum. Impetret mihi gratiam tuam, Sanctorum hauriat benedictionem, obtineat pacem Ecclesiarum. Deferat tibi articulum temporis huius, recenseat coram te populi tui calamitates, teque super latibulum meum, quo ista dicto, respectu miserandi convertens, diluat omne facinus, ad quod me tentatoris versutia ritu priori, cedente fragilitate, illexit. Sit custos coronæ meæ, sit tutor vitæ meæ, sit mei provector ad præmia sempiterna, ut idem per te sanctificatus, *Memoriale Sanctorum* dicatur, et me inter memorias electorum tuorum sua conscribas obsecratione. Per te Dominum nostrum, qui cum Patre et Spiritu sancto unus, sempiternus, et immortalis es Deus in sæcula sæculorum. Amen.

LI-

LIBER TERTIUS.

PRÆFATIO.

Cum igitur præcedentium voluminum series affatim impiorum crudelitatem, quæ diu inexpugnabilium virorum constantiam enisa est fatigare, digesserit, veroque assertionis gressu ortus, ætates, actusque belligeros percurrat Sanctorum; plus aliquid reor sævitiæ in nos commissum tertius hic liber non sine ingenti vulnere pandet. Nec me quidem supercilio arrogandi hac occasione uti intendant, quòd tantæ materiæ parvi admodum, et (ut ita dixerim) vilissimi ingenioli fulcimen adhibuerim; aut fortè non res veras nos elucubrasse condemnent, qui eo intuitu operis huius concinnavimus structuram, quo nimirum omnia æquitate districti iudicis in futuro novimus diiudicanda, quem nec fallere abdita cogitationum, nec qualitas operum potest. Nam ego, qui scio suo quemque oneri coram Domino subiacere, cur propriis diu gravatam substantiam meam molibus externo pondere deprimere vellem? Aut quid commodi compicto mendacio mihi conferri sperarem, ex omni postmodum verbo rationem pensurus? Sed hinc agitatur tenuis scientiæ venulis mens contenta, quòd rem, non dicam magni fluminis tantummodo, verùmetiam immensi æquoris affluentia necessario irrigandam attentat, quæ vix parvissimi stillicidii sudorem irrorans, quasi quasdam coactitii et extorti liquoris guttulas profluit. Nec ab re fessi viatoris comparatione impetiar, qui vigore virium enervatus, sæpius in itinere sedens, eo vehementiùs conlassatur, quò crebriùs per loca varia compausatur. Ita et nos totius ubertatis expertes scientiæ, quasi debilitato gradu per invia loquutionis residemus, pigroque (ut ita dixerim) gressu vix opusculorum limitem contingentes, ubique finem loquendi optamus. Et tunc magis magisque debilis viator quassatur, cùm se iam de perventione itineris gaudere sperans, denuò ex improviso emergere sibi adhuc inopinatum conficiendum cernit spatium. Unde et nos, qui iam finisse opusculum credebamus, ac veluti procellosum mare in naufragio transmissum remigio lætabamur, et optati portus salvi fruebamur quiete; nunc aliud fortuitò contuemur supervenisse, quod operæpretium præmissis opusculis sit addendum. Tendimus igitur parcitate facundiæ coarctati, tendimus imminentium persequutionum casibus occupati: et quasi in contrarium vento surgente, in altum nos demum devolutos pelagus inhorrescimus. Confidimus autem eius nos incunctanter bonitatis iuvamine prosperari, qui dignos nos eorum visu et amicitia diiudicavit: ut quorum fruebamur dulcedine, etiam trophæis imbueremur.

CAPUT PRIMUM.

Initium regni Mahomad regis.

Ceterum, ut in fine secundi operis annotatum est, adepto Mahomad patris imperio, confestim in promptum odium contra nos prorumpens, ipso die, quo fascibus infulatus, solium regnaturus conscendit, christianos omnes palatio abdicans, indignos aulæ principali ministerio promulgavit. Quos iterum post non longo intervallo sub tributario censu præscribens, plures præmio regali privavit, qui dudum militaribus (1) vescebantur annonis. *Eccli.* 10. 2. Et quia scriptum est: *Secundùm iudicem populi, sic et ministri eius;* ipsis per idem tempus gubernacula urbis committit, qui consimili zelo controversiæ adversùm Dei populum laborantes, cum ubique affligerent, everterent, et opprimerent: ut non solùm vatem suum nullatenus infamari præsumerent, verùmetiam terroribus compulsi abominabilem confiterentur culturam. Sic quoque mœror importabilis et persequutio truculenta undique nobis obvians, plerosque prævaricationis laqueo immergebat.

CAPUT II.

Prævaricatio illius Exceptoris, qui pridem sanctos anathematizari compulerat.

Multi autem sua se sponte a Christo divertentes adhærebant iniquis, sectamque diaboli summo colebant affectu, sicuti ille spurius, et Sanctorum benedictione indignus, de quo in libro secundo meminimus, agit. Qui sæcularis reverentiæ pompam rebus præponens cælestibus, inauditaque libidine pro Deo officium venerans, post biseno mense, quo Sanctos anathematizari decreverat, nosque fœdis convitiis impetierat, honore deiectus est. Gratiâ itaque dissertudinis linguæ Arabicæ, qua nimium præditus erat, solus e christianis a Consulibus in officio Exceptoris detentus, post aliquos menses et palatio et ministerio est abdicatus. Quod factum non leviter ferens, cùm se deiectum aspiceret, privatumque tanta dignitate altiùs suspiraret, præstantiùs Deo mori, quàm non vivere sæculo eligens, continuò fidem sanctæ Trinitatis spernens, cedit sectæ perversitatis, et nequaquam se christianum vult iam ultra videri. Quapropter in deteriora conversus, qui nusquam simplicia meditatus fuerat, exul christianis effectus, adunatus gentilibus, crebroque discursu illud impietatis delubrum, quasi unus e ministris diaboli frequenter ingreditur, expulsus de templo Domini, quod dum adhuc fidelis existeret, sera ac pigra visitatione incoluit. Scriptum est enim: *Non habitabit in medio domus meæ, faciens superbiam: et qui iniqua loquitur, non direxit in conspectu oculorum meorum.* *Psal.* 100. 7. Idem verò post negationem in honorem pri-

(1) *In Sanctio martyre de his christianis nobilibus, Saraceni regis tyronibus, iam dictum est.* Moral.

pristinum restitutus, palatio reformatur: quo pedica et hamus ceteros illiciendi existens, foret aliis in prævaricationis scandalum, qui causâ gloriæ temporalis sibi fuerat laqueus.

CAPUT III.
Destructio Basilicarum.

Interea cùm sæpius contra Dei catervam sæva Principis conspiratio inolesceret, affligeretque ubique Christicolas, et nec sic omnes generali dilapsu, ut fidebat, ad ritum suum prorruerent; iubet Ecclesias nuper structas diruere, et quicquid novo cultu in antiquis Basilicis splendebat, fueratque temporibus Arabum rudi formatione adiectum, elidere. Qua occasione satrapæ tenebrarum inde capta, etiam ea templorum culmina subruunt, quæ a tempore pacis studio et industria patrum erecta, penè trecentorum a diebus conditionis suæ numerum excedebant annorum.

CAPUT IV.
De seditione provinciarum.

V. Schol. Et quia undique dibellionum insurgentia bella magnam ei molestiam inferebant (nam liberè in cunctis Hispaniæ urbibus, quas vigore potestatis et egregii potentiâ intellectus, largoque munere præmiorum pater suus acquirendo domaverat, et obsederat, hic privilegium dominandi gerebat: præsertim cùm et ex V. Schol. aliquibus locis cæsum, et fugatum exercitum suum cernens ubique imminui, ubique se gemeret in deteriora converti); iccirco contra nos diu meditatum in futurum differebat perditionis interitum, tardoque ac pigro impetu Ecclesiarum operabatur ruinas. Nam nullos credo christianorum (nisi ista difficultatis obstarent repagula) secum pateretur morari. Quinimmo, ut iam alibi præmissum est, si commodam regnandi haberet licentiam, Iudæos etiam a se repelli compelleret. Quò solius gentis suæ comitatu vallatus, his præesse solummodo mereretur, cum quibus inextricabilia æterni barathri lueret tormenta, nec alterius diversitate religionis unitas damnabilis culturæ scinderetur. Ex qua, Deo vocante, et per splendentia fidei sanctæ mysteria compungente, plures admodum recedentes, et pietati adhærentes, mortemque spe firmiori propter Christum excipientes, idem ingemiscebat: præter eos, qui nimia carnis impediti formidine, ardua cordis contritione Christo regi sub clamide adhuc militant.

CAPUT V.
De odio suorum adversùm Regem, et de ipsius avaritia, et de tributis christianis impositis.

Cumque Ecclesiam Dei flammis invidiæ inurendo, interno cogitamine corrosus tabesceret, et suorum pacem affectaret, hæc et huiusmodi contra nos exercere disponeret; in nullo attamen divinam dispensationem humana procacitas prævalet immutare. Quæ eum cunctis odibilem, uni-

versis exosum, omnibusque execrabilem reddens, etiam domestico, et ut ferunt, pellicum suarum odio, vel maledicto impetitur. Verùm ut scriptum est: *Rex iustus erigit terram, vir autem avarus destruit eam;* hic idem inauditis cupiditatum fascibus ardens, militum annonas demutilat, tribunorum coarctat donaria, lunaremque præmiorum [1] discursum imminuit. Et cùm sibi vilia admodum et penè exigua a vicinioribus locis reddi vectigalia cerneret (quia videlicet si culpa vulgi is ad sceptrum Deo dispensante admotus est, tamen huius meritorum improbitate urbes ac nationes in stimulum recalcitrationis inductæ, non ad integrum tributis provinciarum eum perfrui patiuntur) ideo in nos arma districtionis convertens, et ut lutum platearum dominii planctu contribulat, quorumdam christianorum eius optioni favente nequitia (si tamen christiani, et non magis operarii iniquitatis appellandi sint) qui ut privilegium [2] chirographa exigendi obtineant, sortem Domini fideliumque conventum suo vadimonio vel crimine a Rege mercantes, importabili census onere colla aggravant miserorum, quotidie plebem Domini pessimantes: illâ proculdubio plectendi in futurum sententiâ, quæ talium condemnans excessus, ait: *Et qui pessimant plebem tuam, inveniant perditionem.* Quibus utique secundùm veritatis edictum felicius erat gravatis molarum pondere collibus profundo mergi, quàm tanto pusillanimes perturbari scandalo, aut tantam vim gregi parvo inferre, cui Patri dare regnum complacuit: in quorum conspectu Deus non est, et a quorum intuitu iudicia Dei sublata sunt. Semper invidi, semper iniqui, ubique malitiosi, in alterutrum iracundi, in aliorum eversione pacifici, in confederationibus infidi, in conspirationibus conciti, in circumventione versuti, in apparatu noxietatis aptissimi. Pro se invicem disparati, ad perdendum ceteros adunati, ad decipiendum excitati, ad miserendum pigri. In incessu tumidi, in assertione superbi, in promissione dubii, in datione avari, in largitione parci, in acceptione avidi. Id promittentes, quod dari nequeat: id conferentes, quo frui non liceat. Qui non dormiunt, nisi malefecerint; et consurgere ad iniquitatem festinant. Qui lætantur cùm malè fecerint, et exultant in rebus pessimis. Et cum se christianos esse pronuntient, Christum quotidie in membris eius crucifigunt, Iudæ proditoris documenta sectantes, qui præceptorem, venaliter distrahendo pecunias, crucifigens, sibi quidem laqueum perditionis effodit, mundo autem libertatem debitam contulit. Hi verò se eidem incorporantes, cum redemptos eius crudeli accusatione affligunt, et (quod non sine gra-

Prov. 29. 4.

Matth. 18. 6.

Luc. 12. 32.

Prov. 4. 16.

Ibid. 2. 15.

Eccli. 36. 11.

(1) *Stipendium intelligo quod singulis mensibus militibus persolvebatur.* Moral. Hinc potest suppleri Glossarium Cangeanum.

(2) *Hoc est, ut tributis per chirographa exigendis præficerentur.* Moral.

gravi cordis mei vulnere profero) quos tueri debuerant, quia
Ephes. 4. 25. sumus invicem membra Christi, eum (proh dolor!) negare compellunt.

CAPUT VI.
De insultatione procerum contra Martyres.

His interim imminentibus malis, et huiuscemodi ærumnis Ecclesia vapulante, ferunt ob hoc Regem ingenti crapulatum lætitia, ampliora fidelibus scandala irrogaturum se promittere: et, ut alibi (1) taxatum est, dira incursatione, molestiaque contriturum, si commodum regnandi successum diutius obtineret: adeò ut plerique procerum olim decedentium Martyrum subsannantes constantiam, nobis referrent: " Quò nunc abiit illa vestrorum „ virtus agonistarum? quò aufu„ git magnanimitas? quà absorpta „ temeritas delitescit? ubi se ener„ vata fortitudo abduxit? Qui du„ dum concitis gressibus certatim „ ad expugnandum dogmatistem „ nostrum occurrentes, debita ul„ tione perempti sunt; nunc ad„ sint, nunc veniant, modò pro„ perent, si divinitùs inspirati, „ illud in veritate conservant „ certamen.

CAPUT VII.
De Fandila martyre.

Dum ergo in nos huiuscemodi irrisionibus insultarent, et hoc deludio nostram penè consummatam cladibus fatigarent miseriam; adolescens quidam Fandila, ephebus aspectu decorus, honestate vitæ probabilis, sanctus et timoratus presbyter inter has cædes sævaque discrimina ostium aditumque primus exercendi martyrium sub huius tyranni (2) privilegio patefecit. Hic itaque ex urbe Accitana progenitus Cordubam discendi gratiâ veniens, totam penè pubertatem ibidem sub pædagogi traditione peragens, confestim ut adolescentiam adiit, monastica oblectatus conversatione, illico monachis se Deo iugiter militaturus admiscuit. Qui aliquibus locis peragratis ac demutatis, in quibus ardens devota mens requiescere non poterat, ultimò se in Tabanense cœnobium contulit. Ibi aliquandiu sub regulari disciplina vel regimine Abbatis Martini demorans, perfectiùs in timore Domini claruit.

S. Fandila Accitanus Cordubæ studet.

V. Schol.

V. Schol. *Monachus fit Tabanensis,*

2 Et quoniam summæ humilitatis magnæque obedientiæ erat, iccirco gratiâ sanctitatis, qua cælitus refulgebat, diu implorantibus ac rogantibus monachis cœnobii sancti Salvatoris, quod haud procul a civitate Cordubæ in parte Septemtrionis ad radicem Mellaris pinnaculi situm est, ad officium sacerdotale præelectus invitè et (ut ita dixerim) violenter instantia vel præiudicio Abbatis sui sanctum ministerium suscipit, et nihilominus ieiuniorum, vigiliarum, orationumque solito propensiùs labores adaugens, ambulat de virtute in virtutem visurus Dominum in Sion scalis meritorum evectus. Cuius ve-

et Sacerdos ad preces monachorum S. Salvatoris.

(1) Sup. cap. 1.

(2) Vide sis not. (2) sub num. 7. lib. 1.

venerabilem vitam, cunctisque necessariò imitabilem conversationem, cum affatim digno laudum præconio eorumdem fratrum atque sororum, quibus præerat, relatione pandatur; eo tamen magnificentiùs declaratur, quo florentissimam iuventutem animo robustiore transgrediens, gladio martyriali non cunctatus fuerit subdere.

3 Igitur comitante ipsum perfectione timoris Domini, cum omnia terrena despiciens mentem cælo suspenderet, cuperetque dissolvi meliùs, et cum Christo manere, quàm rebus hærere caducis; quodam die obfirmato vultu iudici astans, prædicat Evangelium, impudicum exprobrat vatem, cætumque noxiæ combinatum culturæ pædoribus (nisi resipiscens pietatis fidem apprehendat) ultricibus luiturum pœnarum incendiis protestatur. Hinc carcere trusus, et vinculis coarctatus, latronum mansionibus alligatur, principali postmodum sententia decollandus.

Evangelium prædicans,

carceri includitur.

4 Quod factum iudex regio intimari auditui non differens, accenditur igne furoris immensi, et quodam hebetatus horrore miratur stupidus, quæ esset illa victrix audacia, quæ tantæ gloriæ non expaverit Regem, tamque sublime vanitate et superbia caput, atque (ut se putabat) super omnia excellens talibus non reverentiæ ausibus propulsaret. Quamobrem eodem momento sub voce terribili Episcopum comprehendi decernit; sed ipse, fugæ præventus remedio, salvatur. Nam ferunt, iam tunc eum nulla intercedente dilatione punire decreverat. Iusserat etiam omnes christianos generali sententia perdere, feminasque publico distractu dispergere, præter eos qui spreta religione ad cultum suum diverterent. Et nisi hoc edictum consultu Satrapum quassaretur (qui pro eo quòd nullus sapiens, nemo urbanus, nullusque procerum christianorum huiuscemodi rem perpetrasset, iccirco non debere universos perimere asserebant, quos non præit personalis dux ad prælium); (1) exhinc credo iam funditus christianismum nostrum partim gladio, partim prævaricatione extingueret. Fortissimum verò athletam gladio interficiens, patibulo ultra amnem suspendi præcepit.

Post Episcopum fugâ elapsum.

V. Schol.

occisus suspenditur

CAPUT VIII.

Gesta Anastasii, Felicis, et Dignæ martyrum.

Quem sequens alio die Anastasius presbyter, qui ab ineunte ætate apud Basilicam sancti Acisculi Cordubensis disciplinis et litteris eruditus, usque ad plenam iuventutem ibidem in Diaconatus officio degens, (2) postquam monasticam vitam, qua dudum fuerat spreto (3) ministerio oblecta-

V. Schol.

(1) *Exhinc* ponimus cum Henschenio ad diem 13. Iunii, quamvis Morales, Schottusque ediderint, *et hinc.*

(2) Hunc locum sequentes Henschenium ad diem 14. Iunii sic restituimus, cum Morales et Schottus corruptè legant: *post monastica vita.... incenibus egerat.* V.Sch.

(3) *Diaconii ordinis cuius est præsertim, ut vocabulum ipsum Græcis sonat, in Ecclesia ministrare.* Moral.

ctatus, in senibus egerat, demum sacerdocio applicatur. Concito gressu palatium petens adstat Consulibus, hostemque fidei veridicis assertionum stimulis feriens, gladio confestim abscissus, suspenditur. Cum quo et Felix monachus, ex oppido Complutensi progenitus, natione Getulus, et
V. Schol. quadam occasione in (1) Asturias devolutus, ubi et fidem catholicam, et religionem monasticam didicit, eodem die hac professione decisus affigitur.

2 Cumque dies illa maxi-
V. Schol. mum cursus sui explens metabulum, iam penè in horam nonam divergeret, virgo quædam adolescentula, merito et nomine Digna, ex collegio venerabilis Elisabeth, cuius rationem liber secundus edisserit, Deo revelante et confortante ad palmam processit. Paulò namque ante martyrium suum assistere sibi per somnium videt puellam, habitu et specie percomptam angelico, rosas ac lilia manu gestantem. Quam cum de nomine causaque sui exploraret adventus: " Ego „ sum (inquit) Agatha olim pro„ pter Christum diris attrita sup„ pliciis, et nunc veni partem „ tibi purpurei muneris huius „ conferri. Accipe libens dona„ rium, et viriliter age in Do„ mino; nam reliquias rosarum „ et liliorum, quas in manibus „ servo, post te ex hoc loco da„ tura sum migraturis." Tali denique virgo sacratissima visu ac munere illustrata, cum e dextera colloquentis rosam susciperet, auris admixta cælestibus ab oculis intuentis elevabatur.

3 Hæc autem puella, cum pro summa humilitate atque obedientia inter convirginales ultima se iudicaret, essetque incomparabili apparatu obsecundatrix, numquam tamen appellari se Dignam patiebatur, dicebatque cum lacrymis: " Nolite me Dignam
V. Schol. „ vocare, sed magis Indignam; „ quia cuius meriti sum, etiam „ nomine debeo insigniri." Et cùm a die revelationis suæ, amore compuncta martyrii, tacito cogitamine, quibus ad id posset indiciis aspirare, sæpius ruminare cœpisset; fit affatim lætior horum instructa martyrio, quo quasi his præcedentibus hæc firmiori gressu succederet ad coronam. Ideoque apertis silenter cœnobii claustris, cum iam beatos pendere comperisset Martyres, concito gradu iudicem petens, cur fratres suos præcones iustitiæ trucidaverit, assertione intrepida percontatur. " An quia (inquit) Dei „ cultores existimus, sanctamque „ fideliter colimus Trinitatem, „ Patrem, et Filium, et Spiritum „ sanctum, unum et verum Deum „ fatentes, et omne quod ab hac „ credulitate dissentit, non solùm „ negamus, verùmetiam detesta„ mur, maledicimus, et confun„ dimus; idcirco confodimur?

4 Hæc et his similia sancto et immaculato ore diserente puella, nihil cunctatus arbiter, lictoribus decollandam committit, qui mox

(1) *Hinc quidam hunc nomine et re ipsa Felicem martyrem in Asturiis passum scripsere.* Id.

mox [1] delicatis inferunt iugulum collibus. Nec mora consternatis corruens membris, equuleo deorsum versa suspenditur, ceterisque trans flumen adsciscitur. Hoc namque ordine hi tres vocati, Anastasius, scilicet presbyter, Felix monachus, et Digna virgo beata eodem die dispariter ceciderunt, XVIII. Kalend. Iulii, Era DCCCXCI.

CAPUT IX.

Benildis matrona martyr.

Denique hos sequens Benildis femina ætate iam provecta, et ut ferunt, non mediè timorata, sub professione ceterorum occubuit XVII. Kalendas Iulii, Era qua supra. Quorum cadavera post aliquot dies ingenti concremata incendio, ad ultimum fluvii proiecta, dispersa sunt.

V. Schol.

CAPUT X.

Sancta Columba martyr.

Cogimur vel numerositate certantium, vel debita sponsione votorum, in longam dictionis seriem stilum protendere. Hinc est, quòd ultra quàm putabamus, in magnum codicem materies aucta opusculi, penè modum mediocritatis excesserit. Quia post tot funera et importabilium ærumnarum discrimina nullum prorsus talia opinaremur aggressurum. Nos tamen ab inchoatis nullatenus reticemus, quò cunctorum rationes, ut promisimus, enarremus.

2 Interea fuit virgo quædam nobilis et decora, Columba nomine, ex oppido Cordubensi progenita, præfati Abbatis Martini, et Elisabeth, de quibus in præcedentibus memoravimus, soror. Quæ, cum inter bona parentum tenerrimè in annis puellaribus degens, propositum Elisabeth sororis suæ, quod cum viro suo [2] Hieremia adhuc vulgò admixti gerebant, agnosceret (qui longe antequam monasterium peterent, multis se Christo religionibus inter conventus populi consecrarunt), persæpe genitorum relicto consortio, domum sororis frequentiùs visitans, talibus se consignandam votis exoptat, anhelaque huius propositi [3] verna cupit existere. Confestim itaque terrena omnia spernere desiderat; sed adversatur puellæ intentioni genitrix repugnatura. Quæ etiam contra sobolem Elisabeth eiusque virum fœdis iracundiæ motibus excitata, graviter conqueritur, quòd ita adolescentis illiceret animum, quòd sicut se, et istam disperderet, mundumque flore suo vernantem dissipato matrimonio relinquentes, in solatio exterorum id cuperent congerere.

S. Columba

nuptias invitâ matre adversatur:

3 Inter hanc autem conflictationem (ut vulgi mos est) disquiritur ad copulam nuptialem puella, crebrisque interpellationibus sæcularitate involvere exoptant cæ-

(1) Non hîc adstipulamur Henschenio, qui correxit: *delicati impetunt iugulum colli.*

(2) *Lib. 2. cap. 4. apertè ostendimus, hunc eumdem esse Hieremiam, qui martyr eo cap. scribitur.* Moral.

(3) *Hoc est: cupiebat relictis parentibus in monasterium Hieremiæ transmigrare, et tamquam vernacula ancilla ei adhærescere.* Id.

lestium thalamorum nuptiis divinitus assignatam. Et cùm nec illa consentiret, nec mater desisteret, quò nihilominus nuptui
eâ mortua traderetur; ipsa mater (Dei providentia) ex improviso molestiâ ægritudinis occupata, sub celeri vocatione mundo exempta recessit. Remanet Dei famula, non tam matris obitu contristata, quàm lætior gratiâ suæ devotionis sine cuiusquam præiudicio adimplendæ.

4 Verùm nonnullo tempore in sancta religione apud urbem utrisque sororibus versantibus continuò expleto iam propriis (ut
Tabanense monasterium ingreditur. diximus) sumptibus Tabanensi cœnobio, eò se viri cum mulieribus Christo militaturi conferunt. Ibi sancta virgo terrenis se exuens, hæret cælestibus, et mentem ad studium Scripturarum convertens, fit admodum eruditior investigandi ac disserendi sententiarum obscura. Crescit beatæ virginis sanctimonia, et latè diffussa cœnobii fama etiam procul sitarum ad se urbium discursus invitat, quò talium exemplorum magisteriis imbuerentur. Hæc autem virgo sub
ob virtutibus mirè fulgens fratris sui Martini et Elisabeth regimine manens, præcellit meritis, et gratia honestatis omnibus præit. In conversatione laudabilis, in humilitate sublimis, in castitate perfecta, in caritate firma, in exorando attenta, ad obediendum apta, ad miserandum clemens, ad indulgendum facilis, ad prædicandum disserta, ad instruendum prompta. His quoque virtutibus clarens, cunctorum in se provocabat affectum, omnibus normam speculumque sanctitatis existens. Et quia crebrò adversarii tentationibus propulsabatur, ideo frequentioribus se coram Domino fletibus mactat: verens, ne diu congesta laborum vilissimi prædonis irruptione perirent. Hinc ad maiorem sanctitatis cautelam erigitur, metuque hostis adacta, solertiùs ad summam virtutum districtiori vita contendit.

5 Hanc sæpe ægrimoniis tentator macerat, immittit fastidium, *tentationibus exercetur.* speciem virorum prætendit, longum astruit victum, diversisque fatigat phantasiis. Quibus horribili metu compulsa luget immaniter, ne lapsu mortis a consortio dirimatur sponsi, cuius tanto se ardore caritatis asserebat interiùs esse conflagratam, ut quasi excisæ carnis cicatrice pro eius desiderio mente vulnerata existens, nisi solo eius intuitu in cælis, nullo modo se (1) perhibebat posse sanare. Nullum unquam *Temerarii iudicii,* peccatorem quamvis gravioribus oppressum peccatis sermone suo læsit, de nullius actibus iudicavit, de nullius desperavit salute, nec quemquam licèt fœdis infamatum despexit rumoribus. Scio (referebat) versutias dæmonum, scio insolentias hominum, *detractionis,* qui interdum ipsum maledictionis subsannatione impetunt, quem probatum dignioribus meritis habet omnipotens. Multa sunt enim

(1) Rectè Constantinus Suyskenus ad 17. Septembris: *Pro* perhibebat *lege* perhiberet, *uti et mox* sanari *pro* sanare.

iudicio condemnata humano, quæ divino sunt probata et sanctificata consilio: et plerumque opinationibus suis transgrediuntur homines divinam sententiam; dum cuius meriti apud illum quisque permaneat, nesciant; et tamen iam quasi præsagi occultorum, vel dignum prædicent, vel reprobum infament. Cùm utique inculpabiliùs, si ad se reverterent, iudicarent; etsi quanto vel quali oneri unusquisque subiaceat, vel quo sit debito reus intenderet, nullatenus culpabiliter de incognitis disputarent. Sed agunt nonnulli hæc, quò in veritate exprobratio divina contra nos olim prolata firmetur, quæ
Ierem. 8. 6. ait: *Attendite, et auscultate. Nemo quod bonum est loquitur: nullus est, qui agat pœnitentiam propter peccatum suum, dicens: Quid feci?* Qui proprii facinoris trabe neglecta, de festucis aliorum solliciti permanentes, quod levi susurrationis aure captaverint, verum nihilominus, et nullatenus incredibile esse affirmant.

6 Numquam autem virgo
iracundiæ, clementissima sine causa iram admovit, nisi cùm fortè aut infantulis, aut aliquam e sororibus negligentem aspiceret, quas solo intuitu oculorum redarguebat humiliter. Numquam aliquando in cuiusquam prorupit contume-
et otiosi sermonis fugitans, liam, numquam os eius vaniloquio est occupatum, nusquam aniles et otiosas fabulas suis passa est admitti auditibus. Christum corde, Christum ore sæpius meditans, illam frequentiùs cum omni affectu canebat antiphonam, quam in laudem sanctorum beati Patres suavi cantu aptaverunt. " Aperi mihi Domine pa-
„ radisi ianuam, ut ad illam pa-
„ triam revertar, ubi mors non
„ est, ubi dulce gaudium perse-
„ verat." Cum his colloqui delectabatur, quorum mens spiritali virtute succincta, mortificata cum vitiis et concupiscentiis membra gerebant, nec cuiquam se, nisi fortè spiritualibus viris, et id perrarùm ac seriùs, visen-
et solitudinis amans di præstabat accessum. Quia claustra feminarum a cellulis monachorum altis interiectis disparata maceriis, licèt unius patris gubernaculo regerentur, hæ tamen sequestratis se mansiunculis retrudentes, nulli omnino contuendi se facultatem præbebant. Sed si subinde aut fratribus congrua instaret necessitas, aut hospitum pia (1) impetraret humanitas, sola venerabilis Elisabeth per fenestram se exhibebat cernendam, quæ prior et totius erat mater vera monasterii.

7 Quodam igitur tempore
solitariè vivit. petiit a consororibus Columba, ut inter ipsa claustra in quodam angulo cellula sibi daretur, quo secum sola demorans immunis a ceterarum strepitu fieret. Annuunt pro rogatu sanctæ sorores, præbentque adminiculum suo consensu augendi virginis sanctitatem, quæ aliquam etiam inde percipere confidebant mercedem. Ut enim præmio dignum est sanctæ conversationis studium, ita

(1) Fortè *imperaret.* Suysken.

ita et erga piè viventes religiosus affectus. Nec distat a factis bona consensio, quæ non virtute animi, sed virium quassatur defectu: ut cùm fortè non fuerit vigor corporis talia exercendi, sit mentis intentio similibus delectandi. Communia sunt enim operis sancti commercia, et eò fiunt Christo gratissima, quò simpliciter in caritate perfecta ad nostrum referimus commodum fraternæ sanctitatis studium.

Ad instituendas monasteles revocata, donationis et lacrymarum emicat.

8 Denique indepta benedictione sororum, exors omni cœnobialium actione curarum, virgo venerabilis in contemplatione Dei, et meditatione Scripturarum multum temporis perseverans, post crebra suspiria, et fletus immensos, in quibus speciali munere supra plurimos cælitùs eminebat, denuò ad instruendos divinis pastibus convirginalium animos revertitur ad cætum. Ferunt namque illam persæpe ternas et quaternas horas, necnon usque in medium diem in oratione decumbere; et cùm nulla resonarent suspiria, nulloque singultu membra incuterentur, in magno tamen silentio fletum promebat: adeò ut subtus (1) matta, in qua illa prostrato corpore exorabat, humectum lacrymis pavimentum ostenderetur. Maximum etiam in obsecrationibus stando spendens curriculum, in tantam subitò ferebatur (2) theoriam, ut geminatus ex utroque oculo rivulus lacrymarum ad mentum descendens, in unum conversus meatum, crebra stillatione guttatim quasi e tecto in humum influeret.

In urbanum monasterium cum cæteris translata,

9 Interea cum furor persequutionis, qui in excidium Ecclesiarum fremebat, hanc feminarum collectam urbi admoveret; in prædiolum, quod dudum sibi in confinio Basilicæ sancti (3) Cypriani extruxerant, sese conferunt retrudendæ. Hîc iam constituta beatissima virgo incomparabiliter flebat, lugebatque ubertim, et suam quietem quam gerebat in montibus, et tumultus quos in urbe incurrerat. Semper tamen et corde et lingua clamabat: *Tu nosti, Domine, quia diem hominis non concupivi super terram.* Semper prædicabat, semper orabat, semper Psalmos canebat, semper in ore eius laus et benedictio Domini resonabat. Et quia virginum mansio præfati sanctuarii parietibus cohærebat, tantumque obiectu maceriæ a vestibulo altaris dirimebatur; si quem fortè cantum Sanctorum laudibus resonantem per natalitia Martyrum audisset a clericis psallentibus, confestim quadam iucunditate cælestium desideriorum compuncta prorumpebat in lacrymas; ut non minus illam introrsus crederes proclamare: *Sitivit anima mea ad Deum vivum; quando veniam et apparebo ante faciem Dei. Fuerunt mihi lacrymæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quo-*

Ierem. 17. 16.

ad sola cælestia anhelans,

Psalm. 41. 3. 4.

(1) *Intextum ex sparto seu iunco stramentum. Inde apud Ovid. in Fast.* Scirpea matta. *Moral.*

(2) *Græcum est vocabulum, quasi tu dicas, contemplationem.* Id.

(3) *Et hæc Basilica intra urbem fuit.* Id.

quotidie, ubi est Deus tuus. Ipsis etenim nexibus corporis, quibus in hac peregrinatione mens sancti cuiusque retenta, ab illa ineffabili claritate Sanctorum cum magna supernorum desideriorum siti exusta se iungitur, velut obstantibus murorum repagulis ne ad civitatem viventium concito, quo vult, gressu pertingat, quasi e regione onus membrorum sibi credens, resistere plorat et dicit: *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, ubi est Deus tuus.* Cum illo utique esse desiderat, cum quo Apostolus resoluta iam mortalitate cupiens permanere, dicebat: *dissolvi et esse cum Christo melius est.*

Philipp. 1. 23.

10 Verùm indesinenter his votis sancta Columba insistens, cùm plus aliquid, ut reor, in semetipsam cruciatus ipsa inferret, quàm furens (1) imploderet carnifex, vigiliarum, iciuniorum, atque orationum scilicet continuando labores: quasi parva essent ista omnia, proprio et ultroneo in se voto illata tormenta, velut de suis etiam meritis, etsi maiora exerceret, non confidebat. Ac metuens, ne centesimum virginitatis suæ fructum vacuum apud Patrem commodi reperiret, ad ineffabile martyrii indubia lucrum aspirat, quod peccatores etiam directo tramite in regnum mittit cælorum, dicente Evangelio: *Regnum cælorum vim patitur, et violenti diripiunt illud.* Hinc iam ardentiùs in amore Christi succensa, concitis ad eum gressibus, cui fideliter servierat, anhelans pervenire, quibusdam etiam revelationibus ad id frequenter impulsa; quodam die irrupto latibulo, reseratis tacitè foribus in forum digrediens, licèt (2) incognita viarum urbis existeret, provido tamen exploratu, quo iudex moraretur, addiscit.

et martyrii cupida

Matth. 11. 12.

iudici se sistit;

11 Ibi cùm pervenisset, eiusque astaret obtutibus, dat professionem catholicæ fidei, profert evangelicam veritatem, iniquum dogma retundit, auctoremque magni esse sceleris talia præsumentem annuntians, ipsum denuo arbitrum, quare se talibus sacrilegiis combinaret, blandis admodum verbis hortatur. Cuius speciem verbaque miratus, illico eam in palatium ducens, Satrapum concilio repræsentat. Ibi adhuc profitetur, prædicat, admonet, omnes suæ potiùs debere saluti consulere, quàm vanis insistere deceptionibus, quibus eam transvertere conabantur. Dicebat etiam, non talem Christus habet sponsam, quæ immutari de pristina compactione arrarum eius prævaleat. "Nam quis ditior „ illo est, ut vos me copiis re„ rum credatis illicere? Quis pul„ chrior eo est, cuius speciei for„ ma præ filiis hominum claret, „ ut vos me nuptu terreno arbi„ tremini oblectandam? Quis „ cultus vel secta evangelicæ fi„ dei veritate sanctior est, quæ „ per totum orbem Apostolorum „ vocibus promulgata, æternæ „ spei

Christumque profess

(1) Id est, *inflicturus esset.* Suysken.

(2) Pro *ignara.* Id.

„ spei credentibus præmium re-
„ promittens, omne prophetis-
„ mum, quod ab illa dissentit,
„ anathema esse in veritate non
„ dubium est? Quamobrem re-
„ licta vanitate, verum Evange-
„ lii ducem requirite, quo me-
„ liùs filii lucis, quàm genimina
„ tenebrarum, mortisque soboles
„ appellemini. Ille etenim dixit:
Ioan. 8. 12. „ *Qui sequitur me, non ambu-*
et 11. 26. „ *labit in tenebris: et omnis*
„ *qui vivit, et credit in me,*
„ *non morietur in æternum.*"

12 Igitur cùm fortissimam virginis constantiam (1) consules universi adverterent, et neque immutari posse talibus imbutam oraculis cernerent, neque hortatum assertionis eius ferre valerent; continuò ante fores palatii eam trucidari præcipiunt. Quam cum summa reverentia foro con-
V. Schol. stituentes, non se priùs decollari permisit, quàm præmio lictorem virgo sacratissima honoraret. Sic-
decollatur, que pronior cervicem inclinans, in lapsu (2) iuguli delicatum corpus sternitur. Nec mora, ut erat lineis indutum, cadaver sporta immissum alveo proiici principes
Corpus in fluvium iniectum mandaverunt, nec sicut cetera occisorum cadavera, aut pro foribus neglexerunt, aut equuleo suspenderunt. xv. Kalend. Octob. Era DCCCXCI. Quod post sextum diem illæsum et integrum quo-
recipitur a christianis. rumdam solertiâ monachorum divinitus nobis allatum est, dignoque officio in Basilica sanctæ Eulaliæ virginis et martyris, quæ in vico Fragellas constituta est, honorabilem meruit sepulturam. Hoc nobis ad fidem de ea relatum est.

13 Ceterum tu sacratissima, V. Schol. *Auctoris epilogus* quæ utiliter Ecclesiam catholicam et vivens conversationis exemplo, et moriens celso meritorum instituis patrocinio; esto memor cultoris tui: erue me laqueis mundi, abstrahe perturbationibus sæculi, et confer post mortem requiem paradisi. Per Dominum nostrum Iesum Christum qui vivit cum Patre et Spiritu sancto, unus et immortalis Deus, per infinita sæcula sæculorum. Amen.

CAPUT XI.

Pomposa virgo et martyr.

Igitur cùm ad multorum notitiam ipso die rumor consummati martyrii prædictæ virginis pervenisset, et non solùm totam civitatem, verùmetiam viciniora loca inserperet; virgo quædam venerabilis, nomine Pomposa, *S. Pomposa in cœnobio Pinnamellariensi* ex cœnobio sancti Salvatoris, quod ad radicem Pinnæ Mellarisæ constitutum est, quo dudum se cum parentibus, fratribus et cognatis Christo militatura contulerat (ex quo antea beatissimus Fandila eiusdem loci sacerdos olim descenderat); mox ut illud martyrium a dicentibus comperit, alio die (3) cita occurrit. Hæc nam-

(1) *Consules* hic pro magistratus vel gentis primoribus usurpavit. Sic lib. 2. cap. 1. annum *consulatus* Habdarrahgmani pro eiusdem *regni* anno adhibuit. *Suysken.* Vid. ibi Moral.

(2) *Iugulus* hîc pro *gladio* vel *securi*, quâ iugulari solet, accipitur. *Id. Suysken.*

(3) *Hinc planè deprehendimus, cum alium diem (ut cap. 9.) Eulogius nominat, crastinum debere intelligi.* Moral.

V. Schol. namque virgo beata parentum et propinquorum sanctam conversationem, quam gerebant in Corduba, ex qua erant progeniti, cernens, confestim avida mente tali se voto assignans, cùm his simul mundum spernit, labentia deserit, integritatem promittit, mansuraque perenniter toto nititur conatu appetere.

2 Quapropter parentes eius, distracto patrimonio, præfatum cœnobium construentes, in eo loco, qui ex eo quia ab antiquitus congestos in illa celsiori rupe apum industria favos, qui usque hodie permanent, majores
V. Schol. nostri viderunt, Pinna Mellaria vocatus est. Ibidem autem se ad
sanctissime vivens, exercitium vitæ monasticæ collocantes, tradunt beatam hanc virginem inter illum suorum conventum pulchriorem gratiâ sanctitatis floruisse: et quæ ultimum per ætatem gradum tenebat, fit ceteris excellentiori culmine innocentiæ ac simplicitatis merito sublimata. Tantoque in Scripturarum meditatione fortissima permanebat, ut si fieri posset, non diebus, non noctibus a lectione vacaret, nisi quarumdam ingruentium tempestatum impediretur procellis. Si quid fortè ad suam exaggeratum sentiret injuriam, illa quæ macte [1] humilitatis gratia prominebat, cuncta patienti animo sustinebat. Instabat vigiliis, ieiuniis, et orationibus crebriùs incubabat, quibus favente Domino inviolabiliter votum posset conservare promissum.

3 Plura sunt, quæ de eius sanctitate, referente nobis famulo Christi Felice monacho, eiusdem cœnobii Abbate, cognovimus: quæ obtentu evitandi fastidium relinquentes, ad illud, quod eam sine dubio cælo præmisit, quàmproperè festinamus. Cùm enim summæ sanctimoniæ studium gereret, serviretque Deo fideliter; mox ut beatæ Columbæ martyrium comperit, illico interiùs igne conflagrata martyrii, fit admodum lætior tali nuntio recreata. Et quibus ad id posset pertingere passibus, tacito et singulari cogitamine ruminat. Et o! miram vocationem Domini, et supernæ dispositionis aditum patefactum, quo nullus prædestinatus [2] martyrio, martyrii gloria defraudatur: quo nemo cœtui Sanctorum ascriptus, humana potest illaqueatione teneri! Ferunt namque, quòd multo satis ante hoc tempus hæc virgo ad martyrium convolasset, nisi quibusdam suorum impediretur repagulis, qui eam, causâ sævientium persequutionum, altâ servabant custodiâ.

ad martyrium exemplo S. Columbæ inflammata,

4 Sed quid in se potest habere custodiæ conditio miserabilis, quando, sicut scriptum est: *Nisi Dominus custodierit, in vanum vigilant*, qui humaniter se quippiam custodire arbitrantur? *Psalm. 126. 1.*

(1) *Libenter hac voce cum Livio utitur.* Id.

(2) Verbum *martyrio*, quod Schottus nescio quare omisit, occasionem dedit Constantino Suyskeno ad diem 19. Septembris hanc notam subiungere: *Non quilibet prædestinatus; sed quilibet ad martyrium prædestinatus, eius gloriâ non fraudatur.* Superflua est animadversio in lectione textus quam edidit Morales.

tur ? Etenim ipsa superveniente nocte, consummata in Dei laudibus nocturnâ vigiliâ, unus e fratribus suis, ceteris quiescendi gratiâ regredientibus ad cubile, quasi divinitus moneretur, et certè non sine providentia Domini, arrepta clave portam monasterii inconsuetus aperuit, minimoque tantummodo clavo superposito retrusit. Ad quam illa silenter accedens, et clam ostium reserans, vadit per tenebras noctis cælesti lumine illustrata; totumque illud iter vasta horridum [1] solitudine ante lucis crepusculum transiens, clarescente mane urbem ingreditur, seseque obtutibus iudicis præsentari non differt. Ad quem sanctæ fidei rationem proponens, vatemque impudicum simplici exhortatione confundens, confestim ille gladio trucidandam decernit, sicque ante fores [2] palatii constituta, exempto capite consternatur XIII. Kalend. Octob. Era DCCCXCI. Cuius cadaver in flumen proiicientes, quorumdam [3] mercenariorum studio in quadam fovea [4] congestum desuper multo pulvere tumulatur. Ex quo iterum, Christo favente, post dies penè viginti industriâ quorumdam monachorum inde abstractum, ad prædictum beatæ virginis Eulaliæ sanctuarium reportantes, digno ibidem sacerdotum et religiosorum ministerio, ad pedes sanctæ Columbæ humatum est. Quod nihilominus divina credimus dispensatione peractum; ut quæ se in vita sua tanta caritate dilexerant, morte etiam ac sepultura indivisæ manerent, regnante Domino Iesu Christo in sæcula sæculorum.

noctu egressa

ad iudicem properat;

et Christum confessa

decollatur,

v. Schol.

cinque corpus demergitur sepelitur.

CAPUT XII.

Abundius presbyter et martyr.

Ex hoc autem tempore, decem mensibus [5] interiectis, quidam presbyter, Abundius nomine, de vico [6] Ananellos, qui est in montana Cordubensi, exortus, ibidemque sacerdotium suum peragens (ferunt), quorumdam commento, vel fraude gentilium, ad martyrium fuisse [7] pertractum. Sed ille Dei famulus cùm se quadam vocatione in sacrificium verum cælitus aptari conspiceret, quo nolens ducebatur, grato animo adiit. Ac sic interrogatus a iudice, intrepida responsione rationem fidei pandens, ultimo scelerosum dogmatistem eiusque cultores veridicis assertionum obiectis inculcat. Ideoque sub celeri indignatione peremptus, canibus et bestiis devorandus exponitur v. Idus Iulii. Era DCCCXCII.

(1) *Et confragoso etiam per clivos et saxa itinere prærruptum.* Moral.

(2) *Vides iterum forum ad arcem ipsam extitisse.* Id.

(3) Recte Suyskenus: *Passim creduntur illi mercenarii christiani fuisse, aut a christianis conducti, ut venerabile corpus flumini... subductum, humi mandarent.*

(4) *Forte* congesto. *Suysken.*

(5) *Annus insequens iam nunc denotatur. Is fuit* 854. Moral.

(6) *Frustra, quid de hoc viculo dicere possim, inquiram.* Id.

(7) *Hæc latinius emendanda; aut legendum*: fertur, pertractus. *Schott.*

CA-

CAPUT XIII.

Martyrium sanctorum Amatoris, Petri, et Hludovici.

Succedenti denique tempore, quidam presbyter adolescens, nomine Amator, qui olim ex oppido (1) Tuccitano cum genitore et fratribus suis Cordubam discendi gratiâ adventarat; et Petrus mo-
V. Schol. nachus, ac Hludovicus contribulis noster, et frater Pauli Diaconi, cuius martyrium liber secundus exponit, ex civibus Cordubensibus orti, uno se fœdere colligantes ad prædicandam evangelicam veritatem aptarunt; ideoque celeriter sub præcedentium professione perempti sunt. II. Kalend. Maias, Era DCCCXCIII. Quorum corpora fluvialibus immersa gurgitibus, Deo fautore, post aliquot dies littori exponuntur, et cùm penitus nullam suæ quietis sanctus sacerdos notitiam dederit, manent tamen ceteri Sancti venerabiliter in prægognitis locis repositi. Nam beatus Petrus in Pinnæ-Mellariensis cœnobio tu-
V. Schol. mulatur, Hludovicus in vico Italicensis provinciæ nomine Palma, quæ Singilio flumine præsidet, digniter requiescit.

CAPUT XIV.

De Witesindo martyre.

Ea tempestate Witesindus quidam vir ætate iam plenus, ex
V. Schol. provincia Egabrensi, qui nescio ob quam persequutionem dudum fidei sanctæ lapsum incurrerat, dum ad exercitium nuper indepti cultus adhortaretur, abnegat se eiusmodi sacrilegio manere infectum: quod vel carnis infirmitate, vel circumventione diaboli subitò sibi susceptum est. Illo momento cum talia fateretur, sub celeri indignatione peremptus est, Era qua supra.

CAPUT XV.

Heliæ presbyteri, Pauli, et Isidori monachorum martyrum.

Præterea Helias presbyter iam senex ex provincia Lusitania, cum Paulo et Isidoro monachis adhuc iuvenili ætate florentibus, sub priorum professione perempti sunt XV. Kal. Maii, Era DCCCXCIV. V. Schol. Quorum corpora patibulis elevata, post multos dies Bætico sinu conduntur.

CAPUT XVI.

De Argimiro monacho, et martyre.

Inde præterea Argimirus quidam V. Schol. confessor, vir nobilis, et ætate iam plenus, ex oppido Egabrensi cognationem ducebat; et quodam tempore Cordubæ Patriciæ Censor a rege præfectus extiterat. Cum semotus ab administra- V. Schol. tione iudicii, otium cœnobii incoleret quietus, quorumdam ethnicorum dolo vel odio circumventus, accusatur coram iudice de subsannio vatis sui, et exprobratur de professione divinitatis Filii Dei, quodque isto omnipotentiorem nullum alium fateatur, et

(1) *De hoc oppido retro dictum iam est.* Moral. Schol. in lib. 2. cap. 8.

et illum vanitatis auctorem, ducemque asserat perditorum. Continuò Dei servus sub grandi et ferocissimo iudicis motu coniectus ergastulis arctiùs coactatur. Quem coram se post aliquot dies iubens adsistere, dum suis adhortationibus et (1) lenociniis quoddam verborum profano ritui mancipare studet, nec prævalet; pertinacem in sancto proposito militem Christi equuleo viventem imposuit, enseque transfossum peremit IV. Kalendas Iulias, Era DCCCXCIV. Cuius corpus cùm post multos dies ex præcepto iudicis de patibulo deponeretur, cuiusdam Religiosi solertiâ sancti Acisculi Basilicæ deportatur, ac digno sacerdotum ministerio prope tumulum prædicti martyris, et sancti Perfecti humatum est.

CAPUT XVII.

De Aurea virgine et martyre.

S. Aurea vivens in cœnobio Cuteclarensi

Ea tempestate virgo quædam nobilis, nomine Aurea, sanctorum Adulphi et Ioannis martyrum, de quibus in præcedentibus memoravimus, (2) soror, quæ a tempore collisionis eorum, devotionis præmio fungebatur, cùm revelatis sacræ religionis studiis in cœnobio Cuteclariensi, quod antiquitus sanctæ et gloriosæ virginis Mariæ nomini dedicatum est, commaneret per annos ferme triginta et ampliùs, cunctis fidei suæ notitiam donans, nec ullis adumbrata pavoribus, conversationem christianismi sui patulo gerebat congressu. Et quia erat stemmatis ortu præcincta, grandique fastu Arabicæ traducis exornabatur, nullus exterorum virginis fidem (3) incursare audebat, donec quidam suorum ex provincia Hispalensi, unde genus trahebat, divinitus, ut arbitror, concitati, quò iam debita ante mundi constitutionem virgini corona martyrii pararetur, et præstantiùs in cælestibus de consummato lætaretur triumpho, causâ explorandi ad se perlati rumoris fidem, ac propositum virginis, venientes, callidè contribulam suam gratiâ (4) sospitandi sese invisere mentiuntur. Quam non solùm christianam, verùmetiam sacræ devotionis insignitam stigmate contuentes, confestim de ea iudici referunt quæstionem. Qui et ipse iure nativitatis eidem virgini concretis adhærebat prosapiis. V. Schol. V. Schol.

accusatur apud iudicem, a quo territa fidem negat:

2 Tali ergo stimulatus relatione, suis eam assistere iubens obtutibus, quare se tam nobiliter auctam famulatu fidei christianæ degenerem reddiderit, vilique proposito tam præcelsi generis infecerit (5) infulam, clementi admodum exhortatu compellat. " Sed poteris (inquit) „ quampropere totis absolvi pæ-

(1) Fortè *lenocinio quodam*, aut *lenociniis quibusdam*, aut *lenociniis quorumdam verborum*. Ita rectè *Schot*.

(2) *Artemiæ igitur, de qua lib. 2. cap. 8. filia.* Moral. Hoc caput vitam continet SS. Floræ et Mariæ, quam nos post Documentum Martyrii edimus.

(3) Fortè *incusare*. Guillelm. Cuperus ad 19. Iulii.

(4) Schott. et cum eo Cuperus *hospitandi*.

(5) Bene Cuperus: *Per* infulam *hic metaphoricè significatur stirpis dignitas, ut ex sensu colligitur.*

„ doribus, debitamque interpo-
„ latæ originis recipere claritatem, si tui gerens consultum,
„ fidei nostræ cultibus intimis
„ te votis admittendam elegeris,
„ summisque nobis affectibus pa-
„ rens, quod sequimur sequaris,
„ et quò ducimur, ire contenderis. Si verò et contemptos
„ nos, et etiam quæ colimus ab-
„ rogaveris, et illos quos hactenus æmulata es, intuitu fidei
„ sectare decreveris; post varia
„ diræ cruciationis tormenta,
„ post multiplicium dolorum im-
„ mensa supplicia, quæ merito
„ tanti criminis rea rependes,
„ postremò turpissimæ mortis
„ supplicium incurres." Ferunt eodem momento virginem sub iudicis obiurgatione cessisse, et omne sibi imperatum libenter exequendum polliceri. Et quia meliùs de rebus non [1] expertis silendum est, quàm procaciter incognita ventilare, cuius rei obtentu hæc ipsa negatio martyrem futuram subrepserit, utrum formidine carnis, an causâ disponendi rem familiarem, incompertus testificare non audeo, nisi fortè ex subsequutis eventibus, quibus postmodum obstinanter in professione perdurans, promeritam adepta est lauream, ut sese coniectura arbitratûs humani habet, carnis illam infirmitate non succubuisse credamus.

sed postea facti pœnitens

3 Igitur post auditam iudex oris eius professionem, qua iuxta omnes ritus legis suæ degere spoponderat; illico abeundi, quocumque vult, sibimet libertate collata, e vestigio domum regreditur, ac sicut priùs militans Christo, nullatenus a proposito sanctæ fidei desuevit, nec a fidelium contubernio se passa est disgregari, quin potiùs illorum persæpe se cætibus conserens, quos pietatis religio perlustrabat, condignis fletibus affectuque interno lapsum linguæ deplorans, spei suæ veram fiduciam ad Redemptoris alligat indulgentiam, si fortè reatu prævaricationis obnoxiam famulam non repellat, qui adulteram ab exitio lapidationis eripiens, Petrum a maris fluctibus incubantem Apostolico functurum primatu receptat, furemque [2] patricidio coinquinatum suo comitatui paradisum lustraturus admittit. Nec obesse fidebat prælargæ et incomparabili Domini pietati inutilis famulæ momentaneum crimen, apud quem multimoda miseratio et redemptio copiosa et exuberans prævenit gratiæ dono indignos, et quibus strenui laboris stipendia nulla suppeditant, consulta pietate iustificat. Auget præterea virgo sancta compunctionem, studium lamentationis multiplicat, votis vota congeminat, et duplicato mœrore affectuque mentem perurgens, ne supremo examine aut de scelere condemnata æterno mancipetur supplicio, aut a consortio fratrum suorum, Adulphi scilicet et Ioannis mar-

Ioann. 8. 11.
Matth. 14. 31.
Luc. 23. 43.

(1) *In veteri* expertis *tantummodo fuit, sed descriptoris haud dubiè vitio, cum sensui apertè refragaretur. Ideo nos negationem adiecimus.* Moral.

(2) Vid. Schol. in Apologetic. num. 1.

martyrum beatorum, congruis meritorum repagulis detrudatur, felicibus votis adnititur.

publicè religionis functione exercitus;

4 Exin claro intrepidoque processu frequenter Ecclesiam adiens, iam iamque in virtute Domini roborata, terrenis abstracta contagiis et cælesti curiæ anhelat ascribenda: si fortè cuiusquam recidivo contestationis eventu in ius denuo mitteretur. Sed hæc callidus veterator non leviter ferens, cum fideliori conciliatu nuper elapsam, creatori suo nunc quàm antea militare intelligit, nec in aliquo penitus profuisse circumventionis suæ præstigium contuetur, quin iniecto stupore nescio cuius hebetudinis, transversam virginis linguam a professione veritatis leviter et perfunctorie contestaverat, ore, non corde fuisse sublatam advertens: haud dubiè condæmonibus de extenuato cursu conqueritur, dicens: "Hæc cælebs pridem me labiis fortuito honorans, modò cor eius præcinctum virtute superna, grandi obiectu a meis disparatur illecebris." Et iccirco quemdam in persequutionem beatæ virginis, pruritans denuò, ad perquirendam tyronem fidei suæ compulit.

et denuo accusata, Christum intrepidè confitetur:

5 Nonnulli interea gentilium eius explorantes conversationem, nihilominus iuxta priorem habitum Christi famulam reperientes, illico de ea coram iudice questum deponunt, crimen asserunt, dolosque prætendunt; et ut tanti abusus præsumptioni vindex occurrat, talesque ausus legali auctoritate percellat, perversis linguis contendunt. Qui protinus vehementi ira commotus, ferocium truculento satellitum ministerio suis eam attrahere conspectibus iubens, illico exhibitam de contemptu nuper adepti cultus redarguit, de neglectu promissi comminatur propositi, et cur tanti (1) iuris decretum non reverita sit, horrisonis percontatur clamoribus. Tum virgo, quæ se noverat ad tale iam divinitus electam certamen, ut erat prudentioribus disserta facundiis, sancto iam perlustrata respectu, iudici refert: "Numquam a Christo Deo meo separata sum, numquam a religione pietatis eius discessi, numquam prophanationibus vestris vel ad momentum inhæsi, licèt dudum coram te, lapsu quodam sermonis, lingua succubuerit. Erat autem cor meum fiduciam habens in Domino, qui me suarum promissionum introrsus adminiculis erigebat, dicens: *Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet.* Inde quamvis verbo tenus laqueum prævaricationis incurrerim, vivido tamen sanctæ credulitatis tenore cor præmunitum gerebam. Nam statim quò a te digressa sum; et votis et affectibus lacrymosis, quem ab infantia mea didiceram, cultum exercui, fidem servavi, propositum gessi. Restat ergo iam nunc, ut secundùm pro- pha-

Ioan. 11. 25.

(1) Fors. *iudicis.*

„ phanationis vestræ ritum, aut „ gladio vindice puniar, aut si „ inultum præterire factum hu„ iuscemodi potest, de reliquo „ tota me libertate ad cohæren„ dum Christo Domino [1] præ„ termitte."

quamobrem incarceratur, decollatur, et crucifigitur.

6 Tunc immanissimus arbiter virginis assertione succensus, facturus de ea Regi relationem, ergastulis mancipavit, ingentique vinculorum onere coarctavit. Quam alio die per decretum Principis gladio trucidans, confestim exanime corpus eius cuiusdam homicidæ patibulo, qui ante paucos dies affixus fuerat, capite deorsum suspendi præcepit: cuius beatum cadaver cum ceteris furum membris, qui tunc ob flagitium interempti sunt, Bæticis immersum gurgitibus nullum hactenus comparendi vestigium præbuit. Christus autem Deus et Dominus noster, qui est adiutor bellantium, et martyrum coronator, qui dat lassis virtutem, se quoque requirendi affectum insinuans, providam pulsandi ianuam misericordiæ suæ confert intentionem, multimodo rerum effectu secundùm placitam sibi dispensationem præscitam et prædestinatam ante mundi principium ad coronam martyrii famulam suam in pace suscepit. Cui est honor et gloria, virtus et potestas in sæcula sæculorum. A- V. Schol. men. Coronata est hæc virgo XIV. Kalendas Augusti, Era qua supra.

FINIS LIBRI TERTII, ET MEMORIALIS.

(1) *Connivendo sinito.* Moral.

DO-

DOCUMENTUM MARTYRIALE.

ARGUMENTUM EPISTOLÆ SEQUENTIS.

Mittit ad Alvarum Documentum martyriale quod Virginibus Floræ et Mariæ scripserat, priusquam eisdem legendum traderet, christiana modestia et insigni circumspectione, ut in fine apparet, commotus.

Carissimo fratri meo Alvaro Eulogius.

Semper, mi frater, recordatione peccatorum meorum compunctus, luctum non amitto quotidianum; quoniam ex frequenti usu non deest a me peccandi affectus. Super his quoque vehementi carceris mœrore confectus, non minus ex improviso tædium mihi occurrit ex eo die
V. Schol. quo me Serenitas vestra præmonuit, ne a glorificatione militum Christi desisterem, ne primam de eis sententiam meam
V. Schol. irritam facerem. Quia propterea quòd illi viriliter inimico iustitiæ restiterunt, crudelitas nos tyranni carceralibus mancipavit ærumnis, nostris deputando hortamentis, quod in eos divinitus inspiratum est. Quasi futura foret hæc nobis occasio facilis vituperandi (quod absit) quos olim laudaveram, laudandosque verbo et stilo extuleram. Qua de re coactus sum huius opusculi laborem aggredi, quod fortè et nostræ credulitatis de victoria eorum futuris generationibus redderet testimonium, et istis virginibus propter veritatis professionem nobiscum devinctis, spei certandi præberet adminiculum. Quod ego pro arbitrio meo *DOCUMENTUM MARTYRII* credidi appellandum. Tuum est autem, frater carissime, huic volumini auctoritatem donare; quia priùsquàm earumdem virginum adiret obtutus, tuo elimari eum iudicio volui: nè fortè errore nescientiæ in aliquibus repugnaret catholico dogmati. Ave in Domino Iesu Christo, frater carissime.

ARGUMENTUM EPISTOLÆ SEQUENTIS.

Laudat opus ad se missum, et iudicium de eo ferre tum modestiæ causâ, tum operis præstantiâ detrectat.

Alvarus ad Eulogium.

Luminosum vestri operis Documentum ex illis (1) *Orientalibus, de quibus legitur, pomis valde bonis eleganter collectum, at-*

(1) *Alludit ad Paradisi terrestris descriptionem, quæ Gen. cap. 2. habetur.* Moral.

atque ex vitalibus succis, et ex quadrifido fonte virtutum operosa arte confectum, iuxta congenitum litterarum studium mihi perlegi, et non discutiendo, sed admirando, textum totius opusculi laudabilis percurri. Et quod ex thesauro sapientiæ Dei a docto scriba nova et veteri reconditione prolatum est, altè profundeque totum rimavi, nihilque dignum, quod tanto rependerem operi, in tenuissimo pectore pauperis tui inveni. Verè ad instar illius Ioseph reconditum triticum tempore necessitatis dispensas, et fame veri laborantibus alimoniæ victum impertiris, atque adipe spiritali arida corda pinguescis. Quicquid enim de sanctis Scripturæ fontibus a quoquam potuit unquam hauriri, a te assumptum, discussum est, atque digestum. Et planè nobis omnibus aliquid mutire volentibus silentium deinceps manet impositum. Eloquenter namque atque splendidè oratorum more, immò scholastica eruditione totum opus digestum, et humana pariter ac divina instructione perfectum, non discussione indiget, sed potiùs laudari inquirit. Nec egestate laborantibus scientiæ seipsum discutiendum committit, sed in corda infularum præconiis digna, et virtutum laude (1) *cothurnata alto se extollendum boatu infundit. Quòd verò meo, (quod sæpe probasti) scientia egeno iudicio tantum fulgorem committis, licèt humilitati vobis congenitæ hoc notum sit assignari; tamen cavendum est, ne fulgor materiæ et auctoris splendor furvo inficiatur horrore. Præsertim quia tenebræ discutiuntur a luce, et horrida semper caligo splendore fugatur nubium, quas densas grassedine aureum iubar serenat. Nec compertum est, ut vice contraria discutiant tenebræ lucem, aut densus aër suo subdat iudicio solem. Ego verò, mi Domine, opusculum Dei Ecclesiâ dignum, et Christo opifici et coronatori Martyrum in primordio sui votiva cordis oblatione sacratum, non humano audeo subdere iudicio, quod certum novi inspiratione divina ex arcano pectoris vestri prolatum. Et ideo sicut per vos Spiritus sanctus loquutus est, ita et nomen, quod ipse auctor bonorum consensione, immò electione vestra imposuit ei, ut perenniter hæreat, et perpetua memoria vigeat, nostra quam consulis pusillitas videt. Raptim cursimque ipsum opusculum legi, sed ad rescribendum illud retinere dubitavi, ne fortè culpabilis vestro fuissem amori. Peto autem, ut in alio quaternione apertiori manu illis sororibus scribatur, et istud ad me pro rescribendo denuo revertatur.*

(1) *Elata et sublimia. Poetæ more loquitur, sumpta audaciùs ex tragicorum habitu metaphora, qui cothurnis sublimes efferebantur.* Id.

IN

IN NOMINE DOMINI

INCIPIT LIBER * DOCUMENTUM MARTYRII EULOGII PRESBYTERI, QUOD IN CARCERE POSITUS VIRGINIBUS CHRISTI FLORÆ ET MARIÆ ERGASTULO MANCIPATIS DICAVIT. (1)

* Scriptus circa finem Octobris anni 851.

PROŒMIUM.

Qui copiis rerum, et multiplici quæstu pecuniarum exuberant, quicquid in rebus terrenis affectant, facilè consequuntur. Sed multo aliter est penuriâ et fame vexatis, qui vix quotidianum victum operoso sudore capessunt. Dives enim cogitavit et fecit: pauper cogitando defecit. Ast ego illis longè inferior egestate scientiæ laborantibus, et eorum, qui exigua litterarum parcitate subnixi sunt, nimium ultimus, hoc opus abiecto satis (ut ita dixerim) stilo sensuque digestum, ex eo *DOCUMENTUM MARTYRII* appellavi, ex quo quorumdam Virginum animos reorum mancipatarum specui ad consummandum cursum certaminis imbui: seu quia profuturum fore ceteris talia exquirentibus credidi. Non igitur facundiæ nitore, quæ mihi oppidò deest, materiam libri succinxi, non leporem venusti sermonis in extructione eius intendi: sed quomodo per huius instrumenti virtutem Deum possem propitiari, meoque me reatu absolvere (quoniam scriptum est: *Qui converti fecerit peccatorem, salvat animam eius, et suorum cooperit multitudinem peccatorum.* Et iterùm: *Qui ad iustitiam erudiunt multos, fulgebunt sicut stellæ in perpetuas æternitates*): inde hoc Proœmium et præsentibus et futuris precem humilem defert lectoribus, ut simplici studeant percurrere animo, quod simplex depromit oratio, simplexque dictavit intentio. Et si fortassis in aliquibus sanæ doctrinæ sententiam meam obstare repererint, nescientiæ id non voluntario errori ascribant: meliusque emendando indulgeant, quàm reprehendendo derogationibus vacent: quia non erit ad culpæ meæ titulum coram Domino referendum crimen, quod non est ultroneo lapsu commissum.

Iac. 5. 20.

Dan. 12. 3.

(1) Titulos, qui in exemplari fuerant, omnes reliquimus. *Moral.*

EU-

V. Schol.

EULOGIUS SERVUS CHRISTI VIRGINIBUS SACRIS FLORÆ ET MARIÆ CARCERE COMPEDITIS SALUTEM.

Parvum hoc opus instructioni vestræ, ut reor, necessarium, sanctæ in Domino Iesu Christo sorores, operæpretium condere visus sum, quod Deo fautore vobis fiet proficuum, mihique et nunc et in futuro examine surget in testimonium: vel quia ipsius dono, et sancti illustratione Spiritus organum linguæ meæ præconio veritatis repleri confido; vel quia cœptum voluminis huius laborem ab eo et perfici et sanctificari spero; vel quia fecisse vos magna et laudabilia verbis prædico, sensibus admiror, litteris effero, superasse vos viros, superasse clericos fateor. Excessit virtus vestra præclara monumenta virorum, et in excelsis elatum laboris vestri vexillum dat omnibus piæ operationis documentum, incitando desides ad triumphum, imbecilles armando ad prælium, debiles roborando ad bellum, tergiversantes hortando spe vincendi redivivum ad castra pugnatorum facere reditum, et universæ Ecclesiæ specimen pro veritate moriendi exhibendo signiferum. Propterea non discedet laus vestra de ore hominum usque in sæculum. Siquidem præconabilis est virorum victoria, excellentior tamen feminarum extollitur palma: et cùm magnum sit in viris victoriæ signum, plerumque gloriose efferuntur mares triumpho adorearum; maioris verò est admirationis laude colendum feminas (1) rem fecisse virorum: quippe quæ sexus sui fragilitatem oblitæ, celsa virtutum appetere non verentur, in qua subinde fortium vigor lassatur. Denique hac magnanimitatis virtute olim legales feminæ Esther et Iudith subnixæ fuerunt, quæ propter salvationem populi Dei hostium sese periculis iniecerunt. Nam una earum Aman in perniciem Israël nefaria machinantem persuasit Regi crucifigendum. Altera sopitum quiete vitiorum Holofernem salvo pudore peremit. Et sic cum excellenti victoria medias pugnatorum acies scindens, suum revisura populum voti compos regreditur.

V. Schol.

Esth. 7. 1. &c.

Iudith 13. 4. &c.

2 Unde vos quæso, sorores meæ, ut harum exemplo succinctæ, in excidium adversarii Dei animosum spiritum erigatis; et ut tam vos quàm catervam fidelium a perditionis æternæ laqueis eruatis. Cœptum anhelate iter perficere, quia hæc via faciliùs et velociùs vos ad thalamum sponsi vestri perducet. Est enim angusta et arcta semita, sed compendiosa celeritate vos sub unius ho-

(1) *Hispanismus.* Moral.

horæ spatio ad sponsi vestri pervenire faciet gaudium. Non desit sacrario pectoris vestri primævus ardor bellandi, quin potiùs quotidianis incrementis intra mentium vestrarum recessus sit adauctus, solemniter crepitans, quasi ex uno ore ambæ
Gal. 6. 14. (1) clamare: *Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini mei Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.*

3 Non vos, sorores meæ, sæculi blandimenta decipiant, qui Christum Dominum ore Apostolico
1. Ioan. 2. 15. &c. audistis dicentem: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Si quis diligit hunc mundum, non est caritas Patris in eo. Quia omne quod in mundo est, concupiscentia carnis, et concupiscentia oculorum est, et superbia vitæ: quæ non ex Patre, sed ex mundo est. Et mundus transiet et concupiscentia eius.* Non vos copia rerum illiciat, quia scriptum
Psalm. 61. 11. est: *Nolite sperare in iniquitatibus, et in rapinis: nolite concupiscere divitias: si affluant, nolite cor apponere.* Et iterum:
1. Tim. 6. 17. *Nolite sperare in incerto divitiarum.* Non vos carceris squalidus horror avertat, quæ verè scitis Prophetas, Apostolos, et beatos Martyres per carceralia vincula ad cælestem patriam pervenisse: multisque secreta mysteriorum in antro positis revelata sunt. Non vos contubernium scortorum exturbet, quoniam
Cant. 2. 2. scriptum est: *Sicut lilia inter spinas, sic amica mea inter filias:* et Dominus quidem cum iniquis deputatus est, et inter utrumque latronem affixus est. Non vos furentis iudicii terror immutet, quoniam nec capillus de capite vestro sine iussu patris vestri avelletur. Non vos convitia iniuriarum deterreant, quoniam scriptum est: *Nolite timere opprobrium hominum, et blasphemias eorum ne metuatis. Sicut enim vestimentum, sic comedet eos vermis: et sicut lana, sic deflorabit eos tinea.* Non vos supplicia illata pœnarum marcescant, non immanitas dolorum exuperet, non vulneribus tormentorum vigor fidei vestræ succumbat, quia scriptum est: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animæ verò in nullo possunt nocere: sed potiùs eum timete, qui potest corpus et animam perdere, et mittere in gehennam.* Dominus et magister vester hoc iubet, sorores meæ; et ex eius deifico ore ista prolata sunt. Iam non est ultra quod metuas *pusillus grex, quoniam complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* Roboretur prorsus vehementiùs humana fragilitas, et exerta manu in certamine pro Deo suo exerceat pugnas. Ipse dabit auxilium, ipse victoriandi conferet meritum, qui tale auditoribus indixit præceptum: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.*

Marc. 15. 28.
Isai. 51. 7. 8.
Matth. 10. 28.
Luc. 12. 32.
Matth. 28. 20.

4 Comminatur certè hostis publica vos venalitate dimittendas,

(1) Fortè *clamantes.*

das, foroque imponendas, et nefariis vulgarium prostituendas obscœnitatibus, crudeli exequutione nundinaliter distrahendas; sed neque huiuscemodi obsecro cedatis furoribus: *quia non derelinquet Dominus virgam peccatorum super sortem iustorum, ut non extendant iusti ad iniquitatem manus suas.* Ipse enim vos providus scrutator secretorum vestrorum vestrique vigoris collator propulsari tentationum molestiis non sinet, quibus probari, et non succùmbere posse vestrum spiritum sperat. Quòd si (quod absit) persequutoris voluptas improba intercesserit, et vim corporibus inferens, dicata Deo membra libidinosè invitas oppresserit; procul sit tantum ab appetitu animi perniciosa consensio: quia non polluet mentem aliena corruptio, quam non fœdat propria delectatio.

Psalm. 124. 3.

5 Quapropter in harum tentationum discrimine, quarum gravi conflictatione hinc inde prominentibus bellis imbecillitas humana vexatur; dum corporis integritatem amittere veretur, vel perditam periisse dolet, etiam coram Domino præmia integritatis suæ meretur. Nec (dum inter homines vim perpessa iam carò turpis notam infamiæ subiisse verecundatur) crimen est: sed id potiùs intuendum, idque omnibus modis affectandum est, quod nos Deo inculpabiles reddat, non autem metuendum quod vulgus de nobis iudicium feret. Quoniam non vacuabitur mercede incorruptionis mens, etiam carnis integritate adempta, dummodo permaneat sub testimonio sui opificis castitas interioris hominis illibata.

6 Nam quantumlibet adversariis cedat infirmitas carnis, quibus datum est corpora trucidare, tormentis affligere, stupris coinquinare, pœnisque diversis addicere; in nullo tamen animabus sanctitatis propositum conservantibus possunt nocere. Quia, ut beatus ait Hieronymus: " Cor-„ pus sanctarum mulierum non „ vis maculat, sed voluptas." Et iterum sanctissimus Augustinus: " Non amittit corpus sanctitatem, „ manente animi sanctitate, etiam „ corpore oppresso; sicut amit-„ titur corporis sanctitas, viola-„ ta animi sanctitate, etiam cor-„ pore intacto." Sic Ioseph, sic Hieremias, sic Daniel, et tres pueri, multique Hebræorum fideliter Deum colentium illa tempestate venumdati sunt, et tamen a verbo Dei non recesserunt; quia nullum in statum devenerunt, quo Deum suum non invenirent: illum utique (1) ipsum, cuius in mente et intentione passionem ferentes, et dum cæderentur, et dum secarentur, et dum lapidarentur, et dum venderentur, Christi passionem cogitabant, qui impio post multa sæcula proditoris discipuli distrahendus erat commercio.

De Civ. Dei, lib. 1. cap. 18.

7 Denique Ionas Propheta Dei nutu ponto de navi proiectus,

Ion. 1. 11. &c. et 2. 1. &c.

(1) *Hic locus miserè fuit in exemplari laceer et depravatus. Nullus prorsus erat sensus. Nos quoquo modo potuimus, emendavimus et supplevimus.* Moral.

ctus, belluinis faucibus raptus, ex improviso carceri horrifico mancipatur. Sed tamen expers omnis rationis monstrum illud rationabiliter creatori suo obsequens, mysticè tantummodo conservandum sibi vatem creditum fore intellexit, et inde non demoliendam perniciter alvi sui specubus reverendam prædam reposuit. Ut quæ erat prophetæ causa periculi, fieret postea nationibus crediturus in sacramentum mysterii: et ex eo infractus visceribus, et incolumis permaneret, ex quo triduani temporis sepulturam mortis portendebat Dominicæ, quòd abrogans Dei sui mandatis parere, Tarsum maluit navigare. Sic (1) Malchus monachus in captivitate, victrici dextera castitatem tuetur, crudeliumque Dominorum iugo exuitur, dum pro eo, intercedente pudicitia, armata ungula servit, immani feritate impium conterens Dominum, qui pudicum in antro suo immunem reliquerat Malchum. Sic Paulinus Nolanæ urbis Episcopus, vir eximiæ sanctitatis et incomparabilis meriti, propter unicum viduæ filium sponte subiit (2) servitutem, exemplo veri magistri commotus, qui dum liberum et coæternum frueretur cum Patre et Spiritu sancto cuncta disponendi imperium, nec præiret genitoris potestas maiestatem prolis coævæ (quia natura divinitatis indivisibiliter persistente, diversitas personarum inconfusa manebat, una eademque Patris et Filii et Spiritus sancti substantia existente) non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniens, formam servi accepit, humiliavit se usque ad mortem, mortem autem crucis. *Philip.* 2. 6. 8.

8 Quapropter, sorores meæ, hoc Dominicæ passionis exemplar ante oculos cordis statuentes, et eius vestigia iugi meditatione sequentes, omne temporale supplicium pro nihilo reputate. Quia licèt sit asperum et amarum, breve tamen est atque fini contiguum, et sub unius momenti spatio aut qui infert perit, aut sustinens deficit. Quia pœnæ si acriores (3) sunt, citò ingerunt patiendi defectum; si verò leviores sunt, faciliùs tolerantur. In utroque semper gloriandi vobis manet trophæum, in utroque semper felicitatis cumulatur profectus, dum per multimodam excruciationem veluti aurum igne probatum, puriores animæ vestræ decidentibus scoriis vitiorum redduntur, et acriùs pœna grassante maturum laureandis

(1) *Eius vitam S. Hieronymus, egregie conscripsit*, ait Baron. in not. ad Martyrolog. die 21 Octobris. *Ab hoc diversus est, etsi in multis conveniat, monachus ille quem Sozomenus Malachionem vocat, qui iisdem temporibus vixit, de quo lib.* 6. *cap.* 32.

(2) De hoc insigni caritatis exemplo quod S. Gregorius Magnus priùs commemoravit, acriter in utramque partem disputant eruditi; sed tu videas Dissertation. VII. Ioan. Baptistæ Le-Brun ad calcem Operum B. Paulini edit. Paris. 1685. Danielem Papebrochium ad diem 22. Iunii in Append. *de Tribus Paulinis*, §. II. et ceteros quorum meminimus in tom. 1. nostræ Collection. ad cap. XVII. Opusc. S. Isidori *de Viris Illustribus.*

(3) *Ex antiquorum philosophorum subtilitate hoc est desumtum, ut ex Ciceronis* 3. *Tusculana apparet. Et non absimile est illud Senecæ*: Dolor decidit, ubi quo crescat, non habet. *Moral.*

dis vobis infert interitum, incunctanter vos nihilominus ad verum præmittens solatium, de quo per Prophetam dicitur : *Dabo eis solatium verum, pacem super pacem.*

9 In huius igitur vitæ corruptione, quantalibet quisque nostrorum tranquillitate fruatur, commodis vegetetur, prosperitate feratur ; ex eo tamen quia peregrinamur a Domino, magis desolationem esse quàm pacem in veritate fatendum est. Quia cuncta, quæ temporalibus rebus hærent, et vario mundi lumine perlustrantur, nihilominus vanitati corruptionique succumbunt, et facilè a statu suo labuntur, dicente Salomone : *Omnia vana sub sole.* *Eccl. 1. 14.*

10 Hinc vehementiùs piis Deo affectibus supplicandum est, sanctisque frequenter studiis insistendum, et quasi lucerna in caliginoso loco lucente divinarum Scripturarum præcepta sanctorumque iura verborum e tenebris nostræ peregrinationis, quibus a Domino et beatorum consortio separamur, contemplanda sunt, et servanda, donec dies lucescat, et lucifer oriatur in cordibus nostris. Unde, si libero aspectu Deum cernere anhelamus, priùs fide corda purificanda sunt, operibus consecranda, et muro caritatis hinc inde vallanda, quibus profectò illius sacri Evangelii sponsione incunctanter condigni habeamur, qua dicitur : *Beati mundo corde,* *2. Petr. 1. 19.* *Matth. 5. 8.* *quoniam ipsi Deum videbunt.* Inde quæso vos, beatæ Virgines, ne perdatis coronam vobis paratam, nec vos a caritate Christi cuiusquam rei mundialis oblectatio segreget ; sed æquo animo cum Apostolo prædicate dicentes : *Quis enim nos separabit a caritate Dei ? Tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius ?* (*Sicut scriptum est, quoniam propter te mortificamur tota die, æstimati sumus ut ovis occisionis*). *Sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque instantia, neque futura, neque creatura alia poterit nos separare a caritate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.* Quin potiùs ista omnia propter æternam retributionem alacrioribus animis votisque ardentioribus et quærenda sunt, et ferenda. Manet enim unicuique apud Dominum reposita laboris sui corona, et pro qualitate certaminis repensabit ille fructum mercedis. *Rom. 8. 35. &c.*

11 Equidem nec nos divino beneficio extorres fieri credimus, nec expertes, aut ingratos cælesti munere speramus : quia licèt inviti, tamen pro nomine suo sumus devincti, et alto ergastulorum laqueo deligati. Repleta sunt penetralia (1) carceris clerico-

(1) *Misera illa Reccafredi Episcopi tempora deplorat, de quibus Alvarus in Vita D. Eulogii.* Moral.

corum catervis: viduata est Ecclesia sacro præsulum et sacerdotum officio. Horrent divina tabernacula squalidam solitudinem, aranea texit templum, tenent
Thren. 4. 1. cuncta silentium. Confusi sunt sacerdotes, et ministri altaris, quia dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium plateārum: et desinentibus in conventu hymnis cantionum cælestium, resonant abdita carceris murmure sancto Psalmorum. Non promit cantor divinum carmen in
V. Schol. publico, non vox Psalmistæ tinnit in choro, non Lector concionatur in pulpito, non Levita evangelizat in populo, non Sacerdos thus infert altaribus. Quia percusso pastore, dispersionem intulit adversarius gregi catholico, privata prorsus Ecclesia omni sacro ministerio. Et licèt hæc inviti sustineamus, non esse tamen immunem coram Domino detentionem nostram confidimus.

12 Quantò vos nobilior gloria præstantiorque corona, o sanctæ sorores meæ, expectat, quæ sponte sæculo et fluxibus eius renuntiantes, zelo Dei armatæ, intrepido gressu contra hostem fidei libero exilistis processu! Dignæ quidem munere divino, condignæ autem prophe-
Iudic. 5. 2. tali oraculo, quo dicitur: *Qui sponte obtulistis de Israël animas vestras ad periculum, benedicite Domino.* Proferentes testimonium veritatis in auctorem sceleris, et institutorem perversi dogmatis, victricia contra eum arma assumite, ieiuniis, vigiliis, orationibus, et clamoribus diebus ac noctibus insistentes. Rogo vos, sanctæ sorores, ne desistatis a cœptis, ne cessetis ab inchoatis, ne resiliatis a præliorum auspiciis; quia non inchoantibus præmium, sed perseverantibus datur. Ne respiciatis retro, nec primam fidem irritam faciatis, nec manum super aratrum tenentes, ab itinere regio in devium declinetis. Festinate ad mercedem laboris vestri vos accingere, contendite ad culmen perfectionis ascendere. Quia post victoriam miles coronatur strenuus, et iam consummato labore, conductis mercenariis merces dispensatur. *Nam et qui cer-* 2. *Tim.* 2. 5.
tat in agone, non coronatur, nisi legitimè certaverit. Certare verò legitimè est, omnibus a corde exclusis labentium rerum affectibus intuitu capessendi regnum cælorum, aut cum iustitia vivere usque ad mortem, aut non timere propter iustitiam mortem. Nam cum iustus redivivam semper dæmoniorum usque ad obitum perferat litem, nec desint ab eo tentationes usque ad finem; recepturus pro qualitate certaminis in futuro mercedem, quantavis sanctitate præcellat, non pergit securus, non vadit ad Deum intrepidus. Ille verò, qui sectando iustitiam, pro iustitia mori eligit, celerem instantibus bellis defectum imponit, æternumque indubius ad regnum ascendit. (1) Sit qualis vult, et ex quibuslibet vitiorum laqueis seu pec-

(1) Hispanismus *séase qual quisiere.* Moral.

peccatorum sordibus venerit, etiamsi illotus (1) baptismate ad martyrium convolaverit, nihilominus coronatur.

13 Ne terreamini, sorores, furoribus persequentium, neque formidetis a faciebus eorum, neque enim timere vos faciet Dominus vultum illorum. Vobiscum ille est, qui vos armavit, idem propter vos pugnat, qui incitavit. Nec adiuvare desistet ille ipse, qui vos ad hunc peragendum agonem elegit, quo devictis adversitatum stimulis secum iure perenni conregnare faciat temporibus infinitis.

V. Schol. 14 Verùm ad eos veniamus, qui vos ab hac intentione inhibendas esse putarunt, et illam primordialem confessionem vestram infringere et negare iusserunt, quam vos incitante Christo sponte coram iudice protulistis. Nos autem talia vos agere interdicimus, quia Deo est obediendum, potiusquàm hominibus. Magister enim noster fundatores Ecclesiæ Apostolos nostros ad prædicationem Evangelii informans, hoc eis dedit

Marc. 8. 38. præceptum: *Si quis me confessus fuerit, et verba mea in generatione ista adultera et peccatrice, hunc et filius hominis confitebitur, cùm venerit in gloria Patris sui, et sanctorum Angelorum.* Non oportet, sorores meæ, votum vestrum irritum facere, quia

Eccli. 5. 3. 4. scriptum est: *Si quid vovisti Deo, ne tarderis reddere: displicet enim ei infidelis, et stulta promissio: sed quodcumque voveris, redde. Multoque melius est non vovere, quam post votum promissa negare.* Non erit Deo inultum, ut post confessionem veritatis denuo veritate repudium detis; illudque os, quod testimonium veritatis proferendo divinitus sacratum est, mendacio polluatis. Qui enim ista vos facere iubent, nihil aliud quàm mentiri suadent. Et qui ad hoc mentes vestras inclinare contendunt, nihil aliud quàm veritatem negare compellunt. Nulla itaque differentia est inter mendacem, et veritatem negantem: quia eodem reatu mihi videtur astringi vera abrogans, quo et falsa depromens. Mendax enim nititur falsum commentum loco veritatis inserere; vera autem obtegens, silentio suo falsitati administrat vigorem. Hinc evenit, ut veritas celata non pateat, et falsitas subnixa prævaleat. Utrumque verò unum sunt, et ob hoc impunita non erunt. Scriptum est enim: *Testis falsus* *Prov.* 19. 5. *non erit impunitus.* Et iterùm: *Os quod mentitur occidit ani-* *Sap.* 1. 11. *mam.* Quare ergo, sanctissimæ sorores, vosmetipsas interficere, vestrarumque animarum parricidas fieri non timeatis? Neque enim aliud agit, quàm hominem occidit, qui seipsum occidit; et gravioris culpæ criminibus obnoxius iudicatur lictor animarum, quàm corporum. Quoniam elisa caro quandoque surgit pro meritis cum anima regnatura in gloria,

(1) *Theologi sacri baptismum flaminis vocant martyrium.* Id.

ria; vitiis autem anima interempta secum pariter carnem pertrahit ad gehennam.

15 Numquid mentitæ estis in eo quod patulis assertionibus in adversarium fidei catholicæ protulistis? Numquid omne convitium, quod in ipsum prævium antichristi dixistis, non verum et certum est? Virum dæmoniosum, Satanæ ministrum, mendacio plenum, mortis ac perditionis perpetuæ filium. Numquid non omnis catholica Ecclesia identidem quod et vos Deo testimonium refert?

16 Proponunt certè vobis expugnatores sancti propositi, eremititatem Ecclesiarum, compeditionem sacerdotum, (1) dispersionem ministrorum; et quòd non est nobis in hoc tempore sacrificium, nec holocaustum, nec *Dan. 3. 38. &c.* oblatio, nec incensum, cuncta vastante sacrilega manu, omniaque turbante favore tyrannico. Sed respondendum est eis; sa- *Psal. 50. 19.* crificium Deo acceptabile esse spiritum contribulatum: et quòd *Dan. ubi supr.* in anima contrita, et in spiritu humilitatis ita a Domino suscipiamur, sicut in holocaustis arietum et taurorum, et sicut in millibus agnorum: quia non est confusio confitentibus eum. Vos ergo, sorores beatæ, iam in illo reti Dominico captæ estis, quod in dextera navigii ad præceptum *Ioan. 21. 6.* magistri missum, plenum magnis piscibus littori expositum est: ad hoc reservatum, ut scrutinio Apostolorum foris malis proiectis, perenni vos societate iungamini electorum catalogis. Si verò sciscitante iudice, negaveritis vos maledixisse vatem, maledicemini: nec detestatas fuisse, quod Dominus detestatus est, duplici peccato eritis obnoxiæ. Unum erit mendacii, negando veritatem, quam iam confessæ estis; aliud subtrahendo coram inimico iustitiæ verbum confessionis. Et certè quæ non maledicimus, e contrario benedicimus, et quem non detestamur, quasi favendo nostræ societati admittimus.

17 Unde insistendum est, sorores meæ, ut cœpta bella cum divino auxilio in pace animarum vestrarum consummetis, nosque potiori interventu de cælestibus tueamini. Quoniam si sic vobis pius Dominus non deest auditor, faciliùs tamen eius contuberniis cohærentes, quicquid ab eo petieritis impertietur. Quia sic immaculata virginitas liberis passibus Dominum sequitur, sic munda castitas a Redemptoris sui consortio non avellitur, sic etiam purpureo martyrii aspersa cruore sertis diadematum victrix amicta comitatur. Deus enim Ecclesiam suam a molestia vastatoris defendet, nos quoque, sicut voluerit, invicta potestate de vinculis istis eruet, et custodiet, sedibusque propriis misertus restituet. Vos tantùm, sorores, perseverate usque ad mortem carnis, ut non solùm animarum periculum evadatis, verùmetiam in vitam æternam eas custodiatis, dicente Domino: *Qui perdiderit animam* *Matth. 10. 39.* *su-*

(1) Schot. *dispositionem ministeriorum.*

suam propter me, in vitam æternam custodiet eam.

18 Tunc autem quo pacto inculpabiles essetis, si communi cum nostra Ecclesia silentio in hac re uteremini, non detestando publicè, quem frequenti impugnatione blasphematis occultè? Nec statueret vobis Dominus ad reatum, quòd sola cordis meditatione, non oris professione ipsum referretis in forum, emulando magis prætextum huius nostræ Ecclesiæ, quæ hoc tempore contra ipsum vatem iniquum clandestinis agit invectionibus? Pro eo quòd (1) præpediente facinore, elapsa aditione Gothorum respublica, quæ olim in Hispanis aucta felicitate Ecclesiarum, et summa dignitate pollente sacerdotum, ab eis moderantibus gubernabatur; in istius nefandi cultorum privilegium vatis occulto iustoque Dei iudicio transvecta est. Quoniam quæcumque Dominus nobis intulit, in vero iudicio fecit, et hæc omnia propter peccata nostra, atque, ut scriptum est: *hæreditas nostra versa est ad alienos, domus nostra ad extraneos. Aquas nostras pecuniâ bibimus, et ligna nostra pretio comparavimus. Servi dominantur nobis, neque est, qui redimat nos de manibus eorum.* Qui gravissimo iugo colla prementes fidelium, omne a regni sui finibus, sicuti cernitis, genus excludere moliuntur Christicolum: nunc pro suo libito tantummodo exercere nos sinentes christianismum: nunc dira servitute fœtere facientes ritu Pharaonitico sudorem nostrum: nunc intolerabiliter a nobis vectigalem extorquentes chirographum: nunc publicum imponentes miserorum cervicibus censum: nunc rebus nos abdicantes, crudeliter detrimentis atterunt rerum. Et ita vario oppressionis genere orthodoxorum fatigantes conventum, diversoque persequutionis incursu gregem affligentes Dominicum, gratum se Deo suo nostris iacturis credunt præstare obsequium. Quantò tunc præstantior nobis gloria a Domino præstaretur, si desidiam respuentes, documento vestro excitati, talia peragere festinaremus, nec nos sub divino impiæ gentis laborare stimulo pateremur? Sed nos miseri eorum oblectati sceleribus non incongruè Psalmistæ denotamur oraculis, qui ait: *Commixti sunt inter Gentes, et didicerunt opera eorum, et servierunt sculptilibus eorum, et factum est illis in scandalum.* Heu proh dolor! quia esse sub Gentibus delicias computamus, iugumque cum infidelibus ducere non renitimur. Et inde ex quotidiano usu illorum sacrilegiis plerumque utimur, magisque ipsorum contubernia affectamus, quàm ut exemplo Loth patriarchæ relicto Sodomitico rure in monte salvemur.

Orat. Ieuem.

Psalm. 105. 35. 36.

19 At vos, beatæ virgines, postquam strenuè bellatrices ad publicum prosilistis certamen, et coram regibus et principibus mundi intrepida confessione repudeliquio *ad Episcopum Pampilonens.* Schot.

(1) *Causante. Ita infr.* præpediente

pulistis iustitiæ hostem; pugnandum est vobis usque ad mortem: quia hoc genus certaminis in morte glorificatur, et tunc bravium miles accipit, quando moritur: eoque fit de corona victoriæ certus, quo se ardentibus bellis iniecerit moriturus. Sic vos obitum distrahentes corporeum, æternum vitæ perennis emetis statum, luci perpetuæ mancipatum; dumque cælestia pro terrenis mutando acquiritis, et dispensando labentia, in ævum mansura percipitis, præcipuis meritorum vestrorum exemplaribus Ecclesiam Catholicam informatis, quo mundana abdicando, supernis rebus intendat. Manet igitur vobis, sorores meæ, ex utraque parte victoriæ commodum: manet ex utroque latere præmiorum indesinentium lucrum; et hinc non indecenter illud Psalmistæ vaticinium vestris iustis laboribus extat paratum, quo dicitur: *Gloria et divitiæ in domo eius, et iustitia eius manet in sæculum sæculi.* Psalm. 111. 3.

20 Sed iam me in portu silentii constituto, priùs quàm volumen finem appetat, et sancto inspiramine educatis arma præliandi ministrare desistat, tecum mihi paululum loqui libet, o virtutum meritis florens, Flora sanctissima soror, ut nostræ familiaritatis verbum auditu placido captans, secretario cordis recondendum admittas, nostrumque consultum, sanctificatis mentibus tuis, ut pii patris præceptum reponas. Audi ergo filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum, et domum patris tui: quoniam concupiscit rex speciem tuam. Non itaque vocatio tua ceterorum similis est. Siquidem tu lupino creata coitu, et ove matre progenita, quasi ex sentibus rosa frondescis. In nullo tibi æthnicum semen obsistens, cùm tamen christiano edita partu, conceptum divinitus, piæque matris magisterio Dominum Iesum Christum adeò credula mente colueris, ut propter nomen eius acrioribus cæsa flagellis, pristinam nullatenus professionem repueris. Noveras enim sponsum tuum dixisse: *Tradent vos in conciliis, et in synagogis flagellabunt vos: et ad præsides regesque ducemini propter me in testimonium illis et gentibus. Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Psal. 44. 11. 12. Matth. 10. 17. &c.

21 Hinc iam tibi proposita auspice Deo gloria cœpit te comitari martyrii. Hinc nominis tui magnifica toto orbe fama diffundi, hinc pro te rumor agonis, populos nationesque peragrans, cœpit pluribus innotescere. Denique evulsam (1) ictibus flagellorum venerabilis tui verticis cutem, rimamque qua cæsaries pulchra defluxerat, ego persequutionis tuæ tempore intuitus sum, dignante te illud mihi ostendere veluti proximo patri puritate reverentiæ tuæ. Et blanda manu attrectans, quia oscu- *Eulogius vulnera Floræ attrectat.*

(1) *Quæ sequuntur, fusius in harum duarum virginum passione D. Eulogius narrat; ubi etiam de martyribus quos hic nominat, latè perscripsit.* Moral.

lis ipsa vulnera non crederem esse demulcenda ; postquam a te discessi, diu alteque memet reputans suspiravi. Exponente verò coram me diffusâ cælitus gratiâ oris tui ingentia dolorum tuorum, casusque periculorum, qui te presserant, et quomodo septa custodiæ, qua mancipata extiteras, divinitus patefacta, nocturna tibi silentia aditum effugiendi præstiterint; reputavi conformem te esse Petri Apostoli passionibus per hæc eademque gesta, quæ cunctis ostenderas. Quippe quæ tunc divinitus absoluta, post sexennium de civitate in urbe, de vico in oppido per multa et varia exilia, atque latibula remedio fugæ contenta fueras. Et quæ priùs intuitu evadendi enormes moles transcenderas, nunc quasi monenti Christo sponso tuo ac tibi dicenti: Ubi pascis, ubi cubas in meridie, soror mea? Iterum venio [1] crucifigi; redivivo præliandi aucta regressu, forum adis, publicum petis, teque intrepida, confitendo Christum, et detestando fidei adversarium, iudici offers; fortiterque ei resistens, laudans Christum tuæ salutis auctorem, pietatis extollis religionem, ac deinceps impudicum vatem infamans, nullatenus vera potuisse prædicare, mendacio plenum denuntias. Et ob hoc congruè Davidicum carmen decantas: *Loquebar de testimoniis tuis, Domine, in conspectu regum, et non confundebar.* Et iterum: *Bene nuntiavi iustitiam tuam in Ecclesia magna. Ecce labia mea non prohibebo, Domine: tu cognovisti. Iustitiam non abscondi in corde meo: veritatem tuam, et salutare tuum dixi. Non celavi misericordiam tuam, et veritatem tuam a synagoga multa.* Acsi patenter diceres: Testimonium veritatis tuæ, Domine, hactenus timore carnis celavi; iam nunc, tuis armata viribus, patefaciam; quia sic timere nescit Deicola, sic trepidare ignorat mens tuo munere opima.

Cant. 1. 7.

Psalm. 118. 46.

Psalm. 39. 10. *&c.*

22 Hæc ideo, Christi famula, domina soror mea Flora, tibi disposui, ut tantarum virtutum beneficia recolens, ne tuis collata cælitus meritis perdenda reputes, ne conculcanda pertractes. Festina ad bravium, curre ad præmium, dum tempus capessendi instat potissimum. Paratus enim est sponsus tuus Dominus Iesus Christus titulum tibi conferre perfectionis, si pugnare usque ad mortem non cessaveris, si pro eo mori sicut a principio elegisti usque ad supremum contenderis, si hanc perfunctoriam pœnalitatem gaudiis oblectata supernis, pro nihilo penderis. *Quia non sunt condignæ passiones huius temporis ad superventuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Certa bonum certamen, soror mea virgo beata, et si acriùs vulnereris, non cedas. Quia hæc vulnera æternæ sunt felicitatis auspicia, et sempiternis conferunt defectum doloribus. Cuncta permanent incolumia. Mors hæc vitam donat, cætibus Sanctorum agglome-

Rom. 8. 18.

(1) Vid. Schol. in Passion. Floræ num. 6.

merat, et statum perennitatis fideliter ac viriliter in agone perseverantibus præstat. Verùm quia se pridem claudi iam Liber speraverat, cùm me tibi singulariter verbum facere, o soror Flora, olim gesta primordialis martyrii tui cogerent, nunc ad utrasque reditum faciens, adhuc paululum communiter vobis loquens, quod mereamini præmium, disseram, et sic deinceps prolixo sermoni finem imponam.

23 Inenarrabilia sunt, sorores meæ, præmia vestra, egregia multum nimis reposita munera. Accipietis enim a Domino fructum virginitatis centesimum, et gloriosi martyrii inenarrabile commodum. Occurret vobis obviam sancta et venerabilis regina mundi virgo Maria, florentissimis virginum choris ornata. Aderunt [1] etiam fortissimi milites Dei, confratres vestri, Perfectus, Isaac, Sancius, Petrus, Walabonsus, Sabinianus, Wistremundus, Habentius, Hieremias, Sisenandus, Paulus, et Theodemirus, qui vos præcesserunt cum signo fidei, et victoriam de hoste tulerunt, vobisque ianuam perveniendi ad regnum aperuerunt, dignum itineri vestro præparantes occursum, atque dicentes: „ Venite sorores sanctissimæ, *Cant. 2. 11.* „ ingredimini thalamum sponsi „ vestri, quem eatenus dilexistis, „ ut propter illum mori non timeretis. Iam enim hyems transiit, imber abiit et recessit, „ quia temporalis tribulatio a vobis devicta discessit. Properate, „ sanctæ sorores, festinantes cum „ iucunditate faciem eius cernere, cui in veritate famulastis, „ pro quo mori non recusastis, „ ut in æternum vivatis. Percipite mercedem vestri laboris, „ et sumite lauream gloriosi certaminis."

24 Quis tunc existimare gaudium tuum poterit, o soror Maria? Quis illius felicissimæ horæ diffusam cælitus mentibus tuis lætitiam compensabit, cum inter eos Levitam agnoveris Walabonsum, quem tibi pia parentalis affectio germanum generavit? Quis utrarumque vestrarum tripudium mortalibus coniecturis aut verbis humanis expediet, quæ divino iam gremio constitutæ, inter affluentia divitiarum paradisi locatæ, incunctanter illius remunerationis donaria capietis? Quia oculus non vidit, *Isai. 64. 4.* nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparavit Dominus diligentibus se.

25 Unde obsecro vos, sanctissimæ sorores meæ, virgines prudentissimæ, quæ semper oleo castimoniæ redundantes, ornatissimo lampadum cælestium emicastis fulgore, quando tabernacula Domini intraveritis, ut mei memores esse dignemini: dum thalamum vestri adieritis sponsi, eiusque amplexibus incessabili merueritis fruitione coniungi, tuemini me precibus, defensate meritis gloriosis. [2] Prosit mihi peccatori huius mediocritas succincta

(1) *Horum omnium martyrium sanctas has duas virgines præcesserat, ut lib. 2. Memor. constat.* Moral.

(2) *Epilogus concinnè adhibitus, et artis integumento artificiosior.* Id.

cta libelli, quem spiritali vestro flagrans amore, vestræ saluti consulens edidi : quòd per eum vos institui : quòd ad perficienda bella Domini incitavi : quòd ut in conflictu non deficeretis, ense prædicationis armavi : quòd illecebras, quas fugere debeatis, ostendi : quòd præmia, quæ mereatis, disposui : quòd in laudibus vestris, prout potui, me versavi. Vos nostis quid a vobis petierim, quid caritatis intuitu vobis indixerim. Ut digno interventu vestro omni vitio caream, culpis exuar, nesciamque delinquere: quò fideli famulatu omnipotenti Deo meo cohærens, fruar post transitum tam vestrum quàm dominorum meorum consortio, in quorum defensione et laude opus condidi *Memoriale sanctorum*, quod immanitas [1] persequutoris me compulit relinquere imperfectum, Christo fautore quandoque nihilominus consummandum. Opitulationem sanè perparvam voluminis in fine adieci, quam et verbis simplicibus edidi, et vestro necessariam proposito fore percensui. Ut crebra meditatione vestris eam memoriis alligantes, tam pro vobis iam cælestis aulæ luminibus vestigium cordis super tenentibus, quàm pro totius Ecclesiæ Catholicæ commoditate Domino offeratis, nostrique mentionem, prout textus exorationis poscit, loco ultimo faciatis. Ita vos Deus pacis ad perfectum sanctificet, ut animas et corpora sine querela in adventum Domini Iesu Christi servetis : Qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

EXPLICIT. DEO GRATIAS.

ITEM ORATIO EIUSDEM EULOGII AD SUPRADICTAS VIRGINES. [2]

Domine Deus omnipotens, qui sperantibus in te es solatium verum, timentibus te remedium indefessum, et te diligentibus perpetuum gaudium : accende igne amoris cor nostrum ; et flammâ tuæ caritatis pectoris nostri exûre recessum, quo valeamus cœptum consummare martyrium. Ut dilectionis tuæ in nos vigente incendio, decidant a nobis incentiva peccaminum, et malesuadæ titillationes procul effugiant vitiorum. Ut dono gratiæ tuæ illuminatæ, cuncta mundi oblectamina valeamus despicere, et te puris mentibus ac votis simplicibus usquequaque diligere, timere, desiderare, et quærere. Da nobis Domine in tribulatione auxilium, quia vana est salus hominum. Da fortitudinem præliandi in hoc certamine, et de Sion intuitu liberandi nos respiter

(1) *Quo tempore ab Reccafredo Episcopo missus est D. Eulogius in carcerem, necdum secundum librum finierat, quem postea, ut ibidem narrat, explevit.* Id.

(2) Ita legitur in omnibus edit. nobis aliter videtur in scribenda hæc oratio: scilicet *Orationis formula ab Eulogio composita, qua sanctæ Virgines cum pro universa Ecclesia tum pro ipso Deum deprecarentur.*

spice; quatenus passionis calicem tua prosequentes vestigia, possimus iucundo ore ebibere. Tu enim Domine, Israelitas tuos olim sub diro Ægyptiorum iugo gementes, non solùm potenti dextera liberasti, verùm etiam Pharaonem et exercitum eius in medio mari demersum, ad gloriam et honorem nominis tui omnino contrivisti. Da fragilitati nostræ (1) in hac congressione invictum resistendi inimico præsidium. Confer inter acies dæmoniorum et hominum contra nos insurgentium inexpugnabile dexteræ tuæ auxilium. Oppone in defensionem nostram numinis tui scutum, et usque ad mortem propter te viriliter dimicandi præbe suffragium, quò valeamus effusione sanguinis nostri passionis tuæ reddere debitum. Ut sicut pro nobis tu ipse dignatus es mori, ita nos quoque condigno pro te martyriali obitu facias interire: ut tormenta æterni supplicii per temporalem gladium evadentes, depositâ sarcinâ carnis, ad te mereamur pervenire felices. Adsit etiam, Domine, absque obstaculo catholicæ plebi tua virtus piissima, defendens Ecclesiam tuam a vastatoris molestia, omniumque sacerdotum tuorum corona sanctitatis et castimoniæ ope subnixa, post illibatum sacræ officiositatis ministerium cælestem adire iubeas patriam. Inter quos servum tuum Eulogium, cuius post tuum munus Documentis instruimur, litteris edocemur, solatiis confovemur, prædicationibus animamur; omnibus peccatis mundatum, sceleribus universis abstersum fidelem tibi efficito famulum, tuo perenniter obsequio mancipatum: quò in hac mortalitate placitum tibi exhibens famulatum, condignus tuarum in futuro habitus muneribus gratiarum, saltem vel ultimum requiescendi obtineat loculum in regione vivorum. Per Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

FINIS DOCUMENTI MARTYRIALIS.

(1) *Sumptum haud dubiè ex pia oratione, qua in sacratissimæ V. Mariæ officio, ut vocant, ad sextam utimur*: Concede misericors Deus fragilitati nostræ, &c. *Id.*

VITA ET PASSIO
SANCT. VIRGINUM FLORÆ ET MARIÆ. (2)

Præfatio auctoris.

Cum ad laudem Christi pertineat cultus reverentiæ, qui martyribus exhibetur, respondet tamen fidelibus in remedium animarum, quicquid religiositer in festivitatibus agitur beatorum: præsertim cum per hoc, et per ipsorum patrocinia martyrum, et summi Redemptoris acquiritur præmium, in cuius honorem virtutem recolunt sanctorum. Ergo nostrarum virginum Floræ et Ma-

(2) Hæc vita et passio in ceteris edit. leguntur in cap. VIII. lib. II. Mem. Martyr. ut iam ibi monuimus.

Mariæ trophæa digesturi insignia, non facundiæ lepori, non tonantibus euphoniis verborum serviamus; sed quod fidelibus simpliciter rei gestæ veritatem insinuet, observemus: quia sufficere nostris credimus veritatem pura simplicitate digestam, quàm vano infulatam cultu fallaciam. Et sat nobis est fideliter referre quod fuit: quia non congruit sub venustate sermonis rem, quæ non extiterit, adhibere. Illibata namque veritas, quoquomodo proferatur, firmiori gressu consistit; et ornatissimè fictum mendacium paululum perseverat. Nec patitur Christus assertorem iustitiæ immunem esse benedictionis præmio, cùm tamen reatu homicidii astringatur prolator mendacii.

2 Harum igitur vocationem Virginum, quæ dispari solo progenitæ, et pari mortis occasu cælestibus adunatæ sunt, sigillatim exponi necesse est: et quibus modis unaquæque earum prædestinatæ sanctificationis culmen attigerit, Deo fautore, saltim exili digeramus stilo.

S. Floræ genitores, et eorum patria.

3 Primum igitur specie decoris et venustate corporis nimium florens virgo sanctissima Flora, sed interiori habitu florentissima, matrem christianam habens ex vico Ausinianos, qui
V. Schol. ex parte Occidentali milliaribus octo a Corduba distat, purissimis et nobilibus (ut ita dixerim) perfunctam natalibus, patrem verò gentilem ex oppido habuit Hispalensi. Hi, nescio qua occasione, propriis locis exules, Cordubam degendi gratiâ accesserunt. Qui ex ultimo partu suo hanc infantulam procrearunt, et sublato per mortem genitore, fidelissimæ genitricis tutelâ sponsa Christi nutritur. Quam pia mater sacræ religionis legibus imbuens, docuit fideli credulitate colere Christum Deum, qui per uterum virginis Mariæ ad nos ultimo tempore veniens, et per assumptam humanitatem hominibus proximus factus, per ineffabilem quoque Deitatem suam invisibilis, incomprehensibilis, et inextimabilis semper extitit. Venerabilis namque puella tenerrimis annis fidei pietatem ebibens, cœpit intra mentis recessum altare sanctum construere, quo placita operum bonorum holocaustomata Christo semper offerret. Quæ ab ipsis rudimentis infantiæ cunctis se vanitatibus sæculi privans, totum quod illa ætas (utpotè plenitudine scientiæ expers) pueriliter affectat, supernо iam delibuta rore conculcat. Nam quodam tempore cum genitricem eius adirem causâ dignoscendi principium huius puellæ conversationis, ipsa genitrix inquit: " In veritate [1] vobis lo-
„ quor, quòd ab ineuntibus an-
„ nis Christi amorem pectore
„ suo recondens filia mea, sæ-
„ cularium oblectationum cultum
„ usquequaque spreverit, ac sem-
„ per quæ Dei sunt, corde me-
„ ditari studuit, semper opera
„ sancta adimplere non distulit.
„ Adeò ut in infantia sua cum die-

Corduba nascitur, et patre mortuo, pie a matre educatur.

Educationis optimi fructus.

Ex testimonio ejus matris.

(1) *Hispanismus merus.* Moral. V. Schol. in lib. I. Memor. num. 18.

„ diebus Quadragesimæ parvita-
„ ti eius consulens, sive ut illa
„ ætas contigua robustiùs conva-
„ lesceret, esu quotidiano, com-
„ petenti prandii hora cibum ei
„ porrigerem; illa in virtute Do-
„ mini positum habens cor, egen-
„ tibus eum ministrans, furtim
„ beatum exercebat ieiunium.
„ Sicque diebus singulis ipsa
„ agente, penè maximum absti-
„ nentiæ tempus elapsum erat,
„ cum clandestina infantis devo-
„ tio vix quibusdam revelatur
„ indiciis. Quam talibus inhibere
„ votis ipsa obnitens, ne priùs
„ quàm illud tenerrimum corpus
„ adolesceret, marcore abstinen-
„ tiæ quassaretur, conata sum
„ iam ad epulum suadere diur-
„ num. Eam tamen non potui
„ provocare ad vescendum, ni-
„ si serò, et comminatione con-
„ tinua: perfecit tamen votum
„ suum electa Christi sponsa."

ubi Floræ abstinentia:

4 Ex eo tempore mater solerti vigilantia sobolis mores procurans, eamque in omnibus rebus Christo assignatam esse considerans, nullatenus deinceps contraire piis puellæ affectibus audet. Venerabilis verò puella Deo dumtaxat placere studens, provida observatrix Evangelii attendebat Christo monenti et dicenti: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* Ita purissimum cælestis executione præcepti introrsus præparans habitaculum, nihilominus sanctæ et individuæ Trinitatis quotidiano frui meretur adventu.

Ioan. 14. 23.

5 Verùm dum exercitio sanctitatis id quod clam meditabatur, uberiùs in amorem Christi proficeret, lætareturque se Christo per eamdem religionem perenniùs esse ascitam, nec tamen passim fidelium interesse conventibus auderet, eo quòd fratrem pestiferi dogmatis perfidum haberet cultorem, qui eius assiduè conversationem exploraret; ut ipsa erat naturâ prudens, et calens ingenio, didicit a sapientibus nihil proficere obscuratam credulitatem, et celatam confessionem Trinitatis, præsertim cum scriptum sit: *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Et iterum in Evangelio: *Omnis qui confitetur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui est in cælis: et qui negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo, qui est in cælis.*

Rom. 10. 10.

Matth. 10. 32. 33.

6 Igitur instructa utiliter quomodo se in confessione nominis Christi haberet, sciensque non leve esse discrimen latenter credere Christum, et publicè existere vexillo Satanæ denotatam; matre hinc inconsulta domum relinquens, clam cum sorore sua fugam iniit. Seseque tutioribus locis inter christicolas collocantibus, sævissima insectatione frater earum (quem supra meminimus) propter illas Dei lacerat Ecclesiam: adeò ut nonnullos clericorum carceri tradens, conventum ubique religiosarum feminarum persequeretur. Et cùm agnoscerent infestationem, quæ er-

deserit paternam domum,

erga sortem Domini grassabatur, indignum diiudicantes se esse tutas, et Ecclesiam Dei vapulare: illico sancta Flora, quæ se noverat ad tale prælium divinitus fuisse electam, publico regressu in domum revertens, ait: "En „ ego, quam [1] quæritis, adsum „ in medio vestri, pro qua Dei „ sortem insectamini: adsisto in„ trepida, Christo credula, reli„ gioni favens catholicæ, stigma„ ta crucis gerens, et omnium, „ quæ cultum pietatis insinuant, „ affectatrix. Vos modo (si pote„ stis) hanc enervate confessio„ nem: satagite crudelioribus „ tormentis fidem meam evince„ re, et (quod fieri omnino du„ bito) a Christo me separari „ contendite: pro cuius amore „ quicquid ad supplicium meum „ sævus imploderit arbiter, gra„ tissimis decrevi animis suppor„ tare. Credo probabitis, me in„ ter pœnas fortiori pertinacia, „ quàm nunc in prima congres„ sione, Christum Iesum confi„ teri."

ad quam postea reverititur

7 Frater autem eius ille perversus hæc audiens, cædibus ac minis interdum, et blandis eam nitebatur revocare sermonibus. Sed cum cerneret, nihil conatum suum proficere, quinimmo se quasso aspiciens labore consumi, ad iudicem eam pertrahit, dicens: "Hanc mihi sororem, o „ iudex, ultimus partus matris „ eiecit, quæ simul mecum ce„ remonias legis venerabiliter ex„ colens, debitum semper erga „ cultum fidei nostræ obsequium „ exhibebat: sed Christiani cre„ bro eam urgentes instinctu, va„ tem nostrum abnegare, ritum„ que detestari fecerunt, et qua„ dam lenocinatione Christum „ esse Deum credere illexerunt." Quam iudex, utrum se sic haberet illa delatoris germani quæstio, sciscitatur. Extemplo ipsa fratrem impium abnegat, cultumque Mahometanum se nullatenus novisse testatur; et adiungit: "Christum „ ab infantia mea novi, ipsius „ documentis instructa sum, i„ psum habere Deum decrevi, „ ipsique integritatem corporis „ mei eius olim thalamis oble„ ctanda promissi." Hæc ubi virgo sanctissima protulit, mox sacrilegum pectus iudicis furor immanis exagitat, et in cædem martyris iram admovens, inter utrumque satellitem apprehensis manibus eam extendi præcepit, diroque verbere caput eius pertundens, tamdiu flagris insistit, quousque decisa cum cæsarie cute, os verticis nudum pateret. Perdurat nihilominus adolescens martyr et virgo in sua confessione. Tunc iudex semivivam et penè exanimem impio fratri eam delegans, admonet, ut confota medicamine, et verbo legis instructa sibi demum, nisi se converterit, præsentetur.

a fratre torquetur, et accusatur ut christiana

sed fortiter Christum confitetur,

quamobrem dirè verberatur:

8 Perductam deinde in domum suam Christi virginem hostis, non frater, ille iniquus domesticis eam feminis demulcendam fomento et verbo committit,

Includitur domi a fratre.

(1) *Virgilii est hemistichium, quod sciens volensque Eulogius sicut alia huiusmodi interseruit.* Moral.

tit, magnis solummodo trabibus catenarum [1] feras mansionis obtrudens. Quia ingenti maceria totius prædioli ambitus præmunitus, omnino de nulla evadendi sollicitudine quemquam arguebat. Ideoque non post multos dies vulneribus expiata fortis Flora, cum se sospitem esse sentiret, quadam nocte per contiguum infra cortem domui hærens tugurium, celsum parietem iuvante Domino scandens, inde se foris plateali solo proiecit. Quæ nullo stimulata dolore, cœpit per tenebras noctis Angelico comitante ducatu, quò Dominus vellet ingredi; sicque cuiusdam fidelis inter illud chaos nocturnum hospitio recreata, cùm aliquandiu ibidem commaneret, deinceps præclarum Tuccitanæ urbis viculum [2] Ossariam intuitu latendi petens, ibi cum [3] sorore sua usque ad tempus, quo martyrium consummavit, delituit. Et ego, ego ille peccator, ego dives iniquitatum, qui a principio martyrii sui amicitiâ eius fruitus sum, combinatis manibus meis cicatrices reverentissimi et delicati illius verticis attrectavi, quum ictibus flagellorum virginalis coma elapsa fuisset.

sed aufugit, V. Schol.

et delitescit usque ad tempus martyrii.

S. Maria virgo et martyr.

9 Verùm quia Deo fautore beatæ virginis Floræ auspicium conversationis ac martyrii adnotatum est; operæpretium reor, si itidem sanctæ virginis Mariæ et martyris processum nativitatis, primordiaque religionis edisseram: ut quibus par fuit consensio præliandi, idemque assensus pro iustitia moriendi, consimilis extet in relatu vocationis etiam huius virginis intentio calami. Huius pater ex oppido Eleplensi non infimus prosapiâ, christianus tamen, huc adventasse perhibetur. Qui ex genere Arabum coniugem ducens, totius impietatis errore eam emundans, Christi fidei consignavit. Quapropter cum eadem coniuge proprium incolere arvum non valens, per diversa profugus agitur, quousque divino gubernaculo ad oppidum Froniano pervenit, qui in montana Cordubensi in parte occidentali duodecim ab urbe milliaribus distat, utroque pignore comitante, quod ex ea susceperat, Walabonso scilicet, et Maria. Ibi vitam suam pro viribus sustentarunt: ibi mulier illa luporum erepta faucibus, in fide Christi perseverans, post nonnullum tempus in Domino requievit: ibi superstes vir gradu confessionis potitus, arctissimum vitæ perennis callem gaudiis oblectandus cælestibus ingreditur. Sed puerum ecclesiasticis regulis educandum, sortique Domini admiscendum piæ memoriæ Salvatori presbytero tradidit, qui tunc præclaro regimine sancti Felicis monasterium, quod in eo loco fundatum est, gubernabat. Sanctam verò hanc virginem Deo devovens, Cuteclarensi cœnobio,

eius genitores

ubi et quomodo vixerunt.

Traditur Maria educanda in Cœnobio Cuteclarensi:

(1) *Catena aliquando in usum pesuli deservit.* Moral.

(2) *Hoc oppidum, quamquam præclarum dicatur, nullam sui memoriam reliquit.* Id.

(3) *Baldegothone sine dubio: ad quam post Floræ martyrium ipse Eulogius epistolam dedit.* Schot.

quod gloriosæ et semper virginis sanctæ Mariæ genitricis Domini fulget memoria, consignavit, constituens eam apud quamdam summæ sanctimoniæ feminam Artemiam nomine, quæ et ipsa geminum pignus per martyrialem obitum olim cælo præmiserat, Adulphum scilicet, et Ioannem, qui in primordio regni Principis huius viriliter de hoste triumpharunt. Quorum instar siderum cæli gesta micantia ad emolumentum Ecclesiæ sanctæ, et exemplum debilium, senex et magister noster, atque illustrissimus doctor (de quo in libro [1] primo meminimus) beatæ recordationis et memoriæ Speraindeo abbas stilo latiori composuit.

V. Schol.

10 Artemia igitur gratiâ sanctitatis, provectæque ætatis, seu obtentu martyrum filiorum, ceteris in eodem cœnobio commanentibus feminis antecellens, totius monasterii virginalis conventus iussu auctoritatis eius intendebatur. Docuit autem puellam, sicut ipsa noverat, Deo servire, in omni humilitate, castitate, et obedientia, et timore Domini animum eius exercens. At non post multum tempus prædicto sacerdote Salvatore mundo recedente, puerum etiam ad se nutriendum pater reduxit. Qui duo futuri martyres gratiâ Spiritus sancti in Dei timore magnopere proficiunt. Tandem verò per gradus ecclesiasticos adolescens ille Walabonsus succrescens, honore Diaconii fungitur

quàm pie educatur.

(pollente nihilominus in omni honestate religionis sanctimoniali puella, cum se nimia caritate diligerent, et alternanti germanitatis dulcedine in omni dilectione spiritali sibimet invicem obedirent). Quia verò præcedebat ætate virgo sanctissima adolescentem germanum, loco genitricis soror ab eo excolitur, et in prolis affectum commutavit fraternum amorem.

11 Igitur dum inter eos hæc assiduè gererentur, dispensante Deo, Levita dignissimus Walabonsus cum beato Petro presbytero, seu cum ceteris confessoribus (sicut superiùs [2] comprehensum est) martyrio coronatur. Et qui ævo ultimus erat sorori, fit primus electione martyrii. Denique remanet destituta præsentiali solatio fratris Christi ancilla, quæ ante mundi constitutionem ad martyrium prædestinata, intus extraque semper tuebatur intercessione fraterna. Et (ut se habet conditio fragilis) cum crebriùs fraternum suspiraret obtutum, cuius in proximo fruitura erat consortio, per quietem quamdam sanctus martyr quamdam admonet religiosam, ut iam soror Maria pro se plorare desisteret, quoniam vicino tempore ad eum in supernis esset ventura. Ex eo die uritur cor virginis amore martyrii, et quæ fratris obitum impatienter lugebat, subitò divinitus illustrata, impatienti ardore ad martyrium anhelat.

eius fratre pro Christo interfecto.

12 Quodam igitur die, invi-

(1) Lib. I. Memor. num. 7.

(2) Lib. II. Memor. cap. IV.

monasterio sancta egreditur,

vitante (ut credo) Christo, monasterium derelinquens, forum petitura descendit, quò sicut ceteri martyres, qui iam cælesti præmio oblectabantur, hæc quoque virgo Christum confitendo, et fidei sanctæ adversarium repellendo, coronâ martyrii potiretur. Quæ dum Ecclesiam beati Aciscli martyris in ipso adhuc itinere positam intuitu Dominum obsecrandi intrasset, Dei nutu ibi-

tique Flora occurrit;

dem sanctam Floram in suffragio suo preces martyrum advocan-

V. Schol.

tem invenit. Quæ et ipsa Christo dicenti sibi, Iterum venio crucifigi, redivivo præliandi studio calens, olim cœpti martyrii palmam e loco latibuli sui alacris inventura descenderat. Tunc se invicem datis osculis salutantes, alterno consultu explorant se. Et cum unum idemque votum suum existere mutua proderet confessio, dimidiante Christo qui di-

Matth. 18. 20.

xerat: *Ubicumque fuerint duo, vel tres in nomine meo congregati, ibi sum in medio eorum;* illico indissolubili fœdere caritatis nectuntur, nulla se ab invicem occasione divellendæ, nulla intercedente fortuna deciscendæ, nullisque ab alterutro, quamvis sævissimis, imminentibus casibus disparandæ, qui ad interitum earum pro confessione veritatis exaggerarentur, quousque et ista Christum, et illa in cælestibus fratrem adiret Walabonsum. Sicque in ipso impetu iudicibus assistentes, ita firmiori alloquutione prima (ut reor) sanctissima

et utraque iudici se offert:

Flora eos aggreditur, dicens:

13 " En ego illa sum, quæ „ pro eo quòd gentilicio semine „ procreata Christo adhæserim, „ dudum a vobis, ut eum abne„ garem, diro verbere lacerata „ sum. Quæ hactenus infirmitate „ carnis huc illucque profuga de„ litescens [1], nunc iam in virtu„ te Dei mei subnixa, vestris „ adstare non verens prætoriis, „ eâdem qua primùm constantiâ „ Christum Deum in veritate „ profiteor, scelerosumque do„ gmatistam vestrum pseudopro„ phetam adulterum, magum, et „ maleficum esse protestor." Tunc deinde virgo venerabilis Maria diffussione cælestium gratiarum sanctificato protulit ore: " Et ego, iudex, olim inter il„ los confessores magnificos ha„ bens germanum, qui non le„ vi subsannatione vatem vestrum „ infamantes occubuerunt, simi„ lique audacia Christum esse in „ veritate Deum asserens, ritum „ vestrum legisque cæremonias „ dæmoniorum figmenta esse „ profiteor." Extemplò sævissimus arbiter vesano concitatus furore, sub voce illa terribili frendens, virginale propositum asperrimo deterret boatu, minis exprobrat, clamoribus arguit, adiiciens carceris squalorem, et contubernium scortorum.

carceri mancipatur,

14 Suscipiunt denique abdita carceris sponsarum Christi membra tuenda magis quàm eliminanda, quæ semper pudico honestata decore ab ipsis cunabulis actu sanctimoniæ præpollentes, præcipuâ virtutum gratiâ reluxe-

(1) *Per integrum sexennium a fugæ suæ tempore, ut constat ex Docum. num.* 21. Schot.

runt. In quibus aliquamdiu sanctæ virgines permanentes, insistunt ieiunio, orationi incumbunt, totumque illum horrorem ergastuli cælestium meditatione hymnorum expediunt. Tunc nos etiam ex antro (1) deducti, cum isti carceri deputarentur, Deo favente ad instructionem illarum *Librum Documentum Martyrii*, condimus; eisque iam penè a proposito suasione quorumdam labentibus, in solatium meditandi et consummandi prælia inchoata dicavimus. Connectentes in finem opusculi orationem suo certamini, omnique Ecclesiæ congruentem.

ubi eas confortat S. Eulogius;

15 Igitur permanentes in laudibus Dei, et sacratissimæ *inde eductæ* Virginis, post tertiam admonitionem prosternendæ in forum eductæ sunt. Taceam iudicis scisitationem vicibus allatam eis, vel unâ vel sigillatim ad beatissimam Floram, sicuti iam ali- v. Schol. bi (2) digessimus. Et intuitu mediocritatis aliquid silentes, ne fastidium protractus sermo legentibus generet, mors virginum pretiosa stilum competenti fine *occiduntur* coarctat. Inde præcipiti ducatu ad locum decollationis ductæ, sacra signacula vultibus imprimunt. Et sic extensis collis, post beatam Floram sancta Maria prosternitur. Quorum corpora canibus devoranda ac volucribus discerpenda ibidem relinquentes, alio die in flumen proiecerunt. E quibus cadaver sanctæ Mariæ virginis et martyris cœnobio Cuteclarensi, a quo ad martyrium descenderat, donante Deo reponitur; cum tamen corpus beatissimæ virginis et martyris Floræ, quo situ Dominus reposuerit, penitus ignoretur. Capita verò illarum in Basilica sancti Aciscli martyris reconduntur, quo præsentiali corporis sui favore populos christianos tuetur.

16 Ultimo tantummodo historiæ loco insinuare curamus, quòd priùs quàm Virgines beatæ decederent, quibusdam consororibus promiserunt, quòd eo ipso, quo Christo coronatori suo assisterent, obtentu adeptæ gratiæ sponsum precantes, nos vinculis liberarent: quod ita Deo fautore peractum est. Nam illæ octavo *die 24. Novembris anni 851.* Kalendarum Decembris martyrium consummantes, nos tertio earumdem Kalendarum compedibus resolutos ab squalore carceris eruerunt. Era qua supra. Per Christum Dominum nostrum, qui vivit cum Patre et Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen.

(1) *Diximus iam* (Schol. in cap. VI. Lib. II. Mem.) *de utriusque carceris Cordubensis discrimine.* Moral.

(2) In epist. ad Alvarum quæ sequitur.

SAN-

SANCTI EULOGII EPISTOLÆ.

EPISTOLA PRIMA AD ALVARUM.

ARGUMENTUM. (1)

Martyrium duarum Virginum Floræ et Mariæ celebrat.

Carissimo in Domino Iesu Christo fratri meo Alvaro Eulogius.

Psalm. 125. *v.* 4. Magnificavit Dominus misericordiam suam nobiscum, mi frater, et facti sumus lætantes. Quia quibus verbum vitæ in lacrymis seminavimus, in gaudio victoriæ fructum metisse videmus. Videmus enim virgines nostras debellato principe tenebrarum, conculcatis mundialium oblectamentis affectionum, accensis (2) adorearum lampadibus, obviam prosiliisse sponso ac regi cælorum. Et quia semper se hostiam vivam, sanctam, Deo placentem præparaverunt, ideo cælestis aulæ limina adeuntes intraverunt, invitante Christo ad nuptias, cantantes canticum novum, atque *Apoc. cap.* 5. *v.* 9. *et* 10. dicentes: Dignus es, Domine Deus noster, accipere gloriam et honorem, quoniam redemisti nos de potestate tenebrarum, et fecisti nos condignas sortis sanctorum tuorum, et transtulisti in regnum tuum æternum. Et cum hoc gaudium universalis Ecclesia de illarum victoriis habeat, præcipuè tamen ego præ ceteris quodam tripudio iucunditatis extollor, quoniam non in vacuum eis iam pene quorumdam exprobratione (3) a gradu suo labentibus *Documentum illud martyriale* porrexisse conspicio. Quia licèt ab initio mundi et vocatio et sanctificatio earum a Deo patre nimirum processerit, habet tamen intentio nostra in earum instructione suam coram Domino mercedem repositam, qui largitionem algentis calicis remunerari promisit in nomine suo impensam. Nam decimo et amplius die priùs quam ad martyrium ducerentur, solam dominam meam Floram instinctu fratris sui iudex ille iniquitatis auditioni suæ advocans, post agnitam eius invictissimam professionem, qua ipsum iudicem Christi ancilla denotans, adversarium fidei intrepida responsione deiecit, in carcerem eam iussit reverti. Quapropter claustra, quibus detinebantur, ego appropinquans, quæ iudicis ad eam interrogatio fuerit, vel quæ ad iudicem responsio eius extiterit, dominam meam *Marc.* 9. 40.

(1) Nonnullas tantùm S. Eulogii epistolas hìc repræsentamus, cum ceteras suis propriis locis ediderimus, illis opusculis præfixas, quorum occasione scriptæ sunt.

(2) *Hoc est, palmarum et gloriæ triumphalis. Diximus de hac voce in ipso martyriali Docum.* (Schol. num. 2.) *Manifestum autem est, quam Servatoris nostri parabolam respiciat.* Moral.

(3) *Hoc nimirum est, quod retro iam in ipso ad has virgines opere* (Schol. num. 4.) *annotavimus.* Moral.

meam humiliter sciscitatus sum.

V. Schol. 2 Illa verò, ut erat Angelico decorata aspectu, supernæ claritatis gratiâ fulgens, hilari vultu, ore pudico, iam quasi quibusdam cælestis patriæ gaudiis vegetata, subridens retulit mihi: „ Dum hodie iudici præsentarer, præceptor, astante haud „ procul e contra fratre meo illo „ adversario fidei nostræ, cuius „ persequutione in hunc lacum „ decidi, exquisita sum, utrum „ eum agnoscerem. Quem ego „ fratrem meum esse carnalem „ proferens, Quare (inquit iudex) „ iste cultor fidei nostræ probatissimus manet, et tu Christum „ profiteris? Respondi: Ante „ octennium, o iudex, et ego „ tenebris ignorantiæ occupata, „ paternis legibus serviens, gentilitio famulabar errori. Sed illuminante me pietatis auctore, „ elegi fidem christianorum, propterquam certare disposui usque ad obitum. Et quæ est, „ inquit iudex, hodie sententia „ tua, in illud quod dudum coram me professa es? Exprobrationem videlicet sui vatis „ abstrusis interrogationibus exprimens, qua ipsum auctorem „ sectæ perversitatis olim amota „ formidine detestata sum, cum „ iterum e latibulis meis ad passionem regrediens, forum petii, ac iudicem adii. Identidem „ aio, iudex, quæ et primò me „ exponentem audisti: et si me adhuc disquisieris, ingentiora prioribus de eo referam tibi. Tunc „ inflatis buccis, turgenti guttu„ re stridentibus lingua sermonibus de interitu me comminans, „ in ergastulum iussit reverti."

3 Hæc postquam melliflua oris sui relatione mihi domina mea retulit, verbis eam, quibus potui, confortavi, de spe promerendæ coronæ admonui, eiusque Angelicum obtutum reclinis cervicibus adoravi: deinde precibus eius, et felicibus meritis me commendans, reverentissimis illius colloquiis recreatus, latibula carceris mei revisi. Unde quæso fraternitatem tuam, carissime domine, ut ad posterorum memoriam gesta passionis earum brevi tantummodo ordinare digneris stilo, ita semper illarum protegi merearis suffragio. Ipso autem die, quo gloriosarum nobis relatus est sub confessione nominis Christi interitus, omnes ad orationum arma currentes, horam nonam in Dei laude persolvimus. Ac deinceps auctis tripudiis vespertinum, matutinum, et missa- V. Schol.
le sacrificium consequenter ad honorem et gloriam nostrarum virginum celebravimus, cunctique nos illarum patrocinio tutandos fovendosque commisimus. Et quia universorum spes non perfunctoriè in earum meritis collocata est; ideo, sicuti cernitis, favens Christus earumdem victoriis et interventibus gloriosis, post sextum diem, quo illæ coronatæ sunt, nos vinculis absolvit, et carcerali claustro exemit. Nam et quibusdam familiaribus hoc, antequam paterentur, condixerunt sororibus, ut mox, postquam Christo coronatori suo adsisterent, pro nostra liberatione interveniret. Et sic quidem illæ octavo Kalendas Decembris explen-

plentes martyrium, nos tertio earumdem Kalendarum sole dimittimur: magnificantes et benedicentes nomen Dei nostri, qui confortavit in certamine sanctas virgines suas Floram et Mariam, et vicerunt; nosque per digna illarum merita liberavit in pace, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

EPISTOLA II. AD BALDEGOTHONEM.

ARGUMENTUM.

Narrat Baldegothoni Floræ sororis martyrium, cingulumque eius ei transmittit. (1)

Eulogius servus Christi carissimæ in Domino Iesu Christo sorori nostræ Baldegothoni salutem.

Notum tibi sit, domina soror, quia consummavit martyrium suum in pace domina et sanctissima patrona nostra soror tua Flora octavo Kalendas Decembris die tertia feria, horâ nona, unà pariter cum consocia sua beata Maria Cuteclarensi religiosa (quæ inter illos priores Martyres fratrem in cælum præmisit Walabonsum diaconum) perseverantes in sancta professione usque ad mortem. Inde, carissima soror, iubemus te tanta consolationis ope suffultam manere, quanta sine dubio credimus illas inter cælicolas et beatarum virginum choros collocatas manere. Tenentes victoriæ palmas, quotidie ante thronum agni, canticum novum cantantes, atque dicentes: Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam et honorem, quia redemisti nos de potestate tenebrarum, et per gloriosum martyrii trophæum transtulisti nos in regnum tuum. Tu verò, dilectissima, stude vitam tuam dignis et Deo placitis moribus exornare, quibus in æternum valeas cum Christo regnare, et beatarum virginum consortiis inhærere. De cetero direximus tibi pro memoria venerabilis sororis tuæ Floræ cingulum, quo illa in carcere usa est. Vale in Domino, et ora pro nobis, carissima soror. *Apoc. cap. 5. v. 9. et 10.*

EPISTOLA III. AD WILIESINDUM EPISCOPUM PAMPILONENSEM.

ARGUMENTUM.

Cum in Galliam iter divus Eulogius faceret, apud hunc An-

(1) *Cum iam omnia fusiùs et narrata sint, libro secundo* (Id est, Lib. II. Memor. cap. VIII. quod nunc sigillatim editum est sub hoc titulo: Vita et Passio SS. Floræ et Mariæ) *et Epistola superiore, atque utrobique, quæ necessaria visa sunt, annotata; nihil hic reliquum fuit, quod scholiis indigeret.* Moral.

Antistitem fuerat diversatus, qui beati Zoyli martyris Cordubensis ab eo reliquias petierat. Eius suæ peregrinationis historiam hîc retexens, reliquias Zoyli, et Aciscli etiam transmittit, calamitates, quas Cordubensis perpetitur Ecclesia, multorumque martyria recensens. (1)

V. Schol. Reverentissimo et sanctissimo Dei ministro domino et patri meo Wiliesindo Pampilonensis Sedis Episcopo, Eulogius presbyter salutem.

V. Schol. Olim, beatissime Papa, cum dira sæculi fortuna, quæ fratres meos Alvarum et Isidorum a genitali solo abducens, penè in ulteriores Togatæ Galliæ (2) partes apud Hludovicum regem Baioariæ exulare fecit: cum me etiam propter eos diversas adire regiones, et ignota atque laboV. Schol. riosa itinera subire compelleret (quoniam stipata prædonibus via, V. Schol. et funeroso quondam Wilihelmi tota Gothia perturbata erat incursu, qui adversum Carolum regem Francorum eo tempore auxilio fretus Habdarraghmanis regis Arabum, tyrannidem agens, invia et inadibilia cuncta reddiderat) ad partes PampiloV. Schol. nenses diversus, putaveram me inde citò migraturum. Sed ipsa iterum, quæ Pampilonem et Seburicos limitat Gallia ComV. Schol. mata, in excidium prædicti Caroli contumaciores cervices factionibus comitis Sancii Sancionis erigens, contra ius præfati Principis veniens, totum illud obsidens iter, immane periculum commeantibus ingerebat. Eo tempore magnam mihi consolationem Beatitudo tua in ipsa peregrinatione exhibuit. Et verè summi magistri typum gerens, et in veritate eius præceptis obediens, non distulisti hospitio recreare, quem tibi vera caritas Iesu Christi commendaverat, dicentis: *Hospes eram, et collegistis me.* Ita thesauros meritorum apud patrem in cælis collocare studens, præbes necessaria destitutis, foves omnia, universa tutaris: adeò ut in illo exilio meo nihil præter affectuosam peregrinorum fratrum et destitutæ familiæ præsentiam suspirarem. Lugebam ego sæpe; sed tu pater assiduè consolabaris mœrentem: flebam multum; sed tu pia compassione relevabas prostratum. Quandoquidem iuxta Apostolum mecum infirmabaris, mecum tristabaris, plangebasque ubertim, cum ego plorarem. Cumque me uno residere loco multiplex dolor non si-

Peregrinatio S. Eulogii.

Matth. 25. 35.

Wiliesindi caritas.

Rom. 12. 15. *et* 2. *Cor.* 11. 29.

(1) *Titulos in hac et in ceteris Epistolis, quemadmodum in veteri codice fuerunt, reliquimus. Et hic ille Wiliesindus Episcopus est, cuius multam mentionem facit Ifligui Aristæ regis diploma, quod in Navarrorum historia Garibayus apposuit; de quo in Nunilone et Alodia iam diximus.* Moral.

(2) *Cisalpina Galliæ pars quæ Italiæ coniuncta fuit, Togata ideo dicebatur, quod togis incolæ, quemadmodum Romani, uterentur. Plin. lib.* 3. *cap.* 14. Moral.

sineret, libuit mihi loca visitare Sanctorum, quo deiectum summis mœroribus animum relevarem.

2 Et maximè libuit adire beati Zachariæ ascysterium [1], quod situm ad radices montium Pyrenæorum in præfatæ Galliæ portariis, quibus Aragus flumen
V. Schol. oriens, rapido cursu Seburim et Pampilonam irrigans, amni Cantabro infunditur: quod famosissimis in exercitatione regularis disciplinæ studiis decoratum, toto refulgebat occiduo. Sed tu pater iuvas anhelantem, et salutari consultu instruis abeuntem, pioque fratrum comitatu foves pergentem. Priùs autem quàm ad eumdem locum accederem, plures apud Legerense
V. Schol. *De monasterio Legerensi.* monasterium commorans dies, præcipuos in Dei timore viros ibidem manere cognovi. Deinde alia atque alia loca peragrans, tandem divino munere ad illud, quod sæpius desiderabam, perveni cœnobium. Præerat quippe ei tunc Odoarius Abbas [2], summæ sanctitatis magnæque scientiæ vir, qui, ultra quàm referri potest, nos dignè suscipiens, omnem erga nos humanitatem exhibuit.

De cœnobio S. Zachariæ laudes dignæ. 3 In illo etenim beatæ congregationis collegio, quod [3] pene centenarium numerum excedebat, veluti sidera cæli, alii quidem sic, ceteri verò sic, diversis meritorum virtutibus emicabant. Florebat in nonnullis perfecta caritas Christi, quæ foris mittit timorem: plerosque alto culmine extollebat humilitas, qua sese unusquisque iuniore inferior reputans, imitatores præceptorum Dei fieri contendebant. Multi etiam cum essent corpore imbecilles, virtute tamen magnanimitatis subnixi, alacrioribus animis iniunctum exercebant obsequium. Sic quoque in aliquos principatum suum obedientia (quæ omnium virtutum magistra est) vindicans, suos non patiebatur executores degenerare; sed supra vires grandia exercere compellebat, quoscumque suo munere illustraverat. Operabantur omnes certatim; alter alterum invitans, contendebat præcellere. Augebatur invicem ardor placendi Deo et fratribus, et unusquisque propriæ artis industriam ad communem profectum exercitabat. Exercebant alii peregrinorum et hospitum diligentiùs curam, et quasi declinanti Christo ad hospitia eorum, omnibus adventantibus obsecundabant. Cum verò tot essent, nullus murmurans, nemo arrogans intererat. Studebant cuncti silentio, totamque per noctem furtivis precibus incumbentes, nocturnum chaos pervigili meditatione vincebant; magna se circumspectione vallantes, ne Psalmistæ denotarentur oraculis, qui ait: *Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt.* *Psalm. 75. 6.*

4 Sed quid referre de san- *Recedit Eulogius reversurus Pampilonam.*

(1) *Diximus de hoc vocabulo Schol. in Præfat. Lib. I. Memor. n. 2.* Moral.

(2) *Sunt qui dicant huius Abbatis se quædam opuscula excussa vidisse. Certè Trithemius eius inter scriptores ecclesiasticos non meminit.* Id.

(3) Schot. *bene.*

ctorum virtutibus lingua potest mortalis, qui in terris positi angelicè degunt? Et qui licèt inter homines conversentur, propositum verò gerunt cæleste? Cum quibus paululùm commorans, cum ab eis vellem discedere, omnes solo proruunt, pro se exorare deposcunt, et cur tam citò a me desererentur, supplici prece conquerebantur. Præstabat quippe tunc mihi carissimus filius [1] meus Theodemundus diaconus comitatum, qui ab exordio itineris mei usque in ultimum inconvulsibiliter contubernio meo cohærens, mecum totius discrimina illius peregrinationis confecit. Regredientibus ergo nobis, præbent sodalitatem Abbas ille venerabilis Odoarius, et Ioannes Præpositus [2], per totum usque in vesperum diem colloquium de divinis Scripturis gerentes. Sic quoque ab invicem datis osculis discedentes, ad te, Apostole Dei, e vestigio repedavimus, cuius informatione tanta honoris venerabilitate ab illis patribus excipi meruimus.

Eius mentis angustiæ

5 Igitur cum proprium revisere arvum, piæ matris Elisabeth seu sororum duarum Niolæ et Anullonis, iuniorisque fratris Ioseph urgerer affectu; cogis, ut adhuc remaneam, nec sinis abire mœrentem. Sed utroque vulnere percussum cor meum tu iam mederi non poteras, cui et peregrinatio fratrum, et desolatio domesticorum quotidianum afferebant lamentum. Ita de nostra caritate confisus, rogas ut Cordubam repetens, ipse reliquias tibi sancti martyris Zoyli dirigerem, et hoc munere Pampilonenses populos illustrarem. Illico me satisfacere petitioni tuæ, respondi; et huius rei debitorem me vobis esse in veritate promisi. V. Schol.

6 Cumque a vobis egrederer, festinus Cæsaraugustam perveni causa fratrum meorum, quos vulgi opinio negotiatorum cohortibus interesse nuper ab ulterioris Franciæ [3] gremio ibidem descendentibus iactitabat. Deinde urbi appropinquans, negotiantes quidem reperi, peregrinos autem meos eorum relatione apud Maguntiam nobilissimam Baioariæ civitatem exulasse cognovi. Et verum fuisse hoc negotiatorum nuntium, regredientibus Deo fautore succedenti tempore ab interiori Gallia fratribus nostris, didicimus. V. Schol.

Revertitur

7 Aliquandiu verò apud Seniorem Pontificem, qui tunc rectis vitæ moribus eamdem urbem regebat, demorans, postea Complutum descendi, raptim per Segonciam transiens civitatem, in qua tunc præsulatum gerebat vir prudentissimus Sisemundus. Et cum V. Schol.

(1) *Spiritaliter filium nominat, quem in Christo, ut D. Paulus inquit, genuerat; erudiens, instituens, et ad eum usque dignitatis in Ecclesia gradum provehens.* Moral.

(2) *Nostri temporis monasteria Benedictina et Cisterciensia præter Abbatem, Priorem etiam (ita appellant) ex prisco suo instituto habent. Hunc nimirum Præpositum vocat D. Eulogius.* Id.

(3) *Boiariam seu Baioariam Germaniæ superioris partem rectè ulteriorem Franciam nominat: nam Francorum tunc et regnum et nomen ad Germaniam usque ultimam protendebatur. Est autem Maguntia notissima in Germania superiori civitas.* Id.

cum ab antistite Complutensi Venerio dignè susciperer, post
v. Schol. quintum diem Toletum reverti, ubi adhuc vigentem sanctissimum senem nostrum, faculam Spiritus sancti, et lucernam totius Hispa-
v. Schol. niæ [1] Wistremirum Episcopum comperi: cuius vitæ sanctitas totum orbem illustrans, hactenus honestate morum celsisque meritis catholicum gregem refovet. Multis apud eum diebus degimus, eiusque angelico contubernio hæsimus.

Revertitur Cordubam 8 Cumque in domum me revocassem, cuncta incolumia reperi, genitricem scilicet binasque sorores, et ultimum no-
v. Schol. strorum omnium ætate Ioseph, quem sæva tyranni indignatio eo tempore a principatu deiecerat. Suscipit peregrinum suum destituta familia, et quasi e sepulchro suscitatum lætantibus animis gaudet revisisse post longum tempus Dominum. Ego verò semper in omni colloquio meo te patrem [2] extollens, semper inter familiares sermocinationes tuam beneficentiam recolens, semper tuæ caritatis affectum corde gestans, mentis ulnis amplector.

9 Et quia intercedente terrarum prolixa capedine, multis ab invicem disparamur spatiis, obstante quoque alio chaos immane, quo ego Cordubæ positus sub impio Arabum gemam imperio, vos autem Pampilonâ locati, Christicolæ principis tue- v. Schol.
ri meremini dominio, qui semper inter se utrique gravi conflictu certantes, liberum commeantibus transitum negant; inde est, vel quòd non debitum vestræ bonitati dependimus famulatum, vel quòd non pio desiderio vestro satisfecimus in transmissione Reliquiarum, seu quia non quibuscumque tales tantasque opes committere duximus ratum. Nunc autem, quia Deo dispensante,
[3] Donus Galindo Enniconis ad v. Schol.
propria remeans, suos revisere fines exoptat; per ipsum vobis præfati martyris Reliquias destinavimus. Sed et sancti Aciscli, *Reliquias martyris Pampilonam mittit.*
quas a nobis non postulastis, transmisimus, ut vos sponsionis vestræ votum feliciter adimplentes, eorum beatæ memoriæ construendo Basilicam, nobis Deo v. Schol.
fautore propter hanc obedientiam patrocinium illorum occurrat ad veniam. Christo vobis omnia repensante atque donante, quæ in nobis egistis, et quæ erga nos operati estis: quem vestrum in nos olim exhibitum non latet obsequium, et pia remuneratione centuplicatum vobis valet rependere commodum, qui dixit: *Qui vos recipit, me recipit: et qui vos spernit, me spernit: et qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet: et qui recipit iustum in nomine iusti, mer-* *Matth.* 10. 40. 41.

(1) Perperam Baron. *Wistremonium.* Annal. ad ann. 844. num. XXII.
(2) Schot. *excolens.*
(3) Ita rectè Morales, quin opus sit corrigere cum Schotto, *Dominus.* Nam *Doni* seu *Domni* appellationem pro *Domini* frequenter usurpatam nemo ignorat. Aliundè strictissimè loquendo vox *Dominus* Deo tantùm, *Domnus* verò sanctis vel clarissimis viris ac mulieribus tribuitur, Abbatibus simul et monachis, ut videre est apud Glossarium Cangeanum.

cedem iusti accipiet. Cuncta tibi, Pater, reposita sunt coram Domino. Omnia apud illum, quæ piis laboribus tuis debentur, salva et incolumia perseverant, recipienda ab eo tempore necessario, cum iustus iudex advenerit, unicuique reddere pro qualitate laborum, aut præmium, aut supplicium.

10 (1) Denique, beatissime Pater, nolumus vos ignorare tribulationem nostram, quam his diebus nostro præpediente (2) deliquio sustinemus, ut solito nos propensiùs orationum clypeo defendentes, vestræ intercessionis irrepudiabili merito, quod multùm apud Dominum valere confidimus, e profundo tædiorum labyrintho erui mereamur. Etenim anno præsenti, qui est Era octingentesima octuagesima nona, exardescens sævus adversùs Dei Ecclesiam furor tyrannicus omnia subvertit, cuncta vastavit, universa dispersit, retrudens carcere Episcopos, Presbyteros, Abbates, Levitas, et omnem clerum: et quoscumque illa tempestate capere potuit, ferro devinctos, quasi mortuos sæculi subterraneis specubus immersit. Inter quos ego ille peccator amabilis vester devinctus sum, et unà pariter omnes horridos ergastulorum luimus squalores. Viduavit Ecclesiam sacro ministerio, privavit oraculo, alienavit officio: et non est in hoc tempore nobis oblatio, neque sacrificium, neque incensum, neque locus primitiarum, quo possimus placare Dominum nostrum: sed in anima contrita, et in spiritu humilitatis reddimus Christo vota laudationis, ita ut a conventu desinente psalmodiæ cantu, resonent penetralia carceris murmure sancto hymnorum. Quæ omnia prudenti relatione Domnus Galindo vobis enucleatim poterit enarrare: quia nos partim mœrore depressi, partim fastidium impolitæ orationis vitantes, suis limitibus schedulam coarctavimus, ne in modum commentarii brevitas transiret epistolaris.

Ecclesiæ Cordubensis persecutio anno 851.

11 Propter futurarum autem generationum sæcula illustranda, et ut expertes nostrarum tribulationum, et ærumnarum non fierent, saltim vel pauca e plurimis perstringamus. Quidam enim presbyterorum, diaconorum, monachorum, virginum, et laicorum repentino zelo divinitatis armati, in forum descendentes, hostem fidei repulerunt, detestantes atque maledicentes nefandum et scelerosum ipsorum vatem Mahomat; et hoc modo contra eum animosum spiritum erigentes, testimonium protulerunt: « Virum hunc, quem vos summa veneratione excolitis, et cuius sectam præstigiosam instinctu dæmoniorum elicitam tanto honore suscipitis, magum, adulterum, et mendacem esse cognovimus, eiusque

(1) *Quæ sequuntur omnia de Ecclesiæ nostratis calamitatibus sanctorumque martyrio, retrò lib.* 1. *et* 2. *leguntur, atque ibi si quid opus fuit, annotavimus. Repetit verò hîc eisdem verbis quædam D. Eulogius, quæ in Documento Martyriali posuit.* Moral.

(2) Fors. *delicto.*

„ credulos æternæ perditionis la-
„ queis mancipandos confitemur.
„ Quare ergo vos, cum sitis ho-
„ mines prudentissimi, talibus
„ sacrilegiis communicatis, et non
„ potiùs Evangelicam veritatem
„ intenditis? "

12 Hæc et his similia, prout Spiritus dabat eloqui eis, in conspectu Regum et Principum confitentes, omnes gladio vindice interempti sunt. Quorum decisa corpora stipitibus suspendentes post aliquot dies igne cremarunt, eorumque cineres fluvialibus aquis perdendos merserunt, pleraque verò inhumata præ foribus palatii relinquentes, volucribus canibusque devoranda exposuerunt, adhibitis custodiis militum, ne quis Christianorum intuitu humanitatis carnibus nudata cadavera sepeliret, sicut scriptum
Psalm. 78. 2. 3. est: *Posuerunt mortalia servorum tuorum escas volatilibus cæli, carnes sanctorum tuorum bestiis terræ: effuderunt sanguinem eorum velut aquam in circuitu Hierusalem, et non erat qui sepeliret.* Quorum nomina diesque allisionum in fine epistolæ digeremus. Huius rei causa nos devincti manemus, propter hoc compediti existimus: nostro deputantes instinctui, nostræque informationi ascribentes, quicquid illi divinitus illustrati egerunt. Unde quæsumus, ut suffragia orationum vestrarum in defensionem nostram adhibeatis, nostrumque carcerem omnibus monasteriis vestris innotescere faciatis, et ut proni pia exoratione invigilent, iubeatis: ita post peractum luctamen mundi de æterno præmio exultetis.

13 Sane salutationum officia, quæ dudum, aliàs [1] proferendo, omisimus, nunc cernua mente persolvimus, vosque feliciori serie temporum vigere exposcimus. Petentes, ut salvâ honoris vestri reverentiâ, non dedignemini nobis salutare amabiles et carissimos patres nostros, id est, Fortunium Legerensis monasterii Abbatem, cum omni collegio suo, Athilium Cellensis monasterii Abbatem, cum omni collegio suo, Odoarium [2] Serasiensis monasterii Abbatem, cum toto agmine suo, Scemenum Igalensis monasterii Abbatem, cum omni collegio suo, Dadilanem Hur-

(1) *Apparet aliam ante epistolam sine salutationibus Eulogium ad hunc eumdem Wiliesindum scripsisse. Hoc credo intelligit. Ego verba hæc, ut erant in exemplari, reliqui.* Moral.

(2) *Sub sancti Zachariæ nomine et tutela cœnobium hoc fuit conditum. Hoc alterum nomen Serasiense, quo nunc utitur, loci fuit aut regionis.* Id. Eamdem sententiam amplectitur Yepesius, contra quam Ludovicus Bultellus Benedictinus e Congregatione S. Mauri *distinguendum putat sancti Zachariæ monasterium a Serariensi, hoc potissimum adductus argumento, quod prioris patronus erat S. Zacharias, posterioris S. Petrus, ut ex duobus vetustis instrumentis probatur* (Blanca Hist. Aragon. ad annum 969). *Præfuerat quidem S. Zachariæ monasterio Odoarius abbas*, summæ sanctitatis magnæque scientiæ vir: *sed longe ante quàm hanc epistolam scriberet Eulogius, in qua eum uti mortuum laudat, et in fine epistolæ* Odoarium Serariensis monasterii abbatem cum omni collegio suo *salutat. Quod argumento est, eum superstitem fuisse, non alterum Odoarium: quem unum eumdemque fuisse, adeoque unicum monasterium esse opinati sunt Morales et Yepesius.* Hæc omnia Mabillonius in Annalib. Ord. S. Benedicti anno 851. num. XXVI. in fine.

(1) Hurdaspalensis monasterii Abbatem, cum omni collegio suo. Salutamus etiam ceteros patres, quos in peregrinatione nostra tutores et consolatores habuimus, omnemque scholam Dominicam in osculo sancto.

Walabonsus, Sabinianus, Wistremundus, Habentius, et Hieremias 7. Iunii.

In nomine Domini, regnante in perpetuum Domino Iesu Christo, anno Incarnationis eius octingentesimo quinquagesimo, Era octingentesima octuagesima octava, decimo quarto Kalendas Maias, Perfectus presbyter occubuit.

Occiditur S. Perfectus 18. Aprilis ann. 850.

Sequenti verò anno, qui nunc est, Era octingentesima octuagesima nona, tertio Nonas Iunias, Isaac monachus decidit, post quem Sancio Laycus de oppido Albensi, nonas Iunias in hac ipsa Era, martyriali obitu triumphavit.

S. Isaac 3. Iunii 851.

Sancio 5. Iunii.

Deinde Petrus presbyter, Walabonsus diaconus, Sabinianus, Wistremundus, Habentius, et Hieremias monachi, uno die, unaque horâ septimo Idus Iunias, in Era supradicta interempti sunt.

Sisenandus verò diaconus decimo septimo Kalendas Augustas eâdem Erâ prostratus est.

Sisenandus 16. Iulii.

Paulus diaconus decimo tertio Kalendas Augustas, Erâ quâ supra allisus est.

Paulus 20. Iulii.

Theodemirus monachus, octavo Kalendas Augustas eâdem Erâ occisus est.

Theodemirus 25. Iulii.

Isti sunt, qui tradiderunt corpora sua in morte propter testimonium veritatis, ut in æternum viverent. Siquidem et duas virgines Christi Floram et Mariam, nobiscum ob eamdem professionem nunc in Ergastulum detruserunt, et quotidie de interitu comminantur.

Data decimo septimo Kalendas Decembris per Galindum Enniconis virum illustrem, Era octingentesima octuagesima nona. (2)

APOLOGETICUS MARTYRUM.

ARGUMENTUM OPERIS.

Decreverat Divus Eulogius in hoc opere vitam et martyrium Sanctorum Ruderici et Salomonis tantummodo scribere. Id enim initio iam indicat, et tandem in fine operis apparet. Verùm quia instabant adhuc pusillanimes quidam christiani, qui propter imbecilles zelo quodam, sed non secundùm scientiam, commoti martyribus ultro sese iudicibus passionis causâ offerentibus detrahebant; iterum adversùs eos hoc opere insurgit, tamquam non

(1) *Non dubito, quin id cœnobium intelligat, quod nunc* de Urdax *appellamus. Situm est trans Pyrenæos Galliam versus non admodum longe ab urbe Baiona disitum. Et cum Eulogii tempore Ordinis D. Benedicti fuerit, nunc est Præmonstratensis.* Id.

(2) *Sic fuit in exemplari.* Moral.

non satis haberet in primo libro contra hos validè pugnasse. Tractat autem locos quosdam ex his quibus iam responderat, et denuo alia refutat argumenta. Erat autem miserè corruptum exemplar, lassato nimirum iam descriptore, et negligentiùs omnia excipiente. Hinc fuit hîc multò magis in emendando sudandum. Neque tamen nobis permisimus, nisi unum aut alterum verbum addere, permutare, transponere. Diximus autem iam auctorem Indiculi Luminosi id opus in defensionem martyrum scripsisse iisdem rationibus dilutis.

IN NOMINE DOMINI

INCIPIT

LIBER APOLOGETICUS [1] SS. MARTYRUM EULOGII PRESBYTERI.[2]

PROLOGUS.

Dum studio promendi martyrum gesta operis huius brevitatem extruere intentarem, meumque exilem in indagatione præliorum sanctorum stilum immitterem, confestim oblatrantium stolidorum opiniones recolens, qui proprium de eo pro captu scientiæ ferentes iudicium, non ut prioribus, his quoque reverentiam martyribus exhibendam esse decernunt; nisus sum in exordio operis adversùs eos respondere. Quo contigit, ut in vigorem Apologetici gestorum pertransiret materies. Et licèt suprema pars commentarii martyrum gestet agonem, et qualiter trophæis victoriarum milites Dei claruerint, penultima series libelli exponat; pro eo tamen quòd in principio delatorum maledictis occurri, potiùs *Apologeticus Sanctorum*, quàm gesta solummodo martyrum appellari decrevi: ut totum pro parte designans, mox limen lectionis recessum aperiret voluminis: ne pro toto nominans partem, in aliud quod non existimaret, prudens lector impingeret, foretque tunc facilis detrahendi infensis occasio, dum aliud nomen, aliud proderet volumen. Percurrant ergo lectores mei simpliciter, quod fidelis devotio nostra in defensione martyrum pio Redemptori dicavit; nec ritu belluino laborem nostrum malivola intentione subsannent, quoniam scriptum est: *Omnis detractor eradicabitur.* Licèt enim opus nostrum reprehensionibus dignum sit, Deo tamen, non invidis, arguendi nos manet iudicium, cui cum velle suppetit indulgendi, protinus subest facilitas exequendi.

(1) Scriptus anno 857.

(2) *Titulus hic fuit in veteri.* Moral.

IN-

INCIPIT TEXTUS OPUSCULI.(1)

Egregia beatorum certamina martyrum feliciumque monumenta virorum, qui Deo fautore totius vanitatis respuentes affectum, specimen belligerandi præcipuum mortalibus reliquerunt, licèt a prudentioribus timoratis indagare sit congruum, et iure a iustificatis quodam privilegio sanctimoniæ exponi sit ratum; non tamen abnuenda est vox peccatorum vera promentium: quandoquidem non solùm alienigenarum, ut Hietro et Hiram, consultum intenditur, dum *Exod.* 18. 13. *&c.* et ab uno Moyses expositam iudicii formam custodit, et ab alio 3. *Reg.* 5. 2. *&c.* Salomon in ædificatione templi industriam accipit; verùm etiam *Num.* 22. 28. *&c.* irrationabili animali humaniter facundiam exercitare conceditur. Quare ergo culpabilis iudicetur talia præsumens, cum in veritate dignus sit præmio benedictionis, veritatem enarrans? Et si sanctitas remunerat iustum, dignumque efficit concionari sancta sanctorum; quare non tueatur pietate peccator magnificans iustum, dummodo ad multorum profectum studet patefacere victorias beatorum? Quæ si fuerint obliteratæ silentio, nullum poterunt fidelibus piæ conversationis exhibere exemplum: ut elucubratis electorum trophæis tam possint desides excitare ad prælium, quàm certantes informare perfectionis intendere terminum: Nam cum omnes Sancti terreno non egeant laudationis præconio, qui iam cælestium exuberant muneribus præmiorum; necessariò tamen eorum meritis applicatur, quicquid bonitatis suorum gratia exemplarium mortalibus operatur.

2 Promam igitur dominorum meorum gesta victricia, et in quantum posse cælitus mihi collatum est, in talibus rebus conatus meos expendam: quia non dubii de clementia Redemptoris, non solùm culparum talibus studiis remedium speramus, verùm etiam eorum, quos votivo celebramus stilo, consortium adipisci confidimus, dicente Domino: *Qui* *Matth.* 10. 40. 41. *vos diligit, me diligit: et qui vos recipit, me recipit: et qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet: et qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet.* Et iterum in Psalmis: *Mihi autem honorificati* *Psalm.* 138. 17. *sunt amici tui, Deus.*

3 Sed priùs quam eorum exequar trophæa insignia, operæpretium resistere credidi imperitis, qui ore blasphemo horum temporum martyribus derogantes, non esse illos consimiles prioribus martyribus volunt. Illa denique, aiunt, gentilitas olim simulacrorum cultibus dedita, variisque imaginum sacrilegiis occupata, milleno extitit idolorum portento subacta; et quot mundialium mirata est species rerum, tot

Prima obiectio adversariorum contra Martyres.

Mahom
olunt.

(1) *Et hoc etiam fuit in exemplari.* Id.

tot sibi instituit formas deorum: putans non aliàs obtineri posse temporarium commodum, ob quod suum miserabilem summis viribus expendebat conatum, nisi haberet numerosam observantiam numinum. Cuius errore decepta, crudeli persequutione resistentem ac adversantem sibi christianam vexabat militiam convitiis, lacerationibus, flagris, equuleis, incendiis, bestiis, fluctibus, ac diversis generibus tormentorum: sperans a cultu religionis revocari posse suppliciis animas, quas spiritali conflictu introrsus, iam eruditas, noverant etiam facillimè materiales debellantium evincere pugnas. Sic hebes dum invictissimam fortissimorum militum virtutem admiratur, de immensis quoque miraculorum ostensis obstupescens, insultat, dæmonicis deputando præstigiis, quæ cæcata mente pietatis nequibat effectum advertere. Erantque, ut apud plurima legimus exemplaria, beatorum occasiones convertendi ad Christum, prodigia ipsa signorum. Nam isti tyrones, et nostrorum temporum Confessores ab ictu mucronis celerem tantummodo excipientes interitum, nullam furentium acerbitatem perpessi tortorum, non sub diutinum desudarunt stimulum. Præsertim cùm ab hominibus Deum colentibus, et cælestia iura fatentibus compendiosa morte perempti sint. Unde sat eis est, si præteritorum curationem adepti sunt criminum, quod non tersit catenarum stridor, ferri onus, squalor carceris, nec diversa pœnalitas persequentis.

Mahometani Deum colunt.

4 Igitur hæc vana parvipendentium adinventio congrua necesse est legum auctoritate retundatur: et in quantum Dominus iuverit, veridico assertionum ariete impellatur. Ut mens religiosorum sacratissimis imbuta oraculis, discat ex veritate novitios, sicuti priscos venerari patronos, quos generali devotione per mortem gloriosam ire cernit ad cælos. *Respondet primæ parti obiectionis.*

5 Quid enim celere militibus sanctis excidium officit, per quod ad id cursim pervenit, quo per varia et aspera tormenta olim catalogus beatorum accessit? Aut quid interest, quo mortis genere ex hac vita mortis excedat, quando, ut scriptum est: *Iustus quacumque morte præoccupatus fuerit, anima eius in refrigerio erit?* Aut quid obest, utrum per longa cruciamina, an subitaneo obitu decidat, quando una eademque res est, quæ utrosque coronat, zelus scilicet Dei, et amor regni perpetui? An non perfecti exequutores præceptorum Christi censendi sunt, qui subitanea mortificatione accensi, rerum oblectamenta spernentes, etiam parentum, filiorum, coniugum, fratrum, cunctorumque affectiones affinium ad punctum temporis abnegarunt? Et quid inter universa supplicia cruentius morte est? Quid terribilius, quàm micantem ante oculos cernere gladium, cervicibus confitentium protinus illapsurum? Aut quid per longa certamina nisi mors sanctis martyribus quæritur? Illa utique mors de qua Psalmista *Sup. 4. 7.*

Psalm. 115. 15. canit et dicit: *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius.* Non enim diu patienti, sed vincenti corona promittitur. Et feliciori pertinacia beati agonis terminum præstolans, de spe salutis æternæ quodammodo magis animatur, dicente Domino: *Matth.* 10. 22. *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Sive autem dilationibus, sive fortuitis casibus passionum strenuis militibus propter Christum pugnantibus propera seu tarda mors occurrat; hoc solummodo advertendum est, si causâ fidei passiones excipiant, si propter Christum coronatorem martyrum, ut in æternum salventur, animas perdere anhelant, sicut scriptum *Ibi v.* 39. est: *Si quis voluerit animam suam salvam facere, perdet eam, et qui perdiderit animam suam propter me, in vitam æternam custodiet eam.* Nam etsi culpis obnoxii maneant, et ex qualibet sorde vitiorum infecti ad martyrium veniant, nihil impedit; cum omnibus martyriali trophæo deletis ad Christum coronandi accedant. Idem enim est per multa tormenta in nomine Crucifixi animam in morte tradere, et semel uno ictu propter ipsum occumbere, qui dixit: *Si quis perdiderit animam suam propter me, in vitam æternam inveniet eam.* Et licèt *Act.* 14. 21. scriptum sit, *quòd per multas tribulationes oporteat nos conscendere ad regnum*, utique cum suppetunt, sustinendum est usque ad obitum: sin verò celeritas persequentis intercidens, expeditam Confessoribus Christi intulerit mortem; et in hoc nullatenus gloria eorum mutilanda est, quia perseveraverunt usque in finem.

6 Frustra ergo zelo Dei accensus ad bravium festinaret miles egregius, et casso conatu in primordiali exercitatione vires suas expenderet, si ab Imperatore emeritæ victoriæ triumphis defraudaretur, pro eo quòd in procinctu et in ipso belli auspicio palmam de tyranno obtinuit, neque eam diutina et laboriosa conflictatione conquisivit, aut per multimodum concertationis discursum adepsit. Illis utique laboriosis vexationibus, et non expeditæ victoriæ corona deberetur, si magis prolixitas pugnæ, quàm festinatum trophæum pensaretur. Qualitas itaque non quantitas intentionis observanda est discurrentis ad præmium, cum quoquomodo rei desideratæ capiatur effectus. Unus tamen idemque est rex æternus, pro cuius amore temporalibus se passionibus sancti omnes submittunt. Quid enim latroni evangelico ob- V. Schol. stitit, quod fraterno cruore illitis manibus crucem ascendit? Aut qualibus inter ipsa mortis dispendia miraculis coruscavit, qui (ut ita dixerim) totius vitæ suæ metam latrociniis, rapinis, prædisque exegit? Et tamen sub unius confessione momenti tanto scelere non solùm eruitur, verùm etiam dignus comitatu Redemptoris primus paradisi possessor habetur, dicente Domino: *Ho-* *Luc.* 23. 43. *die mecum eris in paradiso.* Et *Ioan.* 15. 13. si nemo maiorem habet dilectionem, quàm qui animam suam pro

Comparatio.

pro amicis suis ponit; quantò excellentiori caritate ferendus est, qui pro Deo suo decertat usque ad mortem? Nam et paterfamilias non unâ horâ colonis in vineam missis æquam mercedem dispensans, non magnopere de temporis curat diversitate: quia in exercitatione laboris non expertem a priorum intentione ultimorum mercenariorum operam
Matth. 19. 30. compensat. Multi autem erunt novissimi primi, et primi no-
Ibi 8. 11. vissimi; et multi venient ab Oriente et Occidente, et recumbent cum Abraham, Isaac et Iacob in regno cælorum.

7 Miraculorum verò insignia ideo olim inter supplicia per eosdem athletas Dei virtus mundo præstabat, ut prodigiorum virtutibus vel mitigaret furentum insaniam, quæ beatorum constantiam fatigabat; vel incredulum genus ab infidelitatis errore converteret, qui cælestium iura Scripturarum obduratis præcordiis
Miracula initio nascentis fidei necessaria. respuebat. Eratque illo tempore multoties necessarium Dei testes signis coruscare virtutum, quoniam rudem per ævum diffusum christianismum nunc instructione verborum, nunc exercitatione Scripturarum, nunc ostensione signorum, nunc etiam trophæis inclitis passionum conabantur radicitus fieri firmum in cordibus credentium populorum, sicut
Marc. 16. 15. *&c.* scriptum est: *Euntes per universum mundum, prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur: In nomine meo dæmonia eiicient: linguis loquentur novis: serpentes tollent: et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Super ægros manus imponent, et bene habebunt. Illi autem profecti, prædicaverunt ubique Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis.* Et iterum: *Euntes* *Matth.* 10. 7. 8. *prædicate dicentes: quia appropinquavit regnum cælorum. Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones eiicite: gratis accepistis, gratis date.* Hæc prima fidei nostræ rudimenta fuerunt: harum exercitatione virtutum, quasi lactantium parvulorum auspicia, teneritudo eius et confota est et nutrita; ut ministerio signorum vel augeretur multitudo fidelium, vel roboraretur fides credentium: ac veluti quædam instrumenta ferramentorum fuerunt, per quæ ornamenta ex auro argentove, torques scilicet, monilia, regumque diademata componenda, aptanda, et compingenda, formata sunt.

8 Itaque gratiâ confirmatio-
Miracula per fidem patrantur. nis catholicæ fidei in primordio sui portenta atque miracula Christo cooperante profusiùs esse ostensa videmus: et ideo non miracula fidem præcedunt, aut fides miraculis cedit, ad quorum efficientiam nisi per fidem non pervenitur. Sic Moyses legifer sanctus, alternatione divini colloquii dignus, fide grandis effectus est. Sic Deo credulus Abraham iustificari promeruit, dicente Scriptura: *Credidit Abraham* *Gen.* 15. 6. *Deo, et reputatum est illi ad* *Iac.* 2. 23.

iustitiam, et amicus Dei appellatus est. Sic iusti ex fide vi-
Hebr. 11. 33. 34. vunt, et omnes sancti per fidem regna vicerunt, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones, obturaverunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, fugaverunt aciem gladii, convaluerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello.

Alloquitur adversarius Eulogius. 9 Vides ne (o tu quisquis ille es, qui contra assurgis) quòd hæc omnia instrumenta fidei sunt, et quasi clientulo famulatu piæ religioni subiecta, ut ex hoc nunc iam te in veritate credere oporteat, non prodigiis atque portentis, sed integritate fidei, et professionis constantiâ excellentiores fieri martyres; illudque tantummodo in eis sit admirandum, quòd animo fortiori mortem exceperunt propter Chri-
Matth. 10. 39. stum, qui dixit: *Qui perdiderit animam suam propter me, in vitam æternam inveniet eam?* Sanè omnium virtutum radix ac fundamentum fides est, quæ certantes adiuvat, vincentes coronat, et cælesti dono quosdam defectu signorum remunerat. Nihil est enim quod sinceræ fidei denegetur, quia nec aliud a nobis Deus quàm fidem (1) exigit. Hanc diligit, hanc requirit, huic
Sæpe in Evangel. cuncta promittit et tribuit. *Fides* (inquit) *tua te salvum fe-*
Apoc. 2. 10. *cit.* Et: *esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ.* Nihil ergo fidei subtraxit, nihil ei impossibile esse depromit.

10 Nec magnopere de prodigiorum insignibus confidendum est, quæ plerumque ab infidelibus exeruntur, ut in Exodo scribitur: *Fecerunt et malefici per incantationes, sicut et Moyses.* *Exod.* 7. 11. 22. *et* 8. 7. 15. De qua quæstione sufficienter, ut opinor, in illo Memoriali (2) Sanctorum opere disputatum est. Sive enim Dei testes miraculis emicent, sive absque prodigiis beatum certamen expediant, nihil interest; cùm ab eis hoc cælestis auctor solummodo expetat, ut usque ad finem constantiam spei suæ non deserentes, viriliter agonem consumment, quo in æternum catalogis adunati sanctorum, de perpetuitate salutis exultent, dicente Domino: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* *Matth.* 10. 22.

11 Simplex profectò dispositio nostra extiterat, ut victorum victorias depromentes, compendiosæ brevitati studeremus; sed repagulis insolentium præpeditus, nisus sum hoc Apologeticum incertis assertoribus dare, et ideo fortè, ultra quam debui, modum excessi historiæ. Contra quorum pravitates paulisper adhuc veniendum est, quò fidelis conventus discat votis ardentioribus plus amare quod credit, dum ex auctoritate sacræ legis et veritatem religionis et errorem impiæ novitatis compererit.

Secunda obiectionis pars, cui respondetur. 12 Dicunt enim, quòd ab hominibus Deum et legem co-len-

(1) *Vividam nimirum et operibus plenam intelligit D. Eulogius, qui de martyrum fide loquitur, qua vividiorem nullam reperies, siquidem per ingentem caritatem operatur. Illam enim maiorem caritatem esse Christus astruxit, cum animam suam ponat quis pro amicis suis.* Moral.

(2) Lib. 1. num. 13. et seq.

lentibus passi sunt; nec ad sacrilegia idolorum, sed ad cultum veri Dei invitati, perempti sunt; et ideo non ut priorum martyrum, horum martyria veneranda sunt. Deum ergo et legem isti vanitatis cultores ullo modo habere credendi sunt, qui Evangelicæ institutionis per totum orbem vitalia diffusa præcepta non solùm non credunt, verùm etiam omni zelo perversitatis magnum discrimen ea fatentibus ingerunt, exosum et iniquum putantes Christum verum Deum et verum hominem credere? Ac sic irrisione nefaria quotidie Dei sortem infamantes, ritum sacræ religionis ubique lacessunt, irridٍent, et maledicunt, spem credulitatis et fidei suæ in cuiusdam pestilentiosi ac dæmoniosi homunculi divinationibus collocantes. Qui ab spiritu immundo præreptus, iniquitatis mysterium ut verus Antichristi præcursor exercens, nescio quam novitatis legem pro suo libito, et instinctu dæmoniorum perdito vulgo instituit. De quorum impietate beatus Paulus Apostolus patulis prophetismi oraculis sancto revelante Spiritu Thessalonicensibus dicit: *Pro eo quòd caritatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent, ideo mittit illis Deus spiritum erroris ut credant mendacio, et iudicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati in omni seductione.* Idem quoque ad Romanos refert: *Revelabitur enim ira Dei de cælo super omnem impietatem, et iniustitiam hominum eorum, qui veritatem in iniustitia detinent: quia quod notum est Dei, manifestum est in illis.* Et: *cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt: sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum. Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. Qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium: et coluerunt, et servierunt vanitati potiùs quàm creatori, qui est Deus benedictus in sæcula. Propter quod tradidit eos in reprobum sensum, ut faciant quæ non conveniunt: repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, nequitia: plenos invidia, homicidiis, contentione, dolo, malignitate: susurrones, detractores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inventores malorum, parentibus non obedientes, insipientes, incompositos, sine affectione, absque fœdere, sine misericordia. Qui cùm iustitiam Dei cognovissent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt, digni sunt morte: non solùm qui faciunt, sed et qui consentiunt facientibus.* Nam et beatus Petrus princeps Apostolorum, firmissimum Ecclesiæ Catholicæ fundamentum, utpotè cui ab ipso Redemptore dictum est: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam;* ita in suis Epistolis ait: *Fratres, habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis intendentes, quasi lucerna lucenti in caliginoso loco donec dies lu-*

Mahometani Evangelio non credunt.

Mahometi perversitas.

2. *Thes.* 2. 10. 11.

Rom. 1. 18. &c.

Matth. 16. 18.

2. *Petr.* 1. 19. &c.

lucescat, et lucifer oriatur in cordibus nostris. Hoc primum intelligentes, quòd omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia: sed Spiritu sancto inspirante, loquuti Ibi 2. 1. &c. *sunt sancti Dei homines. Fuerunt verò et pseudoprophetæ in populo, sicut et in vobis erunt magistri mendaces, qui subintroducent sectas perditionis, et eum, qui emit eos, Dominatorem abnegantes, superducent sibi celerem perditionem. Et multi sequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blasphemabitur: et in avaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur. Quibus iudicium iam olim non cessat, perditio eorum non dormitat.*

13 Quæ omnia, sicut hæc beata Apostolorum annuntiatio continet, non solùm eidem pseudoprophetæ, sed et illis, qui eum reverenter accipiunt, convenire, multi peritissimorum mecum intelligunt, nec nos tanta de sanctis Scripturis contra eum, eiusque sequipedas frustra congesisse advertunt. Quippe quem iam vident sacræ legis præconio prædictum, ac veri magistri do- Matth. 24. 11. centis oraculo denotatum: *Multi pseudoprophetæ surgent, et seducent multos.* Nihil certè de nostra in eum exprobratione arguerent, quem tot patrum auctoritate impugnari cernerent.

14 Quapropter hoc in loco non mihi absurdum esse videtur, si præcedentium de eo doctorum testimonium proferam, ut quomodo eum tunc ecclesiastici viri diiudicaverint, et qualiter illum fide et professione coluerint, quantusque et qualis apud nostros extiterit, melius ex eorum dictis agnoscant, qui nunc cum non sano sensu legem illum adduxisse, aut Deum in veritate coluisse asseverant.

15 Cum essem olim in Pampilonensi oppido positus, et apud Legerense cœnobium demorarer, V. Schol. cunctaque volumina, quæ ibi erant, gratiâ dignoscendi, incomperta revolverem; subitò in quadam parte cuiusdam opusculi hanc de nefando vate historiolam absque auctoris nomine reperi.

16 „ Exortus est namque „ Mahomat hæresiarches tempo- V. Schol. „ re Heraclii imperatoris anno im- „ perii eius septimo, currente „ Era DCLVI. In hoc tempore „ Isidorus Hispalensis Episcopus „ in catholico dogmate claruit, „ et Sisebutus Toleto regale cul- V. Schol. „ men obtinuit. Ecclesia beati „ Euphrasii apud Iliturgi urbem V. Schol. „ super tumulum eius ædificatur. „ Toleto quoque beatæ Leoca- „ diæ aula miro opere, iubente „ prædicto Principe, culmine al- „ to extenditur. Obtinuitque præ- „ dictus Mahomat nefandus pro- „ pheta principatum annis de- „ cem, quibus expletis, mortuus „ est, et sepultus in inferno. „ Exordia verò eius fuerunt ta- „ lia. Cùm esset pupillus, factus *Mahometis principia.* „ est cuiusdam viduæ subditus. „ Cumque in negotiis cupidus „ fœnerator discurreret, cœpit „ christianorum conventiculis as- „ siduè interesse, et ut erat astu- „ tior tenebræ filius, cœpit non- „ nul-

„ nullas collationes christiano-
„ rum memoriæ commendare,
„ et inter suos brutos Arabes
„ cunctis sapientior esse. Libi-
„ dinis verò suæ succensus fo-
„ mite, cum patrona sua iure
„ barbarico in ira congressus est.
„ Moxque erroris spiritus in spe-
„ ciem vulturis ei apparens, os
„ aureum sibi ostendens, Ange-
„ lum Gabrielem esse se dixit,
„ et ut propheta appareret, im-
„ petravit. Cumque repletus es-
„ set tumore superbiæ, cœpit
„ inaudita brutis animalibus præ-
„ dicare, et quasi ratione qua-
„ dam, ut ab idolorum cultu
„ recederent, et Deum incorpo-
„ reum in cælis adorarent, insi-
„ nuavit. Arma sibi credentibus
„ assumere iubet, et quasi novo
„ fidei zelo, ut adversarios gla-
„ dio trucidarent, instituit. Oc-
„ culto quoque Deus iudicio
„ (qui olim per Prophetam di-
Hab. 1. 6. 8. „ xerat: *Ecce ego suscitabo su-*
„ *per vos Caldæos, gentem ama-*
„ *ram et velocem, ambulantem*
„ *super latitudinem terræ, ut*
„ *possideat tabernacula non*
„ *sua. Cuius equi velociores lu-*
„ *pis vespertinis, et facies eo-*
„ *rum ut ventus urens, ad ar-*
„ *guendos fideles, et terram in*
„ *solitudinem redigendam*) no-
„ cere eos permisit. Primùm
„ namque fratrem Imperatoris,
„ qui illius terræ ditionem tene-
„ bat, interimunt, et ovantes
„ de triumpho victoriæ gloriosi
„ effecti, apud Damascum Sy-
„ riæ urbem regni principium
„ fundaverunt. Psalmos denique
„ idem pseudopropheta in ore in-
„ sensibilium animalium compo-
„ suit, vitulæ scilicet rubræ me-
„ moriam faciens. Araneæ quo-
„ que muscipulæ ad capiendas
„ muscas historiam texuit. Upup-
„ pæ præterea et ranæ cantus
„ quosdam composuit, ut fœtor
„ unius ex eius ore eructaret,
„ garrulitas verò alterius in eius
„ labiis non desineret. Alios quo-
„ que ad condimentum sui erro-
„ ris in honorem Ioseph, Zacha-
„ riæ, sive etiam genitricis Do-
„ mini Mariæ stilo suo digessit.
„ Cumque in tanto vaticinii sui
„ errore duraret, uxorem vicini
„ sui nomine Zeid concupivit,
„ et suæ libidini subiugavit. Quod
„ scelus maritus eius sentiens, ex-
„ horruit, eamque prophetæ suo,
„ cui contradicere non valebat,
„ permisit. Ille verò quasi ex
„ voce Dominica in lege sua il-
„ lud annotavit, dicens: Cumque
„ mulier illa displicuisset in ocu-
„ lis Zeid, et eam repudiasset,
„ sociavimus eam prophetæ no-
„ stro in coniugium, quod ce-
„ teris in exemplum, et posteris
„ fidelibus id agere cupientibus,
„ non sit in peccatum. Post cu-
„ ius tanti sceleris factum mors
„ animæ, et corporis illius simul
„ appropinquavit. At ille interi-
„ tum sibimet imminere persen-
„ tiens, quia propria virtute se
„ resurrecturum nullo modo scie-
„ bat, per Angelum Gabrielem,
„ qui ei in specie vulturis appa-
„ rere, ut ipse aiebat, solitus
„ erat, resuscitaturum se tertia
„ die prædixit. Cumque animum
„ inferis tradidisset, solliciti de
„ miraculo, quod eis pollicitus
„ fuerat, arduâ vigiliâ cadaver
„ eius custodire iusserunt. Quem
„ cum

„ cum tertia die fœtentem vi-
„ dissent, et resurgentem nullo
„ modo cernerent, Angelos ideo
„ non adesse dixerunt, quia præ-
„ sentiâ suorum terrerentur. In-
„ vento igitur salubri (ut puta-
„ bant) consilio, privatum custo-
„ diâ cadaver eius reliquerunt,
„ statimque vice angelica ad eius
„ fœtorem canes ingressi, latus
„ eius (1) deforaverunt. Quod re-
„ perientes factum, residuum ca-
„ daveris eius humo dederunt.
„ Et ob eius vindicandam iniu-
„ riam, annis singulis canes oc-
„ cidere decreverunt: ut meritò
„ cum eo habeant illic partici-
„ pium, qui pro eo dignum me-
„ ruerunt subire martyrium. Di-
„ gnè ei quidem accidit, ut ca-
„ num ventrem tantus ac talis
„ Propheta repleret, qui non so-
„ lùm suam, sed multorum ani-
„ mas inferis tradidisset. Multa
„ quidem et alia scelera opera-
„ tus est, quæ non sunt scripta
„ in libro hoc. Hoc tantum scri-
„ ptum est, ut legentes quantus
„ hic fuerit agnoscant."

17 Ecce qualibus præstigiis deditum vulgus, quantæque impietatis ducem, plerique non metuunt sub nomine piæ religionis censeri. Asserentes, quòd ab hominibus Deum colentibus, et legem habentibus isti tyrones nostrorum temporum milites occisi fuere: nullâ discreti prudentiâ, ut saltim provido cogitamine advertant, quia si talium cultus aut lex vera dicenda est, pro certo vigor christianæ religionis infirmabitur.

18 Etsi, quod in veritate fatendum est, notitia sanctæ fidei totius mundi compita penetravit, cunctas nationes terræ peragrans; nullam iam partem orbis expertem luminis eius fore confidimus. Præsertim quia in omnem terram exivit sonus Apostolorum, et in fines orbis terræ verba illorum, et omne aliud Evangelium præter quod Apostoli Gentibus tradiderunt, anathema magis esse, quàm verbum salutis fatemur, sicut dicit Apostolus: *Si quis vobis evangelizaverit præter quod accepistis, anathema sit.* Et veritas ore suo discipulos contestatur, dicens: *Multi pseudoprophetæ surgent, et seducent multos: et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.* Et iterum: *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sunt.* Qua consequentia credendum est, dæmoniosum et mendacio plenum veritatem proferre? fallaciis obvolutum legem donare? nemus perversum fructus bonos exhibere? Ille interim nefandus de malo cordis suo thesauro proferens malum, et vulgo insipienti ducatum impietatis ministrans, uterque præcipitium in chaos æternum pœnas luiturus incurrit. De quo atque eius similibus Dominus per Oseam loquitur dicens: *Ipsi regnaverunt, et non ex me: principes extiterunt, et non cognovi.*

Gal. 1. 9.

Matth. 24. 11.

1. Ioann. 4. 1.

Ose. 8. 4.

19 Denique inter ceteros post Ascensionem Domini hæresum

(1) Schot. *devoraverunt.*

sum auctores solus hic infaustus novæ superstitionis sectam instinctu diaboli condens, procul ab Ecclesiæ sanctæ conventu deciscitur, auctoritatem priscæ legis infamans, Prophetarum vaticinia respuens, sancti Evangelii veritatem conculcans, et
v. Schol. Apostolorum doctrinam detestans: qui ridiculum potiùs quàm rerum necessariarum causas per eamdem sectam suam insinuans, ore blasphemo docuit Christum
Mahometis de Christo nefarium iudicium. Dei verbum esse, et spiritum eius, et Prophetam quidem magnum, nullâ verò Deitatis potentia præditum, Adæ similem, non Deo Patri æqualem: qui ob meritum sanctitatis sancto repletus Spiritu, per virtutem Dei miraculis claruit, signis atque portentis enituit, nihil ex propria maiestate aut Deitate prævalens, sed ut vir iustus et pia servitute Deo cohærens, votis supplicibus ab Omnipotente multa impetrare promeruit. Sed et alia inaudita vanitatis scelera prædicans, adinventione versipellis, a quo obsidebatur, inventa, qui se eidem transfiguravit in angelum lucis, delubra in quibus pessimum dogma suum coleretur extruxit, constituens in ultimo idololatriæ situ turrem, altiori pinnaculo ceteris ædibus prominente, ex qua populis veneno nequitiæ suæ illectis sacrilegi furoris concionaretur decretum: quod hodie suæ impietatis sacerdotes ab illo edocti observant. Ita ut more asselli dissutis
Maurorum sacerdotes de turribus proclamantes. mandibulis, impurisque patentibus labiis horrendum præconium non priùs emittant, quàm obseratis utroque digito auribus, quod aliis exequendum annuntiant, quasi quoddam edictum sceleris, idem ipse eorum propheta audire non patitur. Quem impietatis ruditum dum divæ memoriæ avus meus Eulogius aure captaret, ferunt continuò vexillo crucis frontem præmuniens, cum gemitu hunc Psalmum solitum fuisse cantare: *Deus, quis similis tibi? Ne taceas neque sileas Deus: quoniam ecce inimici tui, Domine, sonuerunt: et qui te oderunt, levaverunt caput.* Nos autem mox ut fallentis vocem præconis audimus, confestim oramus: *Salva nos, Domine, ab auditu malo, et nunc et in æternum.* Et iterum: *Confundantur omnes qui adorant sculptilia: et qui gloriantur in simulacris suis.*

Eulogius divi Eulogii avus

Psalm. 82. 2. 3.

Psalm. 96. 7.

20 Cuius quidem erroris insaniam, prædicationis deliramenta, et impiæ novitatis præcepta quisquis catholicorum cognoscere cupit, evidentiùs ab eiusdem sectæ cultoribus perscrutando advertet. Quoniam sacrum se quippiam tenere, et credere autumantes, non modò privatis, sed apertis vocibus vatis sui dogmata prædicant. Multa etiam apud quosdam nostrorum scriptorum inveniet, qui zelo Dei armati adversùs ipsum vatem impudicum prudenti exarserunt stilo. Sed et nos in illo Memoriali Sanctorum opusculo huius sectæ errores ex parte digessimus, refutavimus, et confodimus.

21 Restat iam nunc, expeditis Apologeticis beatorum, ut

aliquid de victoriis eorum ad æmulationem catholicæ plebis pandamus. Beatus igitur Rudericus presbyter ex quodam vico Egabrensi progenitus, in eadem urbe sanctæ legis doctrinam, gradumque sacerdotalem promeruit. Huic duo fratres fuerunt; sed ex his unus fidem Christi rectiùs tenens, alter gentilico depravatus errore, catholicam sprevit religionem. Qui sicut discors a fide sancta manebat, ita semper discordanti conflictatione ob diversarum rerum occasiones cum fratre catholico movebatur. Nam quadam nocte, nescio qua occasione, tumultuaria in alterutrum litigatione se conserentibus, et in sese invicem fœda simultate bacchantibus sanctus Sacerdos litem medius sedaturus intervenit. Qui omnes nimio iam furore accensi, cæca indignatione Sacerdotem involvunt, et magis nescientes, quam volentes, eum usque ad necem lacessunt. Ex qua cæde valde contritus, dum omni destitutus vigore, confracta membra lectulo reponeret, profanus ille frater feretro illum imponens, per vicos et vicinia quæque vehentium humeris duci, ac reduci fecit, et ut verus imitator diaboli fraudulenta machinatione super exanimem Sacerdotem testimonium iniquitatis composuit, dicens: " Hic frater „ meus Presbyter, visitatione Dei „ compunctus, fidei nostræ cul„ tum elegit, et sicut cernitis, „ iam in ultimis agens, noluit „ priùs mundo discedere, quàm „ vobis id notum existeret." Ita cum eo loca diversa peragrans, hæc et his similia criminosis de eo verbis narrabat, nesciente ipso prorsus, immò nec sentiente, quid contra se vir ille iniquus aptabat. Dei verò dispensatione post nonnullos dies molestiis ægritudinis Sacerdos erutus, ac viribus reformatus, cum subdola nefandi fratris molimina cognovisset, exemplo Domini, qui ad informandos nos insidias declinavit Herodis, sive sancti Evangelii non surdus auditor, quo de civitate in civitatem, causa vitandæ persequutionis, delitescere iubemur; relicto proprio rure, alibi se Christo liberè contulit serviturus. Quasi posset temporale evadere supplicium, cui divinitus a constitutione mundi prædestinatum parabatur martyrium: aut sicut ad tempus sese occulendo insequutorem fefellit prophanum, ita quoque abesse posset oculis pii Redemptoris, et vocatoris sui ad regnum.

v. Schol.

S. Rudericus Egabrensis sacerdos,

litem fratrum compositurus leditur.

exanimis a fratre mahometano circumfertur ut apostata.

Matth. 14. 13.

Ibid. 10. 13.

re cognita, sanus factus fugit.

22 Per idem ergo tempus graviter in nos præsidialis grassabatur insania, ita ut nonnullas apud Cordubam olim Patriciam, nunc autem florentissimam regni Arabici urbem Basilicarum turres everteret, templorum arces dirueret, et excelsa pinnaculorum prosterneret, quæ signorum gestamina erant, ad conventum canonicum quotidie Christicolis innuendum. Denique cùm exoptatum patris sui libitum progenies iniqua (1) cognosceret, ut quibuscumque modis ac viribus pos-

in crudeli Mahometis Regis persecutione.

V. Schol.

(1) *Habdarrahgman patrem et Mahomad eius filium reges intelligit.* Moral.

posset, Dei Ecclesiam infestaret; omnem crudelitatis adnisum erga filios lucis tenebrosa proles alacriori voto exercet: minusque se putat adipisci meritum, nisi summo furore exarserit in eversionem fidelium. Prædixerat quippe hoc Veritas sancta auditoribus suis dicens: *Absque synagogis facient vos: et omnis, qui interficit vos, arbitrabitur se obsequium præstare Deo.* Et iterum: *Hæc loquutus sum vobis, ut in me pacem habeatis. In mundo autem pressuram habebitis.*

Ioan. 16. 2. 33.

e lutebris Cordubam venit,

23 Igitur dum ob rei familiaris necessitatem ex interiori montana Cordubensi, quo se pridem beatus Sacerdos intuitu latendi contulerat, in nundinas descendisset, in quibus rerum distractio exercebatur, ab iniquo fratre obvius agnoscitur. Quem ut cernit stigmata piæ religionis ferentem, non modicis (1) lacessitum iniuriis ad vicem exquisiti muneris iudici offert, deponens adversùs eum coram arbitro questum prævaricationis sectæ Mahometanæ, quam se dudum veraciter coliturum, fuerat confessus. Dei verò miles cælesti iam munere illustratus, non sicut olim adversariis tergum exponit, sed magna præditus fortitudine, numquam se a Christo fuisse decisum, numquam perverso dogmati aliquando consensisse, iudici refert: seseque non solùm christianum, verùm etiam Christi fatetur esse ministrum. Quem primò iudex blandis revocare affatibus putans, " Poteris (inquit) „ rerum affluentiis et dignitatum „ fascibus honorari, et quæ tibi „ imminet, sententiam mortis „ evadere, si te pristinis votis „ redivivo ardore reformans, „ missum ab Omnipotente in ve„ ritate prophetam nostrum cre„ dideris, Christumque testave„ ris Deum non esse." Cui beatus Sacerdos ait: " Illis, inquam, „ iudex, hæc observanda propo„ ne, qui fortè legibus vestris „ dediti, ritibusque profanis im„ mersi, potiori intuitu commo„ dum temporale, quàm æter„ num affectant honorem. Nos (2) „ autem (quibus vivere Christus „ est, et mori lucrum, cui san„ ctus ille Clavicularius regni „ futuri dicebat, *Domine ad „ quem ibimus? verba vitæ „ æternæ habes?* Qui discipu„ lum in carcere commonebat, „ dicens: *Beatus qui non fue„ rit scandalizatus in me*) ut „ quid perennis fontis poculum „ relinquemus, hausturi gurgi„ tem cæno mendacii ac vitio„ rum sordibus turbulentum? „ Aut qua ultione procacitas „ punienda est filiorum, qui pia „ parentum iura spernentes, in„ iustum victrici contubernium „ expetunt? " His verbis iudex vehementi furore commotus, applicari martyrem ergastulis iubens, " Abeat, inquit, cum „ damnatorum custodia; horrida „ macerandum antra carcerum „ excipiant; parricidarum et fu„ rum

immotus in blanditiis et minis

Philip. 1. 21.

Ioan. 6. 69.

V. Schol.

V. Schol. *ubi a fratre impio accusatus*

Matth. 11. 6.

ad carcerem damnatur:

fatetur se christianum et sacerdotem:

(1) Ita rectè Bolland. ad diem 13 Martii; perperam autem Moral. et Schot. *non mediis.*

(2) Malè *nobis*, in Moral. et Schot. benè *nos* in Bolland.

„ rum solatio fruatur ; et omni „ penitus solatio destituta , vel „ sic pervicax elidatur temeri- „ tas."

ibi seipsum excitat:

24 Adit Dei famulus hilari vultu , exultantibus animis , specum illum reorum , qui verè sciebat auctorem suæ salutis ubique invocatum adesse , nec aliquo posse abesse situ , cuius dominatio omnem penetrat locum: qui etiam potenti divinitatis imperio olim sectatoribus suis fidele promissum dederat dicens: *Matth.* 28. 20. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Hæ sunt, diaV. Schol. bole , minaces sævitiæ tuæ leges, hi sunt exquisiti terrores. Sed *Ibid.* 10. 28. dictum est nobis: *Nolite timere eos qui occidunt corpus , quia non habent quid amplius faciant: sed potiùs eum timete, qui potest corpus et animam perdere , et mittere in gehen- Ibid. v.* 17. 18. *nam.* Et iterùm: *Tradent vos in conciliis , et in synagogis suis flagellabunt vos : et ad præsides et reges ducemini propter me in testimonium illis, et gentibus. Qui autem perseveraverit usque in finem , hic salvus erit.* Si ergo potes, congredere adversùs animam, et pertinacem in confessione sua spiritum supera : videbis me magis per tormenta proficere : et cùm tu plus exarseris , plus semper deficies, et feliciorem me facies pervenire ad gloriam.

SS. Rudericus et Salomon inter in carcere notitia

25 Reperit verò in carcere Rudericus beatum Salomonem, quem ob confessionem nominis Christi dudum crudelitas persequentium ibidem religaverat. Simili quippe et ipse crimine impetebatur (1), eo quòd sanctæ religionis cultum spernens , aliquo tempore sectæ Mahometanæ adhæsisset. Extemplò individuo voto nectuntur , ac sibimet invicem consolationis suffragia ministrantes , ab alterutro se ad peragendum agonem armantur : id in commune statuentes , ut calcatis mundi affectibus , pia quotidie servitute Deo inhæreant. Fit concors in Dei timore utrorumque assensus : macerantur membra ieiuniis , fatigantur vigiliis , limantur ciliciis , meditationibus compunguntur , orationibus refoventur : sicque ardore quodam cælestis patriæ conflagrati , dissolvi cupiunt , et esse cum Chisto , festinantes faciem eius videre , cui servierunt: pro cuius amore defectum temporis non verentes , vitam hanc , ut quoddam discrimen immane , refugiunt.

sese ad martyrium animant:

26 Igitur permanentibus Sanctis in exercitio officiorum cælestium , et reddentibus quotidie pio Redemptori cæremonias laudum , pro summis deliciis antrum illud habebant. Quapropter zelo ductus iniquissimo iudex, ferâli edicto custodes carceris arguit , eosque ab invicem divelli præcepit , et ne a quoquam visitationis gratiâ illustrentur , totis vesaniæ suæ furoribus iussit. Sed in nullo te iuvas , diabole , quando per hoc discidium constantiam putas fatigari Sanctorum, qui-

ab invicem separati,

(1) Schot. *impediebatur.*

quibus unum idemque pro Christo moriendi manet indissolubile votum. Nam hi Confessores beati, ordine et natione dissimiles, caritate non impares, diverso licèt tempore certaminis campum aggressi, uno tamen eodemque fidei ardore flammati, specimen beatæ passionis egregium orbi instituunt.

manent constantes: V. Schol.

sistuntur iudici:

27 Interea non post multos dies obtutibus suis iudex eos exhiberi præcipiens, illico ad ritum suum invitat, ac de rerum copiis (1) et dignitate honorum suadendos attentat, quos ante mundi constitutionem electos et prædestinatos in adoptione filiorum Dei divinitas sancta perscripserat. Quorum pertinaciam in Dei professione considerans, post secundam et tertiam exhortationem ex decreto Regis fore plectendos statuit. Priùs tamen quàm egrederentur ad publicum, convinctorum se pedibus advolventes rogant, ut continuis obsecrationibus iuvarentur, ne tentatione humana præripti, retrorsum respicerent, et ab intuitu percipiendi vexillum victoriæ turbarentur. Ita pacis osculo reconciliati, qui numquam fuerant litigio separati, omnes præ gaudio lacrymantes, Sanctorum se favoribus tueri exorant. Sicque urgentibus ministris voto alacriori prosiliunt, celeriùs properantes ad locum quo passionem consumarent.

se aliorum precibus commendant:

tentantur iterum blanditiis, quas fortiter reiicit Rudericus:

28 Et cum iam hora decisionis instaret, iterum a iudice blandiùs exhortantur cum specie divitiarum, honorumque sublimium, quibus utique fruerentur, si reverterentur. Abnuunt Sancti, sicuti a principio, iudicis optionem, ita ut sanctissimus Rudericus quadam vegetatus animositate, superno iam munere perlustratus, audacter ei responderet, dicens: " Quomodo nos cogis relicta pietate declinare in „ devium, qui sanctæ fidei sacramentis instructi, fortiter „ ignorantiam vestram deflemus, „ quos tanto videmus errore infectos? Nam nos adeò hanc „ sectam detrectabilem iudicamus, ut ne nostris quidem eam „ incolendam canibus pateremur, „ quantò magis nosmetipsos fallacissimis eius figmentis subdamus. Aut quare copiis rerum aut dignitate honorum labentium oblectemur, in ipso „ forsitan oblectationis momento, intercidente morte, protinus omnia amissuri: qui novimus apud Christum coronatorem nostrum rerum ineffabilium opes manere, quas oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendunt, se diligentibus repromissas? Ideoque celeriter crudelitatis tuæ in nos exere ultionem, quos cernis nullatenus „ a confessione Christi desistere „ usque ad mortem: ut et quæ „ debentur hostibus Dei, tibi accrescant in cumulum, et diu „ nobis dilatum citò proveniat „ præmium."

Hinc

(1) Deest *et*, in Schot. et Bollandian. sed habet rectè Morales: alia enim est tentatio divitiarum, alia honorum, quas semper hìc discernit Eulogius.

ambo plectuntur capitis.

29 Hinc acrioribus frendens scelerosus iudex clamoribus, ultimam suæ crudelitatis sententiam promens, " Perduellium „ (inquit lictoribus) properate „ abscindere colla, et debitam „ in capite contemptorum cele„ riùs retorquete vindictam. " V. Schol. Sic super crepidinem alvei constituti, crucis signaculo se præmuniunt, et sic denuo ense prostrantur. E quibus prior Dei Sacerdos occumbens, prævius triumphator cælum intravit. Quod ideo iudex fieri voluit, ut si fortè horrore decisi cadaveris beati Salomonis animus flecteretur: quem post varias deceptionum illecebras constantem et fortissimum comprobans, ultimò gladio vindice trucidari præcepit. Hæsit tamen suo collo non funditus vertex incisus, quia expeditiorem beato Ruderico, quàm huic Salomoni framea intulit obitum.

Eorum corpora lapidibus alligata metu fluvio immerguntur.

30 Sed quia cælorum regna adeuntibus animabus nequit obsistere callidus serpens, adhuc contra exanimata corpora bellum exsuscitat: quasi mortua superare posset cadavera, cum iam nullus esset spiritus, qui potiùs irrideret, quàm sentiret tormenta: aut quasi aliquis titulus putaretur victoriæ, cum defunctis bellum inire. Ut ergo passionibus Christi communicarent martyres, instinctu ferocitatis a diabolo præses armatus, sub cuius dira crudelitate totius dignitas Cordubensis tunc graviter vexabatur; iubet corpora martyriali cruore perfusa, vestigiis inversis configi, ac deinceps fluviali abysso recondi. Eadem nocte ingenti lapidum onere alligata, separatim vastissimo gurgiti immerguntur. Sperabat miser elementis imperare undarum, quæ præstantiùs intendere noverant creatoris imperium, ut creditas sibi opes martyriales non solùm a belluis conservarent, verùm etiam erepta saxorum pondere membra placido remigio fluctuum ad locum quietis veherent.

a S. Eulogio pulcherrima et quasi locutura visa.

31 Ego interim peccator Eulogius, qui gesta Beatorum meo elucubranda stilo dudum decreveram, cum rumor consummatæ passionis eorum ubique discurreret, expletis Missarum solemniis, ipsorum invisenda corpora quadam vegetatus audacia adii, ac propriùs quàm cetera V. Schol. spectantium turba accedere non veritus sum. Et testis est Redemptor meus, qui hoc commentarium discussurus est, quia non mentior, quòd tanta decoris pulchritudine decissa illa cadavera fulgebant, ut crederes, si a quoquam sciscitarentur, protinus loquutura.

ad littora devehuntur.

32 Nonnulli etiam e turba gentilium venientes, sumebant lapillos fluminis, qui cruore martyrum erant aspersi, et lymphis abluentes proiiciebant in pelago, V. Schol. ne christianis in emolumentum existerent lipsanorum (1): nescientes quòd nihil obesset ab his partem

(1) *Libenter D. Eulogius græcis nominibus utitur. Græcè idem est, quod apud Latinos* reliquiæ. Moral.

tem adimere, quibus totam decreverat Dominus passionem [1] donare. Nam credita algarum latibulis membra, et altis abyssorum gremiis deputata, quæ tam celanda quàm pabula piscibus ministranda susceperant, illico divinitus ad superos revocata, non solùm nequeunt retineri, verùm etiam leniori spiramine reciprocanti fluctuum alternatione, quæ dispersa tenebantur, incolumia littoribus exponuntur.

corpus et caput S. Ruderici in sabulo inventa:

Sanè beati Sacerdotis suis non hæserat cervicibus caput, quia semel illud uno ictu satelles avulserat. Et ideo alibi vertex, et alibi corpus iactatum, unoque in loco sabulo opertum ab accolis viculi [2], quo vehentibus undis expositum fuerat, reperitur.

post 20. dies ad monasterium S. Genesii deferuntur

33 Interea dum sitûs quietis Sanctorum notitia penè dierum viginti tempus excederet, nec ullum apparendi darent indicium; quorumdam ex improviso relatione gentilium proditur, referentibus hoc cuidam presbytero,

V. Schol.

apud viculum Tertios commanenti, quo monasterium sancti Genesii fundatum est. Quo nuntio idem sacerdos compulsus, beatum cadaver suæ deportandum Ecclesiæ pergit. Cui redeunti ingens fidelium turba occurrit, utpote summo triumphatori debitum honorem dependere anhelans, qui talia pro Deo suo in exemplum catholicorum non contempserit sustinere. Et

V. Schol. *nocte facibus illuminatâ:*

quia defectu solis crassum tenebrarum chaos illabebatur, totumque mundi aspectum nox cæca mutaverat; ministerio obviantium populorum multimoda lampadum face tenebrosus horror expellitur: adeò ut nimio splendore omnia illustrante, redivivum ostentaverit nox illa diem emergere. Flebant omnes præ gaudio, miscebatur tripudiis luctus, et nulla contrahente mœstitia vultum, pium refundebat pupilla lamentum.

ab Episcopo deteguntur odorem suavem spirantia:

34 Adest et venerabilis Pontifex, felicium stipatus agmine clericorum, votis ardentioribus talibus interesse festinantes exequiis: qui mox sanctas reliquias adeunt, et inclitus Papa [3] caput

V. Schol.

detegit, et osculis sancta membra demulcet. Redolent secreta cubiculi, quo prius beatum corpus Sacerdos intulerat, miro suavitatis odore, cunctaque cellulæ pavimenta etiam ablato pulvere ferunt aliquamdiu suavissimi odoris olfactu respirasse. Fit omni-

plane incorrupta

bus in stuporem, quod inhumatum corpus nulla putredo insumpserit, nulla pestis infecerit, nulla tabes corruperit, nulla bestiarum altiliumve rabida fames discerpserit, nec propriæ cutis qualitatem tot dierum interiecta capedo degenerans immutaverit. Sicque Sacerdotum et Religiosorum

(1) Immò *possessionem* legendum videtur Bollandianis post Baron.

(2) *Deesse nomen proprium oppiduli existimo: numquam enim ipsum auctor solet prætermittere.* Id. *Nisi* Viculi *proprium isti tractui fuerit.* Bollandian.

(3) Deest *caput* in Schot. et Bollandianis, proindeque alius est orationis sensus, nempe quòd Episcopus Cordubensis reliquias martyris, quas secum Presbyter asportabat, detexerit. In lectione autem nostra significatur, Pontificem ad occursum SS. reliquiarum proprium caput discooperuisse, sanctaque membra osculasse.

rum officio sanctum corpus e cellula Sacerdotis humandum Ecclesiæ inferentes, dant cuncti hymnorum cælestium clamorem egregium, resonant ora fidelium congruenti carmine melos, præstrepunt omnes divinæ cantionis euphoniam, implentur atria Domini murmure sancto Psalmorum, feliciumque laudum odam omnes quasi ex uno ore persolvunt; et suavi concentu omnibus percrepantibus, largoque fomite luminum totius aulæ penetralibus relucentibus, regem Christum militia comitante cælicolûm ad spectaculum illud, exequiis innuebat interesse sanctorum.

in Ecclesia repelitur.

35 Expleta igitur functione sanctissimi Ruderici, fit ardentior cunctis intentio requirendi beati Salomonis corpusculum, quod relatione multorum impetu fluminis salo credebatur esse transmissum. Nam hæc opinio providum magis Christicolarum ausum inhibuerat, quàm furens conspiratio præsidis, quæ acrioribus ulciscendum legibus exploratorem Reliquiarum promiserat. Etenim cum nullum latentis corporis instaret indicium, moveretque omnes spes beneficentiæ Dei, qui revelare abstrusa, et aperta condere consuevit, prærogativa quodammodo divinitatis potentia, qua in cælo et in terra, in mari et in abyssis omnia quæcumque vult ordinat, disponit, et facit; subitò per quietem, quo situ corpus martyris delitescat, prædictum admonet Sacerdotem. Cumque Sacerdos monentem de loco sui latibuli sciscitaretur, seseque instrui quæreret, quod explorandi tenere debuisset indicium: " In illa, inquit, ripa fluminis, quæ vico Nymphiano adsciscitur, ibi a commeantibus inter fructeta tamaricum proiectus, cæspitis limosi perfruor vili sepulcro." Pergit securus ad locum sibimet divinitus demonstratum ille Sacerdos, nec aliter quàm quod ei revelatione ostensum est, reperit. Quod illico summis reverentiæ obsequiis comptum, ad vicum Colubris deportans, venerabilium Dei sacerdotum officio in Basilica sanctorum Cosmæ et Damiani honorificè tumulatur. Consummaverunt autem beati martyres agonem suum tertio Idus Martias, Era DCCCXCV. regnante Domino nostro Iesu Christo in sæcula sæculorum. Amen.

Corpus S. Salomonis creditur in mare delatum,

revelatione divina reitur inter fructeta latere.

defertur ad templum SS. Cosmæ et Damiani.

Tempus martyrii.

v. Schol.

Ecce patroni mei reverendissimi, milites Christi, testes idonei, bellatores egregii, victores potissimi, tutores gregis catholici, detractoribus vestris obvius veniens, eisque pro vigore virium mearum resistens, gesta quoque victoriarum vestrarum ad exemplum fidelium ordinavi; ut tam proficeret cupientibus ire ad regnum, quàm mihi occurreret ad expiationem facinorum. Quia non displicere vobis, quæ de vobis vera disposui, existimo, quinimmo grata vobis, Christoque digna obtentu vestro futura credidi cuncta quæ in hoc opere edidi. Unde obsecro vos ego peccator Eulogius, pauper meritis, exiguus sanctitate, et culpâ multimodus, ut digna intercessio vestra tuitionem mihi et inter

ter ingruentia mundi scandala præbeat, et inter supplicia inferorum, quæ pro meritis expavesco, defensionem exhibeat, sanctificando me gratiâ huius opusculi, dignumque efficiendo quod sordidus sordidavi. Et si fortassis error contrarius fidei in qualibet parte Libelli emersit, Dominus vestro interventu mihi parcat, vos quæso, quibus innocentia cordis mei non latet. Præsertim cum non nesciam, prudentes plerumque incurrere sermonis lapsum, ubi animus non gerit errandi affectum.

(1) EXPLICIT DEO FAUTORE LIBER APOLOGETICUS PRO GESTIS SANCTORUM EULOGII PECCATORIS.

(1) *Ita fuit in exemplari.* Moral.

SCHOLIA AMBROSII MORALIS
IN OMNIA DIVI EULOGII OPERA.

IN PRÆFATIONEM MEMORIALIS SANCTORUM.

1 *Ego quidem.* Instituti sui reddit rationem: et gustum (quantum credi potest) futuri operis in ipso vestibulo præbiturus, Isaac martyris vitam et interitum memorat.

2 *Ascysteriis.* Græcum verbum, unde hoc nomen derivatur, mentem in rerum divinarum contemplatione exercere significat. Inde ascysteria monasteria dicuntur. Usus est eo vocabulo imperator Iustinianus in L. *Omnia* 33. *C. de Episc. et Cler.* Iterum etiam id ipsum D. Eulogius (*Epist. ad Wiliesind. Episcop. Pampilon.*) usurpat; et D. Basilius, D. Gregorius Nazianzenus eo frequenter utuntur.

3 *Qui prior.* Præcesserunt haud dubiè multis annis Adulphus et Ioannes, ut lib. 2. (1) cap. 8. apparebit. Sed enim de his tantùm nunc loquitur, qui per tres hos aut quatuor annos martyrio coronati sunt. Et quamvis nunc etiam Perfectus presbyter præcessisset, ipse tamen Eulogius paulò post rationem est redditurus, cur ipso priorem Isaac referat.

4 *E Tabanensi cœnobio.* Monasterii huius crebra mentio deinceps occurret. Eo autem potissimum sese receperat S. Isaac, quia patruelem Hieremiam mox martyrem, inibi habebat, qui cum uxore Elisabeth monasterium ipsum construxerat: in quo ipse etiam monachus factus, ut suo loco apparebit, degebat.

5 *Ephebus ille.* Viginti septem annorum fuisse in Usuardi martyrologio memoratur. Eulogius in 2. lib. hoc ipsum eius martyrium repetens, cum primævos adolescentiæ annos ingrederetur, monachum factum, et post triennium martyrium subiisse scribit.

6 *Ita maledictionibus tabescat.* Imprecatio est Hispanis nostris quàm Latinis inter loquendum hac forma usitatior. Diversa enim sunt illa:

Dii talem terris avertite pestem. Virgil. *Æn.* 3. *v.* 620.

Item illud eiusdem:

Quod dii prius omen in ipsum convertant. *Ibid. lib.* 2. *v.* 189.

7 *Feria quarta.* Annus Domini octingentesimus quinquagesimus primus, dies Iunii tertius notatur. Et rectè prorsus: incidit enim is eius mensis dies illo anno in feriam quartam. Habuit

(1) Nunc vacat hoc cap. continebat enim Vitam et Passionem Sanctarum Virginum Floræ et Mariæ post Documentum Martyriale a nobis editam, ut non semel monuimus.

enim litteram, ut vocant, dominicalem D.

Eo porrò ipso die in Usuardi martyrologio festum eius apponitur: quod etiam Romanum nuper locupletatum, et Venetiis apud Iuntas excussum, inde transtulisse videtur. Cordubensis Ecclesia eumdem diem eidem sancto Martyri dicatum celebrat.

8 *Hieremiam martyrio.* De his lib. 2. cap. 4. Item de Perfecto presbytero cap. 1. Cuius ideo hic mentionem inseruit, ut qua ratione eidem tempore Isaac anteferret, demonstraret.

SCHOLIA IN LIBRUM PRIMUM.

1 *Peritissimorum virorum.* Sancta Ecclesia, ut fuit, eritque semper (quemadmodum ab eius auctore Iesu Christo domino nostro prædictum est) sagena bonis et malis promiscuè piscibus oppleta; ita in ipsis etiam Christianis pravos quosdam habere numquam destitit, qui ipsam importunè conturbarent, et zelo quodam improvido instigati affligerent. Quod etiam Divi Eulogii tempore contigit. Non satis erat Hispanam Ecclesiam captivam in misera et truculenta servitute versari, et ab immanissimis tyrannis infanda mala assiduè perpeti. Quod unum Christianis in tot calamitatibus insigne solatium esse poterat, nimirum non deesse, qui fortiter mortem pro Christo oppeterent, et constantiâ sua alios instimulantes, Dei Ecclesiam exhilararent; hoc ipsum tot malorum levamen impii quidam et insipienter providi eripere illi nitebantur. Martyres criminabantur, eo nomine indignos iudicabant, et obesse potiùs in commune Ecclesiæ Hispanæ, quàm prodesse affirmabant. Eis respondere hoc 1. lib. D. Eulogius voluit, ut martyrum, de quibus deinceps esset acturus, famæ consuleret, contra calumniantes defenderet, veramque et solidam illorum gloriam initio astrueret. Nihilo secius tamen destinato in hoc ipsum opere Apologetico, idem postea argumentum plenius tractavit. Nec solus tamen martyres ita defendit. Quisquis enim fuit auctor Indiculi Luminosi (de quo in D. Eulogii vita, de Alvaro loquentes (2) diximus) totum illud opus ad eorumdem martyrum defensionem conscripsit: ut Apologeticum prorsus posset iure optimo appellare. Et neque hoc D. Eulogii sæculo solùm martyrum fuere detractores, sed priscis etiam Ecclesiæ temporibus. Concilium enim Carthaginense primum sub Sylvestro primo huiusmodi martyrum obtrectatores canone secundo graviter compescuit. (3)

2 *Sed nescio quò tendere.* Insignis ubique apparet in D. Eulogio modestia, atque profectò magis conspicua, quo homo, ut illa tempora ferebant, doctissimus nullam habet de ingenio et litteris, nullam probatissimus de virtute fiduciam.

3 *Ecclesia Hispaniæ.* Corruperant iam hæc sæcula multa in propriis præsertim nominibus vocabula, ut in hunc, quem nunc habemus, Hispanum sermonem paulatim transformarent. Inde *Spaniam*, non *Hispaniam*: *Cordobam* non *Cordubam*: *Eglesiam*, non *Ecclesiam* proferebant. Neque recens post Arabum in Hispaniam ingressum ea fuit corruptela, sed retro ab Gothorum temporibus derivata, quòd ex nummis iam in D. Eulogii vita ostendimus. Scribebant autem, quemadmodum et pronuntiabant. Itaque *Eglesiæ*, non *Ecclesiæ* fuit semper in veteri scriptum. Nos tamen in excudendo latini sermonis proprietatem in *Hispaniæ* et *Ecclesiæ*, quemadmodum

(2) Vide sis quæ nos ibidem adnotavimus sub num. 5.

(3) Quisquis longiorem de hac re disputationem desiderat, adeat Benedicti XIV. doctum et eruditione omnigena plenum opus *de Servorum Dei beatificatione, et Beatorum canonizatione*, lib. 3. cap. 16. num. 7. et seq. ubi more suo quæstionem versat, discutitque, *An Martyri liceat se offerre martyrio, et an spontanea ad ipsum oblatio obstet eiusdem merito?* Non pigebit exempla ex omni antiquitate Ecclesiastica ibidem congesta legere, in quibus et hoc Martyrum Cordubensium occurrit, laudato insigni eorum Apologista ac vindicatore, Eulogio nostro, cuius verba ex hoc ipso libro primo Memorialis non semel exscribit: causam proculdubio aptam, et fortasse necessariam eam putans sese ultro martyrio offerendi, qua hi Eulogio teste permoti sunt: quum nempe ex silentio fides periclitaretur, eiusque depressio consecutura fuisset, nisi veritatis testes suæ fidei professionem hostibus vel nolentibus ingessissent, hostesque etiam ipsos generosa confessione provocassent.

dum in *Cordubæ* nomine retinuimus.

4 *Comessationes quoque.* Latè in hoc loco D. Eulogius quæ pessimè de Christo salvatore, et sacratissima eius matre Mahometus tradidit, ex nefando Alcorano prosequebatur. Verùm nos lineas aliquot iustis de causis dempsimus. (4) Nam quæ illo tempore ad detegendam sectæ abominandæ turpitudinem erant necessaria, nunc piorum aures poterant offendere. Et providentissimis sanctæ Inquisitionis decretis cautum est, ne Alcorani nefaria dogmata passim legantur. Neque nos tamen pro libito quippiam de sancti Martyris opere, quod dignè suspicimus, et reverenter attingimus, adimere voluimus: quin potiùs id ipsum de sapientissimorum virorum consilio fecimus. Hæc ideo hìc annotare voluimus, ut siquis in D. Eulogii exemplar inciderit, cur hìc paucula quædam desint, intelligat. Et quantùm ego existimo, Speraindeo Abbatis verba sunt, usque ad illa, *et erit clausa.* Hìc enim vehementioris orationis impetus, nescio quid commotius, et ab ceteris in hoc opere diversum, dignumque facundiori artifice molitur.

5 *Nonnulli nostrorum philosophorum.* Christianos, qui doctrina præstarent, quive doctores in Ecclesia essent, philosophos vocat. Habetque catacrisis nonnullam ex similitudine rationem.

6 *Invictissimi illius Ioannis.* Auctor Indiculi Luminosi Ioannis huius supplicium latè descripsit. Et quoniam liber nondum est typis excussus (5), operæ pretium fuerit, ipsa eius verba hìc apponere. Post martyrium igitur Perfecti presbyteri ita inquit: " Pergamus » secundi iterum exponere casum. Post » anni revolutionem, aut aliquid amplius, ille livoris gentilium oculus » non quievit, sed ut solitum est illis » Christianismum irridere, et nobis omnibus Christicolis insultare, hunc » Ioannem, quem multo tempore carceris (6) retinuere claustra, (7) negotiationem et mercimonia nundinandi in » eo exaggerare conati sunt, et (8) ipsum » vexare: et ob gratiam mercimonii » livore usti, multa exprobrando (9) ingerere, dicentes: Parvipendens nostrum prophetam, semper eius nomen in derisione frequentas, et mendacium tuum per iuramenta, ut tibi » videtur, nostræ religionis falsa, auribus te (10) ignorantium Christianum » esse, sæpe confirmas. Ad quos ille » (11) confidenter, et nihil erga se doli » suspicans, cum se immunem ab » ipsis, quæ contra eum opponebantur, vellet ostendere, furor crepitans » et præceps ira eadem repetens, inculcans, et replicans crebriùs quæ » sæpè dixerat, intentavit. Tunc ille » non ferens ex hac generationum talium nube stomachabundus, et facesta satis urbanitate accinctus, elegan» ti mente respondit elatus: Maledictus sit a Deo, qui prophetam ve» strum nominare desiderat. Illicò clamor ingens factus, et perditorum cuneus constipatus, iniquitatis (12) exosæ conventus, velut apes in unum » perfidiæ aggerem congregati, unius » massæ cumulo malitiæ (13) conspiratione respersi, semivivum ad iudicem

(4) Ob id reprehendit Moralem perdoctus vir Thomas Malvenda in Opere de Antichristo, cuius verba ex edition. Lugdun. 1647. a Fabricio transcripta tom. II. Bibliothec. Med. et infim. ætat. pag. 124. edition. Patav. 1754. hìc exprimere placet. *S. Eulogius.... multa de abominandis et turpissimis Mahometi operibus et dogmatibus percensuerat, quæ magna ex parte sustulit Morales:.... quod sane ab eo non satis recta ratione nobis factum videtur, quantumvis id ipse excuset. Opera enim Patrum non sunt eo modo attingenda aut mutilanda; nam nec Gnosticorum fœdissima et spurcissima exempla a S. Epiphanii libris erasa sunt; et apud alios Patres et Scriptores antiquos ejusmodi detestandæ et horrendæ hæreses descriptæ reperiuntur: siquidem et eas nosse non parum intererat, nec sine valida et forti refutatione referebantur. At S. Eulogius acerrimè semper, ut tantum virum decebat, in pravos Mahometi errores invectus est.*

(5) Cum iam editus fuerit Indiculus ab Henr. Florezio tom. XI. Hisp. Sacræ pag. 219. ut diximus ad Schol. in Hymnum et Epitaphia Alvari pro Eulogio num. 5. hìc subiiciemus quæ ibidem adnotavit.

(6) Florez meliùs ad mentem Alvari: *retinuit claustra*; recteque animadvertit, vocem *claustra* feminini generis et numeri singularis scriptores infimæ latinitatis usurpare.

(7) Id. *negotiationum mercimonia.*

(8) Apud Florezium deest *ipsum.*

(9) Notat idem hìc fortasse legendum *ingessêre.*

(10) Id. *ignorantibus.*

(11) Id. *cum fidenter.... suspicans se immunem.*

(12) *Exosæ* posuimus ex Florezio, cum Morales corruptè legerit *ex ore.*

(13) Florez *conspartione*: et notat sic retinendum, seu *consparsione*, quoniam veteres *consparsum* dicebant pro *aspersum.*

» perduxerunt. Et testibus minus ido-
» neis ab ipsa perfidorum massa sur-
» gentibus præsentatis, potiora et ma-
» iora contra ipsum testatione propria
» intentarunt. Quæ ille tota negavit, et
» æmulationem invidiæ ipsorum aper-
» to in se sermone retexuit. Sed iudex
» iniquitatis quadringentis eum icti-
» bus verberat flagellorum, et per o-
» mnium ædes sanctorum sub voce præ-
» conia fecit discurrere : Talia pati de-
» bere, qui prophetæ derogat Dei. Ac
» deinde carcerali mancipat arcta cu-
» stodia, minitando illi inferre maiora."
De hoc Ioanne iterum etiam D. Eulo-
gius lib. 2. cap. 10. In vetusto verò Mi-
chaelis Ruizii Azagræ codice epigram-
mata etiam Cypriani Cordubensis Eccle-
siæ Archipresbyteri fuerunt, et inter ce-
tera hoc quoque distichon cum hoc titulo.

Item super tumulum sancti Ioannis confessoris.

Carceres, et dira Ioannes ferrea vincla
Christi amore tulit. Hac functus in aula quiescit.

Hunc eumdem Ioannem esse credo, quem D. Eulogius commemorat. Quamquam pauciora epitaphium, quàm potuit, ac debuit, retulit. Sed ciusmodi erant tempora, ut versum quoquomodo clausisse, magnum etiam haberetur. Vixit autem et scripsit Cyprianus hic, quod ex aliis eius epigrammatis appareret, quadraginta aut paulò amplius post D. Eulogii mortem annis.

7 *Qui ut idem docuit.* Longa admodum est parenthesis, et traiectione etiam (quod Fabius damnat) plusquàm tarda. Sed nos nihil immutare hic ausi sumus.

8 *Et quoscumque confessio.* Iam hinc est animadvertendum, Christianos per totam Hispaniam, et Cordubæ præsertim, ea lege, quemadmodum initio scripsimus, fuisse relictos et toleratos, ut Mahometi sectæ non detraherent. De hoc ipso in Indiculo Luminoso legimus ad hunc modum: " Ecce lex publica
» pendet, et (14) legalia iussa per omne
» regnum eorum discurrunt, ut qui
» blasphemaverit, flagelletur, et qui
» percusserit, occidatur. Et ecce quo-
» tidie horis diurnis et nocturnis in
» turribus suis et montibus (15) caligosis
» dominum maledicunt, dum vatem
» impudicum, periurum, rabidum, et
» iniquum, unà cum domino testimo-
» nii voce extollunt." De ceteris verò quæ ab Sarracenis paterentur Christiani, hìc ab Eulogio commemoratis, auctor ille in hunc modum : " Quotidie
» opprobriis, et mille contumeliarum
» fascibus obruti, persequutionem nos
» dicimus non (16) habere? Nam ut alia
» taceam, certè dum defunctorum cor-
» pora a sacerdotibus vident, ut mos
» est ecclesiasticus, (17) humanda porta-
» re, nonnè apertis vocibus, et impu-
» rissimis (18) gemitibus dicunt, Deus
» non miserearis illis? et lapidibus sa-
» cerdotes domini impetentes, ignomi-
» niosis verbis populum domini deno-
» tantes, spurcitiarum fimo christico-
» las transeuntes pedore infando asper-
» gunt, maiora minitando ringentes?"
Et paulò post: " Sic itidem, et cum
» sacerdotes Dei (19) casu quoppiam cui-
» quam obviaverint per viam, lapides
» coram ipsis cumulantes, testasque
» aridissimas ante vestigia eorum re-
» volventes, ac improperioso et infa-
» mi nomine derogantes, vulgari pro-
» verbio et cantico inhonesto sugillant,
» et fidei signum opprobrioso elogio
» (20) detruncant. Sed cum Basilicæ si-
» gnum, hoc est tinnientis æris sonitum,
» qui pro conventu Ecclesiæ adunando
» ho-

(14) Florez pag. 228. *legalis iussa . . . discurrit*; notatque *legalis jussa* feminini generis et numeri singularis sicut *claustra* esse; vel legendum *legalis iussio.*

(15) *Caligosus* idem ac *caliginosus*, Florez rectè ex Cangeano Glossario.

(16) *Hæc et alia*, inquit Florezius, *melius interrogationis signo* clauduntur. *Quia tamen numquam notatur in Codice, et possunt ex adversariorum mente dicta accipi, nihil nobis permisimus.* Ego vero illud signum cum Morali retinere volui.

(17) Flor. *humo dando.*

(18) Id. *genis*; observatque non esse improbabilem lectionem, cum postea idem auctor bis eam usurpet.

(19) Flor. *casu quo quem obviant perviantes, lapides testaque arvissima ante vestigia, &c.* notatque Moralesium de suo texuisse quod legit, quamvis *testas aridissimas* meliùs quam in codice *testa arvissima*, restituerit.

(20) *Perperam*, ait Florez, detruncant *pro* decolorant *edidit Morales.*

» horis omnibus canonicis percutitur,
» audiunt ; derisione et contemptu in-
» hiantes , moventes capita , infanda
» iterando congeminant , et omnem se-
» xum , omnemque ætatem , totiusque
» Christi domini gregem non uniformi
» subsannio , sed millieno contumelia-
» rum infamio impetunt , et derident.
» Numquid non isti sunt , qui Hieru-
» salem maledicunt , et muros sanctæ
» Sion destruunt , et succendunt ? De
Tob. 13. 16. » quibus dicitur : (21) *Maledicti omnes,*
» *qui spernunt te , et omnes qui blasphe-*
» *mant te. Maledicti omnes qui destruunt*
» *muros tuos , et omnes qui subvertunt tur-*
» *res tuas , et omnes qui succendunt habi-*
» *tationes tuas.* Et licèt hæc omnia ab
» illis per contemptum vel derisionem,
» vel odium , ut diximus , impleantur;
» tamen etiam carnaliter in habitationes
» Domini, et in sanctuarii ædes quotidie
» perpetrantur , dum Ecclesiæ Dei de-
» struuntur , et antiqua soliditate tem-
» pla firmata terra tenus coæquantur."

9 *Carnibus etiam spoliata.* Hìc paulisper oportet immorari , ut meliùs quid hìc lege cautum dicat sanctus martyr intelligamus. Vivebat Cordubæ hocque ipso tempore presbyter (Abbas postea Sancti Zoyli fuit) Samson nomine, vir doctus et subtili ingenio , in Philosophiæ et sacrarum litterarum studiis versatus. Id abundè declarat eius Apologeticum opus , quod tribus libris distinctum scripsit contra Hostigesium Malacitanum episcopum , qui ipsum in concilio Cordubensi hæreticum cum convitio dixerat , quemadmodum ipse in præfatione libri secundi latè commemorat. Ibi se abbatem Ecclesiæ Sancti Zoyli martyris Era nongentesima prima, hoc est, anno domini octingentesimo sexagesimo tertio factum ostendit. Is autem annus est post Eulogii martyrium tertius aut quartus. Me etiam iuvene in montibus Cordubensibus , decimo ab urbe milliario , non admodum longè ab oppido , quod *Trassierra* vocant , in eo agro , qui Comitatus *de Espiel* dicitur , dum vetustum puteum rustici repurgant , cimbalum æreum parvum pedis ferme altitudine extraxerunt. Id nunc etiam in D. Hieronymi cœnobio adservatur. Forma est ab ceteris, quibus nunc utimur , longe diversa. Litteras sequentes non fusiles , sed celte excavatas in orbem habet ; sed tot nexibus inter se colligatas , et aliis alias in-

(21) Iam diximus sub num. 21. lib. 1. hæc verba esse Tobiæ , frustra requirenda in Vulgata , attamen exhibita in Breviario Mozarabico. Nunc addimus ex Alvaro in hunc locum quem Morales adhibet , quod *hanc maledictionem annuè Ecclesia super odientes se non occultè sed patenter ac luminositer clamat:* cuius vestigia disciplinæ , nempe ut singulis annis hostes Ecclesiæ maledictis obruerentur, ad hæc usque nostra tempora Ecclesia Romana servavit in anniversaria publicatione famigeratissimæ Bullæ , ut aiunt , *Cœnæ Domini.* In qua primi omnium excommunicabantur hæretici , apostatæ , schismatici ceterique hostes Ecclesiæ iam inde a tribus et ampliùs retro sæculis. Sed Clemens XIV. Pontifex Maximus anno 1770. ab ea publicanda primus abstinuit ; cuius exemplum , qui ei successit SS. D. N. Pius VI. feliciter regnans , sequutus est. Huius originem Bullæ perscrutatus perdoctus vir Marchio *del Risco* in eiusdem Bullæ Historia Legali , nullum reperit eius antiquitatis vetustius monumentum Romano Cæremoniali S. Gregorii X. edito a Ioanne Mabillonio tom. II. Musæi Italici. Verùm nos attendentes Alvarum apertè loqui de more quem saltim Hispana Ecclesia servabat , palam quotannis inimicos maledicendi , nec obscurum, nec leve illius Bullæ fundamentum deprehendimus in huiusmodi ritu sive nostræ, sive alterius Ecclesiæ particularis, unde Romana eam disciplinam acceperit. Hæc enim Ecclesia , quamvis omnium mater et magistra sit , aliarum consuetudines quæ sibi non improbabiles videntur , amplecti non dedignatur. Nam ut præclarè Greg. Mag. in Epist. 12. lib. IX. *Si quid boni. . . . altera Ecclesia habet , ego et minores meos. . . . in bono imitari paratus sum.* Neque quòd inimicos ab Ecclesia maledici bonum asseramus , imperitus quisquam nobis exprobrare audeat. *Aliter enim*, egregiè idem mitissimus Pontifex lib. 4. Mor. num. 2. *maledictum profertur iudicio iustitiæ , aliter livore vindictæ. . . Cum verò sancti viri maledictionis sententiam proferunt , non ad hanc ex voto ultionis , sed ex iustitiæ examine erumpunt , &c.* quæ digna sunt ut legantur. Iam verò qua die in Hispania hæ maledictiones fierent , nec Eulogius nec Alvarus nec ullus alius nos edocet. Græci , ut ex verbis Leonis Allatii , refert Marten. cap. 19. lib. 4. de Antiq. Eccles. Ritib. prima Dominica Quadragesimæ *legunt Synodicon , in quo hæreses et hæretici ferè omnes anathematizantur* ; Latini autem , ut ex prædicto Cæremoniali Gregorii X. constat , in diebus Cœnæ , Ascensionis , et in festo Dedicationis Basilicæ duodecim Apostolorum eas excommunicationes publicabant. Quamobrem si quis coniectando dixerit aliqua ex his diebus , præterquam in festo dedicationis , huiusmodi ritum apud nos celebrari solitum, non repugnabimus.

inclusas, ut typis eorum species exprimi nequeat.

Offert hoc munus Samson Abbatis in domum Sancti Sebastiani martyris Christi. Era DCCCC et XIII.

Est autem hic annus domini octingentesimus septuagesimus quintus. Obiit autem idem Samson anno postea octingentesimo nonagesimo. Quod ex eius epitaphio constat ab Cypriano archipresbytero composito, et inter reliqua eiusdem epigrammata in eodem illo Azagræ codice reperto cum hoc titulo.

EPITAPHIUM

Quod idem in sepulcro domini Samsonis edidit metro heroico.

Quis quantusve fuit Samson clarissimus Abba,
Cuius in urna manent hac sacra membra sub aula:
Personat Hesperia, illius famine fota.
Flecte Deum precibus, lector, nunc flecte peroro,
Æthera uti culpis valeat conscendere tersis.
Discessit longè notus, plenusque dierum,
Sextilis namque mensis die vicesima prima,
Sextilis namque mensis primo et vicesimo sole.
Era DCCCCXXVIII.

Era ad hunc modum fuit infrascripta. Illud autem eius opus Apologeticum Toleti in sanctæ Ecclesiæ bibliotheca Gothicis litteris descriptum in pervetusto codice habetur. Hæc omnia satis indicant Samsonem hunc divi Eulogii temporibus floruisse. Quod nos exquisitius astruere voluimus, quia de hoc ipso periculo, quod martyres sanctos sepeliendo imminebat, in prætatione libri secundi de Servando Comite Christiano, sed nefario homine, ita inquit, postquàm multa mala, quæ Christianis viventibus intulerat, recensuit: " Dein- » de vivorum mortibus non contentus, » quiescentium, quorum animabus im- » pedire (22) requiem non potuit, ne vel » ipsis parcere videretur, corpora, ut » fuerant sub (23) areis Dei posita, e suis » loculis insignis (24) vespilo traxit, et » fidelibus regis, ut fuerant ancipiti » ense truncata, monstravit: ut hoc » facto animos regios in nostrorum » perniciem excitaret. Quatenus proba- » rentur (25) apud eum debito mortis ob- » noxii, qui ausi essent humare illius » prostratos pugione." Hucusque Samson. (26) Nec dubium credo alicui esse possit, quin de sanctis martyribus superioribus annis interemptis loquatur.

10 *Quippe qui iam nos.* De se ipso loquitur Eulogius, qui ut Alvarus scripsit, ipsequemet postea non semel narrabit, in carcerem missus fuerat. Inde autem sanctarum virginum et martyrum Floræ et Mariæ precibus, ut ipsæ contestatæ ante martyrium fuerant, cum ceteris Christianis est eductus. Hoc innuit. Attende autem scripsisse divum Eulogium hunc librum post suam illam liberationem.

11 *Lunariter solvimus.* Lunariter, quemadmodum et lunatim, adverbia sunt illis temporibus, novata. Significant autem per singulos menses. Huius menstrui tributi meminit etiam Leovigildus (27) presbyter Cordubensis, qui hoc ipso etiam sæculo vixit, et de habitu clericorum opusculum scripsit. Causas autem cur scriberet reddens, ita inquit: " Ut qui ex nobis ad remanentes do- » ctores imbecillitate corporis præpe- » diente dirigere gressus nequiverit, aut » quem inquisitio, vel census, vel ve- » ctigalis, quod omni lunari mense pro » Christi nomine solvere cogimur, re- » tinuerit; saltem nocturno tempore in- » ter ecclesiastica munia, qui necessa- » rium duxerit, legat." Meminit huius Leovigildi Samson Abbas. Est autem peracerbum et lacrymis dignum, miseriam Christianorum, qui tot tantaque lu-

(22) Deest in Florez. *requiem.*
(23) Id. melius *aris.*
(24) Id. *vespilio.*
(25) Id. *penes.*
(26) De Samsone Abbate verba nos fecimus in Monito ad Antikimenon et duplicem Orationem S. Iuliani.
(27) Huius Presbyteri vitam satis accuratè scripsit laudatus Florezius cap. 4. in tom. X. Hisp. Sacr. circa finem.

ludibria et detrimenta paterentur, reminisci.

12 *Stigmata in nobis.* Sacram tonsuram intelligit. Stigmatum autem vocabulum, quod alioqui in servis solummodo erat proprium, divus Paulus eo usus, fecit Christianis etiam venerabile.

13 *Emeterius et Celedonius.* Prudentius poëta in horum sanctorum hymno spontaneam eorum ad oppetendam mortem satis indicat voluntatem, cum ita loquentes inducit:

Sit satis, quod capta primo
Vita sub chyrographo
Debitum persolvit omne,
Functa rebus Cæsaris.
Tempus est Deo rependi
Quicquid est proprium Dei:
Ite signorum magistri
Et vos Tribuni absistite:
Aureos auferte torques,
Sauciorum præmia,
Clara nos hinc angelorum
Iam vocant stipendia.
Christus illic candidatis
Præsidet cohortibus:
Et throno regnans ab alto,
Damnat infames deos,
Vosque, qui ridenda nobis
Monstra divos fingitis.

Ceterum sancta Toletana Ecclesia pervetustum codicem habet, quo vitæ nostratium martyrum continentur. Ibi in Emeterii et Celedonii historia hæc ipsa verba, quæ paulò post adducit Eulogius, habentur. Sunt autem Celedonii Emeterio adhortanti, ut ad iudicem procederent, respondentis. Et olim profectò sancta Toletana Ecclesia hanc ipsam historiam in matutinis legere consueverat, et nonnullæ hodie per Hispaniam legunt. Et magnopere est animadvertendum, quàm sit antiqua illa historia, quæ tempore etiam Eulogii iam fuerat conscripta.

14 *In illis septem fratribus.* Hoc ipsum iisdem verbis in vulgata sanctorum Iuliani et Basilissæ historia legimus in episcopo (28) Equilino, in sanctoralibus vetustissimis, et ubicumque est plenè descripta. Ecclesiæ enim fermè omnes in matutinis brevitatis avidæ indidem multa præcidere. Quod in omnibus etiam fere sanctorum historiis accidisse dolemus. Hinc autem præstiterit intelligere, quanta sit in multis sanctorum historiis auctoritas, quanta esse debeat ex antiquitate veneratio. Quis crederet has sanctorum Iuliani et Basilissæ, Emeterii et Celedonii historias ante octingentos annos fuisse scriptas, nisi hìc cerneret ab divo Eulogio citari? Nos verò passim multa eiuscemodi contemnimus, et tamquam nova inventa superbè fastidimus.

15 *Felicissimus Felix.* (29) Hæc omnia in huius martyris, qui sancti Cucufatis fuit frater, in matutinis per omnes ferè Hispaniæ Ecclesias leguntur. Est autem Gerunda in extremis Hispaniæ finibus, qua per Pyrenæos cum Narbonensi Gallia coniungitur, in Ausetanis sita. Non omnino deleto nomine, *Gironam* nunc vulgò nuncupamus. Parvam eam urbem Prudentius appellavit, cum in hymno Cæsaraugustanorum martyrum Felicis etiam meminisset. Mauritaniæ verò Cæsarea eadem esse putatur, cuius nunc ruinæ ingentes cum nomine perseverant.

16 *Sic sanctus Sebastianus.* (30) Exempla sanctorum martyrum sunt, qui se sua sponte, non quæsiti, martyrio tradiderunt. Longum esset persequi singula. Satis sunt nota horum omnium sanctorum gesta, ut quivis vel quid Eulogius innuat, intelligat, vel eorum legere possit historias.

17 *Sic Eulalia virgo Barchinonensis.* Iam hinc facilè intelligas Emeretensem Eulaliam non sponte sua ad confessionem

(28) Horum Sanctorum festum solemniter celebrabat Ecclesia nostra, ut patet in Missal. et Brev. Gothic. ad diem 9. Ianuarii, quo triplicem in Brev. habemus hymnum eorum martyrium pangentem. Acta prosaica quæ Bollandus ad eamdem edidit diem, quamvis *auctorem præsentem ac videntem præseferant*, inquit Papebrochius, tom. 1. Maii pag. VIII. col. 1. *conficta tamen ea esse nunc* arbitramur *ob causas facilè a posteris vestigia nostra præsturis agnoscendas.*

(29) Felicis passionem solemniter recolebant Hispani, ut ostendunt iid. libri ecclesiastici ad diem 1. Augusti. Adeas, si velis, Ioannem Baptistam Sollerium ad eumdem diem.

(30) Iisdem in libris ad 20. Ianuarii acta Sebastiani reperies, inque nova editione Breviarii Gothic. hymnum alterum, cuius auctor multus est in laudando Sebastiano. Pag. XCIV. Huius quoque Sancti meminit B. Ambrosius in Psal. 118. serm. 20. num. 44. ubi ait Sebastianum advertisse Mediolani nullum esse aut tepere certamen, ac ideo Romam profectum, ut ibi pateretur, ubi fervebat persecutio propter fidei studium.

nem fidei Christianæ (31) procesisse, sed iudicis imperio fuisse adductam. Alioqui et eius etiam exemplum Eulogius protulisset. Sunt porrò qui aliter narrent. Et qui unam eamdemque esse volunt utramque Eulaliam. Iam hinc divi Eulogii testimonio refelluntur. Barchinonensis verò urbis tanta est celebritas, ut de ipsa hic plura dicere non sit necessarium.

18 *Sed in veritate.* Acutè satis testimonium quod adduxerat, expendit, et quo pacto sit intelligendum demonstrat. Quod est frequenter in divo Eulogio eximium, ingeniique et iudicii ipsius egregium indicium. Est autem Hispanismus eadem phrasi ad hæc usque tempora conservatus. Frequenter enim quippiam asseverantes incipimus : *en verdad.*

19 *Ac ne ceteri.* Zelus ille quorumdam Episcoporum insipiens hucusque processerat. Nam Episcopos etiam ad hunc modum commotos fuisse, in Apologetico postea ostendit.

20 *Nec violenter.* Prudentissimè et cum ingenti circumspectione omnia sanctus martyr pertractat. Ideò quod in commune statuerat, adhibito necessario temperamento comprimit, et veluti coercet.

21 *Cato infert Philosophus.* In tanta Hispaniæ Ecclesiæ calamitate et misera servitute, magnâ etiam doctores Christiani librorum penuriâ laborabant. Inde cogitur Eulogius non admodum nobilis auctoris carmina, gravia alioqui et veræ sapientiæ plena præceptis interserere.

22 *Sors illorum inventa est.* Quamquam in vetusto codice vacuæ membranæ hic aliquantulum fuit relictum, quod octo decemve lineas posset recipere ; verumtamen nihil prorsus defuit. Nam totum illud folium laxè admodum exaratum, et multò paucioribus quàm cetera lineis distributum, apertè demonstrat descriptoris, occupare totum folium satagentis, anxietatem. Quod cum assequi plene non posset, et sequentia novum haberent initium, dignaque folii principio viderentur ; satis habuit, oppleta una pagina alteram occœpisse, et aliquot lineis continuasse.

23 *Præ omnibus philosophis patriæ nostræ.* Iterum philosophos doctos viros nominat, eadem, quam supra docuimus, catacrisi. Et cum anno Domini octingentesimo quinquagesimo primo scriberet, tribus annis ante auctorem *Indiculi Luminosi* scribebat. Quod ipsum argumento esse possit, illud opus Alvari non esse, (32) qui post Eulogium profectò non fuit scripturus.

24 *Et licèt inde.* Iterum ad insignem suam modestiam redit Eulogius. Humilitatis suæ seipsum diutius non sinit oblivisci. In Sanctorum martyrum laudibus tripudianti, et sanctissimis gaudiis seque et pios omnes cælitus exhilaranti, humilitatis subit cogitatio, memoria occursat, cælestique fruentem lætitia sistit, et quasi indignum eo iubilo revocat. Omnia pectus spirant verè Deo dicatum, omnia futurum martyrem iam redolent.

SCHOLIA IN LIBRUM SECUNDUM.

CAPUT PRIMUM.

1 *Habdárrahgman vicesimo nono.* Libri nostratium historicorum *Abderramen* semper scriptum habent, ubicumque et hic, et alii reges cognomine nominantur. Ego veram hanc, quæ in utroque fuit exemplari, huius nominis prolationem esse existimo. Nam Arabicum quiddam prorsus stridet, et illa altera ad Hispani sermonis dulcedinem videtur lenita. Est autem hic Habdarrahgman huius nominis tertius, ut ex Rasis Mauri, (33) et ex peculiari Ruderici Toletani Archiepiscopi de rebus Arabum historia constat.

Ceterum cum multa sint eademque sanctissima horum divi Eulogii librorum commoda, quæ sanctorum martyrum rebus gestis commemorandis exhibentur ; tum etiam illud non vulgaris eruditionis et utilitatis hinc compa-

(31) Labitur Morales hæc coniectans, cum ex Prudentio, exque Missali et Brev. Gothic. ad 10. Decembris constet Eulaliam Emeritensem sponte ad martyrium prosiliisse. Vide sis Florez. tom.XIII. tract.41.cap.12. per tot.

(32) Vide sis not.nost. ad Schol.in Hymnum et Epitaphia, pag.418.

(33) De his duabus historiis iam diximus in not. ad Schol. in Vitam D. Eulogii.

paratur, quòd clara et ferme indubitata ratio annorum in Hispana historia ab tempore Regis Pelagii ad Ordonium primum Ramiri primi filium ex hoc loco et ex libri tertii principio certissimè digeritur. Quo pacto id fiat, non est huius loci disserere. Quanti autem momenti sit in annorum ratione et omni Chronologia certum aliquid et fixum, tamquam cardinem, in quo cetera vertantur, invenisse; hi nosse solummodo possunt, qui in hac re sese aliquantulum defatigarunt. De quo nos initio Gothicæ historiæ in nostro Chronico latè disseruimus.

2 *Consulatus.* Et hoc etiam ex illa est latini sermonis licentia, de qua superiùs diximus. Regnum *consulatum*, summos regni magistratus *consules*, honores etiam et dignitates *fasces* vocat. Idem facit Samson abbas Cordubensis, de quo antea diximus.

3 *Cordubam verò.* Rasis non Cordubam seorsum, sed omnem Hispaniam huius regis inclitis operibus scribit fuisse nobilitatam. "Hic, inquit, aquas ex »montibus in urbes invexit, templa ex»ædificavit, et textrinas panni pretio»sioris auro intertexti per Hispaniam »instituit." Toletanus narrat, Cordubenses plateas lapideo stramento ab hoc rege fuisse munitas: item aquam ex vicinis montibus in templum, arcem, et alia celebriora urbis loca plumbeis fistulis fuisse perductam. Influit adhuc in hæc ipsa loca aqua, sed non magnà copiâ. Unde constat diversum fuisse hunc aquæductum, quo nunc eò aqua perducitur, ab illo altero stupendæ structuræ qui plurimis locis interruptus conspicitur. Per hunc multo maior aquæ vis in urbem dimanabat, decimo ferme milliario procul perducta. Parum est toto hoc itinere montes amplissimos fuisse perfossos, profundasque valles pontibus æquatas: ipsa montium incredibilis moles, ne pondere suo subterraneum opus deprimeret, crebris turribus, quæ ex ipso vasto canali, tamquam castella excitantur, et in sublime montium emicant, sustentatur. Et cum recta in arcem et templum brevi itinere possit is aquæductus pervenire, longo circuitu per eum agrum, cui ab ranarum cantu nomen est, incurvatur, ut superioribus etiam urbis partibus aqua impertiretur. Hoc opus huius esse regis ego semper credidi. Neque enim ullus alius auctor memoratur. Et illa arcis et templi aqua, quæ nunc perdurat, exigua est: hæc verò ingens profectò fuit, et tanta scriptorum celebritate digna.

4 *Necnon ex parte linguæ Arabicæ cognitus.* Hispanismus planè est. Non enim significat beatum Perfectum mediocriter linguæ Arabicæ fuisse peritum. Significat profectò Hispana phrasi, insignem Arabicæ linguæ cognitionem qua pollebat, causam extitisse, ut notus Mauris esset, et in pretio habitus. Ita frequenter loquimur: *Por parte de su virtud era muy bien querido.* Huiusmodi autem nonnullos alios Hispanismos iam antea annotavimus.

5 *In præaicto transegit cœnobio.* Quam Basilicam antea nominarat, nunc cœnobium vocat. Ecclesiæ nimirum tunc omnes, monasteria etiam promiscuè et erant penè, et dicebantur. Ab Gothorum temporibus manserat, ut ex conciliis, et ex Pauli Emeretensis historia præsertim intelligimus. Habebant insignia quæque templa suos Abbates, qui præessent, gregemque diaconorum, et aliorum, qui in minoribus Ecclesiæ gradibus constituti, interdiu noctuque inibi ministrarent. Hoc semel dictum oportuit, ne quempiam sæpiùs obvium conturbaret. Paulus hic Emeretensis diaconus, cuius mentionem alicubi facimus, cum Emeretensis Ecclesiæ et Antistitum eius historiam scripsisset, tum etiam de aliis sanctis viris quædam adiunxit. Extat etiam eiusdem confessio catholica. Quæ duo opera manuscripta non parum antiqua in Sanctæ Ecclesiæ Toletanæ bibliotheca habentur. Eadem multò vetustiora in nonnullis aliis bibliothecis conspeximus. (34)

6 *Egisse prædixit.* Eodem consilio, quo in primo libro quædam de obscœnitatibus legis Mahometicæ dempsimus; eodem hìc quoque pauca quædam omisimus, iisdem penè verbis iterùm repetita. Et ipse etiam divus Eulogius quædam se hìc subticere profitetur, quæ horrorem piis auribus possent præbere. (35)

7 *Psallat Deus.* De imprecationibus no-

(34) Opus Pauli Diaconi cuius est titulus *de Vita et miraculis Patrum Emeritensium* primum in lucem prodiit Matriti anno 1633. postea Antuerpiæ 1638. quam editionem recussit Card. Aguirre tom. 2. Concil. Hisp. demumque Henricus Florez tom. XIII. Hisp. Sacr. idem opus multo correctius edidit.

(35) Vide sis quæ notamus sub n. 4. Sch. lib. 1.

nostratibus diximus in primi libri præfationem. Ad eumdem modum e converso vota quoque prospera et honorifica concipiuntur. Tale illud est in comœdiis : *Dii meliora*, et quædam eiuscemodi. Sed nos Hispani et frequentiùs et apertiùs ad hunc modum medio sermone, benè ominamur.

8 *In campum ultra pontem.* Ea nunc planities *Veritatis campus* appellatur.

Scripsit de hoc martyre Perfecto etiam quisquis fuit *Indiculi Luminosi* auctor. Eius autem verba apponam, ut, quantopere cum divi Eulogii narratione consentiant, appareat: "Et primum »sacerdotem intueamur Perfectum gen»tilitio zelo peremptum, fidei constan»tiâ decoratum, martyriali gloria in»fulatum, et verè in electorum nume»ro aggregatum: et quo pacto ad oc»casionem venerit, sinceriter profera»mus. Nempe ad aliud pergentem, aliis»que sæcularibus operibus intendentem, »nihilque, de quo gestum est, pertra»ctantem, dæmonicolarum incursioni»bus impulsatur. A quibus ille cautè et »circumspectè, ut istis videtur, ut verò »mihi, timidè fidem petit; et ne ex re»sponsionibus propriis impediretur, ora»vit dicens: Multa erant mihi, ex qui»bus abundantissimè vestras poteram »confringere nænias, vel destruere ani»les historiæ fabulas, si vestræ ultionis »non vererer ultrici gladio currentes »ultrò citròque incurrere sententias. Cui »cum fidem dedissent, et ei ut quæ sibi »videbantur exponeret, iuramento an»teposito (36) imperarent; ille accepta di»cendi fiducia, et eorum pro vero iu»ramento sumens mendacia, post mul»ta et varia sententiarum certamina, »prophetæ eorum voluptuosam lasci»viam, et lenocinationis (37) luxuriam »sermone, quo potuit, exprobravit, et »oratione splendida comprobavit. At illi »(38) aliqua super eius meretricationis sub»sannium, vel coniugatorum (39) adulte»rii colludium habita conflictatione ver»borum, frendentes dentibus, et cani»nis sævientes rictibus, ore vipereo si»bilantes, et leonum ferocitate fremen»tes, abire eum propter datum noviter »iuramentum (40) permiserunt illæsum. »Sed post aliquot temporis cursum do»lorum semper pectoribus retinentes ve»nenum, et quasi vetustate temporis »reputantes abolitum prius illi iniectum »infidum pactum, dolo eum circumve»nientes, apprehensum iudici, sævissi»mè mendacio inhiantes, quasi destruen»tem fidei illorum ritum, impiè protu»lerunt: eumque maledicentem eorum »vatem suo testimonio vilissimi homun»culi firmaverunt. Ille inopinato casu »perterritus, et inusitata (41) circumven»tione perplexus, illorum fraudulenta »ignorans consilia, quæ contra eum in»struxerat commentatio fraudulenta; se »hoc penitus non dixisse, infirma satis »prosequutione retexuit. At ubi in car»cerem missus in se extat conversus, »audaci proposito et virili congressu »cœpit ipsorum totam legem infringe»re, et non solùm quod pridie dixerat, »quæ super eum imperitiæ factio asse»rebat, verumetiam alia potiora inge»rere, mortisque magis gloriam, quàm »interitum expectare. Tunc eductum in »ipsum diei sui horrendum pascha, quo »soliti sunt pascua frui carnalia, et ven»tri libidinique alimenta ministrare sa»tura, gladio vindice peremerunt. Et »quasi victoriam hostium potiti, ad ora»tionis conventiculum, obsequium Deò »se præstasse credentes, (42) elati, et in»nocentis cruore perfusi, ritum suum »perficiendum, ut soliti sunt, annue »pervenerunt."

9 *Dignoque præsulis.* Cum Cordubensis episcopi, qui suo tempore Ecclesiæ præerat, alicubi divus Eulogius meminerit, numquam tamen nomen (43) eius scriptum reliquit. Id qua ratione fecerit, non possum intelligere.

10 *In eo titulo quo.* Possumus hinc suspicari, non unum divi Aciscli templum tantummodo tunc Cordubæ fuisse. Nunc duo priscæ etiam recordationis visuntur. Exiguum delubrum unum, in quo educatus sanctus martyr cum sorore Victoria fuerit; alterum ad flumen vetustissimæ in vestibulo structuræ, ubi sepulti ambo fuisse creduntur. Inde id templum magna veneratione colitur, et paucis antea annis fratribus ordinis sancti Dominici tributum, cœnobium ibidem instituerunt.

11 *Quarto decimo Kal. Maias.* Dies est

(36) Florez *imprecarent.*
(37) Id. *parsivam luxuriam.*
(38) Id. meliùs *post aliqua.*
(39) Id. post *adulterii*, habet *factionis.*
(40) Id. *dimiserunt.*
(41) Id. *circumvectione.*
(42) Id. *delati.*
(43) Iam diximus in not. ad Schol. in Vitam Divi Eulogii, hunc Præsulem Saulum esse.

est Aprilis decimus octavus, qui quidem eo anno octingentesimo quinquagesimo in sextam utique feriam incidit. Fuit enim is annus cycli solaris trigesimi primi decimus nonus, post bissextum secundus. Inde constat litteram dominicalem E habuisse. Rectè igitur sibi omnia consonant.

12 *Regnique sui excidium.* Latiùs de hac regis formidine libro primo, et alibi sæpe. Et alius est terror ille, de quo in fine huius libri secundi, quod ex capitis septimi principio hoc ipso libro manifestum est. Sed nos interim Dei virtutem, Christianæ veritatis robur, vim legis Evangelicæ reverenter suspiciamus. Consumit, disperdit, mactat Christianos impius tyrannus: sed pusillus grex, cui complacuit patri dare regnum, dispersus et trucidatus validior insurgit, ingentemque regiæ potentiæ terrorem immittit. Hunc nimirum ignem, quem Christus venit mittere in terram, nihil malens, quàm ut ardeat, si velis extinguere, maior inde flamma erumpit: et frumenti grana emortua in terram cadentia ingentem fructum semper in Ecclesia attulerunt.

CAPUT II.

1 *Exceptoris reip.* Scribas publicos hoc nomine intelligi debere Budæus in prioribus in Pandectas annotationibus docuit. (44)

2 *Tabanos viculum.* Huius oppidi nullum manet vestigium: neque est unde coniecturam eius sitûs capere possimus. Id postea cœnobium ab Mauris est dirutum, ac monachi intra urbem confugerunt, ut libri tertii capite undecimo Eulogius scribit. Fuit autem sancta Columba, ut ibi refertur, eodem consanguinitatis gradu quo Martinus et Elesibeth cum sancto martyre Isaac coniuncta. Cetera verò huius martyris gesta pleniùs in libri primi præfatione narraverat.

3 *In regia urbe.* Hoc cognomen olim post Constantinum Constantinopoli, quod ex illorum temporum auctoribus patet, fuerat tributum. Inde videntur Gothi Toletanæ urbi, postquam inibi regni sedem et veluti caput statuerunt, idipsum dedisse. Eàdem prorsus ratione Corduba regni in Hispania Arabici caput, regia etiam urbs simili antonomasia D. Eulogii tempore appellabatur. Et hoc ipsum in huius libri secundi principio sanctus martyr retulit.

4 *Tertio nonas Iunias feria quarta.* Annus et eo amplius inter Perfectum martyrem et Isaac transierat. Tertius enim Iunii dies anni octingentesimi quinquagesimi primi hìc notatur. Rectè porrò feriam quartam fuisse memoratur. Habuit namque is annus cycli solaris vicesimus D litteram dominicalem. Quæ omnia ex superioris capitis supputatione astruuntur. Et libro primo hoc ipsum confirmatur, cum quintus post hoc martyrium dies dominicus fuisse scribitur. Inclusivè enim utrinque computatur.

At verò de Isaac martyre ita in Indiculo Luminoso: "Ad nostros spontaneos martyres properemus. Zelo Dei Isaac religiosus non humana instigatione, sed divina commotus, nec usitatum callem nostris temporibus, sed oblitteratum incedens, antiquum persequutionis fumum non sufferens animo, iudicem adiit, et ea quæ (45) alter flagello diro vexatus negabat, quæ inter verbera se non dixisse iactator debilis personabat, athleta fortis, belliger miles abundantiori prosequutione firmavit, potiori prælio intentavit, et ingenua mente inchoavit, (46) ingenua morte peregit, consummavit, implevit; ut ostenderet hominibus fidei se zelo commotum, non timore necessitatis præventum: ut constanti fiducia Ecclesia prælians bella apertè proferret et patulè, quod quibusdam indiciis supercomprehensum satagebant firmare. Ut (47) etiam produceret Dominus athletarum suorum mundo victoriam, et militum suorum rudi (48) sæculo propalaret constantiam: et ostenderet, quòd in novissimis temporibus (49) etiam victores haberet, qui bella

(44) Florez tom. x. Hisp. Sacr. tract. 33. cap. 7. num. 55. credit hìc Exceptoris nomine non Scribas, sed Publicanos intelligi; verùm nos Budæo, quem Morales sequitur, adstipulamur. Quamvis enim alibi Exceptor Publicanum significet, quod minimè negamus; certè B. Isaac (nisi omnino fallimur) scribæ non Publicani officium gessit. Vide sis Glossarium Cangeanum.

(45) Florez *ille*. Ut ut sit videtur Alvarum alludere ad S. Perfectum de quo supra in Schol. ad cap. 1. num. 8. ubi inquit, Perfectum negasse, quòd Mahometum eiusque sectam maledixisset.

(46) Deest in Florez *ingenua morte*.

(47) Deest *etiam*.

(48) Id. *mundo*.

(49) In eod. deest *etiam*.

»Domini et instinctu, quo (50) primi in»tentaverant, prælliarentur. (51)

CAPUT III.

1 *Ex Alabensi oppido. Albensi* libentius lego ex Plinio et Strabone : cum Alabense fuerit in exemplari.

2 *Inter militares.* Hos pueros nobiles Tyrones vocat auctor vitæ et martyrii sancti Pelagii. Quod opusculum suo loco apponetur. (52) Et Ioseph divi Eulogii frater natu minimus, ut ego existimo, inter hos palatii Tyrones regi inserviebat. Hoc postea apparebit.

3 *Nonas Iunias.* Duobus tantum post Isaac diebus patitur Sanctius die Iunii quinta. Feria igitur sexta rectè signatur. De eius sancto cadavere aut sepultura nihil tradit Eulogius; quoniam cum sequentibus martyribus igne fuit concrematum.

CAPUT IV.

1 De Senarii numeri mysteriis, quem *sanctissimum Martyrum globum*, dixit Eulogius, nihil Morales : fortè quia communia symbola illi, aliis fortè ignota. Aliqua nos subiiciemus recondita, ne in tam mystico Numeri symbolo, et a S. Martyre commendato, lector e nostris scholiis ieiunus discedat. Senarius enim Numerus, sive sacros evolvas codices, sive philosophorum libros consulas, amplam ad mysterii significationem segetem exhibebit. 1.° Senarius Numerus perfectior est omnibus, eo quod Deus summus artifex in ipso sua perfecerit omnia opera. Nec enim Senarius sacer et perfectus solùm perhibetur, quòd hoc dierum numero conditæ sint universæ rerum species, ut opinatus est Guillelm. Hamer. Comment. in Genes. secutus S. Gregor. Mag. lib. 35. Moral. cap. 20. sed etiam ea de causa *sex* diebus Deus opera sua perfecit, quia Senarius perfectus est ac sacrosanctus. Itaque etiam si ista non essent, ille perfectus esset; nisi autem ipse perfectus esset, ista secundùm eum perfecta non fierent, quemadmodum sentire visus est Hugo de S. Victore de Sacram. scribens : *Senarius quia ex partibus suis constat, signum perfectionis est, et idcirco voluit Deus sex diebus complere opera sua, ut ostenderet se in his quæ fecerat, nec supervacaneum aliquid posuisse, nec imperfectum reliquisse.* Confirmat hoc axioma S. Augustin. de Trinit. lib. 4. et in Genes. ad lit. lib. 4. his verbis : *Senarii perfectionem nobis a sacris litteris commendatam, in eo maximè, quòd Deus sex diebus perfecit opera sua, et die sexta fecit hominem ad imaginem et similitudinem suam.* Sicut igitur perfecto nihil deest; ita neque ordinationi, aut rebus ordinatis quidquam, aut addi tamquam diminuto, aut detrahi tamquam a superabundante potest, non potestate quidem terminata, sed ipsa rerum serie sibi terminos præscribente, id fuit, ac si dixisset, per Senarium illum eorum quæ creata sunt, ordo melior, ac dispositio non potuit assignari, aut esse: quare die Sexta subdit Propheticus sermo : *Vidit Deus universa quæ fecerat, et erant valdè bona : et factum est vespere et mane die Sextus.* Cum ergò audis sex diebus constructum fuisse mundum, non intelligas de numero dierum tantùm, sed de perfectione universi, quæ per Senarium perfectum numerum designatur. Unde cùm ad hunc absolutum numerum opus Dei pervenisset, dixit divini verbi scriba : *Perfecti sunt cæli, et terra et omnis ornatus eorum.* Et sic (inquit Petrus Bung. de Numeror. Myster. fol. 269) Orpheus Mystarum princeps, hymnos iubet sexta generatione finiri, cum ait :

Ætate in sexta studium finite canendi.

Quod de rebus creatis non ultra cani possit, cum ibi tota sit terminata perfectio. Cognita ergo huius Numeri perfectione, ad Mysteria sacra veniamus. Tabernaculum sex erat cubitorum ex utraque parte. Sex diebus gloria Domini inclinavit super monte Sinai, cooperiens illum nube; quo significatur huius vitæ tempus. Sex alæ Cherubin tempus sæculi demonstrant. Sextus mensis fuit, in quo factum est verbum Domini in manu Aggæi Prophetæ. Sex tribulationes apud Iob sunt huius vitæ passiones. Sex annis serviebat Domino suo servus Hebræus. Sex annis seminanda terra. Sex diebus licebat operari. Sex diebus colligendum manna, et Sexto

(50) Id. *prisci.*

(51) Id. *præliarent.*

(52) Morales post opera S. Eulogii edidit Acta nonnulla martyrum qui passi fuerunt Cordubæ sæculo decimo, nempe Eugeniæ, Pelagii, Dominici Sarraceni et sociorum. Sed cum nihil hoc ad Eulogium spectet, ab eorum editione abstinuimus, quippe qui dumtaxat Eulogium, et quæ illum illustrent, typis dare conamur.

to duplum legendum, et alia plurima a Bungo excogitata. Hactenus de numero hoc.

2 *In urbe Astigitana.* Nobilis Romanorum tempore colonia, *Iulia Firma* post Iulii Cæsaris tempora nominata, Conventum habuit iuridicum. Priscum illud nomen *Astigi* ex sono ipso minimè Romano, magnam eius astruit antiquitatem. Singili flumine alluitur, qui post Bætim tota Bætica est amplior. Urbs ipsa et fluvius prisca, sed non nihil immutata retinet nomina. *Ecija* enim et *Xenil* appellantur. Ager eius Urbis, non magnus alioqui, feracitate tamen ditat magno opere accolas. Insignis est olei opulentia. Gossypium magna copia seritur. Horti cum fructuum omnis generis exuberantia utiles, amœnissimum præterea totum tractum reddunt. Episcopum olim habuit, quod ex conciliis Toletanis et Hispalensibus constat. Distat a Corduba triginta duobus milliaribus, ab Hispali paulò pluribus. Eius Plinius, Pomponius Mela et Ptolomæus inter alios meminerunt.

3 *Et sanctus Walabonsus.* Erat hic Maríæ martyris, quæ unà cum Flora passa est, frater, ut capite octavo apparebit.

4 *Eleplensi.* Cum *Ilipa*, aut *Ilipula* (nam auctores variant) verum sit nomen urbis, indeque *Ilipense* et *Ilipulense* exoriatur; nummum tamen pervetustum vidi, in quo MUN. ELEPLA erat scriptum. Ilipulæ autem duæ fuerunt, quod ex Plinio et Strabone et Livio constat: in Lusitania altera, altera in Bætica. Ego de hac postrema hìc puto intelligi. Eam verò eo loco sitam fuisse, quo nunc non admodum magnum oppidum (53) *Peñaflor* dictum, medio ferme inter Cordubam et Hispalim itinere videmus, longa disputatione in Hispaniæ antiquitatibus, chronico nostro adiunctis, probavimus. Inde qui velit, petat. Hic locus plura non postulat.

5 *In vico Cuteclara.* Hoc oppidulum et in eo cœnobium latiùs cap. VIII. describitur. (54)

6 *Ex vico Froniano.* Et huius vici postea cap. VIII. mentio cum maiori explicatione fiet.

7 *Sancti Zoyli.* Suus quoque peculiaris locus de hoc divo dicendi in divi Eulogii ad Pompelonensem Episcopum epistola interveniet.

8 *Flumen Armilata.* Paululùm immutato nomine nunc *Almellato* appellatur: et superaddita Sarracenorum more in principio Arabica voce *Guad*, quæ fluvium significat, integrum fit nomen *Guadalmellato.* Ex montibus progressus hic fluvius, duodecimo ferme supra Cordubam, milliario Bætim intrat. Triginta autem et eo ampliùs milliaria, quæ divus Eulogius memorat, planè docent situm hoc monasterium fuisse non longè supra insigne illud, quod nunc videmus et veneramur, Franciscanorum cœnobium, cui Sanctus Franciscus *de Monte* nomen est. Nempe vicesimo quarto et eo ampliùs milliario ab nostra urbe ad ripam fermè huius fluminis loco edito, ad Septentrionem est collocatum.

9 *Sancti Christophori.* Sancti Iuliani templum operis pervetusti ex adverso ferme urbis nunc conspicitur. Potuit id nomen immutasse. Certe nullius alterius apparent vestigia.

10 *De quo supra affati sumus.* Hinc planè apparet hunc Hieremiam martyrem eumdem esse, qui supra cap. 2. Tabanensis monasterii conditor dicitur. Eius etiam mentio est libro primo, et libro tertio, cap. XI.

11 *Septimo scilicet Idus.* Apparet quanto tunc sancti Cordubenses ferverent amore martyrii, siquidem tam frequenter paterentur. Duo tantum dies sabbatum et dominica inter Sanctium et hos sex martyres intercesserunt. Hic namque dies Iunii octavus notatur. Libro autem primo pridie idus Iunias sexto post martyrium die cremata, in flumen etiam proiectis cineribus, fuisse eorum cadavera tradidit. Horum sex sanctorum martyrium in Usuardo, sed præcedenti die apponitur. Sunt et apud Equilinium libri undecimi cap. ultimo.

CAPUT V.

1 *Ex Pacensi oppido.* Colonia Pacensis in Lusitania olim, quod ex Plinio constat, etiam iuridico Conventu nobilitata, Arabum Hispaniam occupantium vastatione ad parvi oppidi formam, ut nunc conspicimus, fuit redacta. Pertinet ad Portugaliæ regnum, *Beja*que nuncupatur. De eius nomine, situ, et antiquitate multa egregiè, ut semper solet, Andreas Resendius ad Vasæum scribens.

(53) Immò *Cantillana*; ut astruit sæpe laudatus Florezius tom. XII. tract. 36. cap. 1.

(54) Sæpe iam diximus hoc caput vitam nunc esse Floræ et Mariæ post Docum. Martyr.

bens. Eius urbis excidium Rasis prosequitur.

2 *Septimo decimo Kal.* Is est Iulii dies decimus sextus, qui eo anno feriam quintam occupavit, quod ex superioribus iam quivis poterit deprehendere. Quadraginta enim et eo amplius dies sine martyrio processere.

CAPUT VI.

1 *Quæ corpore.* De hac sancti Zoyli Basilica tunc erit dicendum, cum de ipso martyre in epistolam ad Pompelonensem Episcopum scribemus.

2 *Illi subterraneo specui.* Maurorum fuit mos subterraneos specus in putei ferè vastioris formam excavatos, tamquam ergastula ad servitia noctu concludenda, reosque asservandos habere; quales per omnem Bæticam in arcibus præsertim conspicimus. *Mazmorras* proprio eius gentis vocabulo nos etiam nunc appellamus. Cordubæ in summi templi compluvio duo eiusmodi putei hodie quoque ostenduntur, et in carceris huiusmodi usum fabrefactos ab Mauris omnes affirmant; sed illos ego ad continendam et diutius asservandam aquam fluminis potius crediderim fabrefactos. Nam, ut erant Arabes eius templi superstitiosi veneratores, crederent profectò, reis, captivis, eorumque fœditate et pœdore contaminari. In arce, aut alicubi fuisse hunc subterraneum carcerem crediderim. Ductus est mos ab Græcis et Romanis, qui huiusmodi subterraneos carceres et habuerunt, et usitato vocabulo *Putealia* vocitarunt. Et de Puteali, quod Romani Cordubæ habuerunt, iam suo loco (55) diximus. De utriusque etiam carceris discrimine alicubi præterea meminit (56) divus Eulogius.

3 *Tertio decimo Kal.* Dies erat Iulii vicesimus, qui eo anno revera in secundam feriam inciderat. Habuit Paulus fratrem Hludovicum nomine, qui et ipse martyrio postea fuit coronatus. Libro sequenti cap. XIII.

4 *Carmonensis monachi. Carmona* etiam nunc eidem oppido nomen est. Romanorum temporibus *Carmo* tantummodo appellabatur. Id veteres nummi testantur, in quibus a tergo inscriptum est, CARMO inter duas spicas, agri feracitatem proculdubio denotantes. Est præterea munitissimi situs ergo ab Iulio Cæsare lib. 2. commentariorum ea urbs commendata. Eius etiam mentionem apud Strabonem et Ptolemæum reperies. Sed in hoc auctore *Carmoniam* perperam legitur. Sita est Carmo vicesimo quarto ab Hispali milliario, eo itinere quod ad Astigitanam urbem ducit, ab qua milliaribus triginta sex distat.

5 *Octavo Kal.* Omnia prorsus concordant. Is enim dies Iulii vicesimus quintus, ut ex superioribus liquet, sabbatum necessariò fuit: quem septimam feriam divus Eulogius vocat, qui inclusivè (ita dicunt) ab Pauli martyrio dies computat.

CAPUT VII.

1 *Et cursus mensium.* Hinc iam apparet divum Eulogium existimasse eodem anno quo superiores martyres, octingentesimo videlicet quinquagesimo primo, has duas Virgines passas fuisse. Id in fine huius capitis manifestius patebit. Quod tamen necesse fuit iam hinc ad rectam computationem, quæ mox ineunda est, annotare.

2 *Igitur referente.* Quoniam divus Eulogius hìc apertè scribit, hoc anno octingentesimo quinquagesimo primo Nunilonem et Alodiam martyrium subiisse; et re vera decennio antea occisæ pro Christo fuerant; ut quo pacto cohærere hæc possint, intelligamus, necesse fuerit, diligenter hìc et exquisitè temporum rationem seriemque inire.

Cum igitur divus Eulogius hoc ipso anno passas fuisse has duas virgines scribat, et Venerii relatu de earumdem martyrio se certiorem factum dicat; illud in primis compertum est, hoc ipsum non eo tempore intellexisse, quo apud hunc Episcopum Cæsaraugusta rediens (quod suo loco videbimus) fuit. Manifestò

(55) De Puteali Morales loquitur in tract. *de Cordubæ urbis origine, situ, et antiquitate*, quem Eulogii editioni subiecit. Inde nos sequentia transcribimus. *Habuit etiam Romanorum tempore ad Romanæ civitatis et aliarum magnificentissimarum civitatum imitationem puteal Corduba.* Tum unum repræsentat inibi adservatum, et prosequitur: *Aristoteles porrò in politicis docet, non nisi magnas urbes puteal, hoc est, subterraneum carcerem ad putei similitudinem excavatum, habere solitas fuisse. Et Libonis puteal Romæ tum ab Horatio celebratum non uno loco legimus, tum etiam in argenteis nummis depictum et inscriptum videmus.*

(56) Infrà cap. 8.

festum enim est ante undecim annos divum Eulogium Compluti apud Venerium fuisse. His adde quòd cum Eulogius Sanctorum sui temporis martyrum studiosissimus semper fuerit, et Pompelone, et in Legerensi Sancti Salvatoris monasterio immoratus aliquantulum fuerit; si passæ iam eo tempore hæ virgines fuissent, audisset utique de earum martyrio, vel ab Pompelonensi Episcopo, vel ab abbate monachisque Legerensibus. Nam et non longè ab Urbevetano oppido et Bosca aberant, et quæ consequuta postea sunt, docent, magnam utrobique harum martyrum rationem semper habitam fuisse. Restat ergò, ut post divi Eulogii reditum passæ sint, et Venerius ad ipsum de his scripserit, non coram retulerit. Iam verò paulò antequam hæc de his sacris virginibus scriberet Eulogius, epistolam Venerii pervenisse, fit profectò ex ipsis auctoris verbis verisimile. Primum ex prima et secunda huius capitis periodo. Nam penè manifestè indicat, se nihil antea de harum duarum virginum martyrio intellexisse. Deinde ex illis verbis paulò post: "Priùs tamen illa sanctorum trophæa elucubranda sunt, quæ »ratio et cursus mensium ordinatim, ut »acta fuerunt, adducit, licèt in aliis »regionibus gesta extiterint." Sequitur illud etiam, quod multum iuvat hanc coniecturam: "Sed quia una est confessio, quæ utrosque coronavit, idemque tempus quod utrosque per feralem »impietatem in cælum præmisit, &c." Non idem tempus diceret, si annis antea aliquibus passas fuisse intellexisset. Hoc igitur ipso anno apparet Venerium Episcopum ad Eulogium de his duabus martyribus scripsisse. Et idem Episcopus longè ab Urbevetano oppido positus (quinquaginta enim ferme Hispanis leucis Complutum inde distat) Sarracenorum præsertim truculentia Christianorum præpediente discursus et itinera, temporis in quo interfectæ fuerant ignarus, superiori anno occisas fortasse scripserat. Aut si nihil scripserat de tempore, divus Eulogius, qui nunc tandem cognosset, proximum annum his dedit, ratus in eo periisse. Et illa divi Eulogii postrema verba: "Ferunt tamen, »quòd illa virginalia cadavera in loco »quo ab ethnicis altis scrobibus magis »abscondita quàm humata sunt, signis »et miraculis corruscant, et gloriam »emeritæ consolationis virtutum effi»cientia tàm fidelibus quàm gentilibus »ostentant": hæc inquam verba apertè indicant, Eulogium et Venerium pauca, subobscura, et incerta de his virginibus comperisse, qui hoc tempore ibi sepultas credant, neque intelligant octo iam antea annos, quod mox videbimus, inde fuisse translatas. Hæc ita coniectari et rimari cogimur, ut divum Eulogium excusare possimus, cum constet has sanctas virgines ante annos decem pro Christo interemptas. Anno namque Domini octingentesimo quadragesimo secundo, Iunii mensis die decimo octavo, ipsarum corpora in Legerense monasterium Sancti Salvatoris translata sunt. Id ex diplomate regis Iñigui Aristæ constat, quod Stephanus Garibayus in suo diligenti satis rerum Navarricarum chronico apposuit. Et cum de tempore martyrii earumdem virginum prave sentientium opiniones opportune idem auctor ibidem confutaverit; annum tamen ipse astruere non potuit. Neque ego tamen possum; sed coniecturis non levibus ducor ut credam anno octingentesimo quadragesimo, pro Christo occubuisse. Etenim divus Eulogius, ut suo loco ostendemus, Pompelone, et in Legerensi monasterio anno Domini octingentesimo trigesimo nono fuerat; et (quod paulò ante probavimus) nondum martyrium subierant. Et tamen anno quadragesimo secundo post octingentesimum earum corpora transferuntur. Paulò post etiam ex astronomica supputatione multo evidentius hoc ipsum confirmabimus.

3 *In urbe Bosca.* Mira est Breviariorum, ut vocant, in nominandis his oppidis varietas. Illud constat passas has duas virgines fuisse non longè ab Najara urbe, in oppido, qui nunc appellatur *Castro viejo.* Quod Latinè Castrum vetus redditur. Ibi sepulcrum sanctarum martyrum ostenditur, ibidem alia sunt priscæ recordationis vestigia, et ibidem tamquam alumnæ et indigenæ summa totius regionis veneratione coluntur. Hoc omnino compertum et indubitatum possum affirmare. Nomina illa *Berbetanum* seu *Urbevetanum* et *Castro Bigeti*, quæ in Breviariis nostratibus leguntur, ex Castro veteri videntur corrupta. Bosca quæ urbs fuerit, non possum explicare. In veteri exemplari (57) Osca non Bosca fuit: ego usitatum manos penitus induxit, ut *Osca* non *Bosca* in tex-

(57) Quòd sic fuerit in veteri exemplari

magis nomen reposui. Nam Oscam remotam admodum in Aragonensibus urbem, non credo fuisse traductas sanctas virgines.

4 *Nunilo et Alodia.* *Elodia* fuit in veteri. Nos *Alodiam* substituimus, vulgata consuetudine multarum per Hispaniam Ecclesiarum, quæ festum harum sanctarum martyrum celebrant, earumdemque historiam in matutinis legunt.

5 *Materteræ nutritione.* Longè diversum narrant matutinales per Hispaniam lectiones, et sanctoralia, quæ vocant, manuscripta. Orbas nimirum propinquum quemdam tutandas suscepisse; cumque is Mahometico errore teneretur, neque a Christi fide sanctas virgines posset avertere, ab eodem delatas, et ad præsidem ductas.

6 *Sub ictu gladii corruerunt.* Lectiones in Breviariis plura eademque pientissima de cæde et sepultura Sanctarum sigillatim commemorant. Et in manuscriptis præsertim, ut vocant, sanctoralibus latiùs continentur. Inde nos apponemus, quia scitu sunt dignissima, et non plene assequutum divum Eulogium historiam harum virginum confirmant.

"Tunc præcepit rex lictori dicens. »Percute gladio, et abscinde earum ca»pita. At lictor tertio regem interro»gat an feriret? Et ut feriret tertiò »cum audisset, dixit maiori: Extende »cervicem. Tunc sancta Nunilo dixit »ad sororem suam minorem. *Vide, ger»mana, ne aliter facias, quàm ego fa»ctura sum.* Cui sancta Alodia respon»dit: *Nihil dubites, germana, quòd ego »aliter faciam.* Statimque sancta Nuni»lo alacri animo prosiliens, apprehen»sis crinibus caput sibi circumligans, »dicit ad lictorem: *Feri velociter.* Ille »elevatum in altum gladium deposuit »super eam: non in medium cervicis »locum, sed in mandibulas illud de»ponens; unde nec penitus caput eius »abscidit. Cadenteque in terram corpo»re, paululùm crura eius nudata sunt. »Quod cernens soror eius, festinans, »protracta veste contexit. Quo facto »multitudo hominum miratur. Fideles »gaudebant, infideles tabescebant. Di»xitque iniquus rex carnifici: Sine mo»dò: ne ferias. Tunc ad sanctam Alo»diam dixit: Quid proderit tibi, si mo»riaris? Consenti nobis, et vives no»biscum cum multo honore. Quibus »martyr respondit: *Non consentiam: fe»stina, percute me, ne sola pergam.* Et »elevans oculos, vidit animam sororis »suæ in columbæ specie Angelis cir»cumdatam, et dicebat: *Expecta me, »germana, expecta me modicum.* O mira »virtus altissimi! Puella quæ gladium »non longè micantem cavere non po»terat, in propriam cervicem descen»surum, non pertimuit, sed apprehen»sam syndonem, qua vestiebatur, sibi »in crure alligavit, et capillis suis fa»ciem suam extersit. Inde flexis geni»bus super corpus sororis suæ, præbuit »se percussori, qui uno ictu caput eius »amputavit. Sicque martyres una die, »una hora, martyrium suum victrices »consumaverunt in pace, quinta feria »(58) duodecimo Kalend. Novembris.

Hæc nos ex vetustissimo Sanctorali codice ante sexcentos annos Gothicis litteris in membrana descripto transcripsimus. Is fuit incliti cœnobii sancti Petri de Cardeña Benedictinorum, nunc in regio sancti Laurentii Hieronymianorum servatur. Ibi in titulo scriptum fuit passas fuisse sanctas virgines sub Zumahil præside, Era tamen aut annus signatus non fuit. Sed cum Octobris dies vigesimus primus ibi signetur, et in quintam feriam eo anno incidisse sit superadditum; ex consueta nostra astronomica computatione constat, anno Domini octingentesimo quadragesimo sanctas

textu posuerimus, quem parùm rectè Morales emendavit: nam præter vetustum Eulogii exemplar, quod eas virgines Oscæ passas refert ex confessione eiusdem Moralis, omnes martyrologi, præeunte Usuardo et agmen claudente Baronio, qui eas commemorant, idem confirmant. Ubi autem hæc sita fuerit Osca, variant auctores, adhucque sub iudice lis est. Franciscus Didacus Aynsa et Iriarte pro notissima Osca Aragonensi decertat in eius historia lib. 2. cap. 34. et 35. cui licèt remissivè adstipulatur perdoctus vir Emmanuel Risco tom. 33. Hisp. Sacr. trat. 69. cap. 19. num. 7. RR. Fr. Mohedani tom. 5. Histor. Litter. lib. 9. §. 2. sub num. 16. not. (1) affirmare non ambigunt, Oscam cuius Plinius meminit, circa urbem fuisse Tucci (hodie *Martos*) in regno Giennensi; aliis verò examinandum relinquunt, an hæc fuerit Osca Eulogii. Nos in tam dubio argumento sententiam reiicimus Moralis ad Rucones sanctas virgines ablegantis, sed inter Bæticos et Aragonenses litem dirimere non audemus.

(58) Potiùs *undecimo*, ut Eulogius, cui congruit quinta feria et littera D. anni 851.

ctas virgines in Christi confessione fuisse coronatas. Is enim annus post triginta integras cicli solaris conversiones nonus fuit in trigesima prima. Fuit autem bissextus, habuitque litteras dominicales D C. Et cum C mensi Octobri deserviret, dies vigesimus primus in quintam feriam incidit.

7 *Undecimo Kal.* Cum divus Eulogius in anno, ut ostendimus, aberrasset, inde etiam dies non potest rectè signari. Et in Usuardi quidem martyrologio vigesimum secundum Octobris diem festum harum sanctarum virginum occupat, quod et in Breviariis nostratibus servatur; sed Regum diplomata, ut mox apparebit, diem XXI. astruunt. Et omnes fermè Hispaniæ Ecclesiæ earumdem virginum festum concelebrant. Tanta fuit in eisdem martyrii præstantia et illustris claritas.

8 *Quarum corpora.* Hinc postea educta in Legerense Sancti Salvatoris cœnobium, quod non procul admodum distat (ut diximus) sunt translata. Et quamquam uno illo Iñigui Aristæ regis, quod supra retulimus, diplomate satis hæc sit testata translatio; libet tamen duo alia apponere, quæ ex eodem Legerensi monasterio descripta cum multis aliis habuimus. Ex quorum altero constare poterit XXI. Octobris, non XXII. sanctas virgines occubuisse.

Annus Domini M.XXII. Octobris XXI.

"Era millesima sexagesima die duo»decimo Kal. Novembris, Sanctius ma»ior rex Navarræ, et Castellæ, et Ara»goniæ facit ad corroborationem Ordi»nis Sancti Benedicti domino et ma»gistro suo Sanctio Episcopo donatio»nem de Legerensi cœnobio, quod est »fundatum in honore sancti Salvatoris, »et continet membra virginum et mar»tyrum Christi Nunilionis et Alodiæ »cum innumerabilibus Sanctorum reli»quiis. Considerans enim semper de »inimicis suis triumphasse, et omnes »illos per circuitum suum sibi subiu»gasse: videns etiam, quòd post Mau»rorum invasionem laici sæcularisque »ordo Ecclesias totius Hispaniæ habue»runt, eas ecclesiasticis viris tradere »decrevit. Et audiens beati Benedicti »doctrinam ubique rutilare; cogitavit »qualiter in regionibus suis eam posset »transplantare. Et mittens ad Cluniа»cense cœnobium, evocavit inde abba»tem Paternum et cum illo gregem mo»nachorum, quos in ascysterio sancti »Ioannis Baptistæ constituit. Nunc ve»rò prædictus rex Sanctius prædicto »domino et magistro suo Sancio Epi»scopo devotâ mente commendat et »concedit prædictum monasterium Le»gerense cum possessionibus, quas an»tecessores reges ei dederunt, et alii »quatenus in eo ordinem monachorum »constituat, ubi corpora parentum Re»gis requiescant. Facta charta ut supra »in præsentia multorum, qui venerant »adorare Deum, et celebrare festivita»tem sanctarum Martyrum in prædicto »monasterio, regnante clarissimo rege »præfato Sancio in Castella, in Pam»pilonia, in Alava, in Aragone, in »Suprarbi, in Ripacorcia, in cuncta »Gasconia, in Leyeut. Testes:
»Eximena regina mater regis.
»Regina donna Munia Maior Garsia.
»Ranimirus Gundissalvus.
»Bernardus Mattus Aragonensis Episco»pus.
»Sancius Abbas Lejerensis, et Episco»pus Pampilonensis.
»Paternus Abbas Sancti Ioannis.
»Encco Abbas Honniensis.
»Senior Exemeno Garces.
»Senior Garcia Lopeiz, et Fortunio »Sainz, et Acenar Fortunionis, et »Fortunio Ossuaz, et Garcia Fortu»nionis, et Lope Sainz."

Anno etiam millesimo trigesimo secundo idem Rex eidem monasterio huiusmodi diploma concessit.

Annus Domini M.XXXII. dies Decembris XXVI.

(59) "Era millesima septuagesima, se»ptimo, Kal. Iannuarias feria tertia. »Ego Sancius gratiâ Dei rex, dono vo»bis domino et præsuli sanctissimo do»mino Sancio, vel omni collegio mo»nachorum cœnobio Lejerensi, sub au»la sancti Salvatoris, ubi sunt corpora »beatissimarum virginum et martyrum »Nunilonis et Alodiæ, necnon reliquiæ

»Apo-

(59) *Era millesima septuagesima, septimo Kal. Ianuar. feria tertia.* Ita edimus emendantes typographi Complutensis errorem, in cuius editione legitur: *Era millesima, septuagesima septima, &c.* unde ad editionem Francofurt. manavit. Neque non facile nobis fuit errorem deprehendere, cum immediate ante ipse Morales huiusmodi diploma concessum scripserit, anno 1032. quod etiam ad marginem annotavit. Id si animadvertisset Gabriel Cossartius a castigando Ambrosio proculdubio abstinuisset, quem in eo lapsum putat (in notis ad Concilium Pinnatense, habitum in Monasterio S. Ioan. *de la Peña* in Aragonia) ideoque legendum coniectatur *Era* 1067. seu *anno* 1029. quo adhuc regnabat in

»Apostolorum et martyrum, quæ ibi »reconditæ sunt: Dono, inquam, vo»bis in valle de Ostella, prope villam »quæ dicitur Portiella, monasterium, »quod dicunt sancti Ioannis cum suis »terminis: et in Pampilonia parrochiam »de sancta Cæcilia, et in valle de Ga»ronio monasterium, quod dicitur Ze»yazahassa.

»Ego rex Sancius serenissimus regnans »in Pampilonia et Aragonia, in Su»prarbi, et in Ripacorcia, et in omni »Gasconia, atque in cuncta Castella, »et Legione, sive in Astorica, con»firmo.

»Munia Mayor regina, conf.

»Ranimirus proles regis, confirmo.

»Garsia frater eius, confirmo.

»Gundissalvus frater eius, conf.

»Fernandus germanus eius, confirmo.

»Manctius, Aragonensis Episcopus, conf.

»Sancius Pampilonensis Episcopus.

»Arnoltus Ripacorciensis Episcopus.

»Munio Alavensis Episcopus.

»Iulianus Episcopus Castellensis.

»Pontius Episcopus Ovetensis.

»Fortunius Sancii dominator Caparroso.

»Fortunius Sancii dominator Falces.

»Acenarius Fortunionis dominator »Ugarte.

»Garsia Fortunionis dominator Funes.

»Lope Eneconis dominator Arruesta.

»Fortunio Uxuaz Cantabriensis.

»Don Petro sub imperio regis impe»rans Najara.

»Valassius Fenestella ex palatio regis »exaravi, et accepi pretium propter »hanc scripturam quinque modios »tritici.

»Exemena regina Vetula ancilla Dei, »degens in Reperus, confirmo."

Paucis post martyrium harum sanctarum Virginum annis regina fuit Hispaniæ, quæ alterius nomine Nunilo vocaretur. Id cum in nostris historiis non sit scriptum, Oveti in camera sancta, de qua iam diximus, video esse testatum. Ibi namque inter prisca Regum nostrorum donaria arca etiam est duorum pedum longitudine, tabellis pretiosissimis achatitis lapidis auro circumclusis coagmentata et fabrefacta, gemmis etiam undique dives. In fundo, qui est argenteus, hanc habet inscriptionem, quam ipse fidelissimè transcripsi.

Susceptum placidè manet hoc in honore Dei, quod offerunt famuli Christi Froyla, et Nunilo cognomento Scemena. Hoc opus perfectum et concessum est Sancto Salvatori Ovetensi. Quis quis auferre hæc donaria nostra præsumpserit, fulmine divino intereat ipse. Operatum est, Era DCCCCXLVIIII.

Neque dubium esse potest quin donum sit Froilæ regis secundi. Nam præter opulentiam, quæ regia planè est; multa sunt alia, quæ id apertè testentur.

Corpora harum sanctarum Virginum hinc posteà Bononiam fuisse translata Vasæus scripsit. Sed nemo dubitat nunc etiam in eodem sancti Salvatoris Legerensi cœnobio asservari.

CAPUT IX.

1 *Qua Faustus.* De inclita Toletana urbe iam diximus.(60) De sacris his tribus martyribus Cordubensibus celeberrima est in omnibus Hispaniæ Ecclesiis memoria insigni festivitate consecrata, et copiosa historia in lectionibus matutinis repetita. Martyrologia omnia, et quicumque de sanctis scripserunt, eorum insignem habent mentionem. Sed variat alicubi festus dies. Alibi vicesimus octavus Septembris: alibi Octobris tertius decimus signatur. Ubique leguntur exusti. Illud diligenter est animadvertendum horum sanctorum martyrum cineres ad hæc usque divi Eulogii tempora Cordubæ asservatos fuisse.

2 *Campaniæ Cordubensis.* Campaniæ nomen peculiariter ab Romanis olim ei Italiæ regioni fuit attributum, quæ Neapolim, Capuam aliasque vicinas urbes habebat: et quòd campestris tota esset et plana, ita est appellata. Alioqui Campania pari ratione quæcumque similis regio dici potest. Nos certè Hispani id nomen in plana quæque transtulimus. Nam planities illa in Vaccæis, quæ longo

in Aragonia Sanctius maior: verùm irrito conatu; nam eo, quem Morales designavit, anno 1032. et regnabat Sanctius, et dies 26. Decembris simul assignata incidit in feriam tertiam. In eo verò, quod legendum putat *Manctius Aragonensis Episcopus*, ubi privilegium habet *Martinus*, lubenter illi assentimur, et cum eo emendamus. Productis enim gravissimis testimoniis evincit, nullum tunc temporis extitisse Aragonensem Episcopum, *Martinum* appellatum, nec *Sanctium*, quorum utrumque legitur in aliquibus huiusmodi privilegii exemplaribus.

(60) Schol. in Eulogii vitam num. 20.

go tractu protensa *Campos* nunc, olim *Campi Gothorum*, ut est apud Rudericum Toletanum, nuncupabatur; *Campaniam* vocatam in Compostellana (61) historia, ante quadringentos annos scripta reperio. Sed peculiare magis fuisse videtur, ut Cordubensis planities tantopere ab Strabone fertilitatis nomine commendata, Campania diceretur. Nomen adhuc paululùm immutatum cum *Campiñam* vocemus, perdurat.

3 *Era DCCCXC.* Hoc loco in vetusto codice ad signandum numerum nonagesimum nota quædam fuit et litterarum colligatio peregrina, nobisque Hispanis penitus ignota, ut Gothicam fuisse appareat. Ea fuit huiusmodi: L littera quinquagesimi numeri nota vulgaris, fuit posita. Inde X adiuncta, sed cui minutula altera L superiori ex parte superioris apicis cohæreret: ita ut quadragesimi numeri hæc vulgaris nota XL compleretur, et ex notis utrisque quinquagesimi et quadragesimi numeri integer nonagenarius esset perfectus. Eam ergo notam ad eum modum innexam in vetustis quatuor sacrorum conciliorum codicibus, quos habent sancta Ecclesia Toletana et Regium divi Laurentii monasterium ordinis sancti Hieronymi ad oppidum *Escurial* vocatum, iam antea observaveram, et quæ esset liquidò deprehenderam. Quæ omnia mihi hîc sigillatim demonstranda fuerunt, ut si quis in vetustum divi Eulogii codicem incidisset, minimè hæreret, aut dubitaret: sed manifestam veritatem illico intelligeret, sequentiaque omnia probè digesta conspiceret. (62)

CAPUT X.

1 *Fuit præterea.* Ex satis humili exordio sublimiori postmodùm oratione divus Eulogius insurgit, ut iuxta Horatii præceptum fulgorem ex fumo proferret. Voluit enim pleniùs stilo grandiori horum martyrum historiam continuare, et spiritus verè christiani

verè ad martyrium anhelantis ardorem dicendo proferre. Id non sine pia animorum commotione pii lectores non uno loco animadvertent.

Videtur Fr. Laurentius Surius Cartusiensis in fragmentum divi Eulogii incidisse. Tomo enim quarto *de probatis sanctorum historiis* totum hoc caput cum nomine auctoris inseruit. Ibi semper Natalia non Sabigotho Aurelii uxor nominatur. Surius autem more suo dictionem hîc quoque et sancti martyris stilum limavit. Id monuisse oportuit, ut nemo miretur, nimium illa orationis filo ab his discordare, quæ nos religiosè admodum nihil prorsus immutando, ut erant in exemplari conservavimus. Si quæ autem diversa in Surio referuntur, suis hîc nos locis annotavimus.

2 *Ut in parte stramentum.* Obscurè significat pondere catenarum asini clitellas subversas et deiectas, ita ut in caudam defluerent: eo enim crura retrorsum asello insidentis inclinata fuisse videntur. In Laurentio Surio longè diversa hæc referuntur, et paulò post cælestes per somnium visiones adnectuntur. (63) Ego nihil prorsus in nostro exemplari deesse video, ut hæc superaddita olim ab aliquo existimem. Postmodùm etiam filiarum Aurelii nomina Felicitas et Maria apponuntur. Desunt verò quæ de consulto Alvaro Eulogius prosequitur. In supplicio tamen Sabigothonis plura referuntur.

3 *Serenissimi præceptoris.* Diximus, qua modestiæ ratione Alvarum, qui condiscipulus fuisset, præceptorem suum vocet Eulogius. Serenissimi etiam titulum additum, nobilitatem in Alvaro astruere demonstravimus.

4 *Monasterium sancti Sabbæ.* Celebratur in libris de sanctorum Patrum vitis hoc cœnobium: et ipse sanctus Sabba ubicumque de sanctis eremi cultoribus agitur, est notissimus.

5 *Martyrii sui breviarium.* Hac voce Plinius et Suetonius utentes docent

(61) Lib. 1. cap. 16. 26. 30. et lib. 3. cap. 53. tom. 20. Hisp. Sacr.

(62) Miramur sanè, quî fieri potuit, ut Morales, qui hoc ipso loco se tandem huius notæ X^{D} vim deprehendisse fatetur, quæ in codicibus Gothicis MSS. tam frequenter occurrit, non animadverterit in suorum Chronicorum editionibus hac notitia posterioribus quamplurima faciliè corrigi potuisse, quæ aliquî nimis perturbata reliquit. Cum enim ubi hæc nota occurrebat X^{D} pro decem accepisset, non pro quadraginta, ut fieri debuit, factum est ut imprudens nesciensque in varios Chronologiæ errores inciderit, quos nec huius loci, et nimis prolixum esset indicare.

(63) Videas sub textu in not. nostra cælestis visionis narrationem quam Morales commemorat. Enimverò et nos arbitramur, eam superadditiam esse; sed cum in animum inducere numquam potuerimus, fuisse a Surio pro lubitu inventam, sed ab ipso potiùs in aliquo repertam codice, placuit eam transcribere.

quodcumque opus et in historia præsertim, summatim et per compendium scriptum sit, ita solere appellari.

6 *Revelatis vultibus.* Apparet profectò christiani moris tunc ex Pauli apostoli doctrina fuisse, ut non in Ecclesia solùm, sed in itinere ad Ecclesiam caput fœminæ velarent. Poterant etiam honestatis causâ et ne ab Sarracenis pulsarentur, velatis capitibus fœminæ christianæ misero illo captivitatis tempore incedere.

7 *Osculatis manibus eius.* Cum sacerdos non esset, reverentiæ tamen ergò ab martyre futuro veluti benedictionem sacerdos etiam Eulogius petebat. Nisi credas iam tunc hunc morem hodiernum cœpisse, ut nos Hispani osculari manus et dicamus et facere aggrediamur.

8 *Sexto Kal.* Multis locis apparet Adonem Archiepiscopum hos divi Eulogii libros legisse, et in horum martyrum mentione præsertim : siquidem quamvis sub compendio, omnia tamen digniora retulit, quæ hìc ab Eulogio commemorantur. Ceterum referente Equilino Episcopo, non Sabigothonem, sed Nataliam eius loco nominat. Sed neque Ado, neque Surii fragmentum rectè diem aut mensem notarunt, qui Augusti vicesimum septimum his martyribus tribuerunt.

9 *Pilomelariensi cœnobio.* Cum iterùm fusiùs huius cœnobii mentio occurrerit, tunc nos de eius situ, quæ oportet, dicemus : id erit libri tertii cap. undecimo. In Surio prædictum ab Aurelio refertur, se ibi sepeliendum. (64)

10 *Apud Genesium martyrem.* Metonymia, qualis illa Horatii :

Scripta palatinus quæcumque recepit Apolo.

Et multa huiusmodi, quibus christiani frequenter utimur.

11 *Et Sabigothonis incolunt.* Locus hic in veteri codice fuit mutilus, et linea integra cum dimidia vacua relicta, ut si quando posset suppleri. In Surio neque capitum saltem mentio est.

CAPUT XI.

1 *Contribulis noster.* Tum hìc, tum etiam superiùs hac voce usus Eulogius, indicat planè habitationis tantummodo vicinitatem. (65)

2 *Rojana.* Neque hìc quid dicam, tametsi exquisierim, reperio. Eodem quoque silentio *Fraga* locum et Leiulensem vicum, qui paulò post nominantur, præteribo.

3 *Eliberi.* Corruperant nomen huius urbis Gothica tempora ; cum *Iliberi* Romani protulissent. Ex illa corruptela maiorem postea Arabes invexerant, *Elbiriam* nominantes, unde nos tandem nunc *Elviram* pronuntiamus. Fuit enim urbs hæc non longè ab inclyta urbe Granata, in colle, qui nunc *Elviræ mons* appellatur ; cum urbis etiam porta, quæ eò ducit, *Elviræ* nominetur. Illud animadversione dignum, vero simillimum videri, *Ili* priscâ Hispanorum linguâ oppidum significavisse. Inde tot urbium, sed in Bætica præsertim, nomina id in principio retinebant. *Iliturgi*, *Iliberi*, *Ilipula*, *Ilipa*, et alia huiusmodi. De quo nos in Hispaniæ antiquitatibus.

CAPUT XII.

1 *Decimo septimo Kal.* Dies est Septembris quintus decimus, qui apertè in veteri exemplari notatur. Usuardus, Breviarium Cordubense, Ado, et Equilinus paucis diebus variant. In Adone et Equilino *Emilianus*, non *Emila* scriptum legitur. Et rectè sanè non longo intervallo post Christophorum et Leovigildum hos duos martyres coronatos scripsit Eulogius.

CA-

(64) Cum æquè persuasum habeamus et hanc alteram Surii accessionem non commentum eius esse, sed eam ipsum ex codice aliquo eruisse, en illam tibi subiicimus. *Prædixerat.... idem martyr Christi Aurelius, quòd in eum locum esset deportandus post mortem, atque ibi tumulandus. Nam veniens eò causâ orationis, tribus ferè diebus antequam comprehenderetur, una ex iis Deo sacratis feminis, quæ ibidem erant inclusæ, dixit ad eum* : Domine Aureli, ecce habes nunc ad martyrium pergere. Quid ergo mihi dabis ? *Et ille.* Non habeo, inquit, quod possim modò donare tibi : dabo tamen postea memetipsum, annuente Domino. *Factumque est, ut sæculo mortuus, quod promiserat, iam vivens cum Christo adimpleret. Præstante ipso, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus in sæcula sæculorum. Amen.*

(65) Rectè Petrus Dolmans ad diem 20. Augusti : *Cum eadem vox cap. 6. eiusdem libri* cognationem sanguinis *significet, non video cur ad alium sensum hic debeat transferri.* Videas in eo cap. notation. Schot.

CAPUT XIII.

1 *Cum adhuc.* Notat hic quoque modicum temporis intervallum. Et nullus equidem dies intercessit.

2 *Fanum illud.* Templum hoc Cordubense intelligit Arabicæ structuræ, quod hodie perdurat, maiorisque Ecclesiæ dignitatem obtinet, et sua magnitudine, columnarum multitudine, marmorum præstantia, operis subtilitate, et multis aliis sui partibus admirationem, atque adeò stuporem spectantibus præbet. Iam enim fuerat ædificatum a rege Habdarrahgman secundo, et Issen eius filio. Auctores sunt Rasis et Rudericus Toletanus antistes in Arabum historia.

CAPUT XIV.

1 *Tunc iam proculdubio.* Aut significat neminem deinceps tam ex Christianis quàm ex Sarracenis ausum fuisse non deferre ad iudices quemcumque audisset pseudoprophetæ Mahometo maledicentem: aut certè permissum Sarracenis fuisse, ut quem Christianum ita maledicentem audirent, ipsi protinus, non spectata publica damnatione, impunè interimerent.

2 *Quod quibusdam.* Docent ad hunc modum sacri theologi, martyrium donum Dei esse, quibusdam peculiariter a Deo tributum. Illud autem est animadvertendum, diversam hanc esse Ecclesiæ Hispanorum persequutionem ab illa Cordubensi, in qua captus est divus Eulogius. Tempora id docent evidenter. Et libri primi cap. primo nos exquisitius docuimus.

CAPUT XV.

1 *Nos quoque auctores.* Hanc gravissimam insectationem pertulit divus Eulogius, quasi futuri martyrii præludium. Ut non subitò gladii ictu tantummodo mactaretur, sed carnifices quoque eius ipsi Christiani, ipsi fratres existerent, quotidiano convitio illum proscindentes.

2 *Præsenti concilio Episcoporum.* In tanta calamitate et dira Ecclesiæ persequutione convenerant prælati, ut de remedio, si possent, quoquo modo providerent. Et Rex etiam iusserat undique metropolitanos, quod mox apparet, convenire. Nationale ergo, uti vocant, concilium hoc fuit: nisi conciliabulum tali auctore congregante malis appellare. De hoc sceptore postea lib. 3. cap. 3.

3 *Inhibitum esse martyrium.* Hæc quæ sequuntur ad finem usque periodi, decretum ab concilio editum continent, subobscurè tamen. Consilium enim præsulum in concilio fuit (ut misere laboranti et periclitanti Ecclesiæ hac ratione prospicerent) edicere quidem et præcipere, quod Regi, quod proceribus placere posset leviter intuentibus. Ceterum cum vererentur quippiam, quod Dei summi maiestatem et Christianam religionem offenderet, constituere; ita decreti verba attemperarunt, et consultò quasi fabrefecerunt, ut nihil impium, si quis penitiùs rimaretur, assererent. Hoc est quod in sequentibus prosequitur divus Eulogius. Et multò quidem erant omnia in exemplari obscuriora, et quæ multo cum labore, adhibito etiam sapientissimorum hominum iudicio et lima, fuerunt dilucidiora aliquanto, una aut altera voce tantummodo adiecta, reddenda.

4 *Inculpabile.* Hoc est, culpâ prorsus non caruit. Sententiam enim suam iam hic profert divus Eulogius. Et de hoc ipso edicto libellis etiam et schedis evulgato loquutus videtur libro primo ad finem. Quamquam manifestum est de altera diversa ab hac Sarracenorum perturbatione initio libri huius capite primo scribere: ut ipsius sancti verba tum hoc, tum etiam illo loco, et initio septimi capitis apertè declarant.

5 *Quinimo nisi legitima satisfactione.* Hoc ait: Necesse fuit profectò imbecillibus satisfacere, ne edicto scandalizarentur, si fortè id tantummodo quod ab Sarracenis volebat concilium intelligi, ipsi etiam intelligerent. Oportuit ergò, ut iis, imbecillibus inquam et pusillis, satisfieret, tum legitima interpretatione ad eos et propter eos adhibita, tum etiam causis explicatis, quæ ad eum modum edictum conformare compulissent.

CAPUT XVI.

1 *Denuo pontifex.* Cordubensem Episcopum intelligo, quem nusquam proprio nomine designat. Apparet autem iterùm antea hunc ipsum præsulem in vincula fuisse coniectum, Reccaffredi tumultu, ut ego existimo.

2 *Pendentia stipitibus.* Quatuor martyrum Emilæ et Hieremiæ, Rogelli et Servio-Dei, qui postremi passi sunt, intelligi necesse est. Ceterorum namque, ut

ut ex superioribus liquet, non superarant, exusta partim, partim sepulta. Quod ad sequentem temporis pervestigationem hic iam annotasse oportuit.

3 *Nos autem.* Hinc apparet divum Eulogium hunc librum secundum hoc ipso tempore, quo Mahomad regnare cœpit, scripsisse. Nondum enim sequentia, quæ tertio libro prosequitur, gesta fuerant. Quod plenius etiam superaddita hoc loco oratio demonstrat, in qua præterea latere se dicit, cum scriberet.

IN ORATIONEM.

Mos fuit ab Gothorum temporibus ductus, ut Hispani scriptores opera sua oratione ad Deum fusa aut inciperent aut clauderent. Id in divi Illefonsi opere *de Laude* virginitatis sacratissimæ virginis Mariæ, et in sancti Iuliani Archiepiscopi Toletani libris apparet.

SCHOLIA IN LIBRUM TERTIUM.

CAPUT IV.

1 *Et quia undique.* Rasis Omarum Hacanis filium contra hunc Mahometum regem rebellasse scribit, ipsumque ab regis exercitu in prælio interemptum. Vixit deinceps, eodem auctore, quietus in regno. Rudericus, Toletanos adversùm regem insurrexisse, in Arabum historia scripsit. Victi sunt, et magna strage deleti Toletani cum rege Ordonio, qui suppetias eis ferebat. Crediderim Omarum Toletanorum ducem fuisse.

2 *Cæsum et fugatum.* Ego divo Eulogio magis crediderim quàm Rasi, qui omnia ei pacata et prospera ubique evenisse commemorat. Quamquam cùm primo prælio fusus eius exercitus fuisset, potuit deinde et ipse vincere et rebelles domare.

CAPUT VII.

1 *Ex urbe Accitana.* Urbs hæc nunc *Guadix* in Granatæ regno vocatur. Nec est huius loci causas et testimonia afferre, quæ in Hispaniæ antiquitatibus congessimus, ut eamdem esse Guadixiensem urbem, et Accitanam Romanorum olim coloniam probaremus.

2 *Se Tabanensi.* De hoc monasterio, de isto etiam altero sancti Salvatoris superiùs crebra fuit mentio. Pinnæ Mellariæ retrò quoque meminit, sed suus adhuc erit locus de illa dicendi capite XI.

3 *Fortissimum verò athletam.* Diem et annum hìc prætermissit Eulogius. Ex Usuardo, Adone, et Equilino Idus Iunii fuere, hoc est, tertius decimus eius mensis. Et siquidem die insequenti Anastasius est passus, ut proximo capite scribitur; planum etiam ex Eulogio fit tertio decimo Iunii sanctum Fandilam fuisse trucidatum.

CAPUT VIII.

1 *Quem sequens alio die.* Insequentem nullo interiecto diem, hoc est crastinum intelligi debere, ex die cædis sancti Fandilæ indicatur.

2 *In cenibus egerat.* Locus, quantum ego capere possum, est corruptus. Nam neque *cenibus* vocabulum quid significet reperio: neque tamen quo pacto emendare possim, succurrit. Et in veteri ita planè fuit scriptum. Nisi fortè quis legendum credat *scenibus* per S, et tabernacula velit intelligi, unde et Scenitæ Arabes dicuntur.

3 *Natione Getulus.* Getulia Africæ pars est. Hinc autem opinio illa ortum habuit, ut ex Sarracenorum progenie editum hunc divum credatur. Potuit profectò ex parentibus Christianis nasci. Erant enim in Africa, tametsi a Sarracenis occupata, Christiani, quemadmodum in Hispania Mozarabes.

4 *In horam nonam.* Computatio est Romanorum in sacris etiam Evangeliis usitata. Huius autem sancti martyris festum nonnullæ Hispaniæ Ecclesiæ celebrant, totumque hoc de Dignæ virginis insomnio iisdem penè verbis in lectionibus referunt. Unde constat divi Eulogii libros legisse, quicumque ei festivitati historiam compararunt. Et nos etiam quædam in libro de sanctis martyribus Iusto et Pastore scripsimus; sed cum nondum D. Eulogii scripta vidissemus.

5 *Nolite me Dignam.* Vera humilitas ex sui cognitione deiecta, in cælum tamen usque ad Dei cognitionem effertur. Multa sunt autem, quæ perfectam nobis nostri cognitionem præstare possint. Sed illud unum est, quod ad eam ipsam me sæpè perducit. Numquam me totum mihi plenè cognoscendum offero: introspicere me undique

o-

omni ex parte non sustineo : et aliquid incompertum reliquisse , meipsum miserè fallens, penè exulto. Hoc, qualis sim, demum mihi ostendit. Hic miserabilis pudor me conspiciendi, memetipsum mihi plenè conspicuum facit. Hoc ipsum olim miseriam nostram deplorantes, hoc epigrammate complexi sumus.

Si quando interno me totum lumine lustrem,
Vestigansque animum cernere me cupiam:
Conscia mens qualem sit me ostensura, veretur,
Atque mei partem subtrahit illa mihi.
Cum delusa tamen meme occultasse putabat:
Me miserum! tunc me pleniùs aspicio.

In commune autem ad sui cognitionem mentem etiam tetrasticho olim excitavimus, ex illa Sponsi in canticis adhortatione : *Nisi te noveris , o pulcherrima mulierum , egredere post vestigia gregum tuorum , pasce hædos tuos.*

Tu nisi te agnoscas (mens o pulcherrima rerum,
Quas toto pulchras condidit orbe Deus)
Pro desiderio , quod tete ad sydera tollet,
Turpis terrarum sollicitabit amor. (66)

CAPUT IX.

1 *Quorum cadavera.* In sancti Zoyli, apud Carrionem nobile oppidum, monasterio ordinis sancti Benedicti corpus sancti martyris Felicis Complutensis (67) in argentea theca servatur, et magna religione colitur. Eò fuit cum sancti etiam Zoyli corpore translatum, quod in vetustis cœnobii monumentis, quæ ego ibidem legi, traditur. Et tamen hic videmus eius cadaver per ignem et aquam fuisse dissipatum. Potuit tamen pia Christianorum diligentia ossa non penitùs incendio consumpta de flumine extrahere. Id utique fuit facile, cum igne dessicata supernatarent.

CAPUT X.

1 *Foro constituentes.* Manifestum hinc est forum ante fores palatii extitisse, ut id plateæ fuerit, quod arcis muris obseptum, ante tamen quàm ipsam arcem ingrediamur, cum fluminis prospectu expanditur. Aut illud fortè vacui soli, quod inter turrim, quam Leonum vocant, et episcopalis domus hortos interiacet, forum fuit. Sed illud alterum vero propius est.

2 *Cum summa reverentia.* Intellige sanctam martyrem cum summa gravitate et modesta vultus constantia ad martyrium vadentem, ministros et carnifices traxisse. In quibus quæ potuit esse reverentia?

3 *Non se prius.* Tamquam quæ summum in morte pro Christi fide obeunda beneficium esse intelligeret, etiam carnifici, quamquam immerenti, aliquid eidem largiendo, voluit gratificari. Hoc innuit, nec tamen quid ei dederit explicuit.

4 *Sanctæ Eulaliæ.* Duas habuit olim Hispania hoc nomine martyres, Emeretensem alteram, alteram Barchinonensem. Neque enim audiendi sunt, qui unam ex utrisque facere voluerunt. Contra quos in nostra historia fusè disputavimus. (68) Neque tamen utrius fuerit Basilica, indicavit. Neque de oppidulo *Fragellas* habeo, quod dicam.

5 *Ceterum tu sacratissima.* Quemadmodum sanctæ huius martyris vitam et cædem copiosiùs atque etiam facundiùs divus Eulogius perscripserat, ita etiam pia

(66) Quàm hæc omnia, quæ Morales interserit de propria cognitione, superflua sint ad illustrandum Eulogium, nemo non videt.

(67) Ipse auctor in Chronic. lib. 14. cap. 13. ingenuè hunc locum sic correxit : *Aunque..... en los Escolios sobre San Eulogio dixe , que el cuerpo santo que estaba en Carrion , era el de S. Felix..... de Alcalá ; no es sino el de este otro S. Felix compañero de los demas:* id est, Felicis qui socius fuit Aurelii, Georgii, Sabigothonis et Liliosæ. Vide sis etiam Florez tom. x. tract. 33. cap. 11. num. 88. et seq.

(68) Consulas velim de duabus Eulaliis Alexandrum Lesleum pag. 481. et 566. in Not. ad Missale Mozarab. edit. Romæ 1755. Cl. virum Franciscum Perez. Bayer. in Dissert. Histor. pro SS. Laurentio et Damaso sub pag. 96. 110. 136. et seq. atque sæpe laudatum Henricum Florez tom. 13. tract. 41. cap. 12. et tom. 29. cap. 8.

pia prece hìc in fine voluit ipsam compellare. Et utroque quidem fuit virgo dignissima. Ut enim eius vita eximiis sanctitatis exemplis plena, constantiaque in morte admiranda maiorem historiæ seriem, præstantiorisque stili splendorem promerebantur; ita quoque ingentem in cælis dignitatem adepta, præsentius et maius suis ferre patrocinium apud Deum poterat, quod avidè deberet exposci. Et hæc profectò insignis vitæ mortisque in hac virgine præstantia, hæc digna eius invocatio, cui principium iam hinc fecerat Eulogius; faciunt ut credam, hanc nostratem Cordubensem Columbam, non illam alteram ex Sennonibus Gallicanam esse, quam tanto opere ubique insigni cum religione Hispania tota concelebret. Et sunt præterea plures etiam aliæ causæ quæ me permoveant, cum nulla sit, quæ contrarium possit persuadere. Quæ enim, rogo, causa nos potuit incitare, ut Gallicanam martyrem longè ex Sennonibus, hoc est, ex remotissima Galliæ, quantum ad Hispaniam pertinet, regione solummodo auditam, tanto cum cultu veneraremur? Celebritas, credo, martyrii eius, cuius Martyrologia uno pene verbo meminerint, Equilinus paucula scripserit: cum breviaria nostratia minimè in lectionibus, aut in die festivitatis eius concordent. Fuit profectò Sennonica Columba virgo sanctissima, martyr strenua; sed ipsa in cælis residens, inde nos nunc libenter audiens, optat nos veritatem invenire et confirmare, et illum legitimum cultum, qui ut ab Hispanis Hispanæ divæ debetur, eidem asserere. Is verò cultus tantus est, et tanto opere insignis, ac penè singularis, ut non alienigenæ, sed alumnæ tributus debeat videri. Delubra sunt in agris per Hispaniam quamplurima sanctæ Columbæ nomine sacrata, quæ populorum eximia veneratione statis diebus solemni ritu frequentantur. Parentes, devotione in hanc divam permoti, eius nomen filiabus imponunt. Burgensis Ecclesia inter dignitates, ut dicunt, habet sanctæ Columbæ abbatem. Habet eodem nomine et honore primariæ dignitatis sacerdotem Ecclesia Segoncina. Sacellum quoque huius divæ ibidem in summo templo est structura nobile, cultu eximium, et proventibus insigniter locuples. Quamquam utrobique corrupto iam nomine sancta *Coloma*, non Columba vocetur. Hæc tanta veneratio, tam varius cultus religionis, plurimorum tot signis testata devotio, tot testimoniis declarata, et tam pia animorum propensione semper exaucta; cur externæ, et non patriæ, cur alienigenæ, et non civi, cur peregrinæ, et non domesticæ et penè tutelari divæ tribueretur? Indigenam habebamus: quæreremus externam? Propria aderat: alienam advocaremus? Nostratem profectò divam nos colimus, Hispanam martyrem veneramur, et vernaculum in ea, iureque quoddam communis patriæ nobis debitum patrocinium meritò exquirimus legitima religione. Sed dies, inquis, quo sanctæ Columbæ festivitas in Hispania celebratur, Decembris nimirum ultimus, sanctæ Columbæ Senonensis est natalitius, non Cordubensis, quæ si coleretur, septimum decimum Septembris debuit occupare. Dicam equidem quod sentio. Primum variant hìc Breviaria. Segoncinum namque octavo Ianuarii die, Cauriense tertio Aprilis sanctam Columbam habent. Sed ego credo, cum sanctam Columbam Cordubensem nostratium aliqui celebrare vellent, nec diem, quo passa esset martyrium, scirent, et ultimo Decembris Columbam coli cernerent; Cordubensem arbitrati, eum diem ei sine discrimine attribuerunt. At lectiones Senonensis martyrium referunt. Nimirum quemadmodum dies natalitius nostratis divæ erat incognitus, ita etiam vita et passio, quæ non passim in divi Eulogii libris legebatur. Inde quod ad manum erat, nomenque idem veluti proprium dabat, arripuerunt. Hoc ipsum in sancta Marina nostrati, hoc est Galliciensi, factum videmus. Nihil erat proprium, quod legerent: divæ Margaritæ historiam ex parte ei acommodarunt. Hæc habui, quæ de nostræ huius sanctæ Columbæ cultu dicerem: liberum interim iudicium eis relinquens, qui aliter sentire maluerint. (69)

CA-

(69) Quidquid dicat hoc loco Morales, quidquid alias in Chronic. congesserit ut probaret Columnam illam quam tantopere Hispana Ecclesia olim celebrabat Cordubensem fuisse non Senonensem, nobis certe illud numquam persuadebit. Ut enim verum sit, quod de hodierna solemnitate scribit, postquam ipse Eulogium edidit; fateamur necesse est duobus aut tribus et amplius ante nonum sæculis, Columbam coluisse Hispanos, quæ absdubio Cordubensis hæc esse non poterat. Siquidem Officium, quod habent huius Martyris Breviarium

et

CAPUT XI.

1 *Hæc namque sacra virgo.* Hæc omnia usque ad studia et sacrarum Scripturarum meditationem tantopere in veteri exemplari fuere corrupta, ut nullus penè sensus eliceretur. Nos quoquomodo potuimus emendavimus, unum atque alterum verbum superaddentes.

2 *Qui usque hodiè permanent.* Permanent etiam usque in hoc tempus, in quo hæc scribimus. Neque enim dubium est, quin de eo sublimiori colle et rupe divus Eulogius intelligat, quæ quarto ab urbe milliario in vicinorum montium vertice supereminet supra nobilem fundum, qui dicitur *el Albayda.* Saxum ipsum Sancii Mirandæ rupes appellatur. Ibi apes in petræ foraminibus quotannis mellificant. Ad culminis eius radices fons dimanat permagnus, qui vicinos hortos citriorum omnis generis arboribus consitos rigat. Situs est monasterio admodum opportunus, et vestigia ædificiorum cum ruinis non uno loco apparent. Meminisse autem oportet, capite septimo divum Eulogium hoc monasterium haud procul ab urbe constituisse. Ideo hanc rupem ipsum signare credendum est. Alioqui insignem locum ad Guadiati fluminis ripas intelligere potuimus, qui ab apum per rupes mella conficientium multitudine, *Apiaria* vulgo nominatur. Sed locus vigesimo ferme ab Corduba distat milliario.

3 *Era DCCCXCVII.* Ita apertè fuit in vetusto codice, sed describentis vitio manifesto. Siquidem sanctæ Columbæ martyrium Pomposam eodem ipso die concitavit. Et capite etiam sequenti is scriptoris lapsus planè convincitur.

CAPUT XII.

1 *V. Idus Iulii.* Is est dies eius mensis undecimus. Perendie celebratur huius martyris festum: quia nimirum superiores dies aliis erant sanctorum festivitatibus impediti. Usuardi martyrologium antevertit, et Iunii octavo reposuit.

CAPUT XIII.

1 *Hludovicus.* Aspirationem habuit semper in exemplari hoc nomen. Et ita ex diplomatibus Imperatorum, qui hoc nomine fuere, scribit semper F. Onuphrius Panvinius in Cæsaribus.

2 *Italicensis provinciæ.* Longum esset referre, quibus rationibus probari possit, Italicam urbem eo ipso olim situ extitisse, qui nunc cum magnis ruinis Hispalis vetus appellatur, et ex adverso penè ei urbi trans flumen opponitur. In nostris Hispaniæ antiquitatibus, quicquid ad idipsum invenire potuimus, congessimus.

3 *Palma.* Retinet hoc ipsum nomen id oppidum, quod Comitatus caput, et emporium est admodum celebre. Illud etiam ad celebritatem et singularem inprimis amœnitatem habet insigne, quod interamnium est, Singili fluvio Bætim ab altero eius oppidi latere intrante. Distat a Corduba milliaribus triginta duobus. Palmam autem provinciæ Italicensis, hoc est, Diœcesis fuisse intellige. Nam Episcopum eo tempore quemadmodum superioribus retrò sæculis habebat. Sic capite sequenti Egabrensem Diœcesim provinciam appellat.

CAPUT XIV.

1 *Egabrensi. Ægas* Græce *capra* dicitur. Latini olim Græcum huius urbis nomen retinebant. Nam quo loco Plinius libri tertii capite primo oppida Cordubæ viciniora commemorat, pro *Bæbro* emendatiores codices, antiquis adiuvantibus exemplaribus, *Ægabro* habent. Nos Hispani Græcum vocabulum interpretati *Cabra* (70) nunc id oppidum nominamus. Penè namque manifestis testimoniis in præfato de Hispaniæ antiquitatibus opere ostendimus, Ægabrum priscum, idipsum quod nunc Cabra est, oppidum fuisse. Distat a Corduba milliaribus sex et triginta. Insigne

et Missale Gothicum, anterius est septimo sæculo, ut norunt omnes qui nostri Ritus disciplinam callent. Cum enim non solùm in antiquissimis Hispaniæ codicibus id extet Officium, sed etiam Veronensis a Blanchino editus, quem nec Caietanus Cennius ad sæculum septimum pertinere negare ausus est, hymnum et orationes Breviarii complectatur; liquidò apparet, Columbam gallicanam celebrasse Gothos. Sed hoc argumentum egregiè discutit R. P. Emmanuel Risco tom. 33. Hisp. Sacr. tract. 69. cap. 19. num. 114. et seq. cuius nos sententiæ libentissimè subscribimus.

(70) Qui sint quibus *parum apta fortassis videbitur istiusmodi derivatio*, ut ait Papebrochius ad 28 Iunii, nos certe latet. Ea placuit Henrico Florezio tom. 12. tract. 35. cap. 1. num. 4.

est oppidum, quòd Comitatus nomen et titulum præbeat, quòd situs amœnitate præcellat, quòd celebratissimam illam voraginem propè habeat, quam nos *Simam* appellamus: quæ inter tesqua et rupes hians, nullum vulgo fundum habere creditur. Itaque in proverbium iam abiit. Montes huic oppido vicinos Rasis florum et odoris causâ magnopere celebrat. Et ea suaveolentia hodie quoque iucundissima verno tempore persentitur. Episcopum olim habuit.

CAPUT XV.

1 *XV. Kal.* Is est dies Aprilis decimus septimus: quo eodem eorum meminit Usuardus, apud quem *Helæus*, non *Helias* legitur. Adonis martyrologium eodem die habet: item Romanum nuper ab Maurolico exauctum. Meminit etiam libri undecimi ultimo capite Equilinus.

CAPUT XVI.

1 *Confessor vir nobilis.* Apparet Argimirum publicè aliquando ante martyrii tempus Christianam fidem, et Mahometi pseudoprophetæ falsitatem professum fuisse, unde confessoris nomen et gloriam iam retulerat. Nam confessores, ut notum est, nomine a primævis nascentis Ecclesiæ temporibus usitato dicebantur, qui ita sese apud iudices gessissent, nec tamen mortem subiissent, quamvis suppliciis essent gravibus affecti.

2 *Censor.* Qui fuerit apud Arabes hic magistratus, ignoramus. Umbram aliquam saltem Romanæ censuræ fortè habuit, ex civium censu: unde hoc ei nomen potuit divus Eulogius accommodare. (71)

CAPUT XVII.

1 *Per annos fermè triginta.* Probè omnia consonant. Initio enim regni Habdarraghmanis passos Adulfum et Ioannem retulerat, et nunc post eorum martyrium consecrasse se Deo Auream in monasterio memorat.

2 *Insignitam stygmate.* De stigmatis metaphora iam diximus libri primi Scholio 12. Erat autem sacrarum virginum insigne, ut alibi etiam diximus, velum capitis, aut nigrum, aut rubeum, ut ex conciliis Toletanis constat. Nigrum nunc gestant: tristitiam videlicet de morte Domini nostri Iesu Christi testantes. Rubeus color sanguinis etiam eius pretiosissimi, quo redempti sumus, memoriam potuit respicere.

3 *XIIII. Kal. Aug.* Iulii dies undevigesimus anni octingentesimi quinquagesimi sexti, in quem usque diem divus Eulogius produxit historiam. Eam videtur postea continuasse, cum in Apologetico sanctos martyres Salomonem et Rudericum adiecit, qui anno insequenti quinquagesimo septimo mense Martio passi fuere. Inde totis duobus annis, quos divus Eulogius supervixit, nullum martyrem fuisse crediderim. Neque enim scribere de his prætermisisset.

FINIS SCHOLIORUM IN MEMORIALE.

SCHOLIA IN DOCUMENTUM MARTYRIALE.

SCHOLIA IN EPISTOLAM AD ALVARUM.

1 *Quo me serenitas vestra præmonuit.* Hæc serenitatis compellatio, qua non semel utitur auctor ad Alvarum scribens, facit, ut eum nobilem admodum fuisse credam. De ea autem postea in Veremundi regis diplomate dicemus. (72)

Quia

(71) Bene Ioannes Tamaius in Martyrolog. Hisp. ad diem 29. Iunii: *Miror Ambrosii nostri hæc dicentis errorem, cum illi qui* censum *apud Romanos exigebant, non* Censores *sed* Censitores *dicerentur.* Qui de censura eiusque officio plura voluerit, adeat lib. 13. Cod. Theod. tit. 10. *de Censu*, et tit. 11. *de Censit.* Rosin. Antiq. Rom. lib. 7. cap. 10. Laur. Polym. lib. 3. Syn. 4. §. 4. et alibi. Ita Benedictini S. Ambrosii editores lib. 2. in Luc. n. 38. Hic addidit Schottus: *Iudicem apparet fuisse ex eod. capite, cum semotus Argimirus ab administratione iudicii dicatur. Tum etiam ex Præfat. lib. 1.*

(72) Diploma de quo loquitur Morales editum est ab ipso in fine Operum Eulogii, ut-

2 *Quia propterea.* Eamdem causam vinculorum suorum hanc fuisse in superiori epistola retulerat. (73) Alvarus in eius vita ab Reccaffredo Episcopo missum in carcerem tradit Eulogium. Nimirum in idem utrumque recidit.

SCHOLIA IN EPISTOLAM ALVARI AD EULOGIUM.

1 *Infularum præconiis digna.* Hoc, quantum ego assequi possum, intelligi vult, Episcopis potius, et summis sacerdotiis dignis doctoribus opus tradi debuisse iudicandum. Ipse enim Alvarus laicus (ita loqui consuevimus Christiani) cum esset, ad eum iudicium sacrorum operum, quale hoc divi Eulogii erat, pertinere non poterat. Quæ sequuntur in hac periodo, miserè fuerunt in veteri codice depravata. Nos quoquo modo potuimus, restituimus.

SCHOLIA IN DOCUMENTUM.

1 *Virginibus sacris Floræ et Mariæ.* Diximus iam Gothorum tempore sanctimoniales feminas variis nominibus fuisse compellatas, quod in conciliis Toletanis ostenditur. Inter cetera, sacrarum Virginum nomen fuit eisdem tributum. Sed enim non hinc has duas, sacras virgines appellat divus Eulogius, cum altera tantùm fuerit sanctimonialis; sed quia martyrio iam destinatæ, tamquam sacræ victimæ, multo iustius hoc nomen promerebantur.

2 *Triumpho adorearum.* Verrius Flaccus seu Festus Pompeius. Adorea, laus: quia gloriosum putabant, qui farris copia abundabat. Sed præsertim ea gloria hoc vocabulo postea significabatur, quæ bellicis rebus fuisset comparata. Inde videlicet, quòd Imperatores re benè gesta, frumenti genere, quod *adoreum* vocant, solerent donari. Plinius lib. 18. cap. 3. Gloriam denique ipsam a farris honore *adoream* appellabant. Et capite octavo eodem libro meminit publicorum donorum, quæ ex farre constarent. Et divus Eulogius amat plerumque eiusmodi inusitatiora vocabula, quod alibi etiam annotavimus. (74)

3 *Non lector concionatur in pulpito.* Concionari vocat, aliquid in Ecclesia aut ex sacris litteris, aut ex sanctis doctoribus et conciliis ad fidelium institutionem legere. Hoc erat proprium lectorum. Nam inter Missarum solemnia Epistolam Subdiaconus, Diaconus, quod utrumque nunc etiam fit, Evangelium legebat. Homilias, hoc est, sacras conciones ad populum habere, hoc Episcoporum et doctorum tantummodo fuit.

4 *Verùm ad eos veniamus.* Eos nimirum innuit, contra quos primo libro, et seorsum in martyrum Apologetico depugnavit, qui malè sanis argumentis retrahere Christianos a publica confessione volebant. Et has duas virgines horum vesanis, ut apparet, monitis lubrico vestigio veluti labantes nutasse, in ipsarum passione, et in Epistola ad Alvarum scripsit. Ideo validiùs confirmandas, et hoc errore fortiùs extrahendas putavit.

utpote unicum documentum quo nititur historia Vitæ Dominici Saraceni et Sociorum, quam iam diximus illum publicasse. Ibi in Schol. num. 13. de compellatione Serenitatis hanc apponit notam: *Hæc honorifica compellatio, sicut etiam illæ*: Gloria nostra, Sublimitas nostra, *ab Gothis planè sunt desumpta, ut ex conciliis Toletanis et Gothorum legibus constat. His titulis Reges seipsos nominabant, et alii honoris causa ad Reges eisdem utebantur.*

(73) Epistola cuius meminit Morales ea est quam scripsit ad Episcop. Pampilonens. et nos edimus post scriptam ad Baldegothonem.

(74) Eadem voce utitur S. Ambrosius in lib. de Viduis cap. 4. ubi idem quod Morales, notant Monachi Benedictini e Congreg. S. Mauri, nempe quod adorea *præmium erat militare ex farris genere* constans, *quo Romani ann. ab Urbe condita* 300. *victitarunt. Unde adorea per tropum pro laude atque honore sumitur, ac potissimùm militari.* Sed et Horatius lib. 4. Carm. Od. 4. hanc vocem usurpat; Plautus in Amphitr. Act. 1. Apuleiusque lib. 3. qui omnes, præter eos quos Morales citat, argumento sunt, perquàm rectè Eulogium eo verbo usum fuisse.

SCHOLIA IN VITAM ET PASSIONEM SS. VIRGINUM FLORÆ ET MARIÆ.

1 *Ex vico Ausinianos.* Meminit huius oppidi etiam alibi, nullibi tamen plenius. Nos quod de eo præterea dicere possumus, nihil prorsus habemus. Multa autem seorsum de Floræ martyrio in epistola ad Alvarum secunda commemorat.

2 *Infra cortem.* Latinum vocabulum probatis auctoribus notum, regum nostratium vetustiora diplomata frequenter usurpant. Significat autem illud patentis loci in domo spatium longiùs ab habitatione semotum, quod gallinis alendis et aliis huiusmodi usibus sepitur.

3 *Tuccitanæ urbis.* Non pauca Romanorum monumenta, inscriptique lapides, qui in oppido, quod nunc *Martos* in Bætica, non longè ab urbe *Jaen* vulgò dicta vocamus, planè docent Tuccitanam olim coloniam inibi fuisse: quemadmodum in Hispaniæ antiquitatibus plenè docuimus.

4 *Artemiam nomine.* Præter hos duos filios, habuit etiam Artemia filiam nomine Auream, et ipsam quoque martyrem: de qua in fine libri tertii. Adulphi verò et Ioannis martyrium multis modis est celebratissimum. Multæ per Hispaniam Ecclesiæ eorum festum diem celebrant. Is est Septembris vicesimus septimus. Usuardi martyrologium eodem die Cordubæ passos fuisse memorat. Inde in Romanum nuper ab Maurolico abbate exauctum, videtur traductum. Ado Viennensis in Gallia præsul eosdem etiam eodem die in suo martyrologio posuit, unde Equilinus Episcopus in suo catalogo retulit. Manifestum autem hic ex divo Eulogio est, eos viginti annos et eo ampliùs hos omnes martyres præcessisse; siquidem initio huius regis passos commemorat.

5 *Iterum venio crucifigi.* Verba sunt Christi ad Petrum Apostolum, Romam, cum ibi crucis supplicium passus est, venientem: ut in martyrii eius historia legitur. Quam hinc iam intelligimus esse vetustissimam. (75) Et sacellum hodie etiam Romæ visitur, eo ipso in loco, quo Christus hæc dicens divo Petro apparuit.

6 *Sicuti iam alibi.* In epistola ad Alvarum, quæ suo loco reddetur, ibi latiùs hæc omnia perscribuntur. Ibi etiam die vicesimo quarto Septembris occissas fuisse tradit. Annus verò facilè astruitur ex epistola ad Pompelonensem Episcopum. Cordubensis Ecclesia eodem die festum harum sanctarum celebrat. Usuardi, Romanum exauctum, et Adonis martyrologia, Equilini etiam antistitis catalogus earumdem meminerunt. Sed desiit hìc iam Eulogius hebdomadæ dies nominare, unde indubitata certitudo temporis poterat sequentibus adhiberi. Sed satis ad fidem et historiæ veritatem est, sanctum martyrem hæc retulisse.

SCHOLIA IN EPISTOLAM AD ALVARUM DE MARTYRIO EARUMDEM VIRGINUM.

1 *Illa verò ut erat.* Huiusmodi piæ commemorationes, quibus frequenter utitur divus Eulogius, quamvis martyrum ardore caleant, tamen in ipso sancti huius pectore qualis divini amoris ignis exardesceret, satis ostendunt. Flagrat profectò his perlectis pius animus, sed cum de martyris flamma accen-

(75) Vetustissima sanè est historia martyrii B. Petri, utpote sæculo Ecclesiæ secundo sub Lini scripta nomine, sed nihilominus ab eruditis tamquam apocripha relecta. Ex ea sæculo tertio verba hìc ab Eulogio adducta citat Origines tom. 21. in Ioan. pag. 239. edit. Paris. 1604. sæculo quarto Ambros. Serm. contra Auxent. de Basilic. tradend. num. 13. col. 867. tom. 2. edit. Paris. 1690: postea pseudo-Hegesipp. Hist. de Excidio Hierosolymitan. Urb. lib. 2. cap. 2. tom. 5. Bibliothec. Patr. edit. Lugdun. 1677: sæculo sexto Greg. Magn. in quintum Psalm. pœnit. (qui est 101.) v. 2. num. 3. tom. 3. part. 2. col. 512, edit. Paris. 1705. Ea quoque habent Acta SS. Processi et Martiniani apud Bollandian. tom. 1. Iulii die 2. apud quos tom. 5. Iunii legi potest historia illa S. Lino supposita, meliùs quàm in ceteris qui eam ediderunt. Videas, si placet, hac de re, virum eruditum Vincentium Alexandrum Constantium cap. XII. App. Monum. ad Lib. Card. Cortesii de Roman. Itin. Gestisque Principis Apostolor. edit. Romæ 1770.

censum se videat, malus profectò incendium ex verborum huiuscemodi face subdi sibi persentit : ut auctor de suo prorsus igne ignem in lectorum cordibus videatur accendere. Esto namque tepidè alius absque hoc devotionis fervore hoc ipsum commemoraret ; res eædem cum essent, tamen nullam penè in lectorum pectore scintillam excitarent.

2 *Matutinum et missale sacrificium.* Non facilè possit quispiam intelligere, quo pacto in carcere retrusi Christiani Missam celebrare, aut ipsi decenti loco et apparatu possent, aut ab impiis custodibus sinerentur. Horarias preces solemni more submissa voce concinnere certè potuere. Verum enimverò Deus optimus maximus piæ suorum devotioni non deerat, et quo pacto consolari seipsos et armare divini sacramenti perceptione possent, benignus providebat.(76) Nam in Documento martyrii planè dixit, horarias preces Christianos Ecclesiæ ministros in carcere positos solitos fuisse decantare.

SCHOLIA IN EPISTOLAM AD EPISCOPUM PAMPILONENSEM.

1 *Pampilonensis sedis Episcopo.* Verum nomen urbis est Pompelo, ut est apud Strabonem, Plinium, et Ptolomæum. Paulatim autem corruptum in Pampilonam fuit. Nos Hispani corruptiùs adhuc proferimus *Pamplona.* Est autem urbs in Vasconibus Hispanis notissima, regni Navarræ caput et arx munitissima. Strabo, quamvis id planè non scripserit, satis apertè tamen ab Pompeio conditam fuisse dicit, siquidem Pompelonem, quasi Pompeiopolim, hoc est Pompeii civitatem dictam docet. Et nomen ipsum urbis suum profectò refert conditorem.

2 *Olim beatissime Papa.* Quantum ex his, quæ paulò post memorat divus Eulogius, colligi potest ; apparet hanc eius peregrinationem in Caroli Calvi Regis Francorum initia incidisse. Cœpit autem, mortuo patre Imperatore Hludovico, regnare hic Carolus anno Domini octingentesimo quadragesimo, ut in priscis Annonii annalibus habetur. Decem igitur postea annis, aut paulominus hæc epistola scribitur, ut in fine notatur, et in Nunilone et Alodia nos disquisivimus. Unde non immerito *olim* potuit hìc dicere, et *quondam* etiam paulò mox dicet. De nomine autem Papæ, retrò iam diximus.

3 *Hludovicum regem.* Præposita ad hunc modum aspiratione scriptum fuit in exemplari. Quam lectionem ex antiquis monumentis ubique sequitur F. Onufrius Panvinius. Necesse est autem hìc Hludovicum Hludovici Pii Imperatoris filium Caroli Calvi Francorum Regis fratrem nominari. Illi enim moriens pater Germaniam hæreditario nomine reliquit, et postea etiam eidem est in arbitraria divisione post bellum inter fratres confirmata. Auctores ex antiquis sunt Rhegino Prumiensis, et Annonius annalium scriptores. Unde Paulus Æmilius et Robertus Gaguinus desumpsere. Wolre loquerentur, præsertim Chrysostomus qui eius laudes egregio encomio celebravit ; haud iniuria Tillemontius et Ceillerius eam revocarunt in dubium. Ut ut sit, certum est quod Martenius adstruxit de presbyteris et Episcopis in vincula coniectis, ibique Missam agentibus, quorum exemplo Eulogius utpote omnis ecclesiasticæ disciplinæ callentissimus missale sacrificium, sicuti ait, ad honorem et gloriam SS. Virginum Floræ et Mariæ in carcere celebravit, post vespertinum matutinumque peractum : id est, ut nos credimus, postquam sanctissimus Doctor vesperas et matutinum persolverat: proindeque summo mane sacrum fecit in honorem virginum. Hanc Missam quæ matutina vocabatur, præter alios memorat S. Greg. Turon. lib. de Glor. Confess. cap. 65. ubi refert mulierem quamdam Missæ matutinæ interfuisse in eaque percepisse divinam Eucharistiam.

(76) *Quia detenti in carceribus Confessores* (ait rectè Marten. de antiq. Ecclesiæ ritib. lib. 1. cap. 3. art. 5.) *divinis participare mysteriis una cum aliis Christi fidelibus nequibant: ne tanto munere ac gaudio privarentur, Pontificum erat sollicitudinis presbyteros.... eis immittere, qui in carceribus ipsis immolatâ salutis nostræ hostiâ, cælesti convivio eos reficiebant.* ::: *Quando verò ipsi Confessores erant presbyteri aut pontifices, ipsi sibi aliisque in vincula coniectis celebrabant.* Post hæc Martenius subiicit exemplum S. Luciani presbyteri Antiocheni et martyris, qui festo Epiphaniæ dicitur suprà pectus suum, altari deficiente, sacra mysteria in carcere peregisse, cum ipse iaceret supinus, et ita vulneribus attritus esset, ut vix posset moveri. Quoniam verò nec Eusebius Cæsariensis, nec SS. Patres Hieronymus et Chrysostomus huius rei meminére, cum de sancto Marty-

Wolfangus porrò Lazius *lib. de Gentium migrationibus septimo* diplomata etiam huius Hludovici regis adducit, quæ per hosce annos concessa sint: in quibus se Baioariæ regem compellat. Ideo Baioariæ regem hunc divus Eulogius vocat. Est autem Baioaria corruptum nomen, quo Paulus Diaconus et ceteri inde scriptores utuntur. Verum nomen *Boiaria* est a Boiis populis, qui ad Noricum in Germania habitarunt, quorum Cæsar libro primo et septimo, Plinius lib. 3. cap. 24. et alibi meminit. Eam suis finibus undique clusam describit Paulus Diaconus lib. rerum Longobardicarum tertio, cap. 29.

4 *Et funeroso quondam Wilihelmi.* Nihil prius in hac epistola quàm series temporum, et ratio chronologiæ est attendenda. Hinc enim et nihil discors apparebit in Gallorum historia, quod alioqui poterat lectorem diligentem interturbare. Rursus etiam recte sibi constare divum Eulogium, nec discrepans quippiam narrasse apparebit: cum tamen nisi tempora cum rebus gestis ita dilucidentur, diversum quiddam et repugnans sanctus martyr recensere videatur. Temporum autem et rerum gestarum seriem ex his potissimùm annalibus Gallorum desumemus, qui sunt cum vita Caroli Magni iam pridem Coloniæ excussi. Illorum auctor nomen suum non prodidit: satis autem apparet, sui temporis historiam texuisse: quo pluris est eius fides et auctoritas facienda. Is igitur anno DCCCXXVII. de Hludovico. "Imperator Helysacharem "presbyterum et abbatem (77) et cum eo "Hildebrandum atque Donatum comi"tes ad motus Hispanicæ Marcæ com"ponendos mittit. Ante quorum adven"tum Aizo Sarracenorum auxilio fretus, "multa eiusdem limitis custodibus ad"versa intulit, eosque assiduis incur"sionibus adeò fatigavit, ut quidam il"lorum relictis, quæ tueri debebant, "castellis, recederent. Defecit ad eum "filius Beronis nomine Wiliemundus, "et alii complures novarum rerum gen"tilitia levitate cupidi: iunctique Sar"racenis Ceritaniam et Vallensem rapi"nis atque incendiis quotidie infesta"bant. Cumque ad sedandos ac miti"gandos Gothorum atque Hispanorum "in illis finibus habitantium animos He"lisachar abbas cum aliis ab Imperato"re missis, multa et propriâ industriâ "et sociorum consilio prudenter admi"nistraret: Bernardus quoque Barcino"næ comes Ayzonis insidiis, et eorum, "qui ad eum defecerant calliditati, ac "fraudulentis machinationibus pertina"cissimè resisteret, atque eorum teme"rarios conatus irritos efficeret; exer"citus a rege Sarracenorum Habdar"raghman ad auxilium Ayzoni feren"dum missus, Cæsaraugusta venisse "nuntiatur. Super quem Abumarban "regis propinquus dux constitutus, ex "persuasione Ayzonis haud dubiam sibi "victoriam pollicebatur. Contra quem "Imperator filium suum Pipinum Aqui"taniæ regem cum immodicis Franco"rum copiis mittens, regni sui terminos "tueri præcepit. Quod ita factum esset, "ni ducum desidiâ, quos Francorum "exercitui præfecerat, tardiùs quàm re"rum necessitas postulabat, is, quem "ducebant, ad Marcam pervenisset "exercitus. Quæ tarditas in tantum no"xia fuit, ut Abumarban vastatis Bar"cinonensium et Gerundensium agris, "villisque incensis, cunctis etiam, quæ "extra urbes invenerat, direptis, cum "incolumi exercitu Cæsaraugustam se "reciperet, priusquam a nostro exerci"tu vel videri potuisset." Et quia tot retrò annis hi Guillielmi (78) motus occeperant, ideo divus Eulogius *quondam* dixit. Intelligo autem bellum, quod tunc seri cœptum fuerat, ad Caroli Calvi

(77) *Monasterii sancti Maximi prope Treviros*, hìc interserit Pagius ad Baron. ann. 827. num. 12. qui Pagius ad ann. 844. num. 11. iterum loquitur de hac seditione Aizoniana: *Incertum est*, idem ait ad ann. 826. num. 7. *quis fuerit hic Aizo; nisi quod ex Annalibus Fuldensibus discimus, eum fuisse Gothum: et ex rebus ipsis patet, illum familiaritatem habuisse cum populis Ausonensibus, a quibus, etsi arte veteratorio delusis, facilè susceptus est.*

(78) Bene notat post Baron. Marcam et Pagium sæpe laudatus Henric. Florez. tom. 29. Hisp. Sacr. tract. 65. cap. 5. num. 25. Moralem confundisse hunc Guillielmum, seu Wilihelmum, ut eum nominat Eulogius, filium Bernardi Comitis Barchinonensis cum Wiliemundo Beræ etiam Comitis filio. De motibus Wiliemundi ad partes Ayzonis deflectentis loquitur Annalista Eginhardus, cuius nomen ignoravit Morales; Eulogius verò de rebellione Guillielmi adversus Carolum Regem, quæ post annum 844. quo eius parentem Bernardum occidit Carolus, exorta est; cum Ayzonis insurrectio ann. 826. et 827. contigerit. Demum Guillielmus Ampuriis et Barchinona captis interficitur anno 850. ob idque

vi regis tempora, dum aliud ex alio germinat, succrevisse. Fratres etiam Eulogii Hludovici tempore in Galliam abierant, ibi usque ad Carolum Calvum eius filium perstiterant. Hoc Carolo iam regnante Pompelone Eulogius fuit. Aliter temporum, quæ ipse magis innuit, quàm signat, ratio constare non potest. Et de Carolo Calvo loqui Eulogium liquet. Is enim ab anno Domini DCCCXL. ad DCCCLXXVIII. regnum Francorum tenuit. Gothiam autem vocat eam Galliæ ad Narbonem partem, quæ quòd Gothis fuerat semper subdita, Gallia Gothica fuit appellata.

5 *Sed ipsa iterum, quæ Pampilonem.* Seburici populi sunt, ut hinc et paulò post apparet, in Pireneis, et inter Vascones computandi. Ab Seburi civitate nomen, ut mox videbimus, habuere. Eorum in antiquis Geographis nulla mentio. Longè enim diversi sunt ab Sebusiis seu Sebusianis, quorum Cæsar et Cicero in oratione pro Quintio meminere. Illi ad Narbonem, hi ad occasum longè dissiti fuere. Illi Galliæ, hi erant Hispaniæ. Intellige verò, Galliam Comatam, quæ ab comæ nutriendæ studio nomen accepit, cum Seburicis ita coniungi, ut in finibus Hispaniæ ea parte Seburici essent postremi. Aragus enim fluvius totus est Hispanorum. Et ad Aragum Seburim urbem fuisse confestim Eulogius memorat.

6 *Factionibus comitis Sancii Sancionis.* Comitis huius nomen Hispanum esse videtur, et illorum planè temporum, in quibus iam apud Navarros et proximos Celtiberos patris cognomen filii retinebant. Inde sunt usitatissima priscis temporibus solemni hoc more cognomina, *Fernandez*, *Rodriguez*, *Gonzalez*, et multa huiusmodi a patre in filium derivata. Sed quis hic Sancio fuerit, aut qua de causa adversus Carolum Calvum rebellaverit, nusquam in priscis Gallorum, aut nostris, aut Aragonensium annalibus legitur. Neque ego quid hìc possim dicere aliunde habeo. (79)

7 *Quibus Aragus flumen.* Paululùm immutato nomine nunc *Arga* vocatur. Non longè ab Vayona Galliæ urbe propè Azpeletam oppidum oritur. Ut rectè ab divo Eulogio dictum sit, in Galliæ ingressu nasci. Inde Pompelonem veniens, infra Lerim oppidum Egam flumen intrat. Unde manifestum est Egam eum esse fluvium, quem hìc divus Eulogius Cantabrum (80) nominat. Seburis autem urbs ad Aragi ripam et ante Pompelonem profectò, ut hinc apparet, fuit: eius tamen nec nomen nunc extat, nec situs, qui fuerit, intelligi potest.

8 *Legerense monasterium.* Huius etiam cœnobii meminit in martyrum apologetico. Nunc verò *San Salvador de Leyre* appellatur, et octavo ab urbe Stella, XXIIII. ab Pompelonensi milliario distat. Vidi autem multa priscorum regum Navarræ et Aragonensium monumenta eidem monasterio concessa, qui ibidem servantur, in quibus Legerense monasterium semper nominatur. Et fuerat iam antea ab rege Iñigo Arista constructum. Quod in Caroli principis Navarræ historia, et in Aragonensium annalibus legitur. Et inter cetera illud Sancii Maioris diploma in Nunilone et Alodia iam retrò appositum, oppidorum meminit, et prædiorum, quibus superiores reges idem cœnobium ditaverant.

9 *Reliquias tibi.* Alibi iam annotavimus, corpora sanctorum martyrum Zoyli et Acisclì Cordubæ ad hæc usque tempora perdurasse. Quod etiam hinc et ex fine epistolæ astruitur. Nam neque illustrari Pompelonenses, nisi insigni aliqua missa reliquiarum portione poterant, nec Basilica aliter ædificanda, quod postea fit, peteretur. Neque pleno dono ditare Episcopum Eulogius potuit, nisi horum martyrum corpora integra penè Cordubæ haberentur. Fuit autem sanctus Zoylus Romanorum Imperatorum tempore martyrium Cordubæ perpessus. Puteus nunc religiosè suspicitur, in quem pars viscerum eius pro-

que Eulogius circa finem anni sequentis 851. ad Episcopum Pampilonensem scribens aiebat, quòd funeroso *quondam* Wilihelmi incursu tota Gothia perturbata erat: nimirum loquitur de anno 848. quo iter suum fecit, et quo seditio Guillielmi effervescebat.

(79) Sancius hic est primus Dux Vasconiæ Hispanæ germanus frater Aznarii seu Asenarii Ducis Vasconiæ Gallicæ, cui etiam in huius dominatione successit ab anno 836. quo *morte horribili Asenarius interiit*, ut inquiunt Annales Bertiniani, ad annum 864. Vide sis Emmanuelem Risco tom. 32. Hisp. Sacr. tract. 68. cap. 4. §. 7. num. 3. §. 8. num. 13. et cap. 18. num. 3. et seqq.

(80) Egam minimè esse, sed Iberum fluvium hìc nominatum Cantabrum ab Eulogio, idem auctor monet tom. 31. tract. 67. num. 185.

proiecta fuisse memoratur. Eius corpus Agapio Cordubensi Episcopo Gothorum regum tempore fuit revelatum. Unde etiam translationis eius festum celebratur. Carrionem demum multis post Eulogium annis (quemadmodum in Felice Complutensi martyre diximus)fuit translatum.

10 *Cæsaraugustam perveni.* Huius urbis magna nunc est celebritas, et eius Plinius, Ptolomæus, Antoninus, et alii meminerunt. Cum *Salduba* antea prisco et Hispano nomine diceretur, ab Augusto Cæsare facta Colonia, nomen accepit. Quod ipsum cum ceteris eius urbis antiquitatibus egregiè, ut alia omnia, Hieronymus Zurita indidem civis in suis Aragonensium annalibus persequitur. Neque tàm ea commentatione patriam suam illustrat, quàm quòd tam inclyto alumno possit gloriari. Suavissimum namque ingenium, iudicium in litteris rarum, Latinæ et Græcæ linguæ singularis cognitio, peritia totius antiquitatis insignis, egregia in scribenda suorum historia laus, et diu in magnis negotiis probata prudentia dignissimum effecêre, ut Philippus rex catholicus summi in sacro Inquisitionis senatu secretarii, ut vocant, munere virum gravissimum exornaret, postquam iam pridem ab suis Aragonensibus publici historici provinciam publico regni totius decreto accepisset. Ego etiam iure optimo glorior, magnam mihi cum illo multis iam annis et benevolentiam et familiaritatem intercedere, historiæque meæ, et huius etiam ex parte laboris censorem ab Regio senatu mihi tributum: ut meritò possint iam mihi quæ scripsi, cum tanto viro placuerint, non displicere.

11 *Complutum descendi.* Recto itinere Cæsaraugusta Cordubam proficiscentibus Segoncia primùm, inde Complutum, Toletum tandem est pertranseundum. Segonciæ nomen in Tito Livio non semel legitur. Strabo etiam et Plinius eius urbis meminere. Nunc immutato paulisper nomine *Siguenza* dicitur, cui suus Episcopus dominatur. Insignisque est eo præsertim titulo Cathedralis Ecclesia, quòd sanctæ Liberatæ corpore et magnificentissimo tumulo illustratur. Altera fuit Segoncia in Bætica versùs fretum Plinio nominata. Visuntur eius ruinæ non longè ab Lethæi fluminis ripa, hodieque *Guisgonza* loco nomen est. Complutum id planè oppidum esse, quod nunc *Alcalá de Henares* appellatur, in quo nos hæc commentamur, multis iisque gravibus testimoniis astruximus in opere, quod de sanctis martyribus Iusto et Pastore superioribus annis evulgavimus. Hinc autem, cum Episcopum etiam hoc oppidum adhuc tempore divi Eulogii haberet, maximè probatur id quod nos etiam ibi contendimus, sanctam illam Basilicam, qua divorum Iusti et Pastoris corpora olim condita fuerant, semper Christianorum fuisse, neque eis ab Mauris fuisse ademptam. Quoniam verò divus Urbicius pio furto eadem corpora Oscam iam hoc tempore asportaverat; ideo divus Eulogius ipsorum hìc non meminit, (81) proculdubio, si adforent, non prætermissurus: supplici veneratione eadem sancta corpora reveritus, suæ quoque devotionis participem Wiliesindum effecisset.

12 *Post quintum diem Toletum reverti.* Reverti, inquit, quia Corduba primum egressus, illac quoque iter fecerat. Quintum diem memorat, vel ab eo, quo Segonciâ fuerat profectus, vel ab eo, quo Complutum intraverat. Alioqui Compluto Toletum bidui iter tantummodo est. Toletum verò urbs Hispaniæ celeberrima non semel ab Tito Livio nominata, ab Plinio et Ptolomæo memoratur. De qua, ut de Carthagine Sallustius, præstiterit nihil hìc, quàm pauca referre. Quum præsertim suo loco, in Hispaniæ nimirum antiquitatibus, multa fuerimus exequuti.

13 *Wistremirum Episcopum.* Ingenti gloriæ Toletanis Mozarabibus Christianis profectò fuit, talem ac tantum virum hoc tempore Episcopum habuisse: sed Cordubensibus meis inde etiam multum præstantissimæ laudis derivatur, divum videlicet Eulogium eodem ipso tempore habuisse, qui multorum Episcoporum suffragio et Toletani populi sanctis studiis dignus haberetur, qui Wistremiro (quali, bone Deus! antistiti) succederet. Idque circumspecto iudicio et matura deliberatione factum prorsus est: cum ex hac apud se commoratione Toletana Mozarabum Ecclesia nobili experimento didicisset, quem vi-

(81) Pium hoc furtum divi Urbicii quod latè refert Morales in opere cuius meminit, de sanctis Martyribus Iusto et Pastore quod evulgavit Compluti anno 1568: rectè impugnatur ab Henrico Florezio tom. 7. Hisp. Sacr. tract. 13. cap. 5.

virum dignis studiis et populi voluntate requireret. Debet autem sancta Ecclesia Toletana plurimum Divo Eulogio, quòd sanctissimi præsulis hìc memoriam conservaverit : Alvaro itidem Cordubensi, qui ad hoc usque sæculum nostrum notitiam electi Antistitis transmiserit, qui martyr esse tandem promeruerit. At verò cum *hactenus* dicat Eulogius, intelligere licet, eo ipso anno, quo scripta hæc fuit epistola, vivere adhuc Wistremirum Archiepiscopum. Itaque sequentibus annis electum fuisse divum Eulogium Toletanum antistitem, hoc est, martyrio suo propiorem, manifestò deprehendimus. (82)

14 *Quem sæva tyranni indignatio.* Quemadmodum primo libro vidimus, Habdarraghman rex quoscumque Mozarabes Christianos, qui muneribus publicis fungebantur, aut sibi in palatio quaqua ratione inserviebant (quorum non erat exiguus numerus) magistratibus privari, palatio eiici, annonis regiis carere præcepit. Inter hos Ioseph quoque divi Eulogii frater, ut apparet, fuerat multatus. Hoc profectò vocat a principatu deiici, ad sanctum Ioseph patriarcham, Ægyptiorum olim principatum vicarium obtinentem, alludens. Quem enim alium principatum potest in misera Mozarabum Christianorum servitute innuere?

15 *Christicolæ principis tueri meremini dominio.* Carolus Magnus Imperator, Caroli Calvi, qui nunc regnabat, avus Pompelonem Mauris iam pridem ademerat, et aliquoties rebellantem ipse et Hludovicus Pius eius filius restituerant. Qua de re innominati illius auctoris annales ita habent. " Anno »DCCLXXVIII. Imperator Carolus »Magnus Pompelonem Navarrorum oppidum aggressus, in deditionem ac»cepit. Et paulò post: Pompelonem re»vertitur." Cuius murum, ne rebellare posset, ad solum usque destruxit. Et anno DCCCVI. " In Hispania verò »Navarri et Pompelonenses, qui supe»rioribus annis ad Sarracenos defece»rant, in fidem recepti sunt." Et anno DCCCXXIIII. iam sub Hludovico Caroli Magni filio Imperatore et Gallorum rege. " Æblus et Asinarius comites »cum copiis Vasconum ad Pompelonem »missi: cum peracto iam sibi iniuncto »negotio reverterentur, &c." Ubi manifestè apparet Pompelonem recuperatam hac expeditione, si fortè defecerat; sin minus pacatam, in tumultu, si quis fuerat exortus, fuisse.

16 *Galindo Enniconis.* Hic Galindo Iñiguez aut Navarrus, ut vulgaribus nominibus utar, aut Aragonensis fuit. Nam in utriusque gentis priscis annalibus Galindi nomen, et inde ductum cognomen sæpe in proceribus legitur. Hieronymi Zuritæ annales libro primo non semel testantur. In antiquis etiam regum vetustissimorum diplomatibus Galindi nomen inter ceteros proceres reperitur. Ex his mihi sequentia videri contigit. Era DCCCXIX. hoc est, anno Domini octingentesimo octuagesimo (83) primo, die Aprilis XXII. Hordonius rex huius nominis secundus cum Gelvira uxore donaria quamplurima auro et argento pretiosa, item vicos et alia Ecclesiæ Compostellanæ, ubi divi Iacobi corpus est tumulatum, dedere. Subscribit et confirmat inter ceteros proceres *Galindus*. Item Geloyra regina Veremundi regis secundi, ut ipsa de se inquit, uxor, Alfonsi quinti mater, die Augusti decima octava Era MLV. hoc

est, non fuerit ante annum 870 utpote filius secundògenitus, manifestè patet uxorem eum minimè ducere potuisse anno 881. Quamvis autem indubiæ fidei fuerit (quod meritò ambigitur) Scriptura huius Regis quam exhibent Sandovalius et Yepesius, ille in tractatu Cœnobii S. Petri *de Montes*, fol. 21. hic in tom. 2. Chron. Scriptura 14. quæ anno 898 die 27 Aprilis iam natos commemorat quinque filios Ordonii; nemo, quin aberret, affirmabit Regis matrimonium præcesisse annum 890 ut videre est apud omnes qui hocce argumentum pertractant. Crediderim in Diplomate Ordonii Æræ numerum sic esse DCCCCXVIX (949), Moralemque errore apud eum frequentissimo non attendisse ad valorem huius notulæ XV.

(82) Creditur, ut alibi dicemus, Wistremirum vixisse usque ad finem anni 858. quo desinente, vel ineunte sequenti Eulogius electus, obviantium rerum, ut Alvarus ait, adversitate impeditus non potuit consecrari. Cumque demum eo ipso anno 859. die Martii undecimâ decollatus pro Christo fuerit, absdubio ante consecrationem obiit.

(83) Quod era 819 sit annus 881 nemo non videt mendum esse immane quod Morales correxit in erratorum cathalogo, assignans Æram 919 quæ illi respondet anno. Sed quod eo iam fuisset nupta Ordonio Gelvira, plus habet difficultatis quàm videtur credidisse Ambrosium. Quoquo anno statuatur matrimonium contraxisse parentes Ordonii, cum illius celebratio posterior esse debeat anno 867 et aliunde Ordonius natus

est, anno Domini millesimo decimo septimo, eidem Ecclesiæ plurima donavit. Inter ceteros præsules subscripsit et confirmat *Galindus Abbas*. Et his omnibus magis amplum est Froylæ regis Alfonsi quarti patris diploma vigesimo quinto Octobris Era DCCCCL. hoc est anno Domini nongentesimo duodecimo eidem Ecclesiæ concessum, in quo cum ceteris proceribus *Galindus* etiam confirmat. Quæ tria diplomata in archivo eiusdem sanctæ Ecclesiæ asservantur. Libuit autem hic hæc congesisse, ut nobilis huius apud nos familiæ, cui *Galindo* seu *Galindez* cognomen est, antiquitas certis testimoniis astrueretur. Cum autem et hoc loco, et paulò post in exemplari *Galindo* in nominativo fuisset scriptum; in fine denuo *Galindum* in accusativo habuit.

17 *Eorum beatæ memoriæ construendo Basilicam.* Usitato tempore divi Augustini vocabulo, quo et ipse, et alii nonnulli utuntur *Memoria martyrum*, locus dicebatur, ubi martyres colebantur. Hic diverso aliquantulum sensu, consueto nimirum et vulgari, ponitur. Videtur autem divus Eulogius ex concilii Africani seu Carthaginensis quinti decreto hoc ipsum deposcere. Eius hæc sunt verba: " Item placuit, ut al- Can. XIV.
»taria quæ passim per agros, aut vias,
»tamquam memoriæ martyrum consti-
»tuuntur, in quibus nullum corpus aut
»reliquiæ martyrum conditæ probantur,
»ab Episcopis, qui eisdem locis præ-
»sunt, si fieri potest, evertantur." Et paulò post: "Et omnino nulla memoria
»martyrum probabiliter acceptetur, ni-
»si aut ibi corpus, aut aliquæ certæ
»reliquiæ sint, aut ubi origo alicu-
»ius habitationis, vel possessionis,
»vel passionis fidelissima origine tradi-
»tur."

SCHOLIA IN APOLOGETICUM.

1 *Quod fraterno cruore.* Adverte receptam illorum temporum fuisse opinionem, sanctum latronem fratrem interemisse. Nam aliis etiam locis hoc ipsum divus Eulogius innuit. (84)

2 *Et apud Legerense cœnobium.* Huius monasterii meminit etiam in epistola ad Pompelonensem Episcopum, ubi nos de ipso, et de urbe plura dicemus: perdurat enim adhuc incolume.

3 *Exortus est namque Mahomat.* Annus Heraclii Imperatoris septimus idem fuit Iesu Christi domini nostri sexcentesimus decimus septimus. Annus Eræ hic notatus annum unum superadiicit. Neque ulla tamen est repugnantia. Nam unius anni discrimen inde potuit provenire, quòd unus Heraclii annos emergentes, ut aiunt, alius computet usuales. Sed non est huius loci hæc exquisitiùs rimari. Hæc autem quæ de Mahometi initiis, progressibus, et fine ex eo codice Legerensis cœnobii Eulogius se refert habuisse, iisdem verbis leguntur in parvulo, eodemque vetustissimo codice litteris Gothicis in membrana descripto, qui est in bibliotheca huius nostræ Academiæ Complutensis, quamquam abscisum folium aliquot lineas in principio abstulit. Exemplar etiam Conciliorum ante sexcentos annos scriptum, quod ex monasterio sancti Æmiliani *de la Cogolla* in Regium divi Laurentii *del Escurial* advectum est, eamdem hanc habet historiam.

4. *Ecclesia beati Euphrasii.* Divus Euphrasius unus ex septem Episcopis fuit, quos primos Petrus et Paulus Apostoli Roma in Hispaniam miserunt. Multi divi Iacobi Zebedei Apostoli discipulos fuisse tradunt. Ego in hoc ex probatis auctoribus nihil compertum habeo. Quod potui in nostra historia pervestigavi. Illud omnes affirmant, Hispanorumque Ecclesiæ fermè omnes in Matutinis legunt, divum Euphrasium Iliturgi et prædicasse, et obiisse. Fuit autem Iliturgi oppidum ad Bætim fluvium supra Cordubam, cuius Livius, Polybius, Strabo, Plinius, et Ptolomæus meminerunt. Eo autem loco situm fuisse Plinius memorat, ut credi rectè possit, eodem situ, aut non longè collocatum fuisse, quo urbem nunc, *Andujar* dictam, esse videmus. De quo latiùs nos in nostris Hispaniæ antiquitatibus disseruimus. Illud hic operæpretium fuit advertere, tempore etiam Gothorum huius divi beatum corpus cum templo eidem dicato ibidem permansisse. Nunc nec aliqua saltem in ea civitate eius memoria retinetur. Iuxta opu-

(84) Bene hic Schottus: In num. 3. cap. 17. lib. 3. *Memorial. Sanctor.* non *fratricidum* sed *patricidam* sanctum latronem Eulogius appellat.

opulentum illud divi Benedicti cœnobium *Samos* appellatum, de quo plura in Cordubensibus dicemus antiquitatibus, huius divi corpus in oppidulo dicitur asservari. Et sepulcrum quidem magna religione vidimus ab accolis venerari.

5 *Toleto quoque.* Rudericus Toletanus, et Lucas Tudensis, atque alii rerum nostratium auctores huius templi structuram ab hoc Rege cœptam, et miro opere, ita enim scribunt, perfectam celebrant. Et sequentibus deinceps temporibus, neque antea unquam, concilia in eo templo celebrata fuisse videmus. Creditur autem hoc ipsum esse templum sanctæ Leocadiæ, quod extra urbem hodie perdurat non longè ab flumine Tago. Nam duo alia eius Divæ intra urbem visuntur.

6 *Qui ridiculum potius.* Iisdem verbis libro primo usus divus Eulogius fuerat. De illo autem Sarracenorum ex turribus clamore, de quo paulò post divus Eulogius, mentionem etiam Indiculi Luminosi auctor fecit.

7 *Igitur beatus Rudericus. Rudericus* verum est nomen, quod in *Rodrigui* nos Hispani corrupimus. Nam nummum aureum Ruderici ultimi Gothorum regis vidi, qui cum eius vultu has in orbem litteras habuit inscriptas: *In. Dei. nomine. Rudericus. Rex.* Et parte aversa circum crucem. *Ægitania Pius.* In antiquissimis libris manu scriptis semper *Rudericus* legitur. Et Ruderici Archiepiscopi Toletani subscriptiones auctographas nonnullas in publicis archivis per totam hanc Metropolitanam Toleti ditionem vidimus, ubi *Rudericum* se, non *Rodericum* nominat.

8 *Quæ signorum gestamina erant.* Mirum est Arabes huiusmodi ænea cymbala in templis Christianorum ante hanc direptionem permisisse, qui alia multo magis impietati suæ tolerabiliora, ut apud hunc auctorem cernimus, vetarent. Pretio antea redemptum hoc ipsum, et tributo imposito donatum crediderim; nunc verò impietatem cum avaritia certantem vicisse. Et de Cymbalo eius temporis, quod hodie perdurat, suo loco diximus. (85)

9 *Ad vicem exquisiti muneris.* Hæc verba quem sensum habere possint, nec divinando assequi possum, nec quomodo emendari possint succurrit.

10 *Qui discipulum in carcere.* Hoc ideo dicit, quia divus Ioannes Baptista cum iam in vinculis positus discipulos suos ad dominum Iesum misisset, hæc ipsa verba eidem, quem hic discipulum appellat, nuntiare iubentur.

11 *Hæc sunt diabole.* Verba esse videntur Ruderici dæmoni insultantis. Deesse verò aliquid videtur, quo hæc ab illo dici significaretur. Alioqui prosopopœia subitò irrumpens, constare non potuit.

12 *Ordine et natione dissimiles.* Non dubito, quin desint etiam aliqua, quæ de patria et vitæ instituto Salomonis tradiderat. Nam quî potuit nunc Eulogius hæc referre, nisi securus se iam necessaria, ut hæc intelligi possent, retulisse?

13 *Et super crepidinem alvei.* Hinc perspicuè intelligitur, forum ad Bætis littus fuisse. Nam cum in forum essent hi duo martyres, ut occiderentur, deducti, ad ripam decollantur. Et divi Eulogii cadaver in alveum fluminis præcipitatum non longè ab arce, ut in eius vita annotavimus, iacuit. Ante arcem platea haud dubiè forum habuit et tribunal, ut ibidem dictum est.

14 *Ac propiùs quam cetera turba.* Hæc erat sancta divi Eulogii audacia, hæc digna futuro martyre magnanimitas. Cum ceteri Christiani infidelibus immixti se continerent, ne mortis periculum adirent, si ad contemplanda martyrum cadavera propiùs accederent; ipse unus, contempto mortis metu, Deum in sanctis suis laudaturus, turba se eximens, ad patibulum fermè ipsum progreditur. Satis verò apparet quantum discrimen illa eius adirent fortia vestigia, quum Arabes adstarent, nomini christiano et martyrum gloriæ tanto opere infensi, ut (quod sequitur) etiam minutulis eorum sanguinis guttis irascerentur.

15 *In pelago.* Ita fuit in veteri: et quamvis credam fluvii aquam qualemcumque significari, non tamen tacebo, quòd ea Bætis pars, quæ a solis porta aut paulò superiùs ad pontem aut paulò inferiùs, hoc est, ad arcem, veteris urbis mœnia, ut suo loco dicemus, alluit, peculiari nomine nunc vocatur *Pelagus.* Et cum ex re ipsa hoc nomen inditum, aut potiùs adaptatum fuerit: quia nimirum toto eo tractu flumen ipsum laxius stagnet, et in pelagi formam protendatur; credi facile potest co-

(85) Schol. in lib. 1. Memor. num. 9.

eodem etiam tempore ita fuisse nuncupatam, proprioque nomine hic divum Eulogium usum fuisse.

16 *Apud viculum Tertios.* Et vici et monasterii meminit Alvarus in divi Eulogii vita: et idem divus alibi non semel. Sunt autem Genesii duo, martyres ambo in Dei Ecclesia percelebres, Romanus alter, alter Arelatensis. Utriusque martyrium uno eodemque die, hoc est Augusti XXV. recolitur.

17 *Et quia defectu solis.* Assurgere tentat hoc loco oratio. Et pectus illud divi Eulogii Deo plenum, et sanctorum gloriæ cupidissimum, interna devotione instinctum, ferventius prorrumpit. Nec deest eloquentiæ nativa vis, sed verbis, quod fuit temporis, destituitur, et modo, quod fuit regionis, caret.

18 *Et inclytus Papa.* Aliquot etiam retrò sæculis Papæ nomen, quod patrem significat, Episcopis quibusque iam commune fuerat. Prudentius ad Valerianum Episcopum scribens in Hyppoliti martyris passione. *Rorantes saxorum apices vidi, optime Papa.* Et multæ Sidonii Apollinaris epistolæ Episcopis scriptæ hunc titulum præferunt. Postea usus tenuit, ut hoc nomen summo Pontifici Romano totius Ecclesiæ Christianæ capiti solummodò per antonomasiam quamdam tribueretur.

19 *Era DCCCXCV.* LXXXV. fuit in veteri, sed perperam profectò. Era enim nonagesima quinta fuit notanda, quandoquidem Mahomad rege regnante, quod supra dixerat, interfecti sunt hi duo martyres, qui postremi omnium passi hoc tempore ante Eulogium videntur, anno Domini octingentesimo quinquagesimo septimo.

EPISTOLÆ DEDICATORIÆ

EDITIONI AMBROSII MORALES PRÆFIXÆ.

PHILIPPO SECUNDO REGI CATHOLICO REGUM OMNIUM MAXIMO ET POTENTISSIMO, Petrus Pontius Leonis a Corduba Episcopus Placentinus, summus per eius regna et ditiones fidei christianæ Inquisitor, salutem et veram felicitatem.

Inter multas, præclaras, christianoque Principe dignissimas virtutes, quibus catholici cognomen et meritò retines, et perpetuò tueris, Philippe Maxime, illud unum cum ingenti lætitia et verè cælesti gaudio Hispani tui suspicimus, et semper recolimus, quod inter gravissimas tot regnorum regendorum curas, belli pacisque varias sollicitudines, nostratium sanctorum gloriæ et venerationi semper studes, incensaque in ipsos devotione, eò mira providentia magnoque sumptu iugiter incumbis. Et longum sit huius tuæ in Hispanos Divos religionis et observantiæ testimonia celebrare. Pauca percurram. Magnificentissimè transferendis illorum corporibus, et quâ decentiâ sepulti ubique sint, quaque veneratione eorum cultus vigeat, missa etiam ad id ipsum legatione pientissima, perquirendo et intelligendo, publicam etiam inter divos relationem ab summo Pontifice expetendo, hanc pietatis tuæ partem abundè testaris. Illud verò unum in hoc genere præterea est, quod ego præsertim admiror, et publicæ utilitatis ergo exultanter reputo. Scripta Hispanorum Sanctorum diligenter undique conquisita, et ex misera oblivione extracta, ut integra, emendata, scholiis aucta, et debito suo nitori restituta in vulgus exeant, non solùm cupis et iubes; sed eruditissimis hominibus eâ curâ semel iam demandatâ, Maiestas tamen tua neque providentiæ neque liberalitati interim parcit. Quæ tua in tanta celsitudine insignis religio et pientissimæ providentiæ voluntas vel eò magis me delectat, et ut inde gratias Deo Opt. Max. ingentes referam cogit, quòd eodem ego iam olim desiderio flagraverim, sanctorum nostratium multa scripta undique ex vetustis bibliothecis congregaverim, et munus tandem hoc, quod hic supplex offero, sacro isto tuæ Maiestatis studio et sancta propensione dignissimum comparaverim. Divi enim Eulogii Cordubensis martyris, doctoris, et electi Archiepiscopi Toletani opera nunc primùm in lucem eruta tibi (Princeps Sanctorum Hispanorum et hac præser-

sertim ex parte amantissime) offerimus, quæ non dubito, quin futura sint gratissima. Unum enim tantummodo martyris nomen auditum, scio quàm Maiestati tuæ futurum sit iucundum et venerandum. Quid si paulisper libeat recolere martyris ardorem in his suis scriptis mirificè expressum? Quid si ipsummet redidivum, loquentem, docentem, adhortantem ad te venire reputes? Quid si delituisse per septingentos et eò ampliùs annos hæc martyris opera, spemque omnem penè ablatam eorum reperiendorum fuisse cogites? Ea præterea, quæ his sanctissimi martyris scriptis continentur, eiusmodi sunt, ut ab quovis homine scripta plurimi profecto fierent, et magni cuiusdam thesauri loco inventa haberentur. Etenim quinquaginta fermè nostratium martyrum vitas et passiones, quorum aliunde præter nomen nihil fermè habebamus, ab Hispano homine, qui ipse penè omnibus interfuerit, luculenter scriptas et plenè traditas, quanti inter Hispanos fieri æquum fuerit? Martyr præterea de martyribus, martyrii doctor de discipulis martyribus testis oculatus scripsit. Hæc ut nemo dignè possit æstimare, ita te, Principem verè Catholicum, verè Augustissimum, et in hoc ipsum studio et religiosâ curâ incumbentem, grato animo, uti decet, excepturum et veneraturum apertè intelligimus. Et reliqua quidem divi Eulogii, præter Martyrum historiam, opera, eiusmodi esse lector planè intelliget, ut præterquamquod historiæ eiusdem maxima sunt adminicula, flagrantissimum martyris pectus undique spirare, et vivam quodammodo eius imaginem exprimere videat. Hic vero thesaurus ideo mihi divina benignitate videtur ostensus, ut Cordubensis civis Cordubensem martyrem invenirem, Maiestatique tuæ oblatum meæ civitati et orbi christiano sub tuo nomine feliciùs communicarem. Codicem horum operum miræ vetustatis, et divo martyri, ut credi potest, coëtaneum Gothicis litteris in membrana descriptum ex bibliotheca sanctæ Ovetensis Ecclesiæ habuimus, quò nimirum cum sancto eiusdem martyris corpore Cordubâ, non multo post ipsum coronatum, fuerat delatus. Quo nomine sanctæ eidem Ecclesiæ plurimùm debet Hispania, cum opulentissimum thesaurum per sexcentos et eò ampliùs annos servaverit, et nunc opportuno tempore benignè mihi, et per me omnibus communicaverit. Verùm ut alia omnia Cordubenses civi nostro sanctissimo præstaremus, opportunè præstò fuit Ambrosius Morales Cordubensis, tuus, Rex potentissime, Historicus, qui divi Eulogii opera omni ex parte illustraret, et scholiis planè necessariis locupletaret. Idem etiam quædam de aliis Cordubensibus martyribus paulò post tempore ob Christi fidem interfectis, nova, et nunc primùm adinventa superaddidit. Accipe igitur, Philippe Regum Maxime, divum Eulogium vere tuum, in Hispania tua natum, edoctum, martyrum ibidem doctorem et incentorem, ac demum martyrem.

IDEM DOMINUS PETRUS PONTIUS ECCLESIÆ CIVITATIQUE CORDUBENSI bene in Domino valere, martyrum suorum gloriam dignè suscipere, et ipsorum patrocinio invocantes, dignè perfrui.

Quamquam studia nostra omnia, et diutinos in litteris impensos labores, dignitatis, in quam me immerentem Dei benignitas evexit, et muneris iniuncti ratio suo iure assiduè vendicent; nos tamen in divorum Hispanorum scripta pervestiganda et illustranda vehementer propensi, partem aliquam studiorum nostrorum, curam etiam et diligentiam eo semper libenter contulimus. Cumque divi Benedicti per Hispaniam monasteria propter insignem vetustatem huiusmodi opibus ditissima esse reputarem; tum etiam sanctam Ovetensem Ecclesiam iisdem in primis locupletem esse semper existimavi. In misera enim Hispaniæ nostræ Gothorum tempore vastatione, fugientibus nostris, et tutiora loca petentibus, eò convectos pariter cum sanctorum reliquiis libros etiam quamplurimos memineram. Utrobique igitur priscos nostrorum auctorum, et sanctorum præsertim codices per annos aliquot indagare summâ industriâ et diligentiâ curavimus. Nec defuit studio huic nostro felicissimus eventus; piamque sedulitatem benignè Deus iuvit, atque provexit. Nam præterquamquod multa in sacris nostratibus conciliis scitu dignissima, neque tamen unquam antea visa invenimus, commentaria etiam in sacros

cros libros egregia nonnulla sumus assequuti. Unus tamen divus Eulogius a nobis hac indagine repertus, omnem nostrum laborem, tametsi multo maior fuisset impensus, abunde profectò compensasset. Quis enim sperare saltem auderet, tanto se thesauro beandum? Audieram ego sanè, et alicubi legeram, huius divi nomen; et quæ scripsisset tenui quadam memoria tantum veluti olfeceram: sed nec votis quidem concipere poteram, me eius aliquando scripta adepturum. Et cum nullum alium mihi dari mallem, de nullo tamen minus cogitabam. Tanti igitur thesauri compos tandem factus, Deo Opt. Max. in primis gratias agebam, qui mihi homini Cordubensi Cordubensis divi scripta sanctissima, et in his tot Cordubensium martyrum triumphos, numquam speranti et minimè reputanti repente obtulisset. Sed enim quamvis scripta ipsa per sese erant dignissima, quæ multis de causis plurimi fierent; me tamen illa vehementer commovit, quòd præstantissimam alioqui civitatis nostræ gloriam, hinc mirum in modum augeri videbam: donumque etiam hinc me habere, quod dignè ego eidem tribuerem, quodque illa libentissimè acciperet, magno opere gaudebam. Nam præterquamquod Cordubæ natus, educatus, et primis litterarum rudimentis Latinæque linguæ cognitione institutus, tantum eidem me debere intelligo, quantum patriæ clarissimæ quisquam unquam potuit: quòd etiam paterna stirpe totus ex primo urbis Maurorum temporibus expugnatore progredior, nescio quo maioris caritatis et propensissimi affectus incitatione in ipsam semper feror, et eius glorià mirificè recreor. Gratias deinde sanctæ quoque Ovetensi Ecclesiæ, quas potui, persolvi, quæ has nobis divitias per tot sæcula conservavisset, et mecum nunc easdem libenter communicasset. Verùm enimvero quoniam nos Cordubæ nostræ laus et gloria impensiùs sollicitabat, ne diutiùs hoc illam eius incremento carere permitterem; edendi cupidus operam dedi, ut quamprimum exemplar ipsum, quod mihi Ovetenses benignè commodaverant, describeretur. Id magno nobis et domesticis nostris labore constitit. Gothicis enim litteris scriptum cum esset, nisi longo usu legi multa non poterant. Adde incredibilem codicis vetustatem, qui cum aliis, quos ante sexcentos pene annos scriptos fuisse constabat, collatus, paucis retro annis illi prorsus scripti fuisse videbantur. Tanta erat vetustas, et priscorum characterum, atque membranæ et ipsius etiam compaginationis manifesta differentia. Quod quemadmodum ad codicis fidem et auctoritatem multum habuit momenti, ita ad describendum ingentem attulit difficultatem. Itaque desperantibus aliquando domesticis nostris, quibus eam curam et operam demandaveramus, nos ipsi suppetias in præclaro labore attulimus, et nostra manu nonnulla, in quibus ipsi hærebant, descripsimus. Et quemadmodum hunc laborem libenter nos ipsi suscepimus, ita etiam illum alterum multo maiorem emendandi, et scholiis illustrandi revera non subterfugissemus, nisi nos pastoralis cura, et Ecclesiæ nostræ Placentinæ, cui nos, etsi indignos, præesse Dominus voluit, varia negotia distinerent, ac præpedirent, et nisi vicariam operam in hac parte Ambrosius Morales civis noster et Cordubâ dignus, idemque regius Philippi Secundi domini nostri historicus præstitisset. Is, quo est in divorum Hispanorum vitas et res gestas illustrandas studio et diligentiâ, hunc laborem non impar suscepit; quâ verò est in Cordubam nostram caritate, avidè amplexus est. Ut totum hoc, quicquid hìc est, est autem permaximum dignitatis et gloriæ Cordubensis incrementum, non alii eidem quàm Cordubenses tribuerent. Divus Eulogius primùm seipsum dedit, nobilitate, doctrina, labore verè christiano, scriptis libris, memoriâ nostratium martyrum conservatâ, et demum suo martyrio præstantissimum. Nos eius scripta ex perpetuæ oblivionis tenebris eruimus, et nunc in lucem damus: quod Dei munere nobis contigisse et piè credimus, et magno opere lætamur. Noster Ambrosius, quod totus liber ubique declarabit, ut emendatiora, locupletiora, et magis perspicua sancti martyris opera ederentur, nullum laborem recusavit. Vestrum erit, Sacerdotes gravissimi, Patres reipublicæ nostræ amantissimi, munus hoc nostrum ad veram Cordubæ communis patriæ gloriam comparatum, benevolo et læto animo suscipere: sanctorum martyrum vestratium gloriam penè redidivam iucundissimè recolere, et iugi semper veneratione revereri: Dominum in ipsis assidue laudare, ipsorum exemplis insistere, patrocinia subinde implorare et promereri, eximiamque hanc nostræ

stræ civitatis laudem, ac verè cælestem præstantiam digno cultu et christianis obsequiis semper magnificare. Ita demum fiet, ut et vos hinc magnum religionis fructum, pietatisque emolumentum capiatis; nosque nostro hoc munere, digno illo equidem per sese, maius tamen aliquid, Deo bene fortunante, tribuisse lætemur. Valete, viri præstantissimi, clarissimæ urbis cives dignissimi.

ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO DOMINO PETRO PONTIO LEONIS A CORDUBA Episcopo Placentino, summo christianæ fidei per regna et ditiones Philippi Secundi Regis Catholici Inquisitori, divinæ legis et sacrorum canonum consultissimo, humaniorum studiorum amantissimo: Ambrosius Morales Cordubensis Regius Historicus, salutem plurimam reverenter dicit.

Permultum tibi, Præsul Illustrissime, multis nominibus se debere Corduba nostra semper fatebitur. Cum enim eius gloria, quæ quamplurimis naturæ bonis extollitur, civium tamen clarissimorum multitudine et singulari celebritate maiorem in modum præcellit, præclara semper et sublimis extiterit; amplitudo tua suo splendore, morum sanctitate, doctrinâ, et celsis magnarum virtutum meritis, ut maximè hoc nostro tempore sit inclyta, perfecit. Eum namque te civem præstitisti, qui patriæ clarissimæ, et magnorum virorum fœcundissimæ eximio decori et ornamento esse possis. Ut enim nobilitatem tuam, et generis claritatem præteream (quamquam quicquid penè claritatis in duabus magnificentissimis civitatibus Cordubensi scilicet et Hispalensi seorsum prænitet, in tuis parentibus coniunctum præfulserit) illud quod vere tuum est, oculatus ab infantia penè tua testis prosequar. Educatus a teneris sanctissimè apud D. Petrum Pontium patrum tuum Cordubensis Ecclesiæ primicerium et canonicum (cuius egregias virtutes vitæque probatissimæ exempla numquam nostra civitas desinet cum sancta quadam admiratione recolere), Latinæque linguæ cognitione iam imbutus, Salmanticam maioribus studiis imbuendus, eiusdem clarissimi viri curâ et sumptu transmitteris. Sacrorum ibi canonum instituta, sanctorumque Patrum consulta in primæva adeò ætate feliciter perdidicisti, ut cum publica studiorum tuorum experimenta et veluti specimina de gymnasii illius more præberes, peritiam tuam omnibus admirantibus, etiam nondum confirmata ætas esset stupori. Quod etiam in magnis tuis, sed admodum præcocibus honoribus, magistratibus et dignitatibus mox contigit. Electus namque ab Imperatore Carolo V. Cæsare in augustissimum, ac supremum, uti vocant, sanctæ Inquisitionis Senatum, cum collatum homines eum honorem merentissimo gratularentur, iuveni admodum contigisse admirabantur; eadem virtutis, doctrinæ, ac meritorum celeritate festinans, Episcopus Civitatensis crearis. Cumque in ea dignitate in Tridentino concilio et in censura Vallisoletani Conventus, aliisque gravissimis Hispanæ reipublicæ negotiis prudentissimè amplitudo tua se gereret; ab Philippo secundo Rege Catholico in Placentinum Episcopatum, maioris præmii, et amplioris in Dei Ecclesia fructus ergo evehitur. Et ut dignus tandem amplitudinis tuæ, atque præstantiæ cumulus accresceret, nuper in summum fidei catholicæ Inquisitorem ab eodem Rege Catholico delectus fuisti. Cuius magistratus dignitate nihil habet Hispania nostra sanctius, magis augustum, aut venerandum. Hæc tuam dignitatem, Præsul clarissime, cum magno opere adaugeant, Cordubam pariter nostram tali alumno iure optimo gloriantem plurimùm nobilitant. Illud verò quantum veræ gloriæ patriæ nostræ accumulat, quòd in hac sublimioris dignitatis magnitudine, in hoc clarissimo fortunarum et splendoris fastigio, amatas olim, et diutissimè cultas bonas litteras tanto studio retines, tanta assiduitate frequentas, ut si sola ea laus infimo homini, et vulgari contingeret, multum commendationis promeritus iure optimo videretur? Illud etiam insigne et ampliore dignum laude in tuo hoc bonarum litterarum amore resplendet, quòd non sui unius commodis aut voluptati præstantia tua vult inservire sua studia; sed omnibus in commune prodesse cupit. Proinde cùm in conquirendis, et undiquaque pervestigandis sanctorum Hispanorum libris multum curæ, diligentiæ, et sumptûs etiam semper reposuerit, quis non videt

det publicæ ipsam utilitatis causâ in hoc genere tanto opere elaborare? Nam opes has avidissimè congeris, sed in omnium mox usum profusurus. Multà hoc ipsum propèdiem testabuntur: nunc unus divus Eulogius, amplitudinis tuæ industriâ repertus, et veluti e sepulcro in vitam revocatus, abunde manifestat. Quamvis namque sancti huius martyris opera in publicum offerendo, typisque evulgando Cordubæ nostræ præclarum hoc munus destinaveris, eidemque uni veluti tribueris: quantam tamen inde utilitatem tota Hispania, atque adeò exteræ nationes consequuturæ sint, pii homines, et meliorum studiorum amatores tanto christianæ opulentiæ thesauro dites, tanti boni magnitudine fruentes, meliùs postmodum prædicabunt. Cum verò me tua amplitudo partem eius præclari laboris subire voluerit, cum eiusdem divi Eulogii operibus emendandis, scholiis illustrandis, et demum edendis præesse iussit; eo nomine ingentes tibi gratias ago. Summi enim beneficii loco duco, sanctissimo martyri qualicumque meâ operâ inservire, gloriæque Cordubensis hìc aliqua ex parte veluti fabrum esse. Et tametsi neutrum non sine ingenti labore possem perficere, utrumque cum summa iucunditate ad me recepi. Quid enim sanctissimo martyri, martyrum etiam multorum præconi, ingenii doctrinæ et industriæ ministerium, quod scio quam sit exiguum, sed qualecumque tamen id sit, non lætarer exhibere? Iam verò Cordubensem hinc gloriam augere, præclarum munus, quod ea de causa eidem comparabas, locupletare, perpolire, et aliquantisper illustrare non delectarer? Et quamvis Cordubæ nostræ causâ, cui tanta hinc gloria quærebatur, iucundissimum mihi hoc ipsum acciderit; tum etiam sanctæ Ecclesiæ Toletanæ (cuius maiestas primatu totius Hispaniæ sublimis, multis etiam aliis nominibus summam meritò venerationem habet) dignitatem et sanctum splendorem inde præterea ignoto antea et redidivo incremento exauctum delector. Ex iisdem enim divi Eulogii operibus intelliget, ipsummet sanctum martyrem Antistitem suum fuisse, atque Wistremiro sanctissimo Archiepiscopo, et per universam Hispaniam celebratissimo successisse. Horum duorum suorum præsulum tantâ gloriâ præcellentium, quemadmodum antehac notitiam nullam habuerat, ita nunc habuisse magno opere lætabitur. Ego verò utroque nomine quicquid habui libens impendi, quicquid potui, propensus contuli, Deo in primis auctore, quem in hoc ipsum supplici prece obsecraveram. Id quale fuerit, labor ipse noster indicabit: ut hìc commemorare opus non sit. Tantum id ipsum Deo Optimo Max. in primis consecro, divo Eulogio et celebratis ab illo martyribus dedico, Cordubensi gloriæ cælestibus emolumentis hinc adauctæ offero: et præstantiæ tuæ, Antistes celeberrime, tuis auspiciis, tuo etiam beneficio cœptum laborem, quanto opere potui, cumulatum refero. Vale, Præsul Illustrissime, et hoc tuo tanto bono diutiùs fruere. Compluti anno Domini M.DLXXII. Mense Novembri.

DE VOCABULIS FICTIS ET NOVATIS, et toto divi Eulogii sermone.

AMBROSIUS MORALES.

Divi Eulogii ingenium quantum fuerit, quantâ doctrinâ excultum, ipsius opera plenè satis edocebunt. Insignem præterea sacrarum litterarum peritiam cum multis indiciis possis in sancto martyre deprehendere, felix tamen in explicandis et exprofesso exponendis testimoniis, quæ adducit, dexteritas illam in primis declarabit. Stilus etsi pius semper et sæpe suavis, longè inferior est tanta ingenii et nativæ etiam eloquentiæ magnitudine: eamque sentias multoties hac ope destitui. Degenerarat nimirum iam ubique Latini sermonis præstantia et puritas, eiusque claritatem multæ sordes obscuraverant, et nostræ clades apud nos magis obruerant. Ut potiùs in tam dira captivitate et miseria, quam per centum ac quinquaginta ferme iam annos tempore divi Eulogii perpetiebamur, laude dignum sit, quod vir sanctus præstare in hoc genere potuit, quàm culpæ imputandum, quod non est assequutus. Quemdam etiam proprium et peculiarem stilum iam diu sibi illa tempora effecerant, in quo laudis et gloriæ fuit eminere. Argutiam, subtilitatem, vehemen-

mentiæ nonnihil, atque aliquem in rebus magnis sublimitatis impetum non possis non suspicere. Sed verborum et totius sermonis neglectu egregios conatus doleas retundi et obscurari. Nos religione quadam reverenter tacti, nihil emendare voluimus: tantùm fictorum et novatorum verborum et phraseon catalogum hic apponere duximus necessarium.

Una atque alia vice. Dico vobis in veritate: Hispanismi. *Monachorum vitam oblectans*, pro *oblectari vitâ monachorum. In ante. In amplius. Consultum gerens* pro *consulens*, aut *prospiciens. Libri series has causas innotescet*, ut sit activum. *Præconabile. Præconari. Parvipendulus. Gloriositer. Deicola. Decisus* pro *occisus*, aut *obtruncatus. Itus* pro *itinere* seu *via*. Et *itum* neutro genere pro *incessu* in Nonio Marcello reperitur. *Prophetismus*, ut *Christianismus. Incultio* pro *ruditate* seu *barbarie* sermonis. *Adepsit* pro *adeptus est. Medie* pro *mediocriter. Epistolatim* per *Epistolas. Lunatim* per *singulos menses. Metabulum* pro *spatio. Victoriare. Pausare* verbum, nam *pausam* pro *quiete* antiqui dixere. *Eremititas* pro *eremo* seu *solitudine. Officiositas* pro *munere. Oramen* pro *prece. Victimare*, tamquam *victimam offerre. Sospitare, salutare. Deliquium* pro *peccato. Optio* pro *occasione*, item pro *petitione. Vindicium* pro *vindicta. Grassedo* pro *crassitudine. Sol* pro *die. Multiplicus* pro *multiplex. Versibilitas* pro *mutabilitate* et *inconstantia. Inconvulsibiliter. Combinatus* pro *imbutus. Iugitas* pro *perpetuitate. Dibellio* pro *rebellio. Potestative. Præsentialiter. Dulcoratus. Repriorans. Anticeps. Fulcimen. Noxietas. Taxatum* pro *narratum. Compactare* pro *formare*, et veluti *fabrefacere. Pusillitas* pro *parvitate. Mundialis. Disertitudo*. Et quædam alia ad hunc modum.

Genera confusa, casus perversi, numeri in nominibus et verbis neglecti: et tota inde Latini sermonis structura dissipata, describentium, non auctoris fuisse vitia, est manifestum. Idcirco nos omnia eiusmodi emendavimus, cum in reliquis nihil nobis permiserimus.

QUI STATUS CHRISTIANÆ RELIGIONIS CORDUBÆ SUB ARABUM IMPERIO DIVI EULOGII TEMPORE FUERIT.

AMBROSIUS MORALES.

Occupata ab Sarracenis Hispania, multis de causis barbari victores christianis pepercerunt; illudque eos in primis commovit, quòd magnas lateque diffusas Hispaniæ provincias accolis ipsi implere non poterant. Ut igitur essent, qui agros colerent, consueta merçimonia exercerent, et tributa principi persolverent; Christianos in Hispania, quoscumque potuerunt, conservavêre. Relictus iis fuit religionis cultus, templa multis locis intacta permanserunt, libereque permissum, ut christiano ritu eadem frequentarent. Cordubæ verò maior Christianorum numerus relictus, maiorem etiam religionis cultum retinuit. In universum namque ea civitas multis modis ab Mauris iam inde fuit nobilitata. Sedes regni totius, quæ Hispali paucis annis constiterat (referentibus Rasi et Ruderico Toletano Antistite in Arabum historia, quæ nondum est excussa) per Abdalazim Muzæ in Hispaniæ administratione successorem eò fuit translata. Ibi arcem, ibi templum, nunc etiam inter tot ingentia ædificia toti orbi admirandum, erexerunt: scholas ibi philosophiæ, et publica doctrinæ gymnasia (ut est in Alfonsi regis historia, quam Generalem dicunt) esse voluerunt: et regni caput constitutam sublimi undique magnitudine et maiestate extulerunt. Sed longum sit, si omnia percensere velim, quæ eo tempore ad Cordubensis civitatis amplitudinem et maiestatem collata sunt. Verùmenimvero quamquam quicquid Barbari poterant claritatis nostræ urbi eo tempore certatim inferrent; multo tamen illam Deus Optimus Maximus maiori splendore inclitam esse voluit, cum captivam, oppressam, et multis malis afflictam christianorum ibi Ecclesiam religionis cultu, fideique catholicæ amore maximè fecit excellere. Ut quæ martyrum cæde iam diu antea irrigata nobilissima fidei christianæ germina, et uberrimos fructus protulerat; nunc sa-

cri cruoris exundantibus rivis pleniùs imbuta, præstantiorem sibi gloriæ coronam in cælis pararet, civibusque suis firmum certumque apud Deum patrocinium maiori cumulo in omne ævum compararet. Id quale quantumque fuerit divinæ largitatis beneficium, divi Eulogii libri fusiùs et uberiùs declarabunt.

Et quoniam Cordubam cum imperii Arabici domicilio et sede ibidem constituta, summa omnia Hispaniæ iura tam sacra quàm prophana immigrarunt; Christianæ religionis dignitas atque potestas, quæcumque fuerunt, eò etiam ex tota provincia sese transtulerunt. Non quòd Toletana Ecclesia, ut fuit olim, et nunc quoque est, eo tempore totius Hispaniæ Primas esse desierit, caputque Christianæ apud nos religionis haberi: non quòd Metropolitanum suum Hispalensem Cordubensis Ecclesia non agnosceret; sed quia tyranni cum omnia possent, et ad sese omnia revocarent, eò convenire ad Concilium reliquos Antistites cogebant, ibique de quibuscumque cuperent rebus, et consultare, et statuere volebant. Indicio sunt duo concilia Cordubæ per illa tempora congregata. Alterum, cuius divus Eulogius meminit, (1) ab omnibus Hispaniæ Metropolitanis cum subditis Episcopis celebratum: alterum, cuius in Samsonis Abbatis Cordubensis, de quo suo loco dicemus (2), Apologetico mentio fit. Et quoniam hanc, quam dico maiorem potestatem miserabili profectò de causa habere Cordubensis Ecclesia videbatur; ideo multo plura ibidem templa, basilicæ, monasteria virorum ac feminarum et permansisse, et denuo exædificata fuisse, divi Eulogii scripta testantur. Operæpretium fuerit ad Dei omnipotentis gloriam catalogum hìc iam sacrorum locorum, qui Cordubæ fuere, ex divi Eulogii præsertim libris apponere. Et intra urbem quidem hæc fuisse memorantur.

Sancti Aciscli martyris Cordubensis basilica, ubi sanctum eius corpus requiescebat.

Sancti Zoyli martyris Cordubensis basilica, in qua sanctum eius corpus erat tumulatum.

Sanctorum trium martyrum Cordubensium Fausti, Ianuarii, et Martialis basilica, ubi eorumdem cineres asservabantur. Huius templi mentio etiam est in priscis Annalibus, quos initio liber ille Compostellanus habuit, de quo in Dominico Sarraceno martyre (3) dicemus. Ibi ita legitur: "Era MXXXIII. »Octavo Kalendas Ianuarii captus, et »lanceatus fuit Comes Garsia Fernandi »a Sarracenis, inter Alcocer et Langa »in riba de Dorio. Et quinta die mor»tuus fuit, et ductus ad Cordubam, et »sepultus in Sanctos tres, et inde du»ctus fuit ad Caradignam."

Basilica sancti Cypriani.

Basilica Sancti Genesii martyris.

Sanctæ Eulaliæ virginis et martyris basilica. (4)

EXTRA URBEM.

Sancti Christophori monasterium, urbi trans flumen propinquum. (5)

Cuteclarense monasterium in montibus urbi vicinis, divæ Mariæ virgini sacrum.

Tabanense cœnobium, ipso divi Eulogii tempore constructum in iisdem montibus.

Pilemellariense (6) *monasterium sancti Salvatoris*: et ipsum etiam eodem tempore iisdem in montibus conditum, cuius etiam hodie ruinæ visuntur.

Armilatense cœnobium, ad Armilatæ fluminis ripam in montibus sancto Zoylo dicatum.

Sancti Felicis martyris monasterium in oppido *Froniano* eorumdem montium.

Monasterium Sancti Martini in montibus ad oppidum *Roiana.*

Sanctorum martyrum Iusti et Pastoris cœnobium in montibus ad viculum *Leiulense.*

Palma oppidum, *Annanellos* vicus, et alia quædam oppidula, quæ nominantur, sua templa habuere, inter quæ *Colubris* dictus vicus, sanctorum martyrum

(1) Lib. 2. Memor. cap. 14.

(2) Schol. in lib. 1. Memor. num. 9.

(3) Iam diximus Moralem edidisse Sancti huius vitam, ubi in Monito commemorat codices compostellanos *Tumbos* nuncupatos. Unus eorum Annales complectitur, quos postremò typis excussit sæpe laudatus Henricus Florezius tom. 23. Hisp. Sacr. pag. 317. cuius editio habet *Era MXXXVII.* Sed simul hanc et diem *VIII. Kal. Ianuarii* bene corrigit perdoctus ille vir pag. 296. eiusd. tom. num. 20. et seq. statuens Comitem captum octavo Kalendas Augusti, et mortuum quarto Kal. eiusd. Era 1033 ut legit Morales.

(4) Hic rectè Schot. *ex 10. cap. lib. 3. Mem. Sanct. Hæc astrui non potest intra Cordubam.*

(5) Id. hic quoque rectè: *in parte meridiana.*

(6) *Pinnamellariense.*

rum Cosmæ et Damiani habuit Ecclesiam.

Fuit etiam prope Cordubam templum sancti Sebastiani.

In his atque aliis multis templis, quæ nominare divus Eulogius non potuit, præterquamquod sacra fierent, docendi quoque cura et erudiendi quamplurimos consuetudo perseverabat. Id docet multis locis divus Eulogius, et in eiusdem vita Alvarus: ubi etiam apparet non vulgarem illum doctrinæ cultum, sed supra captivitatis et miseriarum, in quibus degebant fideles, tempora præcellentem. Ipsa templa etiam intra urbem suas turres, ænea sua cymbala habuere, quibus Dei plebem assiduè convocabant. Et durat adhuc Cordubæ exiguum unum, ab illis usque temporibus, ut suo loco referemus, (1) conservatum. Sacerdotes, monachi, sacræ virgines peculiari veste legitimoque cultu amicti, detonsi etiam in publico conspiciebantur. Quæ omnia ex divo Eulogio atque aliis duobus eiusdem sæculi scriptoribus, sunt manifesta. Neque sine pretio tamen, et recentibus semper exactionibus, ut idem sanctus martyr et alii tradunt, concessa fuere. Unum illud tantummodo mortis etiam interminatione fuerat christianis vetitum, ne pseudoprophetam eorum Mahometum maledictis incesserent, aut legi suæ cum probro detraherent. Hoc uno fideles Christi abstinerent, Arabum templa non intrarent, tributa persolverent, tuti, et pene liberi poterant permanere. Nam et Comitum dignitas semper Cordubæ inter Mozarabes perseverabat; ut ex Samsone Abbate, et Cypriani Cordubensis epigrammatibus, per hæc ipsa tempora scriptis constat: et, quod in divo Eulogio legimus, publico Exceptorum munere iidem fungebantur christiani, atque inter Tyrones Regios, de quibus suo loco dicemus, (2) Regiis annonis, ut ipsis sancti martyris verbis utar, vescebantur. Et Samson Abbas, cum de Servando Comite initio libri secundi agit, apertè Comitatum Cordubensem nominat. Ut intelligere debeamus, Gothorum more Comitem Cordubæ Mozarabibus christianis datum, qui eis præesset, ius inter eos diceret, et controversias aliquas leviores, neque ad publicam Regis maiestatem, fiscumve Regium pertinentes, decideret. Eius enim dignitatis Gothorum tempore, quod ex eorum legibus præsertim constat, hoc fuit proprium et peculiare, ut urbes regeret, cùm militiæ munia Duces imprimis obirent. Et inter sacerdotes etiam præter Abbates, qui ut diximus, templis præerant; Archidiaconi, atque Archipresbyteri nomen et dignitas perdurabat. Cyprianus enim in illorum suorum epigrammatum titulis Archipresbyterum sedis Cordubensis se appellat. Archidiaconi mentionem ab eodem factam mox referemus. Illud etiam scitu dignum, in templis etiam nostrorum publicas Cordubæ bibliothecas fuisse: ut facile quivis possit intelligere quanto doctrinæ ardore nostri flagrarent. Unam scriniis etiam insignem, quam in sancti Aciscli templo Adulphus Comes reposuerit, idem Cyprianus Archipresbyter longo epigrammate celebravit. Alterius etiam meminit quam ipse Saturnino Archidiacono magna ex parte perscripsit. (3)

Sed enim cùm hæc ita sint, christianorum tamen contactum, referente divo Eulogio, tamquam in ipso contaminarentur, Sarraceni prorsus devitabant; et ab illorum pueris nostri indigna multa in publico patiebantur. Tributa verò gravissima fuisse, idem sanctus martyr ingemiscit, et illud in primis, quod singulis mensibus solvebatur. Novis etiam tributis christiani Mozarabes onerabantur.

(1) Schol. in Lib. 1. Memor. num. 9.

(2) Schol. in lib. 2. Memor. cap. 3. num. 2.

(3) Labitur Morales existimans Cyprianum loqui in epigrammatibus de Bibliothecis, quatenus hoc verbum locum significat, ubi libri reponuntur. Nomen *Bibliotheca* veteres frequentissimè usurparunt pro sacris Bibliis seu libris utriusque Testamenti, ut late probat Dominus Du-Cange; atque ex lectione epigrammatum Cypriani constat hoc sensu perscripta esse. Primum sic ait:

Hoc opus illustri Comitis clarescit Adulfi
Qui sumptis propriis librorum theca notavit:
Qua novi *habentur* veterisque *in ordine libri*

Testamenti veri. . . .

Hinc fons perspicuus paradisi surgit a limphis... In secundo autem, cuius est titulus: *Ad petitionem Zoyli filii sui in finem Bibliothecæ quam scripserat Saturnino Archidiacono*; nemo non videt intelligendum esse, Zoylum scripsisse Bibliothecam Saturnino, id est, sacra Biblia, ad quorum calcem apponendum erat epigramma. Hoc et cetera Cypriani epigrammata edidit Henricus Florez tom. 11. cap. 5. quemadmodum, ut iam diximus, Samsonis Apologeticum. Ibi pag. 381. num. 5. extant verba mox adlata a Morali.

tur. Adeò ut de oblationibus omnium Ecclesiarum partem solvere, novo tributo excogitato, cogerentur. Quod Samson de Servando christianorum Cordubæ Comite, sed nefario homine loquens, his verbis deplorat: "Exinde omnes basili»cas urbis prædictæ tributarias fecit »esse, et impurus hostis de purissimis »oblationibus fidelium in usus templi »collatis Dominici, thesauros fisci in»hiatus est ampliare: ut spoliando men»sam Christi, et ditando palatia fisci, »videretur aquam sitientibus auferre, et »amplissimo maris sinu infundere. Sic»que actum est, ut venale sacerdotium »sustinentes ipsæ basilicæ non more so»lito dignos recipere, et indignos queant »sacerdotes repellere." Et quæ sequuntur. Hæc autem sex octove annis post divi Eulogii martyrium facta fuisse, suo loco, (1) pleniùs de Samsone agentes, demonstrabimus.

Ceterum quamvis Christianorum Ecclesia Cordubæ congregata divi Eulogii temporibus, ut dicebam, in dira captivitate tot tantisque solatiis templorum, monasteriorum, doctrinæ, et exemplorum in sanctissimis viris allevaretur, ut non omnino capta aut deserta videri posset; illud tamen habuit verum ac solidum de divina benignitate solatium, illo maiori beneficio magnam persensit Dei misericordiam; quòd multi ex ea martyres eo tempore prodiere, qui veram fidem in vivis sua morte confirmarent, mortui etiam viventibus suo patrocinio Dei clementiam propitiam redderent. Qui autem quotque fuerint, divi Eulogii libri, et quæ his nos adiunximus, (2) latiùs ostendent.

CHRONOLOGIÆ RATIO IN HIS ANNIS CONTINUATA, qui in divi Eulogii vita, historia et epistolis continentur: unde ratio temporum rectior, apertior, et suis testimoniis asseverata constabit.

AMBROSIUS MORALES.

Ante annum Dominicæ nativitatis octingentesimum quinquagesimum, unde chronologiam opportunè ordimur, Adulphus et Ioannes Hispalensis originis Cordubæ iam fuerant martyrio coronati. *Ex libri secundi cap. VIII.* (3) Annum signare non possumus, nisi quòd ante annum Domini octingentesimum trigesimum planè videntur occisi.

Ante hunc etiam annum divus Eulogius in Galliam profectus, Pompelonensem Episcopum, et Navarræ abbates quamplurimos invisit. In reditu Cæsaraugustanum, Segontinum, Complutensem et Toletanum Episcopos, apud eos diversatus, cognovit. *Ex eius Epistola ad Pompelonensem Episcopum.* Quo anno peregrinatus fuerit, non satis constat. Nos suo loco, quantum datum fuit, ratiocinabamur. (4)

ANNUS DOMINI DCCCL.

Primus hic est annus, quem divus Eulogius initio libri secundi notat. Fuit autem post triginta integras cycli solaris conversiones, in trigesima prima decimus nonus: secundus post bissextum sequutus, litteram Dominicalem E habuit. Quæ omnia hìc in primis signanda fuerunt: siquidem divus Eulogius aliquando hebdomadæ etiam dies nominat: unde nos certam temporis rationem astruximus, et manifesta veritate confirmavimus.

Leonis quarti Pontificis Maximi quartus fuit hic annus: qui per quinque etiam sequentes supervixit. *Ex F. Onuphrio Panvinio.*

Hlotharius, Romanorum Imperator, qui adhuc vivebat, ad eosdem quinque annos præterea pervenit. *Ex eodem, et multis aliis.*

Michael Porphyrogenitus, Theophili successor, Constantinopolitanus Imperator, cuius hic nonus erat annus, annum octingentesimum sexagesimum septimum attigit. *Ex eisdem.*

Ini-

(1) Schol. in lib. 1. Memor. num. 9.

(2) Adiunxit Pelagium, Eugeniam, et Dominicum Sarracenum, quos iam diximus ad sæculum decimum pertinere, actaque eorum nos omittere quoniam nihil conferunt ad inlustrandum Eulogium.

(3) Nunc Vita et Passio Floræ et Mariæ post Documentum Martyriale.

(4) Schol. in Eulogii vitam num. 14. in cap. 7. lib. 2. Memor. num. 2. et in Epist. ad Episcop. Pampilon. num. 2.

Initio huius anni Oveto. et Legione in Hispania regnabat Ranimirus rex huius nominis primus Alfonsi Casti regis successor. Mortuus verò ipso primo Februarii die, filio suo Ordonio primo regnum reliquit. Id apertè constat ex eius tumulo, quem in Regio Alfonsi Casti vocato templo Oveti vidimus, cum hoc epitaphio.

Obiit divae memoriae Ranimirus Rex die Kal. Februarii. Era DCCCLXXXVIII. Obtestor vos omnes, qui haec lecturi estis, ut pro requie illius orare non desinatis.

Et Sampyrus Astoricensis, (1) Lucasque Tudensis Episcopi hunc annum mortis Ranimiri scripserunt. Vetustissimus etiam tumulus docet, non multo post Regis mortem fuisse epitaphium insculptum.

Navarræ et Aragonensium montium regnum Innigus Ximenez cognomento Arista obtinebat, ut ex magis verisimili illorum temporum supputatione colligitur. Quamquam in magna auctorum varietate nihil certi et indubitati potest hìc affirmari.

Carolus cognomento Calvus, Hludovici Imperatoris filius, Caroli Magni Imperatoris nepos, in Gallia regnabat. *Gallorum omnes historici.* Eratque hic regni eius annus undecimus. Idem Carolus, quicquid pater atque avus ab Sarracenis in Catalunia, Aragonensium montibus, et apud Navarros ademerant, retinuit. *Aragonensium annales, Gallorum historici.*

Regnabat latè in Hispania, regni sede Cordubæ constituta, Habdarraghman Sarracenus huius nominis tertius. Eratque hic regni eius annus vicesimus nonus. *Ex divo Eulogio initio libri secundi, et ex Rasis Mauri historia: item ex Ruderici Toletani antistitis de Arabibus historia nondum excussa.* (2)

Hoc ipso anno, XVIII. (3) Aprilis die, qui in sextam feriam inciderat, Perfectus presbyter Cordubensis martyrio coronatur. *Lib. 2. cap. primo.*

Post hunc Ioannes pro Christi fide pene ad mortem cæditur, et ludibrii publici causâ asino vectus per urbem circumducitur, confessorisque gloriam adipiscitur. *Lib. 1.* Tempus liquere non potest, nisi quod hoc anno, potiùsquàm sequenti, factum apparet.

(1) Fallitur Morales: nam Sampiri Chronicon incipit in Alphonso III. Magno nuncupato. Verum constat anno 850. obiisse Ranimirum ex Chronicis Albendensi, et Sebastiani Salmanticensis Episcopi.

ANNUS DOMINI DCCCLI.

Littera hoc anno diem Dominicum signans, D fuit. Die Iunii tertio, qui quartâ feriâ evenerat, sanctus Isaac monachus Cordubensis iugulatur. *Cap. 2. libri secundi.*

Sancius Laicus natione Gallus duos post dies martyrio coronatur, feriâ nimirum sextâ insequente, eiusdem Iunii mensis die quinto. *Libri eiusdem cap. 3.*

Duobus tantùm interiectis diebus, die eiusdem mensis octavo, et hebdomadæ sequentis feriâ prima, sex pariter sancti martyres trucidantur: Petrus presbyter Astigitanus, Walabonsus diaconus Ilipulensis, Sabinianus monachus, vico Froniano prope Cordubam natus, Wistremundus Astigitanus monachus, Habentius Cordubensis monachus, Hieremias itidem Cordubensis monachus. *Capite eiusdem libri quarto.*

Mense Iulio, die decimo sexto, qui in quintam feriam inciderat, sanctus Sisenandus Diaconus Pacensis ex Lusitania martyrium iugulatus complevit. *Cap. sequenti.*

Veneris die, Sabbato, et insequenti Dominico tantummodo interiectis, secundâ feriâ, quæ diem Iulii vicesimum occupavit, Paulus Cordubensis martyrii palmam adipiscitur capite truncatus. *Capite sexto.*

Sabbato insequente et Iulii die vicesimo quinto Theodemirus monachus Carmonensis patriâ, martyrio laureatur. *Ibidem.*

Interea Reccaffredus Episcopus iussu tyranni Dei Ecclesiam Cordubæ miserè conturbat, divum Eulogium in carcerem coniicit. *Ex eius vita per Alvarum scripta, ex epistola ad Pompelonensem Episcopum, et ex secundo lib. pluribus locis:* ubi nos hoc ipsum annotavimus. Et tempus quidem quo captus fuerit divus Eulogius, non possumus exquisitè signare. Tantum colligi alicunde potest, per hosce menses, quod suo loco videbimus, contigisse. Causam, cur in carcerem fuerit missus, ipse in Documen-

(2) Alibi loquimur de Rasis Mauri et Ruderici Toletani historiis hìc memoratis.

(3) Perperam hìc Moral. et Schot. *primo mensis Maii* die.

mento Martyriali et in epistolis reddit. Quia nimirum martyres adhortaretur, et ad martyrium ipsos incenderet.

Hic martyrium sanctarum Virginum Nunilonis et Alodiæ divus Eulogius retulit, quæ non Cordubæ passæ sunt. Et tempus suo loco investigabimus.

Flora Cordubensis, Maria Ilipulensis, Walabonsi martyris soror, virgines ambæ, martyrio simul coronantur mensis Novembris die vicesimo quinto. *Capite sequenti.*

Post sextum diem divus Eulogius carcere educitur. *Ibidem, et in epistola ad Alvarum.*

ANNUS DOMINI DCCCLII.

Gumesindus Toletanus presbyter, et Servus-Dei monachus die Ianuarii tertia decima mortem pro Christi nomine sustinuerunt. *Cap. IX.*

Sancti martyres Aurelius, Felix, Cordubenses, cum uxoribus Sabigothone et Liliosa, comitante etiam Georgio monacho ex Syria, XXVII. Iulii die occisi sunt. *Cap. sequenti.*

Christophorus Cordubensis, Leovigildus Iliberitanus monachi, pro christianæ fidei confessione iugulantur, die mensis Augusti vicesimo. *Cap. XI.*

Emilia et Hieremias Cordubenses die Septembris quinto decimo martyrio coronantur. *Capite sequenti.*

Rogellus Iliberitanus monachus, Servio-Deo ex Syria monachus variè excarnificati die sequenti, Septembris videlicet sexto decimo, capite truncantur.

Habdarraghman rex tot martyrum constantiâ territus, impedire martyrium cogitat, et congregari Episcoporum atque etiam Metropolitanorum concilium Cordubæ imperat. *Ex capitibus sequentibus.* Et hæc diversa omnino est Regis perturbatio, et Ecclesiæ persequutio ab illa, quam iam superiùs retulimus. Hoc manifestè ex ipsa temporum serie in divo Eulogio, et ex eius verbis constat.

ANNUS DOMINI DCCCLIII.

Initio huius anni Habdarraghman Rex subitò moritur. Mahomat eius filius in regno succedit. *Cap. libri secundi decimo sexto.*

Mahomat regni sui initio christianos acerbissimè persequitur, templa diruit. *Quatuor primis libri tertii capitibus.* Hæc iam tertia est Ecclesiæ Cordubensis persequutio: et huius mentionem fieri credo in sanctorum Ruderici et Salomonis historia. *Ex annis ibidem in Apologetico annotatis.*

Arabum principum nonnulli in Hispania contra regem Mahomat rebellarunt. Ipse christianos tributis gravat, suorumque odium in se suscitat. *Duobus sequentibus capitibus.*

Fandila presbyter et monachus Accitanus die Iunii tertio decimo martyrio coronatur. *Cap. VIII.*

Die sequenti, Iunii quarto decimo Anastasius monachus presbyter, Felix monachus Complutensis, Digna virgo Deo dicata martyrii lauream accipiunt. *Capite sequenti.*

Benildis matrona quinta decima eiusdem mensis pro Christi fide iugulatur. *Cap. X.*

Santa Columba Cordubensis virgo Deo dicata decimo septimo Septembris die capite truncata martyrio coronatur. *Capite sequenti.*

Pomposa virgo et martyr Cordubensis Octobris die decimo sexto gladio Sarracenorum occubuit. *Cap. XII.*

ANNUS DOMINI DCCCLIIII.

Abundius presbyter ex vico Annanellos prope Cordubam die Iulii undecimo martyrium subiit. *Libri tertii, cap. XIII.*

ANNUS DOMINI DCCCLV.

Amator Tuccitanus adolescens, Petrus monachus Cordubensis, Hludovicus item Cordubensis, die Aprilis ultimo omnes pariter martyrio coronantur. *Cap. XIV.*

Witesindus senex Egabrensis eodem anno martyr est factus. Diem divus Eulogius non commemorat. *Cap. XV.*

ANNUS DOMINI DCCCLVI.

Helias presbyter senex Lusitanus, Paulus et Isidorus monachi, Aprilis decimo septimo die passi sunt. *Libri tertii, cap. XVI.*

Argimirus Egabrensis monachus in Christi confessione vigesimo octavo Iunii die occiditur. *Cap. sequenti.*

Aurea virgo Deo dicata, Adulphi et Ioannis martyrum soror, die Iulii decimo nono martyrii palmam accepit. *Cap. ultimo.*

AN-

ANNUS DOMINI DCCCLVII.

Rudericus Egabrensis et Salomon martyrium patiuntur Martii die tertio decimo. *Ex Apologetico Sanctorum.*

ANNUS DOMINI DCCCLVIII.

Nullum martyrem habuit hic annus, neque ulla eius est apud divum Eulogium mentio.

ANNUS DOMINI DCCCLIX.

Divus Eulogius Cordubensis, presbyter et doctor, et electus Archiepiscopus Toletanus, fit etiam hoc anno martyr, Martii mensis die undecimo, qui eo anno Sabbatum occupavit. *Alvarus in eius vita.*

Leocritia virgo Cordubensis, cuius causâ, et fidei christianæ præsertim ergo, divus Eulogius mortem fuerat perpessus, quarto postea die, hoc est, Martii quinto decimo, ipsum doctorem suum sequitur martyrio coronata. *Ex eodem ibidem.*

ANNUS DOMINI DCCCLX.

Hoc anno, die Iunii primo sancti martyris Eulogii corpus ex Basilica sancti Genesii in Basilicam sancti Zoyli martyris translatum est. *Ex altero exemplari, in quo vita sancti Eulogii solùm fuit.*

Hoc tantummodo decennium S. Eulogii Opera enumerant. *Hæc Morales.* Quæ postea addit, cum nihil ad illustrandum conferant Eulogium, consultò duximus omittenda.

DE CORDUBÆ URBIS ORIGINE, SITU, ET ANTIQUITATE.

AMBROSIUS MORALES.

Tam multa sunt, quæ divus Eulogius de Corduba nostra suis operibus interseruit: atque adeò frequenter multarum in ea urbe regionum, oppidorum, agrorum, fluminum, similiumque rerum meminit; ut fuerit necessarium, de eius situ et antiquitate multa hìc apponere. Et Cordubæ quidem urbis originem, situm, eiusque mutationes, cum reliquis, quæ ad eius antiquitatem pervestigandam poterant pertinere, in eo opere, quod de Hispaniæ antiquitatibus historiæ nostræ adiunximus, plenìus sumus prosequuti. Inde huc nonnulla transferemus.

Sita est Corduba in ipso ferme Bæticæ provinciæ meditullio, atque in his eius populis, qui Turduli ab Ptolemæo, Plinio et Strabone nominantur. Ab ortu ea regio ad Bastulos seu Bastetanos usque protenditur: ab occasu Turdetanos contingens, Hispalensi tractu terminatur. Habet ad meridiem latè patentes campos, qui ad Mediterraneum mare et Herculeum fretum expanduntur. Qua verò parte Septentrionem Corduba spectat, posita est ad ipsas Marianorum montium radices, quos nunc Hispani, prisco nomine corrupto, *Sierra Morena*, hoc est, *Morenos* montes dicimus. Ea verò horum montium pars, quæ Cordubæ imminet, aut saltus Castulonensis est portio, aut cum eo ad ortum coniungitur. In his montibus, auctore Plinio, Bæturia regio a Bæti flumine nomen accipiens, in duas regiones divisa, ad Anam usque fluvium excurrit. Ipse Bætis, qui Cordubam alluit, *Cirtius* olim et *Tartessus* etiam (ut apud Plinium, Livium et Strabonem est) dictus, tanta semper celebritate fuit, ut toti provinciæ nomen dederit: tanta porrò est magnitudine, ut ingentia flumina exorbens, ab Mauris inde nomen acceperit. *Guadalquivir* namque, quod huic fluvio nunc nomen est ab iisdem impositum, magnum flumen ipsorum linguâ significat. Ab ortu verò ad occasum latus Cordubæ Australe lambens, ita montes ab planitie disterminat, ut id sibi studio habuisse natura videatur: quo diversissima soli discrimina seiungeret, et eo tamquam limite separaret. Hinc montana, quæ ipsa suburbia pene contingunt, celsis collibus elata, duris cautibus prærupta, hortis, vineis, oleâ, et omnium generis arboribus sunt consita. Inde campestris regio trans flumen complanata, nuda, glareis et luto friabilis, frugibus tantummodo ferendis est accommoda. Huius verò tractûs quæ sit feracitas, inclita nostræ civitatis horrea, totâ Hispaniâ celeberrima satis ostendunt. Alterius verò soli montibus prætenti quanta sit amœnitas cum insigni fertilitate coniuncta, vix quisquam satis digne possit explicare. Ipsæ præcisæ rupes, scopuli ipsi, ubi planum quidpiam

Turduli.
Bastuli.
Turdetani.
Mariani montes.
Saltus Castulonensis.
Bæturia regio.
Bætis flumen.
Cordubensis soli feracitas, et montium amœnitas.

piam non soli (neque enim solum est illud , sed lapidum strues) verum quicquid id est plani , Loton suavissimam et siliquam sponte nascentes , sativas verò oleam , vitem , ficum , cerasum, mala Punica et Persica , pruna , et quod magis mirandum sit , citria mala omnis generis abundè producunt. Præstant hoc ipsum magna ex parte fontes copiosæ, purissimæ , suavis et ad potum salubris aquæ , quibus passim pene erumpentibus , irrigua omnia circumcirca fiunt. Hinc valles urbi propiores non nisi ab *pulchritudine* , ab *paradisiacis* , ab *regiis hortis* , ab *rosarum multitudine* , aut ab *florum aspectu* nomen invenêre. Hinc vini et olei Cordubæ tanta est copia, atque adeò exuberantia , fructuum omnis generis tanta ubertas , ut hoc unum aliam quantumvis celebrem civitatem magno opere posset nobilitare. Mala autem citria omnis generis tanto opere in ea urbe exuberant , ut advenis et peregrinis hominibus frequenter sint stupori , non cumuli solùm , qui per plateas venales vili pretio cernuntur , sed etiam qui novorum fructuum advêntu, per agros et sterquilinia proiiciuntur: decussis non modico impendio ex arboribus malis , ne superfœtantes flores impediant. Florum autem ipsorum in his arboribus tanta undiquaque intra urbem et per vicina suburbana est copia , tanta verno tempore fragrantia ; ut non iam , quod de iisdem floribus Virgilius dixit ,

Valhermoso.
Val paraiso.
Arrizafa, id est, hortus regius.
Senda del Rosal.
Miraflores.

. . . . . *Animas et olentia cives*
Ora illis foveant , et senibus medicentur anhelis ;

sed suavissimo odore urbs tota , vicinique agri perfundantur , et ad eam suavcolentiam captandam noctu homines pervigiles discurrant. Neque tamen diutiùs in Cordubæ amœnitate et ubertate celebranda sit immorandum. Unum satis sit testis præstantissimi testimonium. Ipse sit Muza dux Arabum , Hispaniæ totius victor, quique eam omnem perlustraverat , et undique percognitam habuerat. De eo Rasis Maurus in Arabum historia his ipsis verbis latinè fideliter redditis , scribit : " Abibus Aluydi »filius , homo qui nullatenus in re ulla »mentiretur , ita scripsit: Quum Muza »Cordubam egressus , in Africam navi»gaturus , summis Hispaniæ proceribus »deducentibus , iter occiperet , et in col»lem , unde urbis totius prospectus pa»tebat , venisset ; mulâ , cui insidebat, »retro conversâ , aliquantulum consi»stens , urbem tacitus contemplabatur, »et tandem in hæc verba cum gemitu »prorrupit. Heu ! Corduba , quantum es »insignis ! quæ et quantæ tuæ sunt de»liciæ ! Quantum tibi bonorum Deus »voluit conferre ! Hæc loquutus , mœ»rens iter continuat." Hucusque Rasis. Probum autem hunc æstimatorem nemo non possit dignè censere , ab quo videat ipsam rei veritatem , ipsam nativi soli præstantiam tales gemitus , talem vocem , tantum encomium extorsisse.

Muzæ Arabum ducis de Cordubæ præstantia dictum.

Metalla Cordubensia sunt etiam inter auctores celebratissima. Auriferam, quod mox apparebit , poëtæ Cordubam vocant : et æs Marianum , hoc est , quod propè eam urbem in eius montibus effoditur , maximè Plinius laudat : cum argenti vivi et stibii ditissimas fodinas hodie in eius tractu conspiciamus.

Habuit ea civitas duo nomina , quemadmodum apud Plinium legimus. Corduba enim , atque eadem Colonia Patricia est appellata. Sed Cordubæ nomen priscum fuit et pervetustæ originis ; illud alterum , quo tempore ei fuerit inditum , suo loco dicemus. Et verum rectumque vocabulum Cordubam esse Silius Italicus , Martialis , Prudentius , atque alii poëtæ attestantur. Lex enim carminis incorruptiora et incontaminata vocabula conservat. Potuit sanè nominis huius veritas fideliùs ex nummis , et ex lapidibus astrui. Sunt qui se nummos vidisse affirment. Sed ego harum rerum non indiligens pervestigator , et omnis patriæ meæ antiquitatis in primis studiosus , Romanum nummum adhuc vidi nullum , qui Cordubæ nomen habeat inscriptum : cum Coloniæ Patriciæ nomen in quamplurimis Augusti , Tiberii et Germanici etiam , quorum nonnullos ipse habeo , conspexerim. Lapides , in quibus utrumque , et alterum seorsum nomen insit , quinque apponam , quorum quatuor primos omnes ipse vidi , et ipse descripsi ; ultimum relatu doctissimorum hominum habui.

Cordubæ nomina.

In

In oppido Linares basis est marmorea, nigra, ex ruinis Castulonensis urbis admodum vicinæ advecta, his litteris inscripta.



Superioribus annis Cordubæ cum capite et muliebris statuæ fragmentis basis marmorea cum hac dedicatione est eruta.



Cordubæ in divæ Marinæ templo, ad usum aquæ benedictæ, cippus marmoreus candidus.



Loræ, quod oppidum in medio itinere ferme est, quo Corduba Hispalim itur, in basi marmorea pro foribus templi.



Hi-

Hispali in vico, cui ab Serpente nomen est, cippus cum hoc epitaphio visitur.



Patriciæ verò nomen libentiùs in usu fuit tempore Romanorum Imperatorum, tamquam honorificentius et illustri de causa, ut postea videbimus, Cordubæ impositum. Cordubæ vero nomen incorruptum credo cum Romano Imperio et lingua, ad Gothorum usque tempora permansit. Tunc demum cœpit permutari, ut *Cordova*, quemadmodum nunc Hispani proferimus, diceretur: nec subitò tamen, sed paulatim immissa corruptela. Testimonio sunt aurei nummi Gothici duo, quos ego habeo, diversis satis typis percussos. Reccesvinthi regis Gothorum sunt, et altera parte cum regis ipsius facie inscriptum habent RECCESVINTHUS REX. In aversa verò parte scriptum in orbem est: CORDOBA . PATRITIA, ut iam U versum in O esset; B autem nondum esset in V permutatum. Ad eumdem etiam modum, tam in divi Eulogii veteri exemplari, quàm in quibusque libris Gothicis litteris, quos vidi plurimos, descriptis, scriptum semper *Cordoba* reperitur. Et de nostræ urbis nominibus hæc satis: nunc de eius antiquitate est dicendum.

Cordubæ antiquitas.

Priscam admodum, et pervetustam urbem Cordubam fuisse, cuiusque originis propter summam antiquitatem, nullum extet in hominum memoria principium; duabus potissimum de causis adducor ut credam. Primùm enim quæcumque urbes in Hispania duobus nominibus olim Romanorum tempore compellabantur, alterum Hispanum nomen, priscum, vetustissimæ originis, et quasi vernaculum peculiaris linguæ habuisse constat; alterum verò tamquam Romanæ ditionis et imperii stygma eisdem fuisse impressum, aut adulatione dominantium Imperatorum certè expressum. Tales fuêre in Celtiberia *Illurcis* ab Tiberio Graccho, mutato nomine, ut auctor est Verrius Flaccus, *Graccuris* dicta. *Salduba* in eadem regione Plinio teste, *Cæsaraugusta* postea nominata. Eodem auctore et priscis lapidibus etiam attestantibus, *Obulco* Municipium Pontificense nomen accepit. *Attubi*, claritas Iulia: *Astigi*, Iulia Firma: *Tucci*, Augusta Gemella: *Iliturgi*, Forum Iulium: *Hispalis*, Romulensis Colonia est dicta. Multa sunt eiusmodi apud eum auctorem, et in antiquis marmoribus et nummis nominum in urbibus geminationes. In quibus omnibus negare non possis, prius nomen vernaculum esse et Hispanum, æqualisque cum urbis primordio antiquitatis fuisse. Talis est Corduba, quæ Colonia Patricia postea est cognominata: testemque suæ vetustatis priscum nomen habet, veluti nascenti sibi olim impositum. Illud deinde nostræ urbis vetustissimam potest antiquitatem astruere, quòd cum Turduli populi omnium vetustissimi et sapientissimi in Bætica fuisse ab Strabone tradantur, Cordubensis verò situs feracitate et amœnitate tanto opere præcellat; credi par est, oppidum ibi non paucis retro sæculis fuisse conditum, neque neglectam ab eius regionis accolis præstantissimam habitandi commoditatem. Quemadmodum igitur de Cordubæ ori-

Hispanæ urbes binominæ.

gine nihil certi afferri in medium potest; ita etiam vetustissimam ipsam fuisse, meritò creditur.

Corduba ab Persis non fuit condita.

Quidam ab Persis, quos in Hispaniam etiam venisse Plinius ex Varrone tradit, conditam Cordubam fuisse asseverant. Ipsum urbis nomen eos, ut opinor, in eam sententiam illexit. Nam Cordubam etiam in Perside civitatem fuisse credidêre. Sed enim levis est coniectura, et quam nullo veritatis fundamento subnixam, facile nobis fuerit in historia nostra, occasione oblata convellere.

Prima huius urbis mentio.

Apud auctores nullam priorem Cordubæ mentionem invenias, quàm quæ apud Silium Italicum reperitur. In catalogo namque earum Hispaniæ civitatum, quæ Hannibali in Italiam transeunti milites miserunt, Cordubam etiam connumeravit illo carmine.

Nec decus auriferæ cessavit Corduba terræ.

Eius duo situs.

Sed neque quo in loco condita primùm Corduba fuerit, satis constare potest, cum duo eiusdem situs nunc appareant: alter quem urbs ipsa occupat, alter, quem quarto ab urbe ad occasum milliario clarissimo divi Hieronymi monasterio vicinum cum veteris Cordubæ nomine desolatum cernimus. Ego non levibus coniecturis adducor ut credam, priscam urbem eodem quo nunc est iunior ista, situ fuisse. Quod ipsum tunc ostendemus, cum quæ necessariò præmittenda sunt, persequuti fuerimus.

Illius conditor seu instaurator Marcus Marcellus.

Sequens igitur post illam Silii Italici Cordubæ mentio insignis admodum est et illustris. Refert enim Strabo, Cordubam ab Marco Marcello quasi conditam, et paulò post magnificentissimè auctam. Eius libro tertio hæc sunt verba: "Corduba, Marcelli ædi»ficium, eò magnitudinis crevit, ut »nominis celebritate et potentiâ pol»leat." Quæ verba doctos homines non paucos permovisse video, ut crederent, hanc primam esse urbis nostræ originem, et eiusdem Marcellum verum fuisse conditorem. Proinde necessarium fuerit totum hoc diligenter investigare, et subtiliùs expendere. Quod ex Livio atque Appiano Alexandrino constat, Marcus Marcellus, eius Marci Marcelli, qui docuit Hannibalem posse superari, sine nepos sive pronepos totam Hispaniam in Prætura sorte obtinuit eo ipso anno, quo Q. Martius Philippus secundum, et Gn: Servilius Cæpio consules fuere. Est autem is annus ante Iesu Christi Domini nostri nativitatem centesimus sexagesimus septimus. Totam autem Hispaniam is Marcellus hoc anno suscepit gubernandam, quoniam ex duabus una provincia duobus tantùm antea annis fuerat effecta. Idem Cordubam et hoc ipso anno haud dubiè exædificavit. Cum enim manifestum sit, hoc tempore ædificatam fuisse (siquidem crebrior iam hinc eius mentio, ut statim apparebit, in historia Romana reperiatur, et Strabo Marcelli opus ipsam nominet, neque ullus alius Marcellus, neque superioribus annis, neque multis sequentibus in Hispaniam venerit cum magistratu) planum fit, huic urbis structuram esse attribuendam. Et hoc proculdubio anno quicquid id operis fuit, Marcellus perfecit: non quintodecimo postea, cum in tertio suo consulatu in Hispaniam rediit. Tunc enim divisà iterum denuo in duas provincias Hispaniâ, Citeriorem tantummodo rexit, magnis videlicet bellis implicitam, et quæ Consulari duce atque exercitu indigeret. Habuitque illo ipso anno ulterior Hispania, hoc est Bætica cum Lusitania, proprium seorsum Prætorem, M. Acilium: ut est apud Appianum.

Sed quid illud tandem fuit quod Marcellus fecit, ut Cordubam aut condidisse, aut ædificasse dicatur? Dicam quod sentio, quodque manifesta penè ratione adducor, ut credam. Novam urbem in eo situ, qui nunc vetus dicitur, construxit, et a fundamentis totam erexit. Cum oppidum antea esset non admodum magnum, transferre inde, et alio situ amplificare, cogitavit: nova formâ (Romana utique) denuo urbem condens, ab se ut esset, et dici posset ædificata perfecit. Urbem igitur, quæ nunc vetus dicitur Corduba, ædificavit. Docet hoc profectò eius urbis forma, et tota, quam ruinæ adhuc ostendunt, structura, Romanum planè opus, et Romanorum consilio totum undique fuisse fabrefactum declarat. Situs namque totus quadratâ formâ est, ita ut filo protractus et circum signatus initio planè videatur. Duplo longior totus est quàm latior ambitus. Ego enim probè funiculo dimensus, cum pedes in fronte duo millia quadringentos invenissem, ab latere quatuor millia octingentos adamussim cómperi. Cum pedes dico, tertiam ulnæ nostratis, qua pannum linteum sericumque metimur, partem intelligo: quod ipsum cum pedis Hispani antiqui mensura probè congruit. Hæc autem tam exquisita diligentia situm quadrandi et conduplicandi, tota planè Roma-

Cordubæ veteris situs.

no-

norum fuit, non nostratium Hispanorum, qui vixdum hoc nostro tempore politioris ædificationis formam didicere. Prominet præterea media urbe quadratâ etiam formâ planities (sive arcem illa habuit sive forum) quam satis apparet ad perpendiculum fuisse productam. Tantumdem enim ab utraque fronte distat, superiori latere (nam acclivi solo tota urbs fuerat imposita) aliquantisper cum muro coniungitur. Eam curam, et subtilem formæ symmetriæque diligentiam, quis non videt Romanorum esse, non priscorum Hispanorum? Apparent insuper quatuor magnarum turrium fundamenta, eiusdem industriæ Romanæ et studii in ædificando manifesta testimonia, ut quæ quatuor angulis murorum adnectantur. Eiusdem symmetriæ Romanæ simul est indicium, via quadrato lapide constrata, quæ ab inferiori urbis latere, portæ, ut credi potest, coniuncta, in proximum colliculum ducit, ubi magni cuiuspiam ædificii vestigia perseverant: fanumque insigne inibi fuisse licet coniicere, cui nobile stramentum et viæ maior commoditas deberetur. Locus enim ab urbe divulsus, et in plano modice admodum elatus vetat præsidium cogitare.

Cordubæ incrementa.

Hæc omnia hominis sunt studiosissimè ædificantis, et veluti otiosè ad fabricam considentis. Multum autem otii Marcellum toto penè eo anno habuisse, Hispaniæ pax, de qua Livius et Appianus, declarat. Longum verò sit, si commemorare pergam, quanta ex situ eius urbis monumenta Romana superioribus, et nostro etiam hoc sæculo sint eruta: quæ planè testantur, Romanam eam urbem fuisse, Marcellumque perinde Romanum hominem eius fuisse conditorem. Cùm verò iam ex superioribus satis constet, ante hanc Marcelli ædificationem priscum oppidum, quod Corduba diceretur, in iis locis fuisse; intelligere plane non possumus, num antiquum situm Marcellus suo opere complexus fuerit, an novum exquisierit. Nisi quod sequentia quædam indicabunt, contempto veteri oppido, ipsum in delectum ab se situm totum penitus transtulisse.

Exædificata ad hunc modum denuo urbe, magnificeque amplificata, frequentiorem iam eius urbis mentionem Romana habet historia. Creverat nimirum oppidum antea non admodum celebre, et Romana plane urbs cœpit iam ab Romanis nobilitari. Eò iam paulò post Prætores ad hybernandum exercitum revocabant, et ad ius petendum populi conveniebant. Quæ omnia ex Romanis et Græcis scriptoribus collecta, latè nos in nostra historia prosequimur. Hinc Metellus Pius devicto Sertorio gregem poëtarum indidem civium secum Romam reduxit. Quod si, ut de eisdem Cicero dixit, *pingue quiddam et peregrinum* resonabant; temporum plane fuit vitium, non ingeniorum. Neque enim Roma cultiores poëtas tunc temporis habuit. Hìc etiam nobile illud continentiæ frugalissimæ exemplum Prætor Piso, eodem Cicerone referente, edidit. Quod utique præstiterit, ipsismet summi oratoris verbis apponere. "Nihil, in-
"quit, nimium vetus proferam. Sunt
"vestrum, iudices, quammulti, qui Lu-
"cium Pisonem cognoverunt, huius L.Pi-
"sonis, qui Prætor fuit, patrem. Is cùm
"esset in Hispania Prætor, qua in pro-
"vincia occisus est, nescio quo pacto
"dum armis exercetur, annulus aureus,
"quem habebat, fractus est, et commi-
"nutus. Cùm vellet sibi annulum face-
"re, aurificem iussit vocari in foro, ad
"sellam, Cordubæ, et ei palam appen-
"dit aurum. Hominem in foro sellam
"iubet ponere, et facere annulum omni-
"bus præsentibus. Nimium fortasse di-
"cet aliquis hunc diligentem. Hactenus
"reprehendat, si quis volet: nihil am-
"plius. Verum fuit ei concedendum: fi-
"lius enim Lucii Pisonis erat eius, qui
"primus de pecuniis repetundis legem
"tulit. Ridiculum est nunc de Verre
"me dicere, cum de Pisone Frugi di-
"xerim. Verumtamen, quantum inter-
"sit, videte. Iste cum aliquorum aba-
"corum faceret vasa aurea, non labo-
"ravit, quin non modo in Sicilia, ve-
"rùm etiam Romæ in iudicio audiret.
"Ille in auri semuncia totam Hispa-
"niam scire voluit, unde Prætori an-
"nulus fieret. Nimirum ut hic nomen
"suum comprobavit, sic ille cognomen."

Orat. pro Archia poet. num. 10.

Act. 2. in Verr. lib. 4. num. 25.

Supervenerunt non multo post bellorum civilium inter Cæsarem et Pompeium tempora, in quibus caput Provinciæ Bæticæ totius Corduba ab Aulo Hirtio, sive is Oppius est, appellatur. Et ad hanc Cordubam ab Marcello ædificatam, de qua nobis sermo nunc est, omnia illa gesta fuisse, multa sunt quæ aperte declarent. Illud in primis, quod pertransito ponte prælium inter ipsum atque urbem non semel committitur. Sed non est hic locus de his pertractandi.

Bellorum civilium tempora.

Pau-

Corduba Bæticæ caput.

Paulò post etiam Augusti Cæsaris temporibus, quibus Strabo et vixit et scripsit, verè iam is auctor potuit insigni cum præconio affirmare, eò magnitudinis Cordubam crevisse, ut nominis potentiâ et celebritate polleret. Colonia enim paulò ante fuerat effecta: nec cuiusvis vulgaris Coloniæ dignitas eidem fuerat attributa, sed quæ nomine et maiestate præcelleret, atque *Colonia Patricia* et esset revera, et vocaretur. Qua de re idem auctor, de Corduba adhuc verba faciens, his verbis scripsit. "Eam sanè initio habitavere »et Romanorum et indigenarum viri »delecti." Nam prima hæc istos ad locos a Romano populo est dimissa Colonia. En tibi et primam in Hispania, saltem in Bætica Coloniam Cordubam fuisse, et cum magna dignitatis præstantia, et veluti prærogativa fuisse. Utrumque insigne quiddam est, et ad Cordubensem celebritatem et gloriam singulare. Neque vacat tamen hìc, quantum hoc sit, fusiùs explicare. Illud unum tantummodo non præteribo: tantam hanc dignitatem, ut non nisi viri Patricii ex Romanis et Hispanis deligerentur, qui in eam Coloniam immigrarent, et clarissimum utriusque nobilitatis domicilium ipsam redderent; eo maximè meritò Cordubæ fuisse consequutam, quòd fide et tolerantia singulari Iulii Cæsaris partes eo in bello semper foverit, et cives Romanos sæpe protexerit atque servarit. Id eius civitatis, ex quo primùm Colonia facta est, nummi testantur, qui omnes cum *Colonia Patricia* in aversa parte habeant inscriptum, civicâ coronâ id ipsum præferunt inclusum. Civicam autem servati civis et præmium et insigne apud Romanos fuisse, quis ignorat? Unde et ab Iulio Cæsare præmii causâ Cordubæ, ut Colonia esset, tributum crediderim. Certè Seneca pater de bellis civilibus loquens, Coloniam iam Cordubam vocat: et in Cordubæ Coloniæ iam factæ nummis faciem et nomen Cæsaris Augusti cernimus. Et Carteiam quidem aliquanto vetustiorem in Bætica fuisse Coloniam, ex Livio prorsus intelligo. Neque obstare tamen hoc Strabonis dicto is planè intelliget, qui quo ex hominum genere, Partheniorum videlicet et Libertinorum, deducta fuerit, animadverterit.

Prima in Hispania Colonia.

Corona civica in eius nummis.

Lib. Christ.

Illi verò duo insignes admodum lapides ex Augusti Cæsaris temporibus ad hæc nostra usque Cordubæ perdurant, qui ipso eodem anno, quo Dominus noster Iesus Christus natus est, fuere inscripti. Habent enim hæc verba.

Lapides duo Cordubæ Augusti tempore inscripti.



Est

Est hic lapis in summo templo, alterque persimilis in D. Ioannis Herediæ domo visitur. Amovent autem hæ columnæ omnem illam controversiam, quam divus Augustinus inter quosdam Ecclesiæ Christianæ scriptores narrat fuisse de anno Dominicæ nativitatis. Ignorantes enim Romani consulatus seriem, ut idem inquit sanctus Doctor, hìc diversa sensêre. Sed de hoc non uno in loco historia nostra pertractat. Ibi etiam quod hoc Iani templum Cordubense fuerit prosequimur. Duæ enim aliæ columnæ Tiberii Cæsaris tempore erectæ, eisdem etiam omnino verbis eiusdem meminerunt. Altera in ipso fano Maiori, in divi Francisci altera conspicitur. Illud verò in antiquitatis studiosorum gratiam non prætermittam: in his omnibus columnis numeri primam notam hanc esse Ↄ, quæ nimirum, L. geminatæ vim habeat, et bis quinquaginta hoc est, centum milliaria signet. Neque enim pauciora milliaria ab Corduba ad Oceanum, qua magis est propinquus, quàm centum quatuordecim reperies. Quod Francus Iurisconsultus antiquitatis studiosissimus primus, quod sciam, animadvertit.

Lib. 2. de Doctr. Christ. cap. 28.

Habuit etiam Romanorum tempore ad Romanæ civitatis et aliarum magnificentissimarum civitatum imitationem puteal Corduba. Visitur namque hodie quoque in Marchionis Commarensis ædibus marmoreum puteal cum hac inscriptione.

Puteal Cordubæ fuit.



Aristoteles porrò in Politicis docet, non nisi magnas urbes puteal, hoc est, subterraneum carcerem ad putei similitudinem excavatum habere solitas fuisse. Et Libonis puteal Romæ tum ab Horatio celebratum non uno loco legimus, tum etiam in argenteis nummis depictum et inscriptum videmus. Et hæc omnia cum multis aliis inscriptis lapidibus Romanis, qui multis in locis urbis visuntur, nemo unquam dubitavit, ex veteris ruinis fuisse huc diversis temporibus advecta.

Lib. 4. cap. 16.

In ea igitur Marcelli urbe nati sunt Senecæ duo pater et filius, Lucanus, Portius Latro, et alii insignes Cordubenses, quorum meminit Seneca pater. Illa eadem clarissimum et fortissimum civem Æmilium Regulum dedit, qui et ipse cum aliis, ipsum tamquam ducem insequentibus, in Caligulæ Imperatoris necem coniuravit. Et cum alios, in-

Lib. 19. Antiquit. cap. 1.

inquit Iosephus, privata odia incitarent, hunc publica tantummodo mala permovebant.

Cordubæ nova translatio.

Quamdiu verò urbs illa vetus ab Marcello condita perduraverit, quove tempore mutatione oppidi, in hanc, quæ nunc est, sit traducta, etsi maximè vellem, non possum tamen liquido explicare. Quod coniecturis assequi possum, in medium adducam. Tempore Tiberii et Caligulæ Imperatorum vetus Marcelli civitas non solùm stabat, sed

Germanici Cæsaris nubi nummi.

inclita admodum et celebris vigebat. Id nummi veteres indicant ibidem reperti cum Germanici vultu et nomine, quorum aversa pars *Colonia Patricia* habet intra civicam inscriptum. Neque multi simul unquam eiusmodi nummi sunt reperti, ut reconditi fuisse videantur; sed unus atque alter, ut casu prolapsi, et amissi appareant. Sed neque quisquam tamen sequentium Imperatorum nummos se ibi reperisse, unquam dixit. Tanta præterea urbis per illa tempora celebritas, repente utique non potuit concidere, cum in summa pace et tranquillitate nobis Romani imperarent. Non nisi maturo per multos annos consilio, non nisi longi temporis spatio opus fuit, ut inde penitus fuerit immigrandum. Nova etiam urbs fuit condenda, et magno molimine multa fuere comparanda. Migrationem namque fuisse, et oppidi mutationem, res ipsa testatur, et paulò post sumus ostensuri. Sexaginta igitur aut eo amplius post Caligulam annos eam urbem stetisse, possumus credere, et ad Traianum usque perdurasse.

Diocletiano Imperatore Corduba iam fuerat translata.

Ducenti deinde ferme anni ad Diocletiani usque imperium præteriere, in quibus Cordubæ nullam mentionem apud auctores invenimus. Tantum illa basis marmorea de qua iam diximus, cum fragmentis etiam muliebris statuæ in domo Garsiæ Mendesii de Soto Mayor fuit eruta cum Corneliæ Saloninæ uxoris Gallieni Imperatoris inscriptione. Sed enim Diocletiani temporibus dubium esse non potest, quin urbs vetus iam periisset, et nova, quæ nunc est, percelebris haberetur. Testimonio sunt sanctorum martyrum, qui eo tempore Cordubæ coronati sunt, monumenta, quæ supersunt. Ibi sanctorum Acisculi et Victoriæ domus in qua educati fuerint: ibi sepulcrum, quod ad portam flaminis fuisse, in eorum passione scribitur: ibi puteus, in quem pars viscerum sancti Zoyli martyris fuerit proiecta, monstrantur; atque omnia et singula magna religione ab tota civitate coluntur. Ita fit, ut nemo pius ferre iam posset, si quis passos in veteri urbe hos sanctos martyres crederet. Et de sanctis tribus martyribus Fausto, Ianuario, et Martiale idem prorsus est statuendum: Et cum Gothos hanc novam urbem tenuisse constet: et Sisebuti regis temporibus Agapius Cordubensis Episcopus sanctum Zoyli corpus ibidem, ipso per somnium commonstrante, repererit, quod ab martyrii sui tempore delituerat: ibidem utique fuerat excarnificatus, et occisus. Nam ab ethnicis inter peregrinorum sepulcra cadaver eius occultatum legimus, ne ab christianis dignosceretur: et Agapio Episcopo idem martyr (quemadmodum inventionis habet historia) et locum ubi passus fuit, et ubi suum corpus occultatum iaceret, indicavit. Quæ omnia liquidò possunt probare, hanc novam urbem Diocletiani et sociorum Imperatorum tempore, hoc est, circa annos Dominicæ nativitatis trecentos conditam iam, veteri diruta, fuisse. Ille itaque marmoreus lapis ad divi Nicolai, quod vocant in urbe, templum effosus, ibidemque parieti insertus, qui basim Constantii Cæsaris (ut eius indicat inscriptio) statuæ olim præbuit; in hac nova urbe dedicatus, non ex veteri adductus videtur. Quod etiam de Saloninæ statua et basi quispiam posset etiam existimare.

Eius mutandæ causa.

Causa autem huius mutationis, et Cordubæ iterum renascentis occasio vulgo inter cives affertur aquæ penuria, qua vetus Marcelli urbs laborabat, longiùs a flumine quatuor penè milliaribus remota. Ego verò nihil minus in causa fuisse video. Nam et intra urbis eius situm fontes non uno loco erumpunt: propè muros verò ad ortum fons est

Fuente de los berros.

etiam bene magnus, cui ab laverum copia nomen est: et vicini huic fonti fratrum divi Hieronymi horti ab fontium copia nomen invenere: et amplior ille

Los Hontanares.

canalis, quo ipsum idem divi Hieronymi cœnobium nunc fruitur, per vallem ipsam dorsumque prominens circumductus, in urbem influebat. Durat adhuc ad ipsum fontis caput eius aquæductus portio, quadrato lapide constructa. Reliquum ipsa cœnobii structura, lapidum similium indiga, consumpsit. Quicumque etiam putei inferioribus præsertim urbis partibus effoderentur, aquæ in omnem usum commodissimæ copiam profecto subministrarent. Quæ cum ita sint,

sint, loci insalubritatem, adde etiam ad inhabitandum incommoditatem, causas potissimas urbis transferendæ fuisse, credendum est. Eum enim situm Marcellus delegerat, qui ponendæ urbi esset multis modis importunus. A flumine primùm tam longè removit, cum fluminis eo tempore navigabilis commoda essent quamplurima. Munita neque situ neque opere urbs esse potuit. Per eum enim clivum est in planum demissa, cui montium iuga ita superimineant, ut lapidibus rupibusque non admodum magnis, quarum est in sublimi ingens copia, tantùm commotis obrui mœnia possent atque prosterni. Sed loci insalubritas in primis est insignis. Iidem præcelsi montes septemtrionale urbis latus ita protegunt, ut aquilonaribus ventis, qui salubriores existimantur, nullo modo possit afflari. Cumque ab ortu ad occasum in longum sit totus situs porrectus, ab septentrione verò in meridiem latitudine per clivum in planum excurrente protendatur; ad solis ardores, qui sunt in ea regione ferventissimi, urbs tota quanta erat, iacuit exposita. Neque inferiora ædificia tegere in clivo superiora poterant, aut æstus mutua coniunctione impedire: cum interim si quo algore Aquilones possent subvenire, prærrupta montium culmina arcerent. Inde est quòd nunc etiam scorpionum multitudine totus is veteris urbis situs abundat: ipsa venenatorum animantium fœcunditate loci pestilentis vitium prodente. Quod ipsum maximè facit ut credam, priscam illam Cordubam, quæ ante Marcellum fuerat, hoc situ, quo nunc est, extitisse, salubritatisque memoriâ et experimento eum ipsum iterum nunc repetisse.

Urbis situs veteris incommoda.

Instaurata igitur, seu denuo condita nova urbe, quadratam formam, quantum possum coniicere, retinuit. Duo enim muri latera adamussim producta cum antiqui operis, atque adeò Romani vestigiis perdurant. Ab arce ad solis, quam dicunt, portam lambente flumine australe: inde ad eam portam, quæ anguli vocatur, orientale. Duo alia latera, Maurorum credo detrahentium, superaddentium et multis modis immutantium, substructiones confudêre. Et præterquamquod quadrata ista forma, lapidesque quadrati Romanam indicant structuram; ipsa quoque portarum in illo ad Orientem latere cum æque distante intervallo dimensio tota prorsus Romana est. Quinque enim portas cum adaperirent, in medio unam (quæ Ferrea dicebatur, ipsaque diruta, loco nomen manet) constituerunt, hinc inde binas æqualibus intervallis super addentes. Perdurant hæ quatuor, solis et anguli, in ipsis angulis: reliquæ mediæ, quæ portulæ, voce diminuta, nuncupantur, altera ad Emporii vicum, altera ad Fontem siccum est posita: et utraque ab suis locis nomen accepit. Nec dubitant nostri Cordubenses, quin ex veteri Marcelli urbe translata in novam hanc fuerint publicorum et privatorum ædificiorum omnia ornamenta. Hinc in urbe statuæ Romani operis non paucæ, inscripti lapides multi: hinc tot marmoreæ columnæ, multaque alia huiusmodi, quæ passim visuntur. Quamquam nonnulla huius novæ urbis propria fuisse, superiùs probabamus.

Nova urbis situs et forma.

Portæ Solis, Anguli, ad Emporii vicum, et fontis sicci.

Antiqua monumenta Cordubæ multa.

Hinc iam liquet, quanto opere vulgus nostræ civitatis aberret, qui Senecæ domum eam fuisse affirmat, quæ nunc publici Senatus ædibus ad Austrum coniuncta, ex adverso penè divi Benedicti templum respicit. Emit eam olim vir clarissimus D. Petrus a Corduba primus Plieguensis Marchio, ea fama commotus, et doctori Antonio Morali patri meo medico præstantissimo dono dedit, dicens, Sapientissimi viri Cordubensis domum, non nisi ab sapientissimo Cordubensi debere possideri. In his ædibus ego natus sum: sed Senecæ eas numquam fuisse, quis iam non videt? Qua de re latius in historia nostra et Hispaniæ antiquitatibus disseruimus. Cum verò Senecam nomino, patrem Senecæ philosophi semper intelligo. Hic enim Neronis præceptor, Cordubæ, nisi puer admodum, numquam fuit: infans penè inde Romam ab patre abductus.

De Senecæ domo.

Primus Plieguensis Marchio.

Doctor Antonius Morales Ambrosii pater.

Sed enim silentio hic præterire æquum non est, quamvis Senecæ ipsius nulla mentio perduret in antiquis Cordubæ monumentis, eius tamen familiæ cognomen in basi pervetusta reperiri. Eam nuper Hieronymus Morales filius meus patruelis, iuvenis ingenio et litteris ornatissimus, antiquitatisque studiosissimus in patris sui, fratris mei, doctoris Augustini Olivæ, medici etiam præstantissimi domum transferre curavit. Habet autem inscriptum.

Hieronymus eiusdem Ambrosii patruelis.

Augustinus Oliva eius frater.

Lapis cum Senecæ cuiusdam nomine.



Habuit etiam hæc nova urbs suam Romanorum temporibus magnificentiam, cum præceptorem etiam Græcarum litterarum, qui Grammatici nomen (quod erat eo tempore doctrinæ probatissimæ insigne) tueri posset, quique præterea illud habuit admodum singulare, quod supra centesimum annum pervixit. Extat eius iaspideus cippus in eiusdem fratris mei doctoris Augustini Olivæ domo, cum his litteris.



Huius autem posterioris temporis et rudioris esse hanc inscriptionem, tum characteres iam degenerantes, tum etiam verba ipsa et orthographiæ neglectus docent. Proinde novæ urbi hunc lapidem dedi.

Hæc igitur nova urbs, insignis etiam ipsa olim et celebris, sed inde multo celebrior, quòd clarissimorum martyrum sanguine divino munere fuerat consecrata, ab Romanis ad Vandalos, inde ad Gothos tandem pervenit, apud quos in

in magno pretio semper est habita. Bellum videlicet adversus Agilam regem potuit sola suscipere, et ingenti prælio victum fugare. Eadem rebellanti adversùm Leovigildum patrem divo Ermenegildo, Principi tunc, postea martyri inclito sese coniunxit, et fidei catholicæ causam pio bello complexa est. Ioannes enim Biclarensis Abbas, qui eo ipso tempore vixit, scriptum in suo chronico reliquit, sanctum Principem peracto bello Cordubæ ab patre fuisse comprehensum : ad amicam nimirum, et suarum partium civitatem confugerat. Nummum etiam aureum eiusdem Principis habeo, et tamquam sanctissimi martyris egregium monimentum veneror, quem in hoc sacro bello constat esse percussum. Gratissimum autem lectoribus me facturum spero, si ipsum hìc descripsero. Altera parte faciem habet Principis ipsius iuvenilem cum his litteris ERMENEGILDI : altera allatam victoriam præfert, ut eius conspectu suorum animis validam eius potiundæ spem Deo duce et adiutore immitteret. Inscriptio autem, quæ victoriam circumdat, cum sit cælestis prorsus et admirabilis, tum etiam sanctum Principem in eo bello eâdem pro militari tessera usum fuisse, est admodum verisimile. Est enim hæc : REGEM DEVITA. Quam nemo vel leviter in sacris litteris versatus non confestim videt, ex illis divi Pauli ad Titum verbis fuisse desumptam. *Hæreticum hominem post primam et secundam correptionem devita.* Et omnia tam acutè prudenter et piè excogitata sunt et adaptata, ut credi possit ab Leandro aut Isidoro fratre viris sanctissimis, litterisque et ingenio præstantibus divi etiam Ermenegildi avunculis fuisse excogitata, et Principi piè rebellanti ad symbolum et tesseram tradita. Repertus verò fuit is nummus prope Cordubam tertio milliario, in eo agro qui *Casa Blanca*, hoc est Domus alba, nominatur. Et Cordubæ fuisse percussum possumus etiam existimare. Officinam enim nummariam in ea urbe fuisse, tum ingens eius celebritas, tum nummi illi Reccesvinthi regis de quibus retro diximus, ostendunt. Nulla enim alia de causa Cordubæ nomen in illis ad eum modum potuit apponi, nisi quòd ibidem fuissent conflati, atque signati. Sed hæc omnia cum aliis nostræ civitatis fortunis in nostra de rebus Hispaniæ historia latè prossequimur. *Tit.* 3. 10.

HUCUSQUE MORALES.

IN SEQUENTEM APPENDICEM

MONITUM NOSTRUM.

Postquam ea omnia recussa sunt, quæ Ambrosius Morales in singula D. Eulogii opera commentatus est, unà cum his, quæ de Cordubæ antiquitatibus scripsit ad maiorem illorum intelligentiam, operæpretium, remque lectoribus gratam facturos putavimus, hæc duo sequentia monumenta adnectentes, quorum alterum SS. Martyres Georgium, Aureliam, et Nathaliam, alterum Abbatem Speraindeo spectat, de quibus multa mentio in scriptis D. Eulogii. Et primum quidem continet historiam translationis e Corduba Parisios factæ, reliquiarum prædictorum SS. Martyrum, quorum gloriosum certamen D. Eulogius describit cap. 9. lib. 2. Memorialis SS. *ab Aimoino Monacho conscriptam, atque a Ioanne Mabillonio primùm editam; unde nos acceptam heic repræsentamus, quoniam Martyrum illorum gloriam quammaxime illustrat. Secundum verò breve quoddam opusculum complectitur seu confutationem quorumdam hæreticorum negantium in Deo Trinitatem personarum in unitate substantiæ, atque divinitatem in Christo. Opus ab Abbate Speraindeo conscriptum, qui cum Magister extiterit S. Eulogii et Alvari, iique numquam sine magna virtutis, et doctrinæ suæ laude illius meminerint, ut Eulogium legenti patebit lib.* 1. *Memorialis SS. num.*7. *quo in loco alterius eiusdem præceptoris operis fragmentum inserit, et in Vita SS. Floræ et Mariæ, tum Alvarum in vita S. Eulogii cap.* 1. *num.*2. *nemo mirabitur, quod ante hac ignotum, nunc verò recens repertum unà cum Discipuli carissimi operibus, primùm in lucem prodeat. Ediderat iam equidem P. Florez tom.XI. Hispan. Sacr. pag.* 147. *duas, quæ opusculum antecedunt, epistolas, quarum prima est Al-*

Alvari ad Abbatem Speraindeo, secunda huius ad Alvarum responsio, dolens tamen quòd opusculum dogmaticum hoc, quod ab eo Alvarus exigebat, nusquam reperiretur. Quod tamen nobis videre datum est, opera scilicet ac liberalitate R. P. M. Pauli Rodriguez, qui e suo Regio Monasterio S. Benedicti de Sahagun *illius apographum nobis transmittendum curavit; quem virum honoris causa nominamus, cuius multa doctrina iugi lectione parta, singularisque ac recondita Historiæ Hispanicæ cum Ecclesiasticæ tum Civilis eruditio nobis præstò fuit in præsenti SS. Patrum Toletanorum editione. Habuit autem huiusce opusculi exemplar vir huius generis reliquiarum rimator diligentissimus, et peritissimus simul æstimator a D. Carolo Espinos, S. Ecclesiæ Legionensis Canonico, qui ut erat rei Diplomaticæ, atque totius Historiæ nostræ callentissimus, tum in pervolvendis, illustrandisque veteribus Monumentis indefessus, ex vetustissimo illius S. Ecclesiæ Codice ipse transcripsit.*

DE TRANSLATIONE SS. MARTYRUM GEORGII MONACHI, AURELII, ET NATHALIÆ, EX URBE CORDUBA PARISIOS,

Auctore Aimoino Monacho S. Germani a Pratis, ex codice MS. pervetusto S. Germ. apud Paris. n. 653.

Observationes prævie Mabillonii. Sæc. 4. Actor. SS. Ordin. S. Benedicti, part. 2. pag. 45.

Aimoinus auctor huius narrationis.

Aimoinus Monachus cœnobii S. Germani apud Parisios, cuius libros de miraculis S. Germani Parisiensis Episcopi alias retulimus, historiam translationis Sanctorum Martyrum Georgii Diaconi et Bethleemitæ Monachi, Aurelii, et Nathaliæ eius coniugis, litteris mandavit uno libro, cui duos de eorumdem miraculis in translatione factis adiecit. Hos libros multis in locis mutilos edidit Iacobus Brolius eiusdem Monasterii Cœnobita, quos hic integros ex veteri codice, qui Auctoris ætate scriptus est, repræsentare visum est.

Eulogius passionis scriptor.

2 Horum Martyrum acta S. Eulogius Presbyter Cordubensis descripsit in Memorialis lib. 2. cap. 10. ubi Nathaliam Sabigothonem appellat. Hæc cum Aurelio viro suo facultates suas distribuit in pauperes, amboque virorum ac mulierum Monasteria visitare solebant, sed præcipuè Tabanense, quod famosissimum in illis partibus habebatur, utrique sexui aptum. Eò frequens recipiebat se Nathalia, quæ filias duas, Felicitatem et Mariam, ibidem Deo tradidit. Mariæ postea rogatu Eulogius Aurelii et Nathaliæ eius parentum passionem retulit, quam Aimoinus, ut puto, in compendium redegit sub Eulogii nomine, qualis in MS. nostro Codice habetur. His duobus, id est, Aurelio et Nathaliæ, socius accessit Georgius Monachus Bethleemiticus, qui ab adolescentia sua servitutem Dei amplectens, viginti et septem annis apud Monasterium Sancti Sabæ, quod ab Ierosolymis in partem australem octo millibus disparatur, sub regulari magisterio cum quingentis Fratribus conversatus est. Is a venerabili David Abbate eiusdem cœnobii ob stipendium Monachorum in Africam directus, cum ibidem vapulare Dei Ecclesiam incursatione tyrannorum reperisset, cum consilio Carthaginensis Episcopi in Hispaniam profectus est. Dein Cordubam adveniens, postea perrexit ad Tabanense cœnobium, quatinus Fratrum et Sanctarum Sororum ibidem degentium benedictione in redeundo (nam reditum in patriam parabat) muniretur. Ubi Abbas loci illius, vocabulo Martinus, eiusque soror Deo dicata Helisabeth eum Nathaliæ exhibuerunt, cum qua die sequenti Cordubam reversus est. Demum cum illis, ac Felice, necnon et Liliosa comprehensus, gladio unâ cum iisdem anno DCCCLII. interemptus est: quorum corpora variis in locis sepulta sunt, et quidem Georgii et Aurelii in cœnobio Pinnamellari, quo ex loco hæc translatio facta est. Translationis seriem rescivit Aimoinus ab Usuardo et Odilardo Monachis Germanensibus eius auctoribus: ex quibus Usuardus ipse est Mar-

Martyrologii Scriptor. Miracula facta apud Acmantum (quæ Villa est Diœcesis Senonicæ cœnobio S. Germani subiecta, quo tunc Germanenses ob metum Nortmannorum cum sancti Germani corpore confugerant) suis ipse oculis contemplatus est Aimoinus ex lib. 3. cap. 16. et 29. Huius Translationis mentionem faciunt Annales Bertiniani ad annum DCCCLVIII. his verbis: " Quidam Monachus ex Mona-»sterio S.Vincentii Martyris, vel S.Ger-»mani Confessoris a Corduba civitate »Hispaniæ rediens, corpora Beatorum »Martyrum Georgii Diaconi, et Aure-»lii, caputque Nathaliæ secum detulit, »atque in Villa Acmanto in loculis ser-»vanda collocavit." Hæ Reliquiæ hactenus penes nos in cœnobio S. Germani adservantur.

INCIPIT PRÆFATIO
TRANSLATIONIS SANCTORUM CORDUBENSIUM MARTYRUM
GEORGII, ATQUE AURELII.

Si miraculorum cuncta quæ Deus et Dominus omnium Fidelibus suis facere contulit, impossibile est verbis explicari; multotiens sanè apicibus comprehendi creditur, et superoperosum, testante Apostolo, et Evangelista Ioanne, hæc universa velle perstringi, qui multa quidem et alia signa Iesum fecisse in conspectu Discipulorum suorum asserit, quæ non sunt scripta in libro Evangelii. Sed quoniam quæ credulitatis et vitæ æternæ sunt, illic inserta esse perhibentur, delictum putatur, si omnia Sanctorum opera miraculis florida silentio contegantur, ac si divinæ eruditionis specula avaræ taciturnitatis nube obscurentur. Idcirco ad Sanctorum Martyrum Georgii atque Aurelii translationis actus explanandos, licet immeritus, uti laborans in domo; meritò tamen accessi rogatus, quo domesticis animalibus Christum fide portantibus, vel ramos in via substernere possem. Neque præsumptione, vel temeritate sophistica, sed Scriptorum magis canonicorum imitabili provocatus exemplo, et reverendis Patrum monitis cum dulcissimis adductus imperiis, quibus usquequaque resistere multimoda mihi indagatione nefas inclaruit. Adtollitur et divina cooperatrix Maiestas personante grege divino, et cum Psalmista dicente: *Mirabilis Deus in Sanctis suis, et sanctus in omnibus operibus suis*; si ea recensentur acta, quibus Sancti amici Dei post triumphalem etiam carnis exitum, laudabili virtute radiasse probantur, qui et eos post momentanea passionum bella, veluti qui in cælestis militiæ castris desudarunt, perpetuæ consolationis præmiis munerans præstat, quatinus victoriali redimiti bravio se ibi esse, quo idem est, sempiterna amœnitate iocundi lætentur.

INCIPIT TRANSLATIO EORUMDEM SANCT. MARTYRUM,
QUÆ CELEBRATUR XIII. KAL. NOVEMBRIS,
SEU LIBER PRIMUS TRANSLATIONIS.

Anno 858. 1 Agente Incarnationis Domini nostri Iesu Christi annorum cursu octingentesimo quinquagesimo octavo, regni verò Caroli, gloriosi Hludovici Imperatoris filii, duodevigesimo, Sanctorum Martyrum corpora Georgii atque Aurelii educta Cordubâ, memorabili ordine Galliis sunt invecta. Nam apud Monasterium Sanctæ Crucis Beatique Vincentii Martyris, ubi pretiosus Confessor Dei sanctus Germanus Parisiorum Pontifex virtutum fulget honore, pervulgatum est, quòd eiusdem Sancti Martyris et Levitæ corpus a Valentia, in qua passus est civitate, facilè posset haberi, propter videlicet miserabilem ipsius civitatis a Saracenis, vel Mauris factam desolationem: ex quo prædicti Monasterii nostri fratres cum favore et animo Domni Abbatis Hilduini secundi ordinant, regali etiam auctoritate percepta, quos illuc dirigerent anhelantes tantum tamque diu desideratum pignus ad se, Christo largiente, transponere. *Hilduino cum Rege procurante,*

2 Assumptoque itinere, ad Hunfridum

dum Marchionem Gotiæ (*le Languedoc*) illis tunc in partibus principantem missi (1) fratres venerunt, cuius adiuti auxilio ad hoc pium proficisci debebant negotium. Quos cum ille in pago Belnensi (*de Beaune*) sibi præsentatos more primatum nobiliter excepisset, suæ inde promissionis haud immemor; mox de illorum adventus causa, quomodo qualiterque fieri deberet, suos advocans, diligenter tractare cœpit. Inter quos quidam eiusdem viæ loca huiusmodi fatebantur importunitatibus passim præpedita, quatinus nec magno comitatu quisquam vallatus illud iter securè aggredi valeret. Contrà verò nostri nitentes, ac illud Apostoli ponentes: *Si Deus pro nobis, quis contra nos*? necnon et illud: *Per fidem enim ambulamus, et non per speciem*; pariter inde cum ipso pergentes ingrediuntur aliquando pagum Uzecensem (*d' Uzès*) ubi ab Episcopo viro religioso nomine Walefrido comperiunt (quod Vivarias (*Viviers*) quoque civitate iam audierant) corpus memorati almi Vincentii Martyris a supradicta urbe Valentia Beneventum esse transmissum, quod quidem aliter erat. Nam cuidam in Aquitaniæ finibus Monacho (qui divina revelatione monitus, ut nobis ipse narravit, Valentiam properans, illud ab inde secum detulerat) a Seniore (2) Cæsaraugustæ civitatis Episcopo per vim sublatum, apud eamdem Cæsaraugustam sub reverentia cuiusdam Marini Martyris non modicæ venerationis miraculis præfulgens habebatur. Hoc ei nomen professus Monachus fuerat: neque ab eo etiam tormentis affecto, nomen proprium Vincentii Episcopus extorquere prævaluit. Sciebat autem eum eiusdem civitatis Archidiaconum fuisse: ideo illum Episcopo cariorem, sibi verò metuebat inrecuperabilem. Quo circa nostros, æquè ut Episcopum, quod præsens eius sanctum corpus illic esset, omnimodis latuit. Æstimabatur enim Marinus præclari apud eos meriti Martyr. Illud tamen certò scierunt, quòd iam nullo modo Valentiæ haberetur. Sed qualiter id actum sit, et quomodo a Monachis Monasterii Beati Benedicti Albiensis post annos receptum, atque ad eumdem locum translatum fuerit; in eiusdem sancti Levitæ et Martyris translatione a nobis (3) quoque digestum sufficienti narratione, videri poterit.

mittuntur qui ex Hispania S. Vincentii corpus exquirant.

3 Indolebant utique nostri anxiè conlacrymantes tanto itineris spatio elaborato, se vacuos redituros. Cuius mæstitiæ morbo, dum apud Barcinonem castrum morantes (ut sic eorum verbis eloquar) diutino quasi languore demolirentur, neque super hoc quid consultiùs arbitrari oporteret, secum deliberare possent: adeunt novissimè quemdam sibi familiarem virum, nomine Sunifridum (4), eiusdem civitatis post Comitem primum, eum de hac ratione quemadmodum sibi necessarium duxerant, suppliciter consulentes. Et quia nullo modo propter quod venerant Beati Vincentii corpus adipisci valebant; fatentur se decrevisse alicuius Sanctorum membra, quem et actio commendaret et passio, perquirere, secumque, ne inanes redirent, ad locum deferre satagere.

De alio Sancti corpore tractant.

4 Interea contigit, ut idem Sunifridus de enormi fidelium interfectione, sub Abdiramæ Regis Cordubæ persecutione nuper facta sermonem sumeret, exponens eorum quosdam et maximè quos tenemus Georgium atque Aurelium, ea ipsa tempestate nobiliter passos, ac sanguine triumphali acie passionis coruscante, magnificè laureatos, æterni Regis palatium victoriosè subiisse. Ad quod, inquiens, si ullatenus (quod non credebatur) evadere possent, iter prosperum se sumpsisse, felici eventu confiderent. Qua relatione nostri suscepta, ita gaudiis exhilarantur immensis, ac si iam optatis potirentur profectibus: neque hoc sibi nisi cælitus relatum fuisse credebant. Eorum ardet animus, atque illuc eundi cita festinatione, cursus disponitur. Huius planè fervor amoris, posthabita prioris mæstitiæ amaritudine, tantus illorum desideriis excreverat, quo nullo modo no-

S. Georgii et S. Aurelii reliquiis comparandis dant operam,

(1) Scilicet Usuardus pater et Odilardus, infra num. 6.

(2) Seniorem hunc laudat Eulogius in Epistola ad Wilesindum Pampilonensem Episcopum.

(3) Hinc apparet, præsentis historiæ scriptorem esse Aimoinum, tametsi nomen eius in codice MS. non extat, quandoquidem is est auctor librorum de translatione S. Vincentii in Castrense monasterium. Ita Mabillonius. Sed hanc Vincentii translationem eiusque historiam indignam prorsus omni esse fide, ostendit Henricus Florez tom. 8. tract. 25. cap. 7. num. 142. et seqq.

(4) Sunifridus hic primus Barcinonis civis post Comitem, qui Hunfridus dicitur n. 5.

nomen Cordubæ (ut ipsi testantes aiebant) vel audire, vel nominare possent, absque socia interdum lacrymarum effusione. Divinitatis namque respectu animæquiores se factos esse gaudebant.

nequicquam dissuadentibus amicis,

5 Proinde Usuardus pater (nam eorum alter Odilardus vocitabatur) Athaulphum eiusdem Barcinonis Episcopum, atque Sunifridum præfatum aggreditur virum, eis conceptum animi secretum aperientes, quod minimè quiescerent, donec Cordubam usque perrumperent, si eis Dominus vel quandoque largitatis manum dignaretur porrigere. Illi audientes omnino expavêre mirantes: et quod id fieri nequaquam possit, causas impossibilitatis inferendo, et etiam protestando asserebant. Dicebat et Sunifridus eorum se perditorem, cuius verbis ad hoc accensi percurrerent. Sed cum non eos ab hac mentis determinatione avocare possent; timemus, inquiunt, vobis. Ingressum tamen eis liberiorem Cordubæ, et ad quem maximè illic declinare, seu apud quem tutiùs commorari deberent, si fortè eo pertingeretur, Leovigildum sibi amicum, non illum parricidam Visigothorum Regem Arrianum, sed virum christianis legibus sanctisque moribus eruditum, insinuant. Cumque hoc ita præfixum iam dicto Comiti Hunfrido ex ordine intimatum fuisset, componitur, ipso iubente, Epistola ad Magnatem Cæsaraugustæ, vocabulo Abdiluvar, quatinus memor inter se iuncti fœderis, eos de quibus loquimur fratres penes se degentes servaret, indeque pergendi Cordubam, quantumcumque posset, solamen præberet. Sic post emensum, superna opitulante clementia, prolixi nimiumque laboriosi itineris tramitem, offeruntur unà cum directa epistola suprà scripto Principi Abdiluvar, qui interprete advocato lectore, dum rem cognoscit familiarem, parat, quamvis barbarus, religiosè amicis obedire mandatis; iubetque illos in civitate manere usque ad tempus inde consilii. Non enim id ei perficere statim facultas sinebat, multis sibi ad præsens diversisque impossibilitatibus denegata.

a quibus litteras accipiunt.

Cordubam pergunt,

6 Post hæc accidit (quod minimè in circuli octo et eo amplius annorum volubilitate provenerat) quatinus aliqui Cæsaraugustani visa proficiscendi occasione Cordubam inde per rectum ire disponerent. Quod sciens memoratus Princeps Abdiluvar, eos continuò ad sui præsentiam venire rogavit, imperatque postulans, ut fidei suæ creditos homines, Cordubam secum euntes, civili affectione servarent: gratiam proinde a se ac mercedis debitam remunerationem sperantes. Quibus ab Urbe simul exeuntibus nostros quidam Christianorum veluti exilio damnatos, lacrymabundi prosequuntur, bonum esse hortantes ut spem suam illi dicarent, qui non dat fluctuationem iusto, et qui omnibus se invocantibus in veritate semper præstò est, novitque benignissimus potiora quàm petantur, vel sperentur donare. Itaque pariter cœptum legentes iter, quibus quantisque in via angustiati fuerint periculis, quibusque necessitatibus comitati, quoniam perlongum est dicere, aggressum æquè librantes cursum, citiùs transilire statuimus: ne nobis, licèt stupenda, utpote admirationis plena, dici possint, a proposito narrationis compendio deviare contingat.

Ibi Ecclesiam S. Cypriani adeunt.

7 Post multos igitur exactos dies veniunt, Iesu prævio, innumeris mundanorum fluctuum eruti procellis, Cordubam, quò tendebatur, ad urbem. Pergunt illi duo ad Ecclesiam beati magnique testis Cypriani, in qua Sanctorum Martyrum corpora Adulii et Ioannis tumulata quiescunt. Et hoc solicita consideratione iuxta illud Dominicum: *Primum quærite regnum Dei et iustitiam eius, et reliqua omnia adiicientur vobis.* Nam famulos illamque supellectilem, partim Barcinone, partim verò Cæsaraugustæ, soli euntes reliquerant. Ubi a quodam Diacono eiusdem loci primario, nomine Hieronymo, pia devotione recepti, manserunt ibi: evolatque percurrens fama, quosdam illuc ex Francia adventasse divulgans. Fit conventus certatim fidelium, eos miro seu incredibili affectu venerantium, qui tantam eorum obstupescentes constantiam, ineffabilem circa illos omnipotentis pariter admirabantur clementiam. Adfuit et præfatus Leovigildus, cognomento Abadsolomes, cuius a supradictis sibi familiaribus viris, Athaulfo, inquam, Episcopo et Sunifrido, nominis tantùm et religionis notitiam perceperant. Is illorum adventus causam scrutari, ac iuxta sui nominis manifestam etymologiam perquirere vigilantiùs curavit. Cumque amicorum valere, atque notitiarum ei verba secretiùs retexissent, et quod idem esset cui se omnimodis credere oporteret, Dei manifesta dispositione in brevi pervidissent; se se illi suamque mentem, multi-

Matth. 6. 33.

Leovigildo secretum panduut.

tiplices Christo gratias agentes, aperiunt. Suscipitur arcanum, manetque intra viri pectus sepultum. Inde verò congruus quæsitæ rei præstolatur eventus: ipsique sub eius interim tutela commodis aluntur subsidiis.

Samsoni Presbytero res committitur,

8 Denique post aliquod dierum spatia prædictus Abadsolomes, quodam eiusdem civitatis Presbytero bonæ indolis, vocabulo Samson, adscito, solicitè cum ipso indagare cœpit, qualiter veluti suæ providentiæ a Deo (ut certè putabatur) delegatum opus perficere possit. Procurabat itaque quatinus eis ad votum, nobilis triumphi palma Sanctorum corpora insignita darentur; qui tot terrarum terminis fidei calore transcursis se propter hoc capessendum emerserant: compatiebatur equidem eorum et animis et longo satis itineri: nec obliviscebatur amicorum Athaulfi Episcopi, ac honorabilis viri Sunifridi, multas ei preces super hoc delegantium. Unde claustris arcani Sacerdoti retectis, Beatorum Reliquias Georgii Bethleemitæ Monachi, atque Aurelii Cordubensis viri popularis, si tamen posse præstaret, utrisque sumere libet, quorum animas felici bello decoras ad Cælos Martyrum sociandas collegio transisse, pulcherrimo passionis eorum textu firmante didicerant; quam memorabilis et Deo dignus Sacerdos Eulogius, qui et ipse postea glorioso donatus martyrio, Regem Christum consummatus miles ovando petivit, veraci relatione, plurimis (ut ipse nostris retulit) prætermissis, litteris informavit.

qui Abbas Pinnamellaris,

9 Dum hæc revolvuntur, divinitus (quod sine dubio fatendum est) contigit, ut memoratus Samson Presbyter eidem loco vocabulo Pennamellari, quo eorum corpora SS. Martyrum tumulata iacebant, quodque disparabatur a civitate plus minus milliariis quinque, Abbas præficeretur. Et ecce quasi parta facilitate, a Leovigildo evocatus unanimes deliberant, quia tempus aderat locusque patens, rem optatam ad effectus culmen Christo favente perducere. Cumque diutissimè aliquibus etiam locis ibi fratribus associatis, ut fieret, consulendo insisterent; reperiunt ceteros ita suis adversos conatibus, quòd hoc nullatenus concedi posse tristes existimarent. Importune tamen agentes, et quod hoc ut Beatorum Martyrum corpora celebriori cultu haberentur, quæreretur, multis argumentationibus inculcantes, id tandem fieri communi deliberatione omnibus placuit, tantum ut assensus (veluti decebat et factum est) proprii daretur Episcopi. Sanctorum verò corpora, dum tempus revertendi veniret, eodem in loco sub hac concessione, ut erant, iacuerunt humata. Proinde quid eis difficultatis tempore egressionis ab urbe, de qua non nisi multo freti solatio exire audebant, ingruerit, reor esse dicendum.

Monachos habet repugnantes.

Bellum Mahumetidis.

10 Rex siquidem eiusdem Cordubæ Saracenorum primæ egregiæque civitatis Mahomath adversus Toletanæ urbis tyrannum suis rebellem decretis hostiliter properans, iussit omnes adesse. Et ne vel civis, vel peregrinus, excepta custodia, qui secum non iret, in civitate remaneret, publicis imperat edictis. Interea prædicti fratres nostri, cum de concessis Martyrum corporibus (quoniam exeundi locus ab urbe patebat) effari Monachis supranominati loci Pennamellaris cœpissent, ipsi rursus nihil se ex hoc facturos penitus denegant, maximè Abbatis sui venerabilis Samson absente præsentia: contigerat enim illum abesse. Quapropter admodum tristes effecti, quosdam Fidelium ad Episcopum eiusdem urbis virum modestum, nomine Saulem, dirigunt, postulantes, ut Sanctorum corpora quæ illis Samson Abbatis, suaque benignitate concessa fuerant, apud eiusdem loci habitatores quos ibi darentur, suo ipso obtinere dignaretur adventu. Qui suscepta huiusmodi oratione actutum properant, atque imploratum ita mandatum pastori perferunt, efflagitantque succurri peregrinis, simulque subveniri desolatis. Inquiunt ergo ad Episcopum: "Pater, pietatem tuam voto »supplici deprecamur, quo Beatorum »Martyrum corpora Georgii atque Au»relii, ut olim cum Samsone Abbate »sanxistis, Gallicis donentur Monachis. »Cur igitur vexatione fatigati itineris »iniusta vexantur dilatione concessi pi»gnoris, non est æquum ad religionis »vestræ notitiam, quæ tali potest infa»mari calumnia." Nec mora, properatur ad locum. Dumque prolixiùs concertatum, plurimumque precibus ab Episcopo colluctatum fuisset, præbetur, durè quidem, uti ab invictis, vix tollendi consensus.

Saul Episcopus Cordubensis Monachis favet.

Sacræ exuviæ inde levantur,

11 Advocati namque tunc alacri gressu ipsi nostri petitores accedunt, atque una cum ceteris, nec segniùs tamen, Sanctorum corpora avulso desuper altari accelerant effodere. Ut autem ven-

ventum est ad apertionem sepulcri, remotis aliis, soli ab Episcopo designati adsunt Presbyteri, a quibus, ipso quidem excipiente, sacra de eisdem tumulis cum Hymnis ac Lætaniis membra levantur. Qui mundis ea semper linteaminibus involvens, congruis quoque ad efferendum imposuit perulis. Ita divino suffragante auxilio opus secretum honestè perficitur; et ne illorum integritas a quolibet petente, quavecumque occasione usque ad destinatum locum violaretur, Episcopum rogant ea sub assignatione Regis Caroli proprio claudere sigillo. Quod cum fecisset, eis ferenda atque cum multimoda testificatione colenda, occultè tamen propter paganos, donantur. Non enim quos Martyres faciunt, venerari Saraceni permittunt. Qui tanti muneris præmium gavisè tollentes, comitantibus se nonnullis inde fratribus ad civitatem festini remeant, cupidi cum quibusdam Toletum pergentibus, illuc usque reverti.

non tamen S. Aurelii corpus et S. Nathaliæ caput.

12 Præterea quid et huic facto destinabili modo provisum sit, si taceatur, nefas non ambigo. Cum etenim illa Sanctorum corpora in agone cælestis pugnæ fortia, ministri diaboli gladiis animadversa morte stravissent; Christiani dum potuerunt, solito amoris officio excitati, nocte venerunt, atque ea sibi furtim rapientes diviserunt. Et quidem Beati Georgii corpus ex integro, Aurelii verò sine capite tollentes in Ecclesiæ loco sub altari, quemadmodum significavimus, sepelierunt. Sanctæ verò Nathaliæ corpus, dum aliorsum ab aliis truncum sublatum fuisset, caput illius in eadem Ecclesia, ubi viri corpus, collatum est. Unde accidit, quatinus tempore effossionis eorum Beati athletæ Aurelii caput cum suo corpore minimè inveniretur, ac sacræ Nathaliæ corpus quò humatum fuerit, nesciretur. Sed ut impleretur in eis etiam post mortem, quia erunt duo in carne una, corpori Beati Aurelii caput Nathaliæ suæ coniugis subrogatum est, atque cum nimia admiratione quærentibus datum, quod deifice factum neminem qui audit, latere putamus. Ut quia unius coniugalitatis viventes, necnon et æqualis martyrii socii exstiterant, morientes eiusdem essent merito venerationis in terris, quemadmodum et unicæ felicitatis compotes sunt in cælis. Et quoniam Sacramenti Mysterio συνεκδοχικῶς quidem dicto quasi ab incœpto parumper deflexi-mus, iuvat manum in id ipsum reducere.

13 Cum verò Vigiliæ Ascensionis Christi roseo se iubare iam dies lotis quadrigis terris influeret, parant a civitate Regis supramemorati Mahomath procedente exercitu egredi, non parvo ad illos fratrum Catholicum eis vale dicere cupientium adunato collegio, qui quanta eos caritate per dies quinquaginta sex, quibus cum illis sunt commorati, tractaverint, nemo qui dicat. Præsens tamen devotio seu lacrymabilis ipsorum pandebat executio, quod cernere quis posset, nec illos a se umquam pacto quolibet velle disiungi. Sic namque Cordubâ, Hiberiensium civitatum nominatissimâ, et cum civibus, tum etiam et rerum opibus fœcundâ, egressi, quorumdam fidelium cum Rege ad pugnam euntium tutelis aliquantisper crediti, iter suum alacres resumunt. Inde post dies reperit illos inter agmen exercitus Leovigildus, vir frequenti memoria dignus, qui tempore egressionis eorum a civitate, regiis occupatus negotiis præsens non fuerat; isque dulcissimo pectoris vinculo eos amplectens, suo deinceps comitatui usque Toletum (quod ex Beatæ Leocadiæ Virginis confessione præclarum habetur) non est passus deesse. Babila siquidem eius soror, Virgo Deo sacrata, illis quicquid in itinere visum necesse fuit, pallia quoque duo, quibus vicissim Sanctorum cooperirentur corpora, pro qua valebat facultate, abundè paraverat.

Cordubâ pergunt Toletum.

14 Rege denique Cordubensi contra Toleti adversum sibi tyrannum, ob quod processerat, belli copias accelerante, multi eiusdem civitatis viarum insidiatores ad eandem urbem redeunt, se quantocius castelli præsidio muniri curantes: pacata redduntur itinera, fitque viantium secura quacumque progressio. Tunc nostri cum magna benignitatis affectione omisso procinctu a sæpedicto Leovigildo disiuncti Complutum aggressi sunt oppidum gloriosorum Martyrum germanorum Iusti et Pastoris insignitum tropæis. Inde nobilissimam ac Sanctorum et præcipue decem et octo Martyrum triumpho laureatam Cæsaraugustæ applicant ad arcem, ubi a superiùs nominato Seniore Episcopo rursus, quemadmodum euntes humanè recepti, optima apud ipsum, quousque libuit, sunt quiete donati. Nec tunc quidem de Beato Vincentio, quem idem Episcopus (ut supra retulimus) sub nomine Marini Martyris retinebat, aliquid vel dinoscere certius, vel audire qui-

dein Complutum,

et Cæsaraugustam

quiverunt. Non enim erat, fugato Audaldo translatore Monacho, qui huius facti notitiam panderet. Repræsentantur et Abdiluvar præmemorato eiusdem civitatis Principi, gratias agentes, quòd eius essent auxilio in eundo, vel redeundo adiuti. A quo etiam discedentes salutationes ad Hunfridum, epistolas verò ad Castellorum custodias perceperunt: quatinus absque impedimento vel discusione ulla munita suæ potestatis loca transirent. Nam ne fortè eis improvisis aut legatio fraudulentium fiat, aut certè magis hostilis impetus superveniat, cunctarum ad sese viarum aditus continuis satagunt obfirmare custodiis, atque ea permaximè loca, quæ ab angusti tramite callis exclusas appellant.

mox Barcinonem

15 Itaque proficiscentes Barcinonis ad mœnia, quamvis multipliciter fatigati, perveniunt in urbem sanguinis Sanctorum Martyrum Cucuphatis et Eulaliæ Virginis madore circumlitam. Sed quæ lætitia de consecutis præmiis, quæve fuerit admiratio de eorum subita, utque ita dixerim, inopinata reversione ab Athaulfo Episcopo et Sunifrido memoratis venerabilibus viris, mirum est dicere, glorificantibus quoque plurimis Deum ac benedicentibus, qui sic mirificè ad laudem et gloriam nominis sui protegit sperantes in se. Auditis et Leovigildi amici prosperitatibus, suisque eis propensis beneficiis, gavisi sunt in omnibus, a quibus decem et duobus elapsis solibus læti dimissi veniunt festinato cursu Gerundam, Sancti Felicis Martyris cruore madentem: cuius linquentes confinia, adeunt Narbonam civitatem Metropolim. Quo citra eiusdem muros ad Sancti Pauli Confessoris sepulcrum divertentes, post subeunt Biterris Urbem, ex Beati Afrosidii Præsulis membris illustrem, in qua gratanter, utpote a noto et cognato viro ipsiusque civitatis primate (1), nomine Gerino, suscepti, Sanctorum Martyrum corpora in oratorio Beatæ Dei Genitricis Mariæ servanda reponunt.

post Gerundam, et Narbonem, denique Biterris.

INCIPIT LIBER I. DE MIRACULIS SS. MARTYRUM, QUI EST TRANSLATIONIS SECUNDUS.

CAPUT I. *Biterris facta miracula.*

Hinc igitur digna gestorum ratione compellimur, quæ in eadem Biterris civitate, quæque per eos in sequenti itinere, superna agente clementia, patrata cognovimus, litteris secuturæ generationi memoranda signare. Dum autem illi præfato Gerino eos retinente quietis gratia aliquandiu morarentur, homo quidam Brictius nomine, per annum ferè dimidium in tibiis sive superioribus membris genitalibus totus elephantino insanabili morbo ulcerosus iacebat: qui non solùm ea debilitate quantùm ad corpus inutilis, verùm etiam et vitæ solatio, tali in se afflictione grassante, destitutus videbatur. Is sub unius tempore noctis in Ecclesia qua inerant Sanctorum Martyrum corpora, iacere permissus, sic eorum interventu divina miseratione curatur, ut statim in crastino sanitati redditus, ad proprium cunctis stupentibus staret officium. Erat enim carus Domini sui eiusdem Gerini pincerna.

II. Quæ verò dicta quæve dicenda sunt, eorumdem sanè relatu didicimus, qui ea uti inter agendum præsentes, propriis inspexêre obtutibus. Insuper et his sacris iam prælibari videbatur miraculis, quæ per eos erat Dominus mira populis collaturus. Ea siquidem ipsa nocte Sanctorum Martyrum geminato præconio hæc quoque virtus inclaruisse dinoscitur. Iuvenis quidam, vocabulo Guisandus, typo febrium per tres menses ægrè laborans, nihil revera de se aliud quàm mortis casum suspicari valebat. Frigoris enim et caloris acerrimis per horas, nunc his, nunc illis urgebatur stimulis. Hic ad memorata Sanctorum corpora in noctis spatio simili sanitatis fide excubare permissus, non dissimili est virtute pulsa febre curatus. Gratias namque referens, et ipse non mediocriter sospes factus regreditur.

III. Quamvis et alios ibidem a diversis infirmitatum languoribus sanctis eorum meritis noverimus curatos, unum adhuc miraculum, quod ibidem laudabilius enituit, ad non relinquenda festinantes enarrare censuimus. Præfatus itaque Gerinus eiusdem civitatis Vicecomes, dum subitò gravissima dolorum pœ-

(1) Id est, Vicecomite, infra lib. 1. de Miraculis, cap. 3.

pœna totum per corpus cruciaretur, sumptis duabus suæ staturæ candelis, et uno (quod est adhuc in testimonium) non vilis quidem pretii pallio, iubet se, nimium vivere diffidens, ad eorum devehi præsentiam: sicque iacens, seque humi volutans, et quod in eos commiserat, unde labor, humiliato spiritu publicè confitens, in primo noctis sopore almi Georgii salutifera visitatione subitam cælitus est in eadem Ecclesia indeptus medellam. Aiebat etenim eumdem Sanctum Martyrem in Monachali, ut olim fuerat, habitu pyxidem auream manu ferentem suis conspectibus adstitisse, atque ex ea nivei coloris effuso unguento, caput sibi, oculos, manusque, ut cernebatur, leniter perfudisse. Ita prorsus quemadmodum sese deinceps inscium assereret, utrumne adhuc placidum oculis somnum colligeret, sanitas quippe membris diffunditur, omnique recreatus corpore gaudens domum Gerinus revertitur, non eos ultrà Martyres dubitans, immò Martyrum potentissimos prædicans.

IV. *Vivariensem pagum adeunt,*

Post denique tempus quasi duorum mensium resumptis viribus, et quæ in itinere necessaria erant paratis, ea ab urbe nostri subinde memorati Fratres digredientes, in pagum Vivariensem (*le Vivarez*) nec sine miraculis quidem ipso Gerino secum comitante, deveniunt: ubi audita revelatione corporis Sancti Martyris Andeoli discipuli magni Polycarpi, qui auditor Beati Ioannis Apostoli et Evangelistæ fuisse dinoscitur, quoniam non longior erat ad hoc accessus, illud se studio contulerunt orandi: ex quo et proprii corporis acceptis Reliquiis, ad quod restabat iter complendum remeant, transactisque inde diebus incolumes eos pagus excepit Bel- *dein Belnensem,* nensis (1), a quo in Villa, quæ Arziliacus dicitur, ab Hunfrido gaudenter recepti, exponebant hoc, utique illi multum audire sitienti, quid in via contigisset; quidve divinæ largitatis munere impetratum esset: quibus compertis et ipse Comes cum admiratione gratias agens, iussis dari necessariis eos muneratos dimisit.

V. Sed quoniam suos Dominus fide et confessione probatos famulos virtutibus magnificare, cuiusque apud eum meriti essent, signorum indiciis monstrare decreverat; hoc quod in eodem Vivariensi pago et villa ipsa Arziliaco miraculum constitit, dignum referre fuit. Quædam igitur vidua, nomine Theothildis, cuiusdam raptoris spiritu superbiæ tumentis iniqua violentia equum amittens, lugubris sese fletibus contorquens, desperabili contritione languebat. Cumque nullo ingenio, nulliusque solatio suæ flebilitati cum restitui posse existimasset, ad eorumdem Sanctorum Martyrum expectanda suffragia, cum omni recuperandæ spei fiducia se contulit: ibique tandiu flens et perseverans in rogando Deum facientem iudicium iniuriam patienti permansit, donec die tertia terrore inspirationis supernæ raptor perculsus, satisfaciens viduæ cogeretur sponte reddere quod visus erat nequiter abstulisse. Sic fides meretur, et ita timor operatur divinus.

VI. *tum pagum Autisiodorensem*

Properantes itaque, ac finem huius libelli volentes attingere, quid in vico quodam, qui Cora (*Core*) nuncupatur, in pago iam Autisiodorensi acciderit, commemorando narremus. In Ecclesia verò eiusdem loci cum fuissent illati, necnon et in altario veneranter expositi, quidam iuvenis custode ad modicum absente latenter ingrediens, pallium subitò, quo eorum sacræ tegebantur Reliquiæ, furtim abstulit. Sed æquissima summæ rectitudinis operatio, nec hunc longiùs inultum abire, nec iniustitiam Sanctos Martyres pati sustinuit. Porrò in humero sub quo illud absconderat, pustulæ morbo percussus, mox revertens pallium clam Ecclesiæ proiecit ad ostium: sicque impunitatem quam non merebatur requirens, aufugiendo delituit. Incommoditate tamen exorti ulceris ingravescente tumendo cogitur, vitæ desperatione ac tormenti dolore admonitus, confiteri delictum: quo patefacto cunctisque audientibus denudato opem plenæ sanitatis, etsi diu vexatus, Sanctis eorum consequitur beneficiis, præstante Deo ac Domino nostro Iesuchristo, qui vivit et regnat omnipotens per infinita sæcula sæculorum. Amen.

(1) De pago Belnensi, sic dicto a Belna oppido Diœcesis Cabilonensis, egit item superiùs Aymoinus in lib. 1. num. 3. Extat in eo pago villa Arziliacus, *Argilli*, de qua mox infra.

INCIPIT PROLOGUS LIBRI II. MIRACULORUM.

Quoniam hactenus Sanctorum Martyrum Georgii atque Aurelii translationis ordinem, et quæ divina largiente gratia, in via gesserunt miracula, ipsorum suffragantibus meritis, ex parte cucurrimus; modò ad id quod resident, etsi imperitus, fidus tamen vertatur articulus, quæ idcirco duobus gratum fuit dividi libellis, quatinus nec avidis lectoribus superflua, nec piis auditoribus ea quæ dicerentur, forent onerosa. Nam et in prolixè dicendis, quasi quoddam præstatur levamen, dum unum finitur, atque aliud inchoatur volumen; quodque præcedens libellus non humana, verum fateor, præfinitione solùm bis ternis miraculorum titulis radiatur, quantum eorumdem Sanctorum Martyrum perfectam insinuet consummationem, ipsius senarii ratio arithmeticis nota declarat.

INCIPIT LIBER II. MIRACULORUM,

QUI EST TRANSLATIONIS TERTIUS.

CAPUT I. *Autisiodori facta miracula:*

In prædicto igitur pago Autisiodorensi, Basgernam vicum, compressantibus se hinc inde turbis, cum adpropinquare cœpissent; advenerunt illis quidam ex nostris obvii, eos ibidem officiosissimè, prout decuerat, excipientes: quorum animæ exultatio, sive lætitiæ fletus, gratiis hymnizatis divinis pro desiderio fuit. Unde sequenti die simul profecti, levatis in eodem loco corporibus Sanctorum feretris Autisiodorum veniunt urbem, plurimorum trophæis Sanctorum insignem. Quo agnito Cœnobitæ almi Confessoris Christi Germani eiusdem olim civitatis Antistitis, eos quàm honorificentissimè cum Dominicæ Passionis memoriis omnique digno apparatu susceperunt, collocantes eadem Martyrum corpora super altare Beati Mauricii Martyris Thebææ Legionis Principis, ea sub nocte servanda: ad quorum ingressum, unum a claudicatione, ad egressum verò hominem alterum a continuo capitis dolore ibidem curatum didicimus. In crastinum autem (neque enim tempus eos ibi ampliùs immorari sinebat) haud secùs quàm sunt excepti a memoratis sanctis fratribus, sive eiusdem loci civibus honeste deducti, pagum ingrediuntur Senonicum, quem etiam quibus et quàm manifestis decorarint miraculis, laboriosum ex toto, gratum verò si ex parte narretur, existimo.

facta pago Senonico.

II. Dum namque pro agendis Missarum solemniis in villam, quæ in eodem pago nuncupata fertur Puteolis (*Puteaux*) declinassent, quidam infantulus inter reliquos beneficia requirens infirmus accessit. Tunc nonnulli ut puerum adhortantes, monebant, quatinus pro adipiscenda sanitatis medella ad Martyrum patrocinia, prout valebat, accederet. Quod cum fecisset, seque rependo magis quàm ambulando ante eorum Reliquias prostratus iactavisset, extemplo videntibus qui aderant universis, medicinam adeptus est plenissimæ sospitatis. Nec aliter, inquam, nisi ut eos inde prosequeretur rectus, qui utriusque pedis imbecillitate advenerat claudus.

III. Nec sit pigrum audire, quæ Christo bonitatis cooperatori pro suorum meritis militum libuit operari. Facimus enim alienum bonum, si complacet, nostrum. Anus igitur quædam nomine Tedelgrimnis, a parvo (quod multi vicinorum eius noverant) surda pariter iacebat et muta. In domo enim cuiusdam religiosi viri vocabulo Bovonis (in quam etiam fortè eadem Sanctorum corpora ad manendum declinaverant) causa ipsius sustentabatur misericordiæ. Adtendebat quòd eleemosyna, quæ datur in terra pauperi, a Christo, teste Martini semiclamide, recipitur in cælis. Illa de remedio optandæ valetudinis cautè secum permeditans, locum ubi Beatorum Martyrum corpora venerabantur ascendit. Sed illicò ut orationem fudit, ea sanitatis gratia donatur: quatinus evangelico una eademque hora renovato miraculo, et loqui simul et audire mereretur; exivitque gaudens universæ domui gaudium inferens.

IV. Quæ verò idem Bovo in eorum Martyrum adventu sibi contigisse cum sacramenti fide dicebat, res digna miraculo præteriri non sinit. Cum ergo fuissent horum delatores Sanctorum Monachi, qui ea nocte unà cum suis fere triginta ab eodem hospitio sunt excepti;

illis

illis necessaria non surdus auditor apostolicus, hilari animo distribuens prærogavit. Sed ut tantæ tamque copiosæ caritatis superabundans opus remuneraretur: ipsius vinarii vascula sic sunt manè reperta, ac si nihil exinde serò potatum fuisset. Universis namque, omnique suæ domus familiæ ac advenientibus causâ Sanctorum Martyrum ita ubertim propinatum fuerat, quatinus omnes pro sobrietatis competentia ad plenum vino satiati lætarentur. Penum siquidem eidem subiectum erat solario (benedictionem desuper hauriens) quo Beatorum corpora Martyrum illa nocte ad quiescendum fuerant admissa.

V. Is etiam Bovo sæpe admirans referebat non huic dissimile factum. A cuius denique domo Sanctorum eductis corporibus, evenit diem post quartum, ut ex HLudwici Bejwariorum Regis exercitu in eam intrarent, atque illam per aliquot dies ibidem commorantes inhumanè vastarent. Ergo licèt merito hac spe frustratus, ad hoc idem HLudwicus (1) a quibusdam proceribus invitatus exierat, quatinus fratris sui domni Caroli contra Danos navali tunc classe in Sequana (2) decertantis, regnum usurpans invaderet; sed et victoriam, pro dolor! veluti iam præ manibus suspectam, huiusmodi infelicissima visus est distulisse tyrannide. Nam Rege insalutato cum paucis in navi relicto, omnes ei subdole adhærentes discedunt, et præcissis eiusdem navis funibus, ne Rex quolibet auxiliaretur præsidio, ad eumdem HLudwicum eum sibi Regem facientes accedunt, quod eis dignam in contumeliam cessit. Rex ergo divinitus liberatus, statim parvo quem fides sibi retinuerat exercitu collecto, fratrem a regno nobiliter expulit; atque cum vivum capere posset, ei locum abeundi viscerabiliter indulsit, suosque fugaces (cum in eis regali censura ulcisci potuerit) sublimi collectione ad se revertentes, solita pietate recepit, sceptro potitus et regno. Itaque supradicti hostes, substantiam domus quam intraverant, præter mensuram exterminantes, ex supra memorati viri Bovonis vino non minus (ut fuit putatum) quàm sexaginta modios abstulerunt. Sed illis recedentibus rursus Sanctorum meritis, Bovone teste, quantitas totius vini integra reperitur. Nec cunctandum caritate illud augente sic excrevisse, quæ in viri corde duffusa, gemino pollebat bono.

VI. Fuit in Villa-nova (*Ville-neuve l'Archevesque*) eiusdem pagi Senonici quædam puella, nomine Arohildis, ab annis octo cæcitatis orbitate damnata, quæ ad Beatos virtutum luce conspicuos (de quorum beneficiis nobis est sermo) deducta, taliter semetipsam illis perpetuæ servitutis voto mancipans, subitò est curata, ut omnes qui aderant, hoc facto mirarentur attoniti. Cumque deinceps suæ professionis famulatum exequi vellet, a patre velut de temeritatis præsumptione acriter invecta, coacta est quam pro salute noverat pollicitationis mutare sententiam. Itaque dum incipit, sermonibus genitoris magis favens, domum reverti, et pristinæ cæcitatis cladem et vim febrium insuper multam incurrit. Fit pater ceterique propinqui flebiles, necnon et ipsa admodum miserabilis iacens, remeantque veloces ad pia Martyrum reposcenda suffragia. At ubi ipso iam patre omnimodis compellente, numquam se quod promiserat rursus fallituram devovit, sanitatis summa quam priùs meruerat recepta, sospes item efficitur, mansitque ibi, atque famulationis pensum statutis temporibus postmodum in Ecclesiæ cultu gratanter exolvit.

VII. Itum enim Acmantum (*Esmant*) Villam nostræ possessionis (in qua tunc maior pars fratrum ob infestam paganorum degebat persecutionem (3)) aggredientes, ab eis cum magna gratiarum actione et laudibus opimis satis dignè recipiuntur: quam exceptionem ita dominus virtutum floribus decorari voluit, ut nulli dubium quin ad eos non qualiacumque vel incerta, sed pretiosa deferrentur testium patrocinia. Quædam verò Sanctimonialis, vocabulo Leutgardis, dum populorum obviam euntium admixta conventui, et ipsa candelam in Sanctorum honorem tolleret accensam, subitò eam luminis honore gemit or-

(1) Lege Annales Bertinianos ad annum DCCCLVIII. quo hæc contigerunt: ubi translationis Sanctorum Martyrum fit mentio. Totum hunc locum cum aliis pluribus mutilavit Brolius.

(2) Nempe in insula Oscello ex Annalibus Bertinianis: ex quibus corrigendi Annales Fuldenses, qui pro Sequana Ligerim habent.

(3) Et quidem cum corpore S. Germani, ut ex lib. 2. de miraculis eius cap. 11. et ex seq. colligitur.

orbatam. Quæ neglectus tacta pudore, eam in secreto pallii interim emunctam reposuit. Sed quid exinde Christus pro suorum Martyrum ostensione operatus sit, ullatenus absentari non debet. Nam dum sic graditur, tempus operiens illam reinluminandi, mox eo ipso quo erat abscondita, in loco accenditur, partemque vestis quâ tegebatur, corripuit. Quo viso extimuit mulier, præconia tantæ virtutis voce quâ poterat adtollens: sicque actum est, ut muliere etiam tacente, pars vestimenti adusta quod gestum erat, obstupefaciens videntes, magnopere declararet.

VIII. Deinde Boso ab Alscio Villa a renibus deorsum ita paralysis morbo dissolutus iacebat, quatinus ei non solùm ambulandi, verùm et sedendi denegaretur facultas. Erat autem in eo videre laborem. Hic tantorum auditis insignium donis, manibus propinquorum inter plurimos deportatus, supplex advenit, accedensque ad Sanctorum Martyrum Reliquias sic infirmitatibus proximas, ita statim postulatæ salutis perfunditur remediis, ut eos proprio gradiens annisu, usque ad Ecclesiam, in quam erant inferendi, non desereret. Indeque plenius post dies factus incolumis, ad propria gaudenti animo repedavit: cui congratulantes vicini admirabantur, quia sic citò sibi salus acciderit.

IX. Ea ipsa nihilominus die adducitur quædam femina de Villa Rethica ex nominis appellatione dicta Ragina. Hæc ab annis duodecim, non ut illa Syrophænisa sanguinem fluens, sed contracta renibus iacens, quasi vitalibus iam cernebatur destituta solatiis, opprimebatur et nimia paupertatis inedia, ut puta manuum meditatione otiosa. At dum inter reliquum vulgi cœtum Beatorum Martyrum patrociniis offertur sananda, priscæ felicitatis coram ipsis quæ aderant turbis usum recepit. Igitur ambulans gratesque sanatoribus suis læta rependens, ad iter (quo aliorum adiuta manibus venerat) se sospitatis gressu comite reparat.

X. Adalbertus de Talsiniaco Villa hostilem multum pavens occursum, ad Sanctorum Martyrum luminaria pro tuendis aliis unum vas apum fide plena devovit, cum subitò ex præfati HLudowici Bejwariorum Regis exercitu, quidam illius domum irrumpentes, ipsum alvearium natura mellis avidi, quia maius meliusque ceteris erat, primum auferre conati sunt, quod ita mirandum illis nequicquam laborantibus immobile perstitit, ac si funditus in quo erat loco haberetur affixum. Quo facto hostes turbati nimiumque stupentes, didicerunt tandem illud Sanctis Martyribus pro conservandis aliis esse dicatum. Unde non solùm hoc, sed nil ulteriùs in eadem domo Sanctos reveriti præsumpserunt, animadverso divinam illi eorum meritis tuitionem inesse.

XI. Quia miraculorum veneranda concrescunt præconia, augeatur numerus pagellarum cum gloria. Multis denique ab annis Ingalbertus de Villa Vimpopuli, cum esset utrorumque oculorum luminis dono privatus, agnitis tot tamque mirandis Sanctorum virtutibus iussit se quantotiùs illuc deduci. Sicque uxoris adminiculo insuper et multa comitatus fiducia gradiens, ad locum usque pervenit. Dumque diutiùs Ecclesiam intrans, solo prostratus precibus gemens insisteret, quo sibi Sancti Martyres, licèt indigno, miserentur luctuosis vocibus expostulans precabatur. Tunc supernæ pietatis fonte eorum obtentu se influente ita confestim mederi promeruit, quatinus Deum Sanctosque magnificans, inde valens videnque uxoris manu oblita rediret.

XII. Adducuntur et duo cæci, Villæ quæ dicitur Simportus incolæ, ad præclaram Beatorum Martyrum postulandam clementiam. Horum sanè devotionem integram, non modica divinæ miserationis consecuta est cæcorum inluminatrix bonitas. Ut autem intrantes domum qua Sacræ Martyrum dignè venerabantur Reliquiæ, se orationi dederunt; obductis post paululùm fugatis tenebris, videndi posse recipere meruerunt: surgentesque a pavimento, remoto ductore per se se hac illacque clarè videndo discurrunt. Itaque Dei Sanctorumque Martyrum sibi providam conlaudantes benignitatem, læti, ut illi quondam in Evangelio a Salvatore et Filio David inluminati, discedunt.

XIII. Hac itaque miraculorum fama per pagos latè diffusa, se invicem præcedere festinantes confluunt plurimi. Unde quidam adolescens Acleulfus, ex Villa nomine Laudrado, mente captus, cùm frequenter fieret iam per annum et insuper atrociter demens, quod vulgò lunaticus dicitur, ad sæpe memorata Sanctorum Martyrum corpora, licèt vinculis nexus, fide parentum adducitur, qui etsi illam non habebant vocem, Domine,

ne, si quid potes, adiuva nos misertus nostri; infirmum tamen sibi poscebant mederi. Ubi aliquantulum ob salutis remedium detentus, ad plenum quod alienæ fidei devotione quæsitum fuit, eorum piis meritis adipisci promeruit. Itaque sensus pristini recuperato vigore, alacer recessit, atque de reliquo, uti priùs fuerat, sanæ mentis compos permansit.

XIV. Ex eadem Villa quædam procax puella nomine Teutberga, casu quo solebat cum matre litigans, per Sanctorum Martyrum pignora, Georgii scilicet ac Aurelii, suam non est verita contestari proteriam. Dumque a quibusdam quare sic adversus parentem ageret, et quare sic temere per Sanctorum nomina deieraret, increpata minimè quiesceret; ultione præsenti, ipsa quam ad iurandum evexerat, manus contrahitur. Exinde verò quos periurando per indomitatem linguæ malè præsumpserat, studiosè rogando cogitur quærere Sanctos, suique ab eis causam remedii veluti debitum munus incunctanter exigere. Dumque facti pœnitens ad eorum se limina devotissimè contulit, debilis ipsius palma dictu velociùs medicata extenditur, atque sana facta mulier ad genitricem ei de reliquo famulatura revertitur.

XV. Erat et quædam femina ex Villa vocabulo Casellas, nomine Amaluvara, ab annis centum quadraginta quatuor mensium in cæcitatis nebulis perdurans: nec ulla ei medicinalis profuit manus, quam divina potestas his Sanctis medendam servabat. Hæc a quadam pulcherrima feminarum intempesta nocte (ut sibi videbatur) admonita est, quatinus pro adipiscendo luminis usu Ecclesiæ pavimentum qua eorumdem Sanctorum Martyrum corpora quiescebant, sedula scopis mundare satageret, donec eam Sancti miserando respicerent. Quod cum adducta semel explesset, oculorum acuminis tantum recepit quod sibi usque hodie sufficiat, nec ductoris adminiculo, Sanctimonialis etiam facta, quemadmodum prius indigeat.

XVI. Quid verò eidem in ipsa Ecclesia quadam nocte cum ceteris excubanti revelatum sit, reticeri neglectum putamus. Ubi dum aliis dormientibus sola (quemadmodum sibi certum erat, et nobis retulit) quasi vigilans resideret, respicit ad fenestram retro altare eiusdem Ecclesiæ, considerans per eam quasi maximum solis radium splendescere, et per radium quemdam inæstimabilis visus luce contectum puerum ad ima usque altaris descendere, qui manum porrigens ubi Sanctorum corpora quiescebant, sublevato paululum quo tegebantur pallio, cœpit diligenter introspicere: cum ecce columba, cuius nitor mirabilis in cornu dextro altaris apparens super eos volitans stetit, ipsum plurimum intentans iuvenem, et quasi quiddam divinitatis in eo contemplans, quid agere vellet inspiciens. Qua visione perterrita, veluti fessa angustiis, pleniùs obdormivit: videtque per ectasim mentis duos venerabiles viros Ecclesiam ipsam quibusdam et valde pretiosis decorare ornamentis, qui et aiunt ad illam: "Vade festinans ad huius sanctæ »domus custodes, ac dicito quatinus »hanc propensiùs ornent, quoniam qui »sunt in circuitu Sancti, horum Marty»rum gratia huc modo convenient. »Siquidem et nos ab Hispaniarum par»tibus, unde nuper allati venerunt, eos »quomodo hìc essent, visitare proces»simus." Quibus sic effatis sublata visione evigilat mulier, atque hæc secum replicans hæsitat plurimum, utpote quid puer, quidve columba significaret ignorans. Prudens tamen lector, sive sagax auditor (credimus) puerum Christum, columbam verò Spiritum Sanctum Patris Filiique consortem, circa Sanctorum Martyrum Reliquias adspirantem intelliget.

XVII. Teutlindis ex Dedentio puellari Monasterio, quia Dominica erat, et vacabat ab opere, veluti ex otio ad eorumdem Sanctorum Martyrum limina se puellariter videndi curiositate donavit. Ibant et alii devotè promoti: et quamvis animo dispares, sociali tamen vestigio perveniunt ad Ecclesiam, seque simul coram altari orationi dederunt: erigentesque se, ac reliquorum qui prævenerant, stationem adire properantes, loco quo steterat, ceteris abeuntibus, ita præfata Teutlindis inhæsit, quatinus pavimento immota persistens, universos hoc novo miraculo in non modicam admirationem adtolleret. Ubi tamdiu cernentibus cunctis utroque pede immobilis facta permansit, donec pravitatis suæ reatum confiteretur, videlicet quòd minùs religiosè inlecebris gaudens accesserit, quòdque minùs debito pro ipsis obsecraverit delictis. Itaque orantibus pro se qui aderant fratribus, ac lætanias agentibus ineffabilibus Sanctorum Martyrum meruit absolvi suffragiis.

Item

XVIII. Item homo quislibet, Altcarius nomine, de Villa Scau, contractus renibus multum per tempus mœrens iacebat. Audiens autem per Sanctorum merita infirmorum multos curari, certam (ut iisdem postmodum referebat) spem promerendæ salutis sumens, parentum vel amicorum ducatu se ad eorum miserationem destinavit. Cumque surgens sedere utcumque tentavisset, quo cereum quem ad Sanctorum luminaria secum deferret, suis manibus ipse fingeret, in propria domo optatum subitò amissæ sanitatis recepit valere. Elevans namque se, sospitemque reperiens, opus quod ante conabatur debilis, iam Deo miserante incolumis effectus peregit. Occurrit ergo Sanctis Martyribus cum oblatione luminis gaudens, quodque sibi acciderat, læto ore universis exponens.

XIX. Hoc quoque dignum est ponere, quod admirationem pariter inferat et terrorem. Nam corriguntur alii aliorum casu, prophetia teste David dicentis: *Lætabitur iustus, cum viderit vindictam, manus suas lavabit in sanguine peccatoris.* Igitur quidam serviens ex eadem Acmanto Villa, vocabulo Ingalsardus, fuit et ipse quidem hortulanus fratrum. Hic accepta præbendæ suæ annona, ad ipsius Villæ farinarium causâ molendi perrexit, sicque ibidem cuiusquam mulieris pauperis locum mente superbus præripere gestiens, super ipsius annonam, quæ iam molebatur, suam pervicaciter minabatur iniicere. Quod illa quibus poterat viribus renitens, cum superare infirmior fortiorem non posset, elevatis ad Ecclesiam manibus aiebat flens: "Adiuro te "per hos Sanctos Dei Martyres Geor"gium atque Aurelium, ne mihi violen"tiam inferas." Qua miser contestatione spreta, dum a loco exire cœpisset, continuò percussus intellexit ob tanti contemptus causam, vicinum sibi imminere discrimen: vixque efflagitans, uti moriens tenui qua poterat voce eiusdem molendini provisorem precabatur, quatinus superiniectam annonam festinus reiiceret. Qui post hanc vocem (quod admirationis est et timoris) corruens obmutuit, atque evidenter præsenti morte donatus exspiravit. Concurrunt plurimi (erat enim Dominica) talique spectaculo permoti stupescunt: quod tamen non ad futuræ damnationis casum, sed ad talium magis (ut prælibavimus) corrigendam temeritatem ei iusto latentique Dei iudicio hortamur provenisse credendum. Nam mors impiorum, ut Beati Gregorii verbis dicatur, bonis est in adiutorium, malis verò ut se caveant in testimonium.

Psalm. 57. 11.

XX. Post denique mulier quædam ex villa, quæ appellatur *Civiacus*, nomine Godohis, tanto tamque terribili detinebatur perlucidæ inflationis morbo, quòd omnium competenti membrorum officio desolata miserabilis videretur. Patiebatur et aliud intrinsecùs cardiacæ scilicet infirmitatis malum, quod eam assiduè præfocando nimium exanhelabat. Dumque per momenta horarum quasi finitima sibi clade duceretur ad mortem, imponitur tandem suorum manibus propinquorum carpento, et sic perducitur ad clemens Sanctorum auxilium. Excubabat siquidem tali pœnarum acerbitate oppressa ante Ecclesiæ fores, ut vix in ea animadverti saltem spiritus posset. Post triduum tamen serenato stomacho ita (quod est mirabile verumque) sanatur, ut propriis exinde plantis, remoto carpenti vehiculo, læta redire mereretur.

XXI. Novimus et quemdam nomine Hieronymum ex pago proximo Wastinensi simili Sanctorum virtute curatum. Hic totius corporis per annum ferè dimidium obrutus debilitatis angore, parentum pietate ad Beatorum Martyrum evehitur solatium, cuius infirmitas plus ignorabatur, quàm curaretur a Medicis. Qui vix invento consilio, qualiter eum ob omnium valitudinem membrorum in quodam vinario vasculo, quod tonna dicitur, super plaustrum imponerent, hoc facientes pervenerunt ad sacram eorum præsentiam: ibique multis qui adhuc supersunt contemplantibus, sic virtutis pristinæ sospitate roboratur, quò pro se sanus effectus assurgeret, domumque facta super se (quemadmodum speraverat) misericordia Dei gratulans recurreret.

XXII. Item quædam femina dolens se in prole non parvo caruisse solatio, filium mutum pariter et surdum secum sumens, ad Sanctorum miraculis coruscantium duxit Reliquias. Cumque facta oratione ipsa ab Altari procul stetisset, innuit nato veluti surdo propiùs accedere, et candelam voti quam manu ferebat, ad altare Sanctis offerre. Tum subitò os infantis, quod fuerat a nativitate clausum, aperitur, atque illam vocem primam emittens, matrem interrogat, cui deberet lucernam porrigere. Responsoque genitricis, ut eam altari in-

inferret, accepto, per exsecutionem operis se etiam audire clarè demonstrat. Quo agnito qui eum nudiustertius mutum cognoverant, simul et surdum per Sanctorum merita evangelica revixisse miracula admirando proclamant. Nec mirum: cùm Salvator non solùm quanta fecit, insuper maiora discipulis quòd essent facturi promisit.

XXIII. Non igitur credimus displiceri, si quod utile sit honestumque, narretur. Enutritur siquidem fides fidei operibus crescens. Cum autem quadam die Dominicæ Resurrectionis ad ipsius Ecclesiæ ostium mulieres quædam aliæ salutis, aliæ verò Sanctorum Martyrum desiderio vigilias agerent, mira illis ac stupenda visio demonstratur: non ut Pastoribus olim de Christi Nativitate docendis, sed ut feminis prædicabili virtute devotis. Prima itaque noctis vigilia adspiciunt per eiusdem Ecclesiæ ostii rimulas, videntque ab interioribus ad se usque nimium luminis splendorem procedere. Tunc una illarum viciniùs accedens, et quid illud esset, diligentiùs inspicere contendens, Ecclesiam omnem ita incredibilis nitoris fulgore radiantem cernit, quatinus eo ipso lumine partim exterior qua residebant porticus reluceret. Et ecce diversas intus voces miræque suavitatis cantilenam audiunt, veluti multitudinis congratulantium, hymnidicasque Deo laudes cantabiliter iubilantium, quod subsilenter eatenus se vicissim audisse fatebantur, donec ad nocturnalis debitum officii pulsato signo Fratres evigilarent. Unde si miraculorum causas ordinabili providentia dispositas consideramus, illa superior visio completa decernitur, qua ostensum monstravimus, horum Martyrum gratiâ qui in circuitu essent, Sanctos illuc conventuros Angelico dumtaxat comitàtu iocundos.

XXIV. Ex pago Parisiaco, et villa nuncupante Theodasio (*Thiais*) iuvenis quidam annos (ut ferebatur) quinque in cæcitate gerens, se omni tempore nubilum fore gemebat. Supplicat ergo tot tantisque Sanctorum Martyrum compertis virtutibus, quatinus ad eorum pium perduceretur auxilium. Iam enim quasi fidei lumine catechizatus videre cœperat, quod cùm factum fuisset, citò benigna eorum interventione, quod fidens quæsivit, consequi meruit. Siquidem non post multum temporis expletis ibidem ad salutifera eorumdem Sanctorum Martyrum limina lacrymosis excubiis, præclaris ipsorum (quod est fatendum) meritis, invisis propulsis tenebris ei protinus virtus cælestis lumen quoque diei refulsit. Rediit igitur videns, Deum magnificans ac gratias agens, homo innovatus, novum vicinis miraculum referens.

Erat itaque ex pago Andegavensi XXV. homo quidam, nomine Adalsadus, ab annis ferè quinquennii vitiata compage membrorum sic invalidus, quatinus ipsa calcanea posterioribus tenacissimè haberentur innexa: qui tantorum cognita miraculorum virtute (divulgabantur enim a plurimis) ad eorum se Martyrum gratiam quadam Dominicæ noctis die, prout potuit, transtulit: ubi nocturnali adveniente tempore, iamque Fratribus eumdem officium Angelica celebrantibus reverentia, tantos cœpit solventibus se (ut solet in talibus fieri) membrorum vinculis clamores emittere, quibus psallentium voces eiulans omnino perrumperet. Interea recuperato mox partim salutis remedio, post paucos exinde dies priscæ sospitati redditus, ita eorum orationibus elevatus subrigitur, ut per se rectus incedens, ad propria suo sospite gressu rediret.

Ramnoldus denique de villa, quæ XXVI. vulgari appellatione *Fontanas* dicitur, ab anni circulo pede tenus a renibus claudus, ad eorumdem Martyrum florentem clementiam miserandus venit. Venit dico, non gradu proprio, sed peregrino evectus ingenio, ita planè miserabilis, miraque totius corporis debilitate tenuis, ut multiplicatis in se infirmitatibus, ampliùs putaretur mori, quàm posse mederi. Fide tamen accedens, atque ante Sanctorum Martyrum cineres, a quibus portabatur, expositus, continuò cum salutis munere superno respectus intuitu, piis ipsorum suffragiis factus incolumis sanatur, utique renum ac tibiarum, necnon et pedum omnisque imbecillitatis fugato contagio, quemadmodum præsens adhuc eius alacritas testatur. Sic valens redditur, quatinus ex eadem infirmitate nihil deinceps passus famuletur in eodem loco iugiter Deo.

Ergo quia solet esse, ut in suo sa- XXVII. cro Beatus Gregorius scribit Dialogo, quatinus maiora aliquando fiant miracula, ubi minor portio Sanctorum habetur Reliquiarum; gratum fore putamus, si et hoc quod de eorum gestum est Reliquiis, inseratur.

Gloriosus itaque Rex Carolus, quan- XXVIII.

tum de adventu horum Martyrum relectis sibi passionis eorum titulis gavisus extiterit, non est nostrum exponere. Lætabatur quòd regni sui tempore tales Gallia promeruerit flores: quorum ut a parte totum possideret, sumptis Reliquiis hoc quoque sub exemplo religionis fidelibus agendum ostendit. Nec est oblitus delegans Mancionem Cordubæ huius facti veritatem ex loco requirere: a quo regresso etiam illud eorum gestis mutilatum addidicit, quod memoria, et inscriptione dignum habetur. Cæsis igitur Sanctorum Martyrum corporibus, atque in platea diffusis, iusserat Abdirama tyrannus ea ibidem servari sepultura negata, quatinus illa canes volucresque cæli comederent, quod actum certe videmus, ut in eis quoque psalmodia adimpleretur David canentis:

Psalm. 78. 2. *Posuerunt mortalia servorum tuorum escas volatilibus cæli: carnes Sanctorum tuorum bestiis terræ.* Sed ut eorum dignitas meritique celsitudo declararetur, ita divinitùs ab universis rapacibus sunt animalibus, ut olim Daniel a leonibus, custodita, quo nullo vel muscæ appetitu per triduum quo taliter iacuerunt, fuerint adtaminata. Hoc enim cum vero idem dicebat Mancio, et quod a fidelibus eiusdem Cordubæ civibus illud verissimè audierit, testabatur. Similiter et quòd viderit duas nobiles puellas, carne sorores, se præsente agonizantes martyrium complevisse pro Christo. Cumque maior ante se minorem passionis calicem bibere vellet, "Non, illa »inquit, soror ita convenit, sequar te »magistram ad bravium, quam secuta »sum ad spectaculum: ne timeas, non »te derelinquam. Fidem enim, et dile»ctionem moriens exhibeam, ut vivens »solebam. Ita ambarum capitibus obtruncatis, Angelorum solatio evectæ animæ migraverunt ad Deum, victuræ perenniter.

XXIX. Ceterum cum Eddoni Comiti (ut ad nos, tempus enim est, revertamur) pars postulata Sanctorum Martyrum deferretur reliquiarum, accidit in via, ut quidam Presbyter postulans diutiùs sibi orare concedi, cubiculum domus quo servabantur, intraret, easque Reliquias hoc nemine meditante furandum præsumeret: tollensque quod primum manui occurrerat, scilicet quicquid inerat capillorum Beatæ Nathaliæ, festinat in ea ipsa noctis obscuritate ad mansionem furto iocundus redire. Sed antequam ei longiùs abire concederetur, in medio platearum mox amens horrendum concidit, sensu omnique vigore frustratus. Deinde quasi post horam ad se revocatus, ac delicti pœnitens surgit, atque quasi qui ad aliquid necessitatis exierit, revertens, Sanctæ Martyris reliquias rursus orationem ex desiderio simulans, suo in loco reposuit. Qui si amando bene obtulit, tamen quia fraudem cui debebantur, faciendo bene non divisit, item coram qui aderant universis, subitò corruens, per terram rursus volutando torquetur. Assurgunt omnes horribili metu perculsi, atque manus in eum quibus teneretur, iniiciunt. Videbant amentem, æstimabantque illico morientem: et ne res tanti celaretur miraculi, cogitur post mente recepta fateri commissum. Sic a ferente Usuardo patre, Sanctorum priùs invocata miseratione, culpa donata reanimatus Presbyter hilarior regreditur.

Igitur prætermissis plurimis, ponatur scribendi finis, admisso eo quo elucescat, Beatum Antistitem Germanum non solùm de æterno, verùm et de præsenti lætari consortio. Teutgaudus quidam in novo vico, qui est super Ligerim fluvium situs, cum adversa valitudine infirmus decubuisset, hoc insuper ei calamitatis accidit, quemadmodum a femoribus deorsum usque contraheretur: in quo contractionis vinculo, annis ferme duobus negato sibi penitùs ambulandi officio, permansit. Deinde fama docente, ut cognovit horum sibi venerandorum Martyrum subveniri posse meritis, exorat supplicans se illuc amicorum sive propinquorum manibus ferri. Quod ita factum festinatumque est. Cumque venisset, ac ibidem aliquandiu in orationibus degens permaneret, præfinitum suæ salutis præstolatus est diem. Iam instante sacra Beatissimi Patroni nostri domni Germani Translationis festivitate, accessit maturiùs, quod devotione quæsierat, citiùs inventurus. Collocatus autem ante eiusdem magni Præsulis altare, in quo superposita eorumdem Sanctorum Martyrum corpora servabantur, constitit, quemadmodum eorum simul (ut credimus) interventu celerem infirmus consequeretur salutem. Sospes igitur factus, ut vidimus, ibat cum magna gratiarum actione resultans: et universis Omnipotenti Deo Sanctoque Germano et Martyribus virtutum magnitudinem adclamantibus, mansit ibi ad mortem usque deserviens, patria parentibusque et amicis qui se detulerant,

XXX.

rant, oblitis. Nec immerito eorum esse voluit Beatus Germanus in terris patrati consors miraculi, de quorum societatis gratia exultans gaudet in cælis: in illa desiderabili patria, in illa iocunditate splendida, in illa prorsus regione melliflua, in illa portionis humanæ viventium terra, in illa matre nostra cælesti Ierusalem, in illis amœnissimis perennitatis pascuis. Ibi enim qui semper viventes, et in eum prospicere desiderantes, Deo assistunt, spiritus adplaudunt, in una eademque gloria ex hac mortalitate iam sibi consociatis Sanctis, pariterque lætantes congratulantur etiam his, licèt adhuc in terris peregrinantibus, quos sciunt et intelligunt per scientem et intelligentem omnia, suos post paululum communi collegio fieri concives, quorum una erit et summa refectio, unius et pleni Dei inaccessibilis contemplatio: contemplatio quia visio, inaccessibilis quia impenetrabilis. Nam inquit Psalmista: *Accedet homo ad cor altum, et exaltabitur Deus.* Quia quo ampliùs divinitatis rimantur secreta, eo ampliùs inspiciuntur profunda. *Psalm.* 63. 7.

EPISTOLA ALVARI
(1) ABBATI SPERAINDEO DIRECTA.

Domno dilectissimo et in Christo Patri Speraindeo Abbati, Alvarus cliens.

Præscius et omnipotens Deus hæc in quæ devenimus tempora, et esuriem verbi Dei quam patimur, validam vos nobis opposuit destinam (2), qui et nostram cibaret inediam, et dapibus alimoniæ reficeret corda. Sed quia vos nunc scio tribulationibus deditum, vel amaritudinibus oppressum, quæso ut Apostolicum dictum pro consolationis adsummatis eloquio. Ait enim ex tribulationum periculis quæ sustinuit: *Periculis in civitate, periculis in solitudine: periculis in falsis fratribus.* Et post hæc alio in loco dixit: *Gloriamur in tribulationibus: scientes quòd tribulatio patientiam operatur. Patientia autem probationem, probatio verò spem, spes autem nos non confundit.* Ideòque, venerabilis Pater, et omnium Sacerdotum optime sacer, noli ob tribulationum discrimina postulata reticere, sed clientulo quæsita largire, quia munus inde dando augetur, et negando minuitur. Instruxit me quippe Moyses legiferus, dum eius intonat eloquium: *Interroga Patrem tuum, et dicet tibi, Seniores tuos, et annuntiabunt tibi*: et quia spiritalem te recolo Patrem, ideo spiritalem impetro opem. Scilicet

2. *Cor.* 11. 26.

Rom. 5. 3.

Deut. 32. 7.

quia hæresis illa, quam mea vobis iam dudum insinuavit inertia, Dei lacerat Ecclesiam, et per assertionem læthalem catervam post se trahit ad mortem; quia iuxta Apostoli dictum: *Sermo hæreticorum ut cancer serpit*, corda humilium præsertim, quia *venenum aspidum sub labiis eorum.* Ob huius rei causam vestra flagitamus auxilia, et subsidii adminicula, qualiter hæresis eorum nebulosa et infanda, potentiâ cælitus pereat, et sponsæ Christi clarissima dogma per vos fulgens enitcat. Eorum verò oppositiones illæ sunt, quæ vobis iam a me intimatæ sunt.

2. *Tim.* 2. 17.

Psalm. 13. 3.

Caput autem ipsorum nequissimorum, quod falce sit veritatis resecandum, illud est: quod Trinum in unitate, et unum in Trinitate non credunt: Prophetarum dicta renuunt: Doctorum dogma reiiciunt; Evangelium se suscipere dicunt; et illud quod scriptum est: *Ascendo ad Patrem meum, et ad Patrem vestrum, ad Deum meum, et ad Deum vestrum*, malè utique sentiunt: Christum Deum ac Dominum nostrum hominem tantùm asserunt, propter illud quod de eo in Evangelio legunt: *De die autem*

Ioan. 20. 17.

Matth. 24. 36.

(1) Perperam *Alvari* pro *Abbati* in Florezio.

(2) Hanc vocem usurpat S. Isidor. lib. 3. Sent. cap. 40. ubi perdoctus vir Garsias Loaysa inquit: *Est autem destina fulcrum, quod parieti ruinoso, ne cadat, supponitur.* Eâdem usus est Corippus poeta Affer de laudib. Iustini Iunior. Arnob. lib. 2. et S. Braul. Cæsaraugust. Episcop. in vita eiusd. S. Isidori. Videas Ioannem Baptist. Perez. in not. ad cap. 47. de Viris illustrib. huius Sancti pag. 281. tom. 1. nostræ Collection. et Florezium tom. XI. Hisp. Sacr. pag. 106.

illa et hora nemo scit, neque Angeli cælorum, neque Filius, nisi Pater solus. Cunctis tamen nisibus posco, ut horum gentilium aniles quæstiones (2), quia mortiferos audientium generant casus, iis videlicet qui sunt imperiti, et Scripturæ sanctæ non ventilant textus. Quas duas responsiones, ut soliti estis in aliis facere causis, ampliùs Scripturarum flosculis adornetis. Et per unam quoque Assertoris, quam vobis protulimus, locutionem, aptam promulgetis responsionem. Sic cum Sanctis in æthereis regnis accipiatis a Domino fulgidam mansionem. Amen.

RESPONSIO ABBATIS SPERAINDEO ALVARO DIRECTA.

Inlustrissimo mihi Domno ac venerabili seu omni affectione Christi in caritate amplectendo inclyto Alvaro Speraindeo.

Dum a tribulationibus validissimis essem nimium occupatus, et mens mea extuaret, vel animus, ac iaculis æmulorum inretitus, telisque confosus sederem a vulneribus tædiorum sauciatus, et fluctuaret ut navis inter maris gurgites spiritus ab amaritudine circumseptus; subitò gerulus vester ad me ingressus, litterarum mihi detulit munus. Ipsam verò scriptam concitè perlegi, et eloquia Serenitatis vestræ illicò agnovi, continuò ut luce clariora resplenderunt iam pene mortuo, et mox interior ille suscitatus est homo. Cœpi quis essem obstupefactus intueri, aut quis esset per quem talis ut eram mererer suscitari, vel pro tam difficilioribus ex Sacris Scripturis quæstionibus sciscitari; dum nunc in tempore non ad hoc nonnulli, sed in locutionibus vulgalibus malunt immorari, non adtendentes ad *Matth. 12. 36.* illum Domini dictum. *Omne*, inquit, *verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die iudicii.* Aut in suorum sodalium detractionibus volunt linguam extendi, non reminiscen- *Ibid. 7. 3.* tes illud Sacrum Evangelium. *Festucam*, inquit, *in oculo fratris tui vides, et trabem in corde tuo non consideras.* Ea verò quæ nociva sunt, et inimici ob detrimentum fratris ingerunt, nonnulli illicò credunt, et Psalmistæ eloquium non *Psalm. 35. 4.* recolunt: *Verba inimici iniquitas et dolus.* Ipsa verò inimicorum figmenta mox ipsi ventilant auditores, et aliis ea iterum in detractione fractis exponunt insultantes, verbaque sancti Apostoli post *Iacob. 4. 11.* tergum reiicientes. *Qui detrahit*, inquit, *fratri, et iudicat fratrem, detrahit legem, et iudicat legem.* A talibus enim casibus nos sollertè convenit abstrahere, ne vocem Domini per Iheremiam Prophetam nobis intonet clarè: *Adtendi et auscultavi, dicit Dominus: nemo quod bonum est loquitur, nullus est qui agat pœnitentiam super peccato suo.* Unde nostrum omnibus momentis contemplantes delictum, et præstolantes universis prioris vitæ nostræ terminum; compassione piissima pro fratris lapsu flebilem debemus exhibere gemitum, et illud implere ac proferre apostolicum: *Quis infirmatur, et* *Ier. 8. 6.* *ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror?* Non ergo facilè est credendum, dum quis cum verbis maledicis auribus insonuerit nostris, nisi ante utiliter discussis et fideliter agnitis, exemplum habentes in his quæ Dominus locutus est verbis: *Clamor Sodomorum et* *2. Cor. 11. 29.* *Gomorrhæ multiplicatum est, et peccatum eorum adgravatum est nimis. Descendam igitur et videbo, utrum clamorem qui venit ad me, opere compleverint, an non est ita, ut sciam.* Omnipotens Dominus, omniaque sciens, cur ante probationem quasi dubitat, nisi ut gravitatis nobis exemplum proponat, ne mala hominum ante præsumamus credere, quàm probare? Et ideo ait: *Descendam et videbo, utrum clamorem qui venit ad me, opere compleverint, an non est ita, ut sciam.* *Gen. 18. 20.*

Sed hæc cuncta quæ per contritionem cordis locutus sum, omittam; et ad ea quæ vestra excellentia poscit, revertam. Quis enim in tam ineffabile rei negotium quodpiam quid fari audeat, cum Beatus Hieronymus dicat: "Inenarrabilia sunt Dominicæ Incarnationis "mysteria, et Nativitatis eius Sacramentum? Et ideò non quantum ipsa nativitas est, intimare curamus; sed quantum per sermonem exprimere valemus.

(1) Perquam rectè Florez. *Supple*, oppugnes, *vel quid simile.*

mus. Verùm quantum ipsa Nativitas est, non solùm explicare non possumus, sed nec ipsi sancti Evangelistæ plenè dicere potuerunt. Et si sancti Evangelistæ, qui sancto utique Spiritu afflati, dicere plenè nequiverunt, ex ipso quod sub pleno in libris Evangeliorum adnotaverunt; melius est reticere, quàm asserere, et rectè ut dicta sunt credere, quàm præscrutando litteris aliquid commendare, secundùm sententiam Doctoris quæ posita est verè. "Credimus, inquit, Pa»trem cum prole eius, ortumque Spiri»tum almum, in personis trinum, dei»tatis credimus unum." Qualiter intactus processit Virginis partus, aut qualiter pati voluit natus, hoc tractare nulli liceat, sed credere tantùm. Etsi prohibetur hoc tractari; quis calamo scribere ergo, vel lingua hoc quippiam audeat fari?

Et quia contra hæc capitula, quæ adnotata sunt in Epistola vestra, testimonia ex Evangeliorum et Apostolorum libris exquiris, pro eorum machinationibus dissipandis, et dubiis utique validissimè confirmandis; eminentius tamen id agere vestra valet benignitas, quam nulla umquam tribulatio vel mundialis fatigavit adversitas. Ideò intellectui ac sensui vestro summa permanet integritas, quia iam me pene multis modis contrivit sæculi huius acerbitas. Sed quia ad hoc opus vos valde sufficitis, ut reor non ob aliud hoc expetitis, nisi ut credulitatis meæ textum agnoscere valeatis. Ego verò humiliter ea proferam, quæ credo, atque simpliciter enarrem in quæstionibus sciscitatis, quæ sentio. Quidquid enim absque norma veritatis paternitas ibidem præsenserit domni nostri, vestri genitoris, mox illud emendet velocitas Scriptoris: et me iterum clam instruat, ut olim fecit alios, gratia vestri honoris: et celet inscium atque ignarum vestra solertia cordis, ita ut errorem nemo sentiat foris: quia ad emendandum, vel demendum, atque addendum, celsitudini vestræ est destinatum. Ecce ut ab excellentia vestra extitit imperatum, ut valui persolvi clientulus famulatum. Sed oppositiones illæ, quæ sunt in Epistola vestra taxatæ, eas sub nomine Assertoris exarando inducam, et textu vestro sanctarum Scripturarum testimonia producam, et cum Doctorum (1) dicta, ut qui vero conectam, quæ respondendo conscribam.

RESPONDET AD PRIM. PART. INTERROGATIONIS ALVARI

ID EST,

Confutat eorum errorem hæreticorum, qui Trinum in unitate, et Unum in Trinitate Deum non credebant.

Fides unius substantiæ Trinitatis, hoc est, Patris, et Filii, et Spiritus sancti sine initio temporum, super sensum atque sermonem est: una virtus, unus Deus, tria vocabula. Deum enim cum nomino, uno lumine in lumine ex tribus: tribus quidem secundùm proprietatis essentiæ, una autem secundùm substantiæ, vel Deitatis rationem dividitur, ut ita dicam, indivisibiliter: una est enim in tribus Deitas, et tria sunt, in quibus est Deitas. Ampliùs autem aliquid vel minus relinquamus, ut neque fiat in Trinitate confusio, neque in divisione discidium. Verbum verò nascitur de Virgine Maria accipiens corpus animale. Sed quid dicitur sensum mittens suum verbum? Sed neque sermo comprehensus est a carne, sed in carne, et supra carnem: sicut dicitur præscius Dei, Dei virtus, Dei veritas: passus autem humana, sed sermo Dei impassibilis est. In passione quidem moritur homo, ut vivificaret Protoplaustum, qui ceciderat per inobedientiam. O homo! De Deitate quæris? Vitupero te. Si credis, benè facis; si autem dicis, quomodo Pater? de lumine excidisti. Et si dixeris, quomodo Filius? similiter excidisti de lumine. *Nemo enim novit Patrem, nisi Filius; neque Filium quis novit, nisi Pater.* *Matth.* 11. 27.

Qui tres virtutes inducit, tres Deos confitetur. Nos credimus tres personas, unam verò virtutem, unamque Deitatem. Quando autem nominaveris Patrem, glorificas Filium, et quando nominaveris Filium, adoras Patrem. Si iterùm unam personam Trinitatis dicimus, iudæi-

(1) Lege *cum Doctorum dictis atque verò etc.* Florez.

dæizamus (1); quia Iudæi unam personam dicunt, et unum Deum confitentur. Si tres Deos dicamus, similes sumus Gentibus. Sed confitemur Patrem in Filio, et Filium in Patre cum Spiritu sancto: non separatur, non dividitur Deitas. Deus enim de Deo, virtus ex virtute, lumen de lumine, veritas ex veritate. Testis non est: non cælum, non terra, non mare, non lux, non tenebræ, non Angeli, non Archangeli, neque Cherubim, neque Seraphim: sed erat in principio Filius apud Patrem. Nemo cognoscet innascibilem, nisi qui natus est: ipse utique scit, unde sit natus. Neque nascibilem aliquis scit, nisi qui genuit: Pater scit quid generavit: similis genitus genitori Patri. Consilium et (2) sapientiam una virtus, et una Deitas. Nativitatem Filii Dei quæris? Habes propriam nativitatem ex Virgine Maria; sed nativitas Filii Dei, a principio apud Patrem.

Confiteor enim unum innascibilem, et unum natum. Confiteor Patrem omnipotentem sine initio, sine fine; qui omnia tenet, et a nullo tenetur; omnia gubernat, et a nullo gubernatur; omnia videt, ipse autem invisibilis est. Confiteor et Iesum Christum Filium Dei cum omni consilio et virtute paternæ deitatis: quantum autem habet virtutem (3), tantum et Filius: non diminuitur genitus eo (4) qui est innascibilis; una enim virtus et una Deitas innascibilis, et nati. Spiritus verò Sanctus neque natus, neque innascibilis, non est factus, neque creatus. Si autem dixero *natum*, duos filios statuo ex uno Patre, et non unum ex uno, aut solum ex solo. Et ubi est unus
1. *Cor.* 8. 6. Pater ex quo omnia, et unus Dominus Iesus Christus per quem omnia? Et si dixero *innascibilem*, iam non unus Pater omnipotens innascibilis, sed duos omnipotentes statuo. Et si dixero *facturam*, gentiliter dico; Gentes enim facturam manus adorant, et non factorem cæli et terræ. Quid ergo habeo dicere? Fantas-
Matth. 12. 31. 32. ma? Absit. Quoniam blasfemia Spiritus sancti non remittetur. Quomodo ergo duo ligna coniuncta missa in fornacem ignis, et de duobus lignis flamma procedit inseparabilis, sic de Patris et Filii virtute procedit Spiritus sanctus, ipsam virtutem et Deitatem habens, sicut beatissimus Paulus Apostolus posuit, dicens: *Unus enim Deus, unus Mediator* 1. *Tim.* 2. 5. *Dei et hominis homo Christus Iesus*: non Deus Dei Mediator, unus enim est usque ad Trinitatem; sed accipiens corpus de Virgine Maria, induens veterem hominem qui ceciderat per inobedientiam, Mediator factus est carnis Patris virtute, hoc est, Iesus Christus.

Quando autem adsumit Apostolos, *Matth.* 17. 1. *&c.* sicut Evangelia testantur, et ascendit in montem excelsum, et mutavit virtutem Deitatis, et ecce nubis candida operuit eum, nubis verò splendida virtutem Patris in eum ostendit. Sicut (5) quidem per vaniloquia docent, quomodo tres personæ in una substantia? Illi autem dicunt tres virtutes, nos credimus tres personas in una virtute: tria vocabula, sed unum Deum in tria vocabula: in unius vocis nomen Patris et Filii et Spiritus sancti. Iterum illi dividentes virtutem, et Deitatem Trinitatis dicunt. Sicut Imperator perfectus et Comis. Absit. Non trado ego hanc doctrinam, aut istam expositionem, aut fidem; sed magis anathematizo. Scriptum est enim in divinis præceptis: *Visibilia enim huius* *Rom.* 1. 20. *mundi invisibilibus comparantur.* Terrenus enim Imperator de tribus constat, sed unum est Imperium. Si deposuerit diadema de capite suo, Cæsar est, non Imperator perfectus. Sic qui blasfemant Spiritum Sanctum, non sunt christiani. Et si (6) purpura deposuerit, vir solus est. Sicut Iudæi unam personam adorant. Nos autem confitemur, sicut Imperator terrenus, sic et cælestis. Homo in purpura, et purpura in homine; corona autem capitis continens purpuram et hominem, unum Imperium ostendit: sic Pater in Filio, et Filius in Patre, Spiritus autem sanctus ex Patre et Filio procedit. Deitatis virtus, et unitas Trinitatis.

FINIT.

(1) Sic MS.
(2) *Sapientia.*
(3) Fors. *virtutis.*
(4) F. *quia.*
(5) Fort. *quidam.*
(6) F. *purpuram.*

RE-

RESPONDET AD SEC. PART. INTERROGATIONIS ALVARI

ID EST,

Oppugnat eorum impietatem qui Iesum Christum hominem tantummodo confitebantur ex perversa explicatione Evangelii.

Assertor dixit: Si vere est Deus, dum discipulis ita exorsus est, *Ascendo ad Patrem meum, et ad Patrem vestrum, ad Deum meum, et ad Deum vestrum*? RESP. In una etenim persona unus et verus proprius Dei Filius ex duabus constat naturis, Deitatis videlicet et humanitatis, et ideo in solo tantum corpore humanitatis hæc sustinuisse suis in Evangelio prædixit discipulis: *Ecce ascendimus Iherosolymam, et consumabuntur omnia quæ scripta sunt per prophetas de filio hominis: tradetur enim Gentibus, et inludetur, et flagellabitur, et conspuebitur: et postquam flagellaverint, occident eum, et die tertia resurget.* Quod totum in Christo secundùm hominem dictum, non ad substantiam Deitatis, sed ad naturam pertinet carnis: nam et in passione sua corripiens proditorem, dixit: (1) *Osculum filium hominis trades*? Quem interrogat tradere proditorem, nisi hominem, quem et comprehenderunt, non Deitatem, quam cæcati perfidia nec agnoscere potuerunt? Nam et quòd fatigatus est, quòd esuriit, quòd sitivit, quòd dormivit, quòd flevit, quòd passioni proximus tristis fuit, quòd mortis conditionem post passionem suscepit, quòd in cælis ascendit secundùm quod ait, *Ascendo ad Deum meum et Deum vestrum*, totum hoc non ad incomprehensibilem pertinet substantiam Deitatis, de qua ait, *Ego et Pater unum sumus*; sed ad infirmitatem pertinet humanitatis, in qua se minorem Patri asserit, dicens: *Pater maior me est.* Et ideo ait, *Ascendo ad Deum meum et ad Deum vestrum*, ut hominem quem e cælis veniens, ex Virgine adsumserat, ad cæli tronum sublevasset, unde per divinitatem nusquam discesserat.

Loan. 20. 17. *Luc.* 18. 31. *&c.* *Luc.* 22. 48. *Ioan.* 10. 30. *Ibid.* 14. 28.

Item ipse Dominus ait: *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, Filius hominis qui est in cælo.* Non dixit, qui fuit in cælo; ergo quando in terra fuit, in cælo fuit: sicut dixit, *Filius hominis qui est in cælo*, et tamen in terra loquebatur, sed in terra homo fuit et Deus. Nam si Deus non fuit in terra, quomodo illi Angeli ministrabant, sicut scriptum est: *Tunc reliquit eum tentator, et ecce Angeli accesserunt, et ministrabant ei*? Apostolus Paulus iterum dicit: *Qui descendit, ipse est qui ascendit super omnes cælos, ut adimpleret omnia.* Nam per hoc quòd descendit, et semetipsum exinanivit, formam servi accepit; (2) hìc vox eius est in Psalmo, dum dicit: *De ventre matris meæ Deus meus es tu.* Per ipsum namque quod de utero matris adsumsit, dicebat, *Ascendo ad Deum meum et Deum vestrum.* Cum *meum* dicat *et vestrum*, quasi non communiter dicit *meum*, sed distinctè ac separatim loquens indicat, quia eumdem Patrem et Deum dissimiliter habeat ipse quàm nos. Dum enim dicit, *Ascendo ad Patrem meum*, scilicet generatione propria, ut vox Patris de eo est: *Ex utero ante Luciferum genui te.* Et iterum: *Eructavit cor meum verbum bonum.* Et in Evangelio: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.* Et ut in symbolo credentes profitemur Filium Dei Unigenitum ex Patre natum ante omnia sæcula, Deum ex Deo, Lumen ex Lumine, Deum verum ex Deo vero. Et ob hoc dicebat: *Ascendo ad Patrem meum*, videlicet per naturam; *et ad Patrem vestrum* per gratiam, hoc est, adobtione voluntaria: vel quia relictis simulacris, filii sumus per gratiam fidei ac babtismatis secundùm illud de Evangelio: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius.* Et quod dixit, *Ascendo ad Deum meum*; quia descendi, et carnem adsumsi: *et ad Deum vestrum*; quia per fidem ascenditis. Quia et ego homo, Deus mihi est; quia vos ab errore liberat, Deus vobis est. *Ad Deum meum*, unitate mysterii; *ad Deum vestrum*, potestate quidem cælesti. Distinctè ergo ac separatim mihi Pater et Deus est: quia quem ante sæcula Deum genuit, hominem in fine sæculorum mecum creavit.

Matth. 4. 11. *Ephes.* 4. 10. *Psalm.* 21. 11. *Psalm.* 109. 3. *Psalm.* 44. 2. *Ioan.* 1. 1. *Ibid. v.* 12.

Assertor dixit: Hanc enim quæstionem dum ex Scripturarum dicta personas, aliam inducam, in qua nihil ut reor, su-

(1) Leg. *Osculo.*

(2) F. *hinc.*

Matth. 24. 36. superest quod inferas. Id est : *De die autem illa et hora nemo scit, neque Angeli cœlorum, neque Filius, nisi Pater solus.* Dum ille verò se declaravit nescire, quid nunc vales proferre? RESP. Valeo denique multa testimonia exhibere ac magnificentiora, per quod illum scire advertes diem utique et horam. Nam ex hoc Apo-

Ibid. v. 3. *&c.* stolis Dominus sciscitatus, *Dic nobis*, inquiunt, *quod signum erit tui adventus, et consummatio sæculi istius* ; respondit : *Videte, ne quis vos seducat : Consurget enim gens in gentem, et regnum in regnum, et erunt pestilentiæ, et fames, et terræmotus per loca. Tunc tradent vos in tribulationem, et occident vos : et eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum. Et tunc scandalizabuntur multi, et invicem tradent, et odio habebunt invicem. Et multi pseudoprophetæ surgent, et seducent multos. Et quoniam abundavit iniquitas, refrigescit caritas multorum. : : : : : Erit enim tunc magna tribulatio, qualis non fuit ab initio mundi, neque fiet. : : : : Sicut enim fulgur exit ab Oriente, et apparet usque in Occidente : sic erit adventus Filii hominis. Statim post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et stellæ cadent de cælo, et virtutes cælorum commovebuntur : et tunc parebit signum Filii hominis in cælo.* Qui hæc cuncta narravit, diem ipsum et horam novit : quia tunc adventus illius ac dies iudicii erit, quando signum, quem præfatus est, in cælo paruerit. Sequitur.

v. 30. *Et tunc plangent omnes tribus et terræ, et videbunt Filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute multa et maiestate, et mittet Angelos suos cum tuba et voce magna, et congregabuntur electos eius a quattuor ventis, et a summis cælorum usque ad terminos eorum.* Qui suos Angelos dirigit, et electos suos a summis cælorum usque ad terminos eorum colligit ; diem verò ipsum, in quo hæc acturus est, fideliter novit. Et qui se cum virtute multa et maiestate prædixit venire, diem ipsum in quo venturus est, non poterit ignorare. Aut quomodo diem ipsum non noverit, qui Patri scire illum prædixit, et se unum cum Patre declarare maluit? *Ego*, inquit, *et Pater unum sumus.* Et ite- *Ioan.* 10. 30.
rum : *Qui me videt, videt et Patrem meum.* *Ibid.* 14. 9. 10.
Et : *Ego in Patre, et Pater in me est.* Dum hæc cuncta igitur intulit, unumque se in divinitatis natura cum Patre esse prædixit ; diem utique novit, sed dicere Apostolis noluit secundùm quod illis post resurrectionem suam interrogantibus dixit : *Non est vestrum nosse tempora vel* *Act.* 1. 7.
momenta, quæ Pater posuit in sua potestate. Quando dicit, *Non est vestrum*, scire ostendit quod ipse sciat : sed non expediat nosse Apostolis, ut semper incerti de adventu Iudicis sic quotidie vivant, quasi die alia sint iudicandi.

Quòd si in tuæ obstinationis sententiam, ut diem illum Dominus nesciat, perseveras ; ergo secundùm tuam oppositionem nec ipse Dominus sciebat ubi Adam se inter ligna Paradisi absconderat, quando ei dicebat : *Adam, Adam, ubi* *Gen.* 3. 9.
es? Et ad Cain dixit : *Ubi est Abel frater* *Ibi* 4. 9.
tuus? Et Abraham ait : *Ubi est Sara uxor* *Ibi* 18. 9.
tua? Qui hæc verò cuncta quasi ignorans narravit, ipse utique, ut in Evangelio scriptum est, Lazarum (1) quem resuscitare veniens sciscitavit dicens : *Ubi* *Ioan.* 11. 34.
posuistis eum? Et qui mortem longe positus discipulis iam manifestaverat, hìc locum tumuli, ut nesciens, inquirebat. Sed ut tua est assertio, ergo nec Dominus iterum sciebat, quia Abraham Dominum timebat, sed postquam in sacrificio filium obtulit, tunc eum se timere utique prospexit, et ideo illi dixit : *Non* *Gen.* 22. 12.
immittas manum tuam in puero, nec facias illi quicquam : nunc cognovi quòd times Dominum, et non pepercisti filio tuo unigenito propter me. Hæc verò cuncta adverte, et qualiter intelligenda sunt, ne erubescas sciscitare : quia ille verè omnia novit, qui hæc (quasi nesciens) diversa mundi prædixit, et ipse cuncta visibilia atque invisibilia condidit atque creavit.

(1) Superesse videtur *quem.*

FINIS.